DOCTORIS ECSTATICI
DIONYSII CARTUSIANI
OPERA OMNIA

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/operaomniainunum09deni








DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

IN JEREMIAM, ET EZECHIELEM

MONSTROLII

TYPIS CARTUSIÆ S. M. DE PRATIS

MDCCCC








THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA,

JAN 16 1932

3919

ENARRATIO

IN JEREMIAM PROPHETAM

PRÆFATIO

HIC est fratrum amator et populi Israel, hic est qui multum orat pro populo et universa sancta civitate, Jeremias propheta Dei, vir ætate et gloria mirabilis, et habitudine magni decoris. II Mach. xv, 14, 13.

Deus altissimus, cujus sapientiæ non est numerus, in universis operibus suis *Ps.* cxlvi, 5.
ordinate procedit. Et quæ nobis vicissim fortuita aut confusa videntur, per comparationem ad providentiam ejus universalem, plenissimam, perfectam sive distinctam, irreprehensibilia et ordinatissima comprobantur. Siquidem ipse superbonus, superomnipotens et supersapiens Deus, sine legitima ratione nil efficit, nec permittit. Denique, quamvis per se ipsum propria potestate omnia sibi complacita possit peragere, nihilo minus multa facit per causas secundas, suam in hoc munificentissimam bonitatem demonstrans, caritatem atque clementiam, quod providentiæ et efficientiæ suæ dignatur creaturas quasdam habere cooperatrices, comparticipes et exsecutrices. Et hoc non jam dumtaxat in operibus naturæ, sed etiam gratiæ, incomprehensibili dignatione observat. Unde quum omne genus humanum ad veram, æternam ac cœlestem felicitatem condiderit, viros quosdam sanctos a mundi principio in terra constituit, quorum corda lumine gratiæ stabilivit, sapientiæ radiis decoravit, et in ipsa consolidavit justitia : per quos innocentibus et indoctis viam salutis ostendit, bonis ac proficientibus adjutoria crescendi in gratia præstitit, errantes edocuit, vitiosos et impios instanter corripuit, quatenus omnes ad beatitudinem ob quam conditi sunt, perducantur.

Horum unus præcipuus exstitit felicissimus Jeremias. Per quem induratos Judæos ad pœnitentiam variis modis clementissimus invitavit Creator : nunc, si converterentur, beneficia promittendo, veniamque spondendo ; nunc, nisi converterentur, gravissima supplicia prædicendo ; nunc Prophetarum verba, ut certius crederentur, per diversa miracula confirmando. In quo omnipotentis ac supergloriosissimi Dei infinita pietas declaratur, incomprehensibilisque misericordia commendatur, quod tantis injuriis inhonoratus, tot vitiis spretus, tot rebellionibus impiorum relictus, adhuc, antequam justissimam faciat ultionem, præfatis modis ad emendationem hortatur, et delinquentibus parcere atque ignoscere potius vult, quam pœnam inferre. Nempe et ipse qui offensus est seu contemptus, prior ad transgressores mittit legatos, ut sibi studeant reconciliari. Sed et in ipso suæ æquitatis rigore non desinit misereri, puniendo citra condignum ; præsentis quoque vitæ pœnas, vel pro præteritis peccatis contritione quoad culpam deletis, infligendo, vel ideo, ut per eas ad pœnitentiam in ipsis suis doloribus disponantur ac convertantur, vel, ut per eas futura supplicia minorentur. Quoniam ergo Deus æternus sanctum Jeremiam ad durissimam ac vitiosissimam plebem illam Judaicam destinavit, concessit eidem gratiam præcipue fraternæ caritatis, robur quoque patientiæ magnæ, ne illorum ingratitudine aut persecutionibus vinceretur, sed fidelissime interveniret pro eis.

ENARRATIO

IN JEREMIAM PROPHETAM

ARTICULUS PRIMUS

DE LAUDIBUS JEREMIÆ.

LAUDATUR in primis sacer hic vates Jeremias, quia in utero matris suæ sanctificatus : hoc enim de nullo Sanctorum qui ante eum fuerunt, legitur evidenter in Scripturis divinis. Secundo, ex generis dignitate, quoniam ex sacerdotali prosapia oriundus : quæ in veteri Testamento tantæ fuit præstantiæ, ut regiæ tribui matrimonialiter jungeretur. Tertio, ratione officii, Malach. II, quia sacerdos : qui in veteri lege angelus Domini nuncupatur. Quarto, quia de Christo et ejus divinitate evidentissime pro- Jer. XXIII, phetavit : Hoc est, inquiens, nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster. Similiter de ejus humanitate ac paupertate in sæculo isto. Etenim ad Filium Dei di- Ibid. XIV, 8. rigens verbum : Quare, ait, quasi colonus futurus es super terram? Quinto, quoniam ipsemet Jeremias per excellentiam quamdam figura exstitit Christi : quoniam tota vita sua multiplici passione ac morte, personæ passionisque Christi fuit figura præclara. Siquidem vita Jeremiæ gravissimis persecutionibus, piis compassionibus, atque innumeris adversitatibus et afflictionibus fuit repleta. Unde in Ecclesiastico Eccli. XLIX, habetur : Male tractaverunt illum, qui ab utero matris consecratus est propheta.

Sexto, laudatur ab innocentia vitæ, quoniam vanitatem, voluptatem ac vitia mundi in se ipso expertus non est; verum ab A infantia in supernaturali ac admirabili innocentia perseveravit, secundum quod ipsemet ait : Non sedi in concilio ludenti- Jer. XV, 17; XVII, 16. um, et diem hominis non concupivi, tu scis. Septimo, a virginali munditia, quia in virginitate permansit, atque se ipsum evangelicum exhibuit virum. Octavo, a prædicationis constantia et perseverantia in adversis, quod videlicet regibus Juda incredulis tam imperterrite prædicavit, et in tot dirissimis persecutionibus nequaquam defecit : imo semper eadem securitate, B quæ Dei erant publice loquebatur. Nono, quoniam fraternæ caritatis zelo singulariter arsit, sicut in procemio allegavi. Decimo, a venerabili senio. Antiquus namque et venerabilis pater fuit quando quievit et obdormivit in Domino. Nam quamvis in pueritia prophetare exorsus sit, nihilo minus ante mortem consenuit : nam in Judæa quadraginta uno annis prophetavit, quemadmodum in sequenti pandetur articulo; deinde Ægyptum ingressus est, atque ad tempus vixit ibidem. Undecimo, pro- C pter miracula ejus, quæ secundo Machabæorum et in Scholastica historia plenius II Mach. II, 4, 5. recitantur : qualiter scilicet arcam Dei cum his quæ erant in ea, tulit de templo, et abscondit in petra; qualiter etiam precibus suis liberavit Ægyptios a serpentibus, bestiisque aquarum, videlicet croco-

dilis. Duodecimo, ratione martyrii. Quum enim in terra Ægypti Judæos de sua idololatria diligenter argueret, et impœnitentes a rege Babylonis vastandos prædiceret, illi contra eum exacerbati, ictibus lapidum occiderunt virorum sanctissimum : quem, A ut fertur, Ægyptii memores beneficii sibi a Propheta collati, honorifice sepelierunt juxta suorum regum sepulcra. Postremo tota vita ejus eximia fuit sanctitate ornata. Et hic liber ipsius nunc Deo agente elucidandus, sententiarum majestate refulget.

ARTICULUS II

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI PRIMI LIBRI JEREMIÆ : VERBA JEREMIÆ FILII HELCIÆ.

PRÆMITTIT libro suo prooemium san-
1 ctus Propheta, dicens : *Verba Jeremiæ*
filii Helciæ : Jeremiæ (inquam) sive Hel-
ciæ oriundi *de sacerdotibus qui fuerunt*
in Anathoth, urbe parva seu viculo ad
sacerdotes in tribu et sorte Benjamin per-
Is. x, 30. tinente. Unde in Isaia habetur : Paupercu-
la Anathoth. Ideo subditur, *in terra Ben-*
Josue xxi, 17, 18. *jamin :* quia in portione tribus Benjamin
fuit hic locus situs. Hujus ergo Jeremiæ
verba sunt quæ sequuntur. Commendatur
quoque humilitas Jeremiæ in hoc, quod
se mox in voluminis sui principio prophetam non appellavit, quum tamen et
pater ejus Helcias propheta fuisse credatur, juxta Hebræorum regulam, qua asserunt eos fuisse prophetas, qui in Prophetarum titulis atque principiis exprimuntur
ut patres vel avi. Denique, sicut Christus
in Nazareth civitate parva voluit nuntiari
et concipi, ita et Prophetam suum in loco
tam humili voluit nasci, ut innuat quod
I *Cor.* i, 27, 28. quæ abjecta sunt mundi, eligit Deus.
2 *Quod,* pro Quia; vel, Quod *factum est*
verbum Domini ad eum, id est, sermo qui
ad Jeremiam divinitus factus est, *in diebus Josiæ filii Amon regis Juda, in tertiodecimo anno regni ejus.* Hic, inquam,
sermo est qui infra describitur. Porro Josias, sicut quarto Regum habetur, regnavit
IV *Reg.* xxii, 1. triginta et uno annis. Quoniam ergo Jeremias orsus est verbum prophetalium revelationum audire et vaticinari tertiodeci-
B mo anno regni Josiæ, constat quod decem
et novem annis sub Josiæ imperio prophetaverit, tertiodecimo quo incepit, quasi
pro integro anno pariter computato. Eodem quoque tempore prophetavit et So- *Soph.* i,
phonias.
Et factum est verbum Domini ad Jere- 3
miam, non solum in diebus Josiæ, sed
insuper *in diebus Joakim filii Josiæ regis*
Juda. Quemadmodum quarto Regum le- IV *Reg*
gitur, mortuo religiosissimo rege Josia, xxiii, 30.
populus filium ejus Joachaz constituit re-
C gem : quem, quum tribus mensibus re- *Ibid.* 31, 3
gnasset, vinxit Nechao rex Ægypti, tulitque 34.
secum in terram Ægypti. Fratrem vero
Joachaz, nomine Eliacim, posuit regem Juda pro Joachaz; et verso nomine præfati
Eliacim, vocavit eum Joakim. Et de isto
Joakim nunc loquitur Jeremias. Qui un- *Ibid.* 36
decim annis regnavit. Post quem regnavit filius ejus Jechonias, qui alio nomine I *Par.* ii
etiam Joachin dicitur, regnavitque men- 16. IV *Reg*
sibus tribus : quem cepit rex Babylonis. xxiv, 6.
Post Jechoniam hunc regnavit Sedecias *Ibid.* 8. *Ibid.* 12, 1
D annis undecim. Sub quibus et Jeremias *Ibid.* 17, 1
vaticinabatur, sicut subjungitur : *usque ad*
consummationem, id est finem, *undecimi*
anni regni *Sedeciæ filii Josiæ regis Juda.*
Itaque de Joachaz et Jechonia tacet Propheta, quanquam sub eorum temporibus
sit locutus, quoniam tam brevi tempore
regnaverunt, quod tempus illud in annis
Joakim et Sedeciæ computatur. Quia itaque

Jeremias decem et novem annis prophetavit sub Josia, et undecim sub Joakim, undecim quoque sub Sedecia : relinquitur quod quadraginta et uno annis prophetavit in Judæa et Jerusalem, quousque caperetur civitas. Quoto autem vitæ suæ anno vaticinari sit orsus, et quot annis vel diebus in Ægypto moratus sit, ignoratur. Prophetavit ergo sub Sedecia *usque ad transmigrationem Jerusalem,* id est captivitatem civium ejus, *in mense quinto* ultimi an-
Reg. XXV, 11. ni regni Sedeciæ. Hoc etenim mense Jerusalem combusta fuit, et populus Juda in Babylonem abductus captivus, quam-
r. LII, 6, 7. vis quarto mense anni istius fuerit civitas capta, sicut infra patebit.

4 *Et factum est verbum Domini ad me, dicens.* Sicut in aliorum expositione Prophetarum frequenter jam dixi, atque divini Dionysii auctoritate perhibui, propheticæ revelationes angelorum ministerio factæ sunt. Idcirco, dum Jeremias et nunc et in subsequentibus asserit verbum Domini factum ad se, vel Dominum sibi locutum, intelligendum est quod per subjectam creaturam, puta per angelum, factum sit hoc allocutione interiori, juxta illud Zachariæ,
ach. I, II, VI. Angelus loquebatur in me; vel etiam forte vicissim exteriori, secundum quod Da-
Dan. VIII, ; IX, 21; c. I, 19. nieli et Zachariæ evangelico Gabriel legitur apparuisse.

5 *Priusquam te formarem,* corpus tuum organizando, vel animam tuam creando ac corpori infundendo, vel totum compositum procreando, *in utero* matris tuæ, *novi te,* per prædestinationem æternam, per electionem præcipuam, per tuæ futuræ æquitatis approbationem. Hoc modo agnoscuntur a Deo electi : sicut ad Moysen Do-
Exod. XIII, 12, minus loquitur, Te ipsum novi ex nomine. De nescientia autem notioni huic contra-
atth. VII, ; Luc. XIII, ria, ait Salvator : Tunc confitebor illis : Quia nunquam novi vos; discedite a me, omnes operarii iniquitatis. De hac divinæ electionis notitia sempiterna scribit Paulus :
phes. I, 4. Deus elegit nos in Christo ante mundi constitutionem. *Et antequam exires de vulva, sanctificavi te,* id est, per gratiam

A justificantem ac gratificantem, a peccato originali mundavi te, in quo fuisti conceptus. Sicque Jeremiæ collatum est in utero matris, quod ceteris in veteri lege in circumcisione dabatur, et quod in evangelica lege in Baptismo præstatur. Unde in illa sanctificatione infusa est animæ ejus gratia gratum faciens, virtutes theologicæ, et dona cum virtutibus eis inseparabiliter junctis. Jeremias ergo tametsi in peccato conceptus sit, non tamen in eo natus est. *Et Prophetam in gentibus dedi te :* id est,
B quum nondum ex utero prodisses, ad prophetandum gentilibus te præordinavi; et nunc, quum hæc tibi revelo, istud officium tibi injungo. Unde et infra legitur Jer. XXV,
Jeremias multa gentibus prophetasse. XXVII, XLVI-LI.

6 *Et dixi,* me a tanto officio humiliter excusando : *A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui* tam perfecte, sapienter et eleganter, ut pertinet ad Prophetam, *quia puer ego sum* ætate, non tamen animi levitate, aut sensuum stoliditate. Moris fuit Prophetarum, propter majorem seriosita-
C tem et attentionem vel assertionem, idem ter pronuntiare : sicut et infra loquitur Jeremias, Terra, terra, terra, audi verbum Ibid. XXII, 29.
Domini; et Ezechiel sæpe exclamat, A, a, Ezech. IV,
a, Domine Deus. Et sicut aliqui dicunt, 14; XX, 49.
Jeremias tribus vicibus dicit, A, ut se propter triplicem defectum, videlicet scientiæ, eloquentiæ et ætatis, quæ ad doctorem, prædicatorem ac vatem pertinent, a tanto excuset officio. Et hoc subtiliter dictum est, quanquam quidam affirmet ex Hebraici ignorantia sermonis id dici : con-
D tra quod super Ezechielem nuper satis, (ut In Ezech.
arbitror) tetigi. At vero, secundum Hie- XLI, 16.
ronymum, Jeremias detestatur officium, quod pro ætate sustinere non potest, eadem verecundia qua et Moyses tenuis et Exod. IV,
gracilis vocis esse se dicit : sed ille, quasi 10; VI, 12, 30.
magnæ et robustæ ætatis, corripitur : hu- Ibid. IV, 11,
jus pueritiæ datur venia, quæ verecundia 12.
et pudore ornatur. Gratiose ergo et molliter respondet Dominus humili verecundoque juveni, propriam insufficientiam sagaciter intuenti.

7 *Et dixit Dominus ad me : Noli dicere, Puer sum.* Si Jeremias laudabiliter dixit, Puer ego sum, et cetera verba quibus se excusavit, sapienter atque humiliter protulit : quomodo Dominus ait ad eum, Noli dicere, Puer sum? præsertim quum verbis his saluberrimum omnibus nobis exemplum largitus sit, ne ad pastoralis aut prædicationis officii susceptionem leviter acquiescamus, potissimum si puerilis adhuc ætatis teneritudine circumcingamur. Et respondendum, quod Jeremias bene dixit, et recte se excusavit, ac virtuose locutus sit. Nihilo minus melius fuit quod Dominus ei indixit : quemadmodum etiam bonum fuit quod Christus dicebat, Pater, transfer calicem istum a me; sed melius fuit quod Pater volebat. (*Luc.* xxii, 42.) Nec tamen creata atque humana Christi voluntas paternæ fuit contraria voluntati : quoniam secundum diversas considerationes, et bona exstitit illa, sed melior ista. Itaque Dominus gratiosissimo ac virgineo adolescenti respondit : Noli dicere, Puer sum, hoc est, ne ætatem consideres. Siquidem, ut in libro Sapientiæ legitur : Cani sunt sensus hominis (ubi alia translatio continet : Cani hominis sapientia ejus), et ætas senectutis vita immaculata. (*Sap.* iv, 8, 9.) Non ergo, o sacer Jeremia, ad tui ipsius defectibilitatem eatenus dirigas oculum, ut gratiæ meæ negligas intueri subsidium; sed utrumque simul considera, quatenus ex consideratione unius humilieris et paveas, ex consideratione vero alterius animatus confidas. *Quoniam ad omnia* loca sive negotia, ad *quæ* visitanda vel peragenda seu exsequenda, *mittam te, ibis; et universa quæcumque mandavero tibi, loqueris :* id est, imperfectum tuum supplebo, et obediendi, loquendi exsequendique gratiam tibi præstabo.

8 *Ne timeas* timore carnali, sæculari, seu inordinato : de quo Salomon loquitur ex persona Sapientiæ, Qui me audierit, absque terrore requiescet; (*Prov.* i, 33.) et postea, Justus quasi leo confidens, absque terrore erit; (*Ibid.* xxviii, 1.) *a facie eorum,* id est ab intuitu et comminationibus crudelium Judæorum; *quia tecum ego sum,* te per gratiam protegendo, patientiam tribuendo, fortitudinem conferendo : ideo debes esse securus. Sicut et sanctus Job ait : Pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me; (*Job* xvii, 3.) itemque Psalmista : Nam et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. (*Ps.* xxii, 4.) *Ut eruam te, dicit Dominus,* id est, ab adversitatibus et persecutionibus tibi infligendis te liberem, ipsis afflictionibus finem imponendo, per eas te ad requiem sempiternam perducendo, atque in ipsis tribulationibus inconcussam patientiam omnia superantem condonando. Hinc ait Hieronymus : Liberat Dominus, non quo Propheta persecutionibus et angustiis careat, quippe quum legamus eum multa perpessum; sed ut patiens omnia superet, nec cedat angustiæ.

Et misit Dominus manum suam, et tetigit os meum. 9 Hoc primo ita intelligi potest, ut quia propheticæ revelationes communiter fiebant per alienationem ab omni sensu exteriori et raptum animæ ad divina, ipse Jeremias in tali abstractione viderit imaginaria visione similitudinem manus corporalis, vel hominis Dei personam repræsentantis, et corporeum os Prophetæ tangentis. Et æstimo quod angelus Jeremiæ apparens, eumque instruens, his verbis in similitudine hominis apparuisse insinuatur. Et Dominus appellatur, quia in Dei persona hæc dixit : sicut et Moyses angelum sibi apparentem, nunc Dominum, nunc angelum vocat; Zacharias quoque propheta angelum sibi loquentem, Dominum suum frequentius nuncupat. (*Zach.* i, 9; iv, 4, 5; vi, 4.) Huic expositioni consonat verbum Hieronymi, perhibentis : Pulchre, juxta litteram, manus mittitur, ut humanorum membrorum similitudinem videns, tactum manus non formidet. Secundo, spiritualius accipi potest, ut Dominus manum suam misisse, id est illustrationis suæ effectum seu potestatem infudisse, osque Jeremiæ tetigisse, id est intellectum ejus, quo verbum mentale profertur, docuisse dicatur. Sed expositiones istæ in idem videntur redire, quia per

exterioris oris a similitudine manus con- A tactum imaginarium, significabatur collatio prophetiæ seu idoneæ in prophetando facundiæ. Denique huic verbo Jeremiæ si-
Ezech. II, 9. mile est quod de se ipso ait Ezechiel : Vidi, inquit, et ecce manus missa ad me, in qua erat liber. Isaias quoque, quum se ad prophetandum prædicandumque missum
Is. VI, 6, 7. describit, os suum asserit tactum calculo per ministerium Seraphim.

Et dixit Dominus ad me : Ecce dedi verba mea in ore tuo, id est, gratiam efficaciter loquendi tibi concessi, ut dicere B
Ibid. L, 4. possis id Isaiæ : Dominus dedit mihi lin-
10 guam eruditam. *Ecce ego constitui te hodie super gentes et super regna,* id est, officium prophetandi tibi injunxi, non contra solum populum et regnum Juda, sed etiam contra gentilium nationes atque imperia.
Jer. XXV, XXVII, XLVI, XLVIII-LI. Unde infra legitur Jeremias contra Ammonitas, Moabitas, Ægyptios et Babylonios vaticinatus. *Ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes,* id est, gentes impias de suis provinciis evellendas seu auferendas pronunties, et destruendas seu occi- C dendas ac disperdendas per loca diversa, et dissipandas seu finiendas, prophetes; *et ædifices, et plantes,* id est, tam Judæos quam gentes, post justam ac debitam castigationem, ad pristinum locum ac statum reparandos ac stabiliendos in propriis terris, denunties. Juxta hunc modum
Ezech. XLV, 18. loquendi ait Dominus Ezechieli : In primo mense sumes vitulum de armento immaculatum, et expiabis sanctuarium, id est, sumendum et expiandum prædices. — Possunt quoque hæc in bono ac spiritualius D accipi, eritque sensus : *Evellas,* id est, per tuas exhortationes, comminationes et prædicationes, de audientium cordibus vitia auferas, *et destruas* mala culpæ, *et disperdas,* id est, variis modis repellas, *et dissipes; et ædifices* eos in vita virtuosa ac
I Cor. XIV, 26. moribus : sicut Apostolus loquitur, Omnia ad ædificationem fiant; *et plantes,* hoc est, in fundamento virtutum defigas, non tua, sed Dei potestate, et gratia operante. Deus quippe est plantator principalis, ut in Evangelio testatur Christus : Omnis plan- Matth. XV, 13.
tatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur. Homo autem plantator est instrumentalis, qui propria potestate nil efficit, juxta illud Apostoli : Neque qui I Cor. III, 7.
plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat, Deus.

Deinceps finito proœmio, inchoatur tra-
ctatus. *Et factum est verbum Domini ad* 11
me, dicens : Quid tu vides, Jeremia? Verecundum ac pavidum juvenem Dominus exprimit nominatim, dulciterque affatur, ut confortatus paulatim sumat fiduciam. Interrogat quoque, non quia ignorat, sed ut ex responsione interrogati, eum congruentius excitet et informet ad advertentiam dicendorum. Loquebatur autem angelus ex persona Dei locutione interna. *Et dixi : Virgam vigilantem,* id est florentem et mobilem vel activam, *ego video* imaginaria visione. Hujuscemodi enim virgæ similitudinem vidit in spiritu. Per hanc virgam vigilantem, designabatur divina justitia, seu ultio et correctio ejus, de qua fertur in Psalmo : Virga tua et baculus tuus, ipsa Ps. XXII, 4.
me consolata sunt. Solet nempe per virgam rigor justitiæ exprimi : ut quum ait Apostolus scribens Corinthiis : Quid vul- I Cor. IV, 21.
tis? In virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis? Interdum vero per virgam accipitur lex evangelica, seu potestas divina : sicut in Psalmo de Christo cantatur,
Virga directionis virga regni tui; et alibi, Ps. XLIV, 7.
Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Ps. CIX, 2.
Sion. Interea advertendum, quod Septuaginta pro virga vigilante, transtulerunt, Baculum nuceum; et ut aliqui asserunt, in Hebræo habetur, Baculum amygdalinum. Et puto quod sermo Hebraicus forte æquivocus sit. Sed sensus redit ad idem : quia per ista figurabatur gravis percussio civitatis Jerusalem mox futura. Propter quod subditur :

Et dixit Dominus ad me : Bene vidisti, 12
quia vigilabo ego super verbo meo, id est, comminationem meam contra civitatem prolatam, diligenter considerabo, et rebus complebo : ideo additur, *ut faciam illud.*

Quocirca ait Hieronymus : Vigilat virga, A
videlicet Deus, universa populi peccata
considerans, ut percutiat et corripiat de-
linquentes. Unde et pulchre ait Psalmista,
Ps. XXII, 4. Virga tua et baculus tuus, ipsa me conso-
lata sunt : quia ad hoc Dominus corripit,
ut emendet. Et sicut nux sive amygdalum
amarissimum habet corticem atque duris-
simam testam, ut his detractis, dulcissi-
mus fructus capiatur ; sic omnis correptio
et labor continentiæ, ad præsens videntur
amara, sed fructum suavissimum pariunt,
juxta antiquam illam sententiam : Littera- B
rum radices amaræ sunt, sed fructus sua-
ves. Hoc est quod Paulus, Hebræis scri-
Hebr. XII, 11. bens, ait : Omnis disciplina in præsenti
quidem videtur non esse gaudii, sed mœ-
roris ; postea autem fructum pacatissimum
exercitatis per eam reddet justitiæ.

13 *Et factum est verbum Domini secundo
ad me, dicens : Quid tu vides? Et dixi :
Ollam succensam ego video,* id est igni
plenam, vel fortiter bullientem, *et faciem,*
id est adspectum vel superficiem seu os
ejus video *a facie aquilonis,* id est ex par- C
te Babylonis : quia ex illa parte erat olla
hæc visioni Prophetæ objecta. Per ollam
succensam, figurabatur Jerusalem incen-
denda. Porro, quod olla a facie aquilonis
apparuit, id designat quod a rege Babylo-
nis civitas combureretur, qui in hoc fuit
divinæ justitiæ instrumentum. Unde et ip-
se per virgam vigilantem intelligi potest,
tanquam exsecutor æquitatis divinæ, eo
modo quo de rege Assyriorum Dominus
Is. X, 5. loquitur per Isaiam : Væ Assur, virga furo-
ris mei et baculus ipse est. Sicque utraque D
visio spectat ad idem, ad majorem certi-
tudinem veritatis : quemadmodum Pharao-
ni per boves ac spicas idem ostensum est :
Gen. XLI, 32. quod Joseph interpretans, ait : Quod se-
cundo vidisti, ad eamdem pertinet rem, et
somnium veritatis indicium est, eo quod
fiat sermo Domini, et velocius complea-
tur. Interea, quod hic per ollam succen-
Ezech. XXIV, 3 et seq. sam, hoc Ezechieli per ollam æream supra
prunas positam, prolixius explicatur.

Deinde ipse Dominus visionem Prophetæ
suo exponit. Et quoniam ex dictis patet
sententia, non arbitror litteræ immoran-
dum, sed clara et brevi expositione est
percurrenda. *Et dixit Dominus ad me :* 14
Ab aquilone pandetur malum, id est, a
regione Chaldæorum aquilonari, videlicet
a rege Babylonis et populo ejus, eveniet
clare persecutio grandis, *super omnes ha-
bitatores terræ,* præsertim Judææ, de qua
nunc ad litteram sermo. *Quia ecce ego con-* 15
vocabo, hoc est, per inspirationem occul-
tam coadunabo, *omnes cognationes regno-
rum aquilonis, ait Dominus,* id est gentes
regionum regi Babylonis subditarum in
plaga aquilonari, vel simpliciter omnes,
vel quasdam de omnibus. Quas Deus dici-
tur convocasse, quoniam voluntatem veni-
endi contra Jerusalem ipsis inspiravit, et
potestatem faciendi ea quæ fecerunt ipsis
largitus est : quanquam ipsi non venerunt
ea intentione qua debuerunt, et collata
potestate abusi sunt. *Et venient, et ponent
unusquisque* eorum, potissime principales,
*solium suum in introitu portarum Jerusa-
lem, et super omnes muros ejus in circu-
itu, et super universas urbes Juda.* Distri-
butio ista qua dicitur, Unusquisque, non
est stricte accipienda ; neque sic intel-
ligendum, quod Chaldæi sedilia sua vel
thronos a Chaldæa secum detulerint, et ea
in portis Jerusalem et super omnes mu-
ros Jerusalem universasque Juda locarint
urbes ; sed locutio ista hyperbolica est,
scilicet per excessum prolata, ad insinu-
andum quod Chaldæi plenissimam contra
Judæos obtinerent victoriam, et quocum-
que vellent, se ad sedendum compone-
rent. Distributio quoque ista, sicut et cete-
ræ, communiter intelligenda est, non pro
singulis generum, sed pro generibus sin-
gulorum.

Et loquar judicia mea cum eis, id est, 16
per verba et persecutiones Chaldæorum,
ostendam Judæis justitiæ meæ censuram
ac pœnas. Unde infra habetur, quod Nabu- Jer. XXXIX, 5.
chodonosor locutus est cum Sedecia rege
Juda judicia. Nabuzardan quoque princeps
militiæ Chaldæorum professus est quod

Jer. xi, 3. Judæi propter peccata sua in Deum com- A
missa dejecti sint. *Super omnem malitiam*
eorum qui dereliquerunt me, cor suum a
meo amore, cultu, fide ac obedientia aver-
Osee iv, 10. tendo : juxta illud Osee, Dereliquerunt
Dominum in non custodiendo, id est divi-
na præcepta transgrediendo; *et libaverunt*
diis alienis, et adoraverunt opus manuum
suarum, videlicet idola. Libatio autem
proprie dicitur sacrificatio de materia li-
quida, ut de vino et oleo.
17 *Tu ergo accinge lumbos tuos,* hoc est,
paratus et agilis esto ad ea quæ tibi in- B
jungo; *et surge, et loquere ad eos,* puta
Judæos, *omnia quæ ego præcipio tibi. Ne*
formides a facie eorum, quamvis incre-
duli sint et crudeles. *Nec enim timere te*
faciam vultum eorum, id est, propriæ tuæ
infirmitati ac formidolositati te non re-
linquam, nec inordinato pavore affici te
18 permittam. *Ego quippe dedi te hodie in*
civitatem munitam, et in columnam fer-
ream, et in murum æreum : id est, tantæ
fortitudinis gratiam tibi nunc tribuo, ut
similis dici possis urbi roboratæ, colum- C
næque ferreæ ac æreo muro, ita quod sicut
talis civitas capi non potest, nec hujusmo-
di columna confringi, nec æreus murus
pertransiri, ita nec tu poteris superari.
Vel, altius considerando, sensus est quod
Deus per gratiam exuberantem in tantum
perfecerit Jeremiam, ut assimilaretur ci-
vitati, id est Ecclesiæ seu congregationi
fideli, in qua sunt diversa gratiarum cha-
rismata, et quod unus non habet, possidet
I Cor. vii, 7. alius. Unusquisque enim proprium donum
habet : nihilo minus aliquibus datur indi- D
vise cum plenitudine quadam, atque in
toto sive collectim, quod aliis datur per
partes. Insuper dedit eum in columnam
ferream, ita quod aliorum imbecillitatem
poterit sustentare, eosque perficere et por-

tare : juxta quem modum Petrus, Jacobus Galat. ii, 9.
et Joannes videbantur columnæ esse. In
æreum quoque murum, qui imbribus non
læditur, nec rubigine violatur, sed vetusta-
te fit fortior. Vel, In murum æreum, qua-
tenus inter Deum et populum transgres-
sorem stare valeat medius seu mediator
robustus, ne illud Ezechielis ei objicere-
tur : Non ascendistis ex adverso, nec op- Ezech. xiii,
posuistis vos murum pro domo Israel, ut 5.
staretis in prælio in die Domini. Talem
ergo te dedi *super omnem terram,* id est
cunctis hominibus, scilicet ad eorum pro-
fectum et ad resistendum pravitati malo-
rum, de quibus subjungitur : *regibus Ju-*
da, videlicet Jechoniæ, Sedeciæ, etc., *et*
principibus ejus, id est populi Juda, *et sa-*
cerdotibus, et omni populo terræ Judææ,
qui pro maxima parte impii erant.
Et bellabunt adversum te, te multiplici- 19
ter persequendo, *et non prævalebunt,* tuam
patientiam atque constantiam superando,
nec etiam te pro suo libito occidendo, do-
nec tandem illud permisero; *quia ego te-*
cum sum, ait Dominus, tanquam auxiliator
omnipotens cui nemo poterit resistere.
Etenim, si Deus pro nobis, quis contra Rom. viii,
nos? *Ut liberem te* de manibus impiorum 31.
et ab impatientiæ casu. Postremo, quam
mirabiliter et frequenter Dominus Jere-
miam eruerit, infra in hoc libro describi-
tur, et patebit.

Eodem modo quo nunc legitur Dominus
Jeremiam consolatus, corroborans et affa-
tus, etiam Ezechieli fecit, juxta illud : Tu Ezech. ii,
ergo, fili hominis, ne timeas eos, neque 6.
sermones eorum, quoniam increduli et
subversores sunt tecum; ne timeas vultus
eorum. Et ibidem sequenti capitulo Deus
Ezechieli locutus est : Ecce dedi faciem Ibid. iii, 8, 9.
tuam valentiorem faciebus eorum; ut ada-
mantem et silicem dedi faciem tuam.

ARTICULUS III

EJUSDEM CAPITULI PRIMI EXPOSITIO MYSTICA.

SICUT in primo dixi articulo, Jeremias A
evidentissima fuit Christi figura. Unde
et sanctificatio ejus in utero matris, san-
ctificationem Christi secundum naturam
assumptam in utero Virginis præfiguravit.
Eodem nempe momento quo anima Chri-
sti creata est, omni gratiarum charisma-
te, donis atque virtutibus fuit plenissime
decorata. Idcirco, quod Dominus ait ad
5 Jeremiam, *Priusquam te formarem in ute-
ro, novi te,* etc., de Christo convenienter
exponitur, qui secundum formam servi,
in instanti fuit in utero virginali forma- B
tus : quia eodem nunc, quo anima ejus
creabatur, corpus ipsius perfecte organi-
zatum est. *Et Prophetam in gentibus dedi
te.* Christus proprie gentium appellatur
Propheta : de quo Dominus ait per Isaiam,
Is. LV, 4. Ecce testem populis dedi eum, ducem ac
Ibid. XLII, 6; XLIX, 6. præceptorem gentibus; itemque, Posui te
in lucem gentium. Christus enim quamvis
in propria persona non nisi paucis gentili-
bus prædicaverit, nihilo minus per Apo-
stolos omnes nationes convertit, et ejus
prophetia atque doctrina gentibus profuit C
ad salutem.

Præterea, per hoc quod audiens Jerem-
ias se in utero matris sanctificatum, et in
Prophetam divinitus consecratum, nihilo
minus a prædicationis et prophetationis
officio humiliter se excusat, arguuntur
præsumptuosi et ambitiosi, qui ad præla-
tionem et aliorum instructionem ingerunt
semetipsos, quum tamen dicat Apostolus :
Hebr. V, 4, 5. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed
qui vocatur a Deo, tanquam Aaron : sic et
Christus non semetipsum clarificavit ut D
pontifex fieret. Quid ergo damnationis im-
minet his qui quum ipsi vitiis pleni sint,
ad pastoralem dignitatem adspirant? Qui
utinam illud Isaiæ attenderent et profer-
rent : Non sum medicus, et non est in *Is.* III, 7.
domo mea panis; nolite me constituere
principem populi. Exemplo igitur Jeremiæ
docemur nos a cura pastorali et ab alio-
rum regimine humiliter excusare. Sed quia
et ipse divinæ jussioni dicenti, *Noli di-* 7
cere, Puer sum, quoniam ad omnia ad
quæ mittam te, ibis, obtemperavit; rursus
ejusdem exemplo instruimur, ut canonice
electi sive promoti, non pertinaciter reni-
tamur, sed post moderatam excusationem,
cum spe divini auxilii acquiescamus.

Verumtamen advertendum quod ait S.
Gregorius : Officium, inquit, prædicationis
alii laudabiliter appetunt, ad quod alii lau-
dabiliter compelluntur. Isaias ultro se ob-
tulit, dicens : Ecce ego, mitte me. Jeremias *Ibid.* VI, 8.
humiliter reluctatur. Ab utrisque diversa
vox prodiit, sed non a diverso dilectionis
fonte processit. Duo enim præcepta sunt
caritatis, Dei videlicet amor, et amor pro-
ximi. Per activam ergo vitam Isaias proxi-
mis prodesse cupiens, officium prædica-
tionis appetiit ; per contemplativam vero
Jeremias amori Dei inhærere desiderans,
mitti ad prædicandum renuit. Sed notan-
dum quod qui excusavit, pleniter non re-
stitit; et qui mitti voluit, ante se per alta-
ris calculum purgatum vidit, ne aut non
purgatus adire quis sacra mysteria audeat,
aut quem Deus elegit, sub humilitatis spe-
cie superbe contradicat. Quia ergo difficile
est se purgatum agnoscere, prædicationis
officium tutius declinatur. Non tamen per-
tinaciter declinari debet, quum ad hoc sus-
cipiendum superna voluntas agnoscitur.
Quod utrumque Moyses mirabiliter exple-
vit, qui præesse tantæ multitudini noluit,
et tamen obedivit. Forte enim superbus

esset, si ducatum intrepidus susciperet, A
vel auctoris imperio obedire recusaret.
Præterea, quod Dominus loquitur Jere-
8 miæ, *Ne timeas a facie eorum, quia tecum*
ego sum ut eruam te, omnis prælatus, præ-
dicator et doctor advertere debet atque
implere, ne scilicet carnali aut sæculari
timori succumbens, a debita peccantium
increpatione, aut informatione, seu cas-
tigatione desistat; sed in Deo confidens,
usque ad mortem pro justitia elaboret,
Eccli. IV, 3. præsertim quum scriptum sit : Pro justitia
agonizare pro anima tua, et usque ad mor- B
tem certa pro justitia, et Deus expugnabit
pro te, etc. Denique Christus qui dixit di-
Matth. x, 6. scipulis, Ecce ego mitto vos sicut oves in
Ibid. 28. medio luporum, jussit eisdem : Nolite ti-
mere eos qui corpus occidunt. O quam
longe ab hac Christi doctrina ac jussione
distant, qui propter temporale aliquod
damnum, vel humani favoris amissionem,
a fraterna correctione os claudunt; qui
proximum suum vident jugiter ad inferos
currere, nec curant eum retrahere !
Si ergo prælatus, prædicator, aut doctor C
pro justitia fuerit constans, et officium
suum implere sategerit, implebitur quo-
9 que in eo quod subdit Propheta : *Misit Do-*
minus manum suam, et tetigit os meum,
et dixit ad me : Ecce dedi verba mea in
ore tuo. Si enim natura non deficit in
necessariis, multo minus gratia. Idcirco
quum Deus quempiam ad aliquod officium
eligit, dat ei illa gratiæ dona quibus ad
officii sui exsecutionem idoneam indiget.
Itaque electorum prædicatorum mentalia
ora, quibus intra se cum Deo loquuntur, D
Dominus manu sua tangit, dum divina vir-
tute intellectum eorum illuminat, ita quod
unctio ejus instruit eos, quemadmodum ad
II Tim. II, 7. Timotheum scribit Apostolus : Dabit tibi
Dominus in omnibus intellectum. Et Psal-
Ps. XV, 7. mista testatur : Benedicam Dominum qui
tribuit mihi intellectum. Tunc demum dat
verba sua in ore nostro, juxta illud in
Ps. LXXX, 11. Psalmo : Dilata os tuum, et implebo illud.
Specialiter autem per manum Dei, intelligi
potest unigenitus Filius Patris æterni : qui

virtus, manus, et brachium Dei Patris vo- I Cor. I, 24;
catur, quia per ipsum omnia operatus est Ps. XCVII, 1.
Pater. De quo brachio scribitur : Paravit Is. LII, 10.
Dominus brachium sanctum suum in ocu-
lis omnium gentium. Ita et Spiritus San-
ctus digitus Dei asseritur, quia per eum Luc. XI, 20.
nobis salutaria indicantur seu ostendun-
tur. Hanc manum misit ad nos Pater per
incarnationis ejus mysterium, et per eam
ejusque prædicationem tetigit os nostrum.
Ecce constitui te hodie super gentes et 10
super regna. Hoc majoribus prælatis Chri-
sti vicariis competit : quorum quo major
est honor ac dignitas, eo et majus pericu-
lum ac gravius onus. Sed et unusquisque
fidelium super gentes et regna constitui-
tur, dum tanta gratia decoratur, quod nec
blanditiis emollitur, nec terroribus com-
movetur. Quod aliorum rectoribus valde
est necessarium, quibus incumbit nec ho-
noribus seu favore extolli, nec minis aut
persecutionibus deprimi, quatenus inter
prospera et adversa, regia semper via in-
cedant. *Ut evellas* pravas suggestiones, *et*
destruas consensum illicitum, *et disperdas*
opera vitiosa, *et dissipes* consuetudines
malas. Hæc in se ipso ac sibi commissis
agere debet pro suis viribus omnis præ-
latus ; deinde quod subditur, *et ædifi-*
ces : nam verbo et conversatione tenetur
prælatus suos ædificare, secundum illud
Apostoli : Esto exemplum in verbo, in I Tim. IV,
conversatione, in caritate ; profectus tuus 12, 15.
manifestus sit omnibus. *Et plantes* in eo-
rum cordibus semen virtutum, quod est
verbum Dei. Primo igitur eradicanda sunt
vitia, deinde bona gratiæ inserenda. Hæ-
reses quoque et schismata a prælatis at-
que doctoribus potissime sunt evellenda.
Origenes exponit hunc locum de Chri-
sto, quem secundum naturam assumptam
constituit Pater, imo Trinitas superbene-
dicta, super gentes et regna, juxta illud
Danielis : Dedit ei potestatem, honorem et Dan. VII, 14.
regnum ; et omnes populi, tribus et lin-
guæ servient ei. Christus autem peccata
evulsit, idololatriam dissipavit, aerias po-
testates dejecit.

11 *Virgam vigilantem ego video.* Hanc vir- A
gam vigilantem, videlicet divinæ æquitatis
rigorem seu correctionem, qui animarum
curam habent, singulariter ac jugiter con-
siderare prædicareque debent, quatenus
cum metu, timore ac tremore, suam ac
gregis sui operentur salutem, et cum Præ-
Matth. III, 7, 8, 10; *Luc.* III, 7-9. cursore ad peccatores loquantur : Proge-
nies viperarum, quis ostendit vobis fugere
a ventura ira? Facite ergo dignum fru-
ctum pœnitentiæ; jam enim securis ad
radicem arboris posita est. Quod ergo Jo-
annes per securim, hoc Jeremias designa- B
vit per virgam. Origenes per virgam vi-
gilantem, intelligit Christum judicem, de
Is. XI, 1. quo loquitur Isaias : Egredietur virga de
Ibid. 4. radice Jesse; et rursus, Percutiet terram
virga oris sui. Hæc virga in passione mor-
tua fuit, sed in resurrectione tertia die
Num. XVII, 8. refloruit : quod virga Aaron miraculose
12 virens, præfiguravit. *Vigilabo et ego super*
verbo meo ut faciam illud, ait Dominus,
id est, comminationes meas contra impœ-
nitentes prælatos perducam ad actum. Huic
simile est quod per Ezechielem Dominus C
Ezech. XII, 28, 24. protestatur : Non prolongabitur ultra om-
nis sermo meus, et non erit omnis visio
cassa. Hoc attendant qui sibi de miseri-
cordia Dei stultissime blandiuntur, et pec-
cant in spe; de quibus in Ecclesiaste ha-
Eccle. VIII, 11. betur : Quia non cito profertur contra
malos sententia, absque ullo timore filii
hominum perpetrant mala.

13 *Ollam succensam ego video, et faciem*
ejus a facie aquilonis. Per hanc ollam suc-
censam intelligi potest pœna infernalis,
quam sibi et aliis prævidere debet et præ- D
cavere prædicator et pastor. In ollam istam
projiciuntur, qui per virgam disciplinæ
Dei in præsenti vita non emendantur. Per
aquilonem autem designatur aeriarum po-
testatum crudelitas, vel frigus impietatis
oppositum calori caritatis. Aquilo namque
frigidissimus est ventus. Ab hoc igitur
aquilone imminet olla succensa, quam pec-
cando meremur. Hinc Amos terribiliter
Amos IV, 2. nobis minatur : Juravit Dominus in San-
cto suo, quia ecce dies venient super vos,
et levabunt vos in contis, et reliquias ve-
stras in ollis ferventibus.

Et dixit Dominus : Ab aquilone pan- 14
detur malum, id est, a dæmonum impu-
gnatione proveniet ruina peccati et ingens
calamitas, *super omnes habitatores terræ,*
id est amatores terrenorum hominesque
mundanos : qui proprie habitatores terræ
dicuntur, quoniam amant præsentia quasi
semper mansura, et quasi hic locum fi-
xum et certum haberent. De quibus in
Apocalypsi prædictum est : Væ super om- *Apoc.* VIII, 13.
nes habitatores terræ. Sancti autem non
sunt habitatores terræ, sed advenæ et pe-
regrini; in quorum persona ait Apostolus
ad Hebræos : Non habemus hic manen- *Hebr.* XIII, 14.
tem civitatem, sed futuram inquirimus. Et
Psalmista Deum exorans, inquit : Ne si- *Ps.* XXXVIII, 13.
leas, quoniam advena ego sum apud te et
peregrinus, sicut omnes patres mei. Per
aquilonem etiam accipi potest sæcularium
potestatum crudelitas ac potestas, imo et
omnium qui in frigore vitiorum moran-
tur inquietudo atque tyrannis : a quibus
infliguntur mala fidelibus. *Quia ecce ego* 15
convocabo omnes cognationes regnorum
aquilonis, id est præmemoratos Ecclesiæ
invisibiles ac visibiles hostes, tentatores
et persecutores. *Et venient, et ponent unus-*
quisque solium suum in introitu portarum
Jerusalem, id est Ecclesiæ : cujus specia-
liter portæ esse debent prælati, per quos
subditi introducendi sunt ad vitam bea-
tam. Sed portas istas jam possident atque
inhabitant adversariæ potestates, in illo-
rum corde per peccata regnantes. *Et super*
omnes muros ejus in circuitu, id est un-
dique super potentes ac principales, qui
aliorum muri seu defensores esse tenen-
tur, quum jam dæmone eis dominante,
sint inferiorum * oppressores. *Et super* * alias mi- serorum
universas urbes Juda, id est particulares
Ecclesias Domino confitentes, seu congre-
gationes religiosas Deum laudantes : ut
a præfatis persecutionibus nemo invenia-
tur immunis. Siquidem omnes qui volunt II *Tim.* III, 12.
pie vivere in Christo, persecutionem pa-
tientur.

Verumtamen mala hæc malis nostris A
meremur, et propter impietates nostras
hostibus tradimur. Ideo Dominus addit :
16 *Et loquar judicia mea cum eis,* id est,
justitiæ meæ rectitudinem et effectum in
ipsis monstrabo, *qui dereliquerunt me,*
et libaverunt diis alienis, id est, rebus
carnalibus, temporalibus et caducis in-
hærentes ac obsequentes magis quam Deo
vero, omnipotenti, altissimo, *et adorave-*
runt opus manuum suarum. Hoc agunt
hæretici, avari ac ceteri vitiosi, qui sua
figmenta, nummos et vanitates quasi ad- B
orant, dum in eis potius quam in Deo
confidunt.
17 *Tu ergo accinge lumbos tuos,* concupi-
scentias restringendo, et continenter vi-
vendo. Propter quod ait Salvator discipu-
Luc. XII, 35. lis : Sint lumbi vestri præcincti. Et sancto
Job XXXVIII, 3; XL, 2. Job Dominus ait : Accinge sicut vir lum-
bos tuos. Unde Hieronymus dicit : Qui-
cumque locuturus est sermones Dei, debet
accingere lumbos suos, sciens quod dia-
Ibid. XL, 11. boli virtus in lumbis sit. *Et surge* de tor-
pore pigritiæ ad agilitatem virtutum, *et* C
loquere ad eos tibi commissos, *omnia quæ*
ego præcipio tibi. Omnia hæc prædicato-
ribus et prælatis dicuntur. *Ego quippe* 18
dedi te hodie in civitatem munitam, et in
columnam ferream, et in murum æreum,
etc. Quomodo id bonis Christi vicariis con-
veniat, et cunctis prædicatoribus ac præ-
latis competere debeat, ex præcedentis ar-
ticuli elucidatione satis reor patere. Etenim
prælatus bonus est civitas, omnes sibi com-
missos sine personarum acceptione per
caritatis latitudinem suscipiendo ; colum-
na, pusillanimes et infirmos hilariter sus-
tentando ; murus, ab inimicis humanæ
salutis tuendo. Prædicandum est autem
regibus Juda, et principibus ejus, et sa-
cerdotibus, ut pro loco et tempore nulli
parcatur, nullus palpetur. *Et bellabunt ad-* 19
versum te. Veritas enim parit odium, et
perversis amara est, qui increpationem
non sustinentes, corripienti tendunt insi-
dias. De quibus scriptum est : Odio habu- Amos V, 10.
erunt corripientem, et loquentem perfecte
abominati sunt. *Et non prævalebunt, quia*
ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem
te. In hoc ergo piissimo divinæ consola-
tionis eloquio fixa sit spes prædicatorum
et prælatorum, et debitum opus fiduciali-
ter exsequantur.

ARTICULUS IV

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI SECUNDI : ET FACTUM EST VERBUM DOMINI AD ME.

CONSEQUENTER incipit Dominus po- D
puli Judaici peccata arguere ; et ut
vitiorum populi hujus enormitas clarius
innotescat, præmittit Dominus breviter be-
1 neficia quæ contulit eidem. *Et factum est*
2 *verbum Domini ad me, dicens : Vade, et*
clama in auribus Jerusalem, dicens, id
est, constanti et imperterrito animo præ-
dica auribus habitatorum Jerusalem, ut
corda durissima ad pœnitentiam emolli-
antur. *Hæc dicit Dominus : Recordatus*
sum tui, o Jerusalem, seu popule Israel,
id est, per beneficiorum meorum exhibi-
tionem frequenter et nunc ostendi me me-
morem tui, clementer *miserans adolescen-*
tiam tuam, id est, tibi misertus in tempore
incolatus tui in Ægypto. Loquitur autem
Deus de toto populo, quasi de uno aliquo ;
sed ad eosdem numero totum referri non
potest ; imo ad eos qui diversis fuerunt
temporibus [debet referri]. *Et caritatem de-*
sponsationis tuæ, id est dilectionem quam
habuisti ad me, quando te desponsavi dan-
do tibi legem per Moysen in monte Sinai.

Tunc enim Deus accepit Synagogam in A
sponsam, et instar sponsaliorum ac dotis,
legis contulit ei ornamenta et verborum
monilia. *Quando secuta es me in deserto,*
ibidem tunc mihi deserviens, et per ere-
mum ad terram promissionis accedens.
Exod. XIII, 22. Nam et tunc Dominus præcessit filios Is-
rael per columnam ignis et nubis : sicque
angelum columnæ motorem sequendo, Do-
minum dicuntur secuti. *In terra quæ non*
seminatur : quia eremus illa sterilis fuit.
De hac desponsatione Dominus diffusius
Ezech. XVI, 8. loquitur in alio Propheta, dicens : Expan- B
di, inquit, amictum meum super te, et
ingressus sum pactum tecum, et facta es
mihi.
3 *Sanctus Israel Domino,* id est, populus
Israel tunc sanctificatus est Domino, et
ejus cultui deputatus, fuitque *primitiæ*
frugum ejus, id est, sicut de fructibus
terræ offeruntur primitiæ Deo, ita præ ce-
teris populis filii Israel deputati et conse-
crati sunt Domino : secundum quod per
Deut. VII, 6. Moysen ait : Te elegit Dominus, ut sis ei
populus peculiaris de cunctis populis qui C
sunt super terram. Unde per Amos pro-
Amos III, 2. phetam Dominus ait ad eos : Tantummo-
do vos cognovi ex omnibus cognationibus
Is. XIX, 25. terræ ; itemque per Isaiam, Hereditas mea
Israel. Illis quippe diebus aliæ nationes
ad idololatriam declinabant. *Omnes qui*
devorant eum, id est, qui populum Israel
persequuntur, occidunt, aut spoliant, *de-*
linquunt. Quemadmodum enim peccabant
qui primitias consumpserunt, et de sacer-
dotali genere non fuerunt; sic qui primi-
tias Dei filios Israel vastaverunt, peccabant. D
Mala venient super eos, dicit Dominus, id
est, divinæ ultionis subjicientur flagel-
lis. Quamvis enim ex divina voluntate et
æquitate processit Judæorum vastatio, ex-
secutores tamen divinæ justitiæ non excu-
sabantur, quoniam ex crudelitate et mala
intentione id peregerunt, quemadmodum
de rege Assyriorum Dominus ait per Isa-
Ibid. X, 5. iam. Quum enim dixisset, Virga furoris
Ibid. 7. mei ipse est, adjecit : Ipse autem non sic
arbitrabitur, sed ad conterendum erit cor
ejus. Unde ex Isaia ceterisque elucescit
Prophetis, quod Philistæi, Ægyptii, Am-
monitæ, Moabitæ, Idumæi ac Babylonii a
Deo dure plagati fuerunt propter mala
quæ filiis Israel intulerunt, vel illata esse
gaudebant.

Post descriptionem beneficiorum Dei,
narratur ingratitudo populi, ut opposita
juxta se posita clarius pateant. *Audite ver-* 4
bum Domini, domus Jacob, id est, popu-
lus de semine Jacob, *et omnes cognationes*
domus Israel, id est tribus ipsius Jacob,
qui alio nomine appellatus est Israel. Præ- *Gen.* XXXII, 28.
terea constat quod decem tribus tempore
Jeremiæ captæ fuerunt. Idcirco sermo iste
generaliter dirigitur ad populum Juda et
Benjamin, et etiam Levi. De aliis vero tri-
bubus aliqui habitabant in regno Juda, et
ad illos quoque fit verbum hoc. *Hæc dicit* 5
Dominus : Quid invenerunt patres vestri
in me iniquitatis, quia elongaverunt, id
est, cor suum per dissimilitudinem culpæ
longe averterunt, *a me, et ambulaverunt*
post vanitatem, idololatriam imitando, *et*
vani facti sunt, id est inanes, et ultimo
fine frustrati, atque a vero et incommuta-
bili bono aversi ? quasi dicat, Nil mihi ob-
jicere possunt : quoniam rectus Dominus *Ps.* XCI, 16.
Deus noster, et non est iniquitas in eo.
Huic verbo concordat illud Michææ : Po- *Mich.* VI, 3.
pule meus, quid feci tibi ? aut quid mole-
stus fui tibi ? Responde mihi. *Et non di-* 6
xerunt : Ubi est Dominus qui ascendere
nos fecit de terra Ægypti ? id est, bene-
ficium eductionis suæ de Ægypto obliti
sunt. *Qui traduxit nos per desertum* an-
nis quadraginta, *per terram inhabitabilem*
et inviam : quia hæc eremus habitationi
hominum apta non fuit, nec vias tritas ha-
bebat; *per terram sitis,* id est aquis ca-
rentem, *et imaginem mortis,* id est, ita
deformem, ac solis ardore adustam, omni-
que humano solatio destitutam, ut morti
similis valeat dici ; *per terram in qua non*
ambulavit vir, neque habitavit homo :
quoniam antequam filii Israel per ere-
mum istam proficiscebantur, non erat iti-
nerationi apta aut mansioni, propter ani-

malia venenosa sterilitatemque loci; et si A
qui per eam transierunt, tam pauci fue-
runt, ut reputentur pro nihilo.
7 *Et induxi vos in terram Carmeli,* id est
in terram Israel opulentam nimis ac ferti-
lem, in qua locus est qui Carmelus voca-
tur : qui locus et fructuosus et amœnus
est. Unde et primo Regum legitur posses-
Reg. xxv, sio Nabal fuisse in Carmelo. Fuit quoque
in tribu Ephraim et alius quidam locus
vocatus Carmelus. *Ut comederetis fructum*
ejus, id est terræ nascentia terræ istius, *et*
bona illius, videlicet pecora, et reliqua B
humano esui apta. *Et ingressi, contami-*
nastis terram meam, idololatriam et alia
infinita scelera committendo in ea : juxta
Ps. cv, 38, illud Psalmistæ, Et infecta est terra in san-
guinibus, et contaminata est in operibus
eorum. *Et hereditatem meam,* id est ter-
ram promissionis, quam vobis heredita-
riam dedi, *posuistis in abominationem,* id
est, per peccata vestra mihi abominabilem
constituistis, ita quod manibus impiorum
hostium vestrorum tradidi eam. Quamvis
autem terra non sit virtutis aut vitii sus- C
ceptiva, nihilo minus contaminari et abo-
minabilis fieri dicitur, dum habitatores
ejus gravissimis piaculis implicantur; pro-
pter homines quoque eligi et relinqui, seu
despici perhibetur, secundum illud Ma-
Mach. v, chabæorum : Non propter locum gentem,
sed propter gentem locum Dominus ele-
git. De hac autem contaminatione terræ
Ezech. xvi, 25. plenius in alio Propheta scribitur : Ædifi-
casti tibi lupanar, et abominabilem fecisti
decorem tuum.
8 *Sacerdotes non dixerunt : Ubi est Do-* D
minus? id est, Deum non habuerunt præ
oculis, nec faciem ejus exquisierunt. *Et*
tenentes legem, id est legis doctores, *ne-*
scierunt me per cognitionem formatam,
seu caritate ac bonis operibus decoratam,
quamvis informem ac nudam Dei notitiam
habuerunt; *et pastores,* puta pontifices et
inferiores prælati, *prævaricati sunt in me,*
se ipsos ac sibi commissos negligendo, at-
que divina præcepta transgrediendo. *Et*
prophetæ prophetaverunt in Baal, id est,
pseudo, non Dei illuminatione, sed ex dia-
bolica inspiratione vaticinabantur, creden-
tes idolum Baal futurorum dare notitiam,
quum diabolus Baal cultores deciperet; *et*
idola secuti sunt, deos falsos, vero Deo re-
licto, colentes. De quibus apud Ezechie-
lem legitur : Væ prophetis insipientibus, Ezech. xiii,
qui sequuntur spiritum suum, et quasi 3, 4.
vulpes in desertis errant.
Propterea adhuc judicio contendam vo- 9
biscum, ait Dominus : id est, quum tot
peccata feceritis, per viam justitiæ sapien-
ter, non violenter, vos reprobabo; *et cum*
filiis vestris vestras iniquitates sequenti-
bus, *disceptabo* rationabiliter, ostendendo
damnabilitatem eorum. Hoc in vita præ-
senti fecit Deus per Prophetas, per quos
Judæorum impietates redarguit. Deinde
post vitam hanc per se ipsum hoc agit,
impœnitentes damnando.
Transite, o Judæi increduli, *ad insulas* 10
Cethim, id est occidentalium partium, se-
cundum Hieronymum. Verumtamen hoc
quod ait, Cethim, variis modis accipi po-
test. Nam et Alexander legitur libro primo
Machabæorum, egressus de terra Cethim. I Mach. I, 1.
Et in libro Numerorum habetur : Moraba- Num. xxv, 1.
tur autem eo tempore Israel in Cethim *. * Setim
Et de lignis Cethim * frequenter inducit Exod.
Moyses mentionem. *Et videte. Et in Ce-* xxv - xxvii, xxx, xxxv-
dar, id est ad terram Ismaelitarum, *mitti-* xxxviii.
te. Cedar autem fuit filius Ismaelis. Unde Gen. xxv,
per Cedar, interdum ille homo, interdum 13.
regio posteritatis suæ exprimitur, juxta il-
lud Isaiæ : Omne pecus Cedar congregabi- Is. lx, 7.
tur tibi. *Et considerate vehementer, et vi-*
dete si factum est hujusmodi opus, quale
vos perpetrastis. *Si,* id est an, *mutavit* 11
gens deos suos : id est, ad occidentem ori-
entemque pergite, et diligenter pensate an
aliqua plebs idololatra deos suos reliquit.
Quasi dicat, Non : nisi forte vicissim ne-
cessitate compulsa, quemadmodum tempo-
re Antiochi accidisse scriptum est primo I Mach. I,
Machabæorum. Per Apostolorum quoque 43 et seq.
prædicationem et signa reliquerunt genti-
les idola sua; sed hoc longe post Jeremiæ
tempora factum est. Nihilo minus probabi-

le est, etiam ante Jeremiam quosdam gentilium ab idololatria conversos ad Deum, per veteres Sanctos ac Patriarchas, sicut II *Reg.* xv, 18. per Job, Joseph, David, quem sexcenti viri secuti sunt de Geth. Propheta autem hic loqui videtur pro tempore suo, vel de totali gente. *Et certe ipsi,* quos gentes adorant, *non sunt dii* veri, sed falsi et ficti. *Populus vero meus,* id est populus Israel, quem ad cultum meum specialiter deputavi : qui et fuit populus Dei vocatione et nomine, non prædestinatione et gratia ; *mutavit gloriam suam,* id est Deum verum, qui fuit gloria populi hujus quamdiu sibi servivit, cui servire honorificum gloriosissimumque consistit ; *in idolum,* id est, Deo relicto, idola coluit. Nam et in *Exod.* xxxii, 4. eremo vitulum conflatilem adoravit, quemadmodum scriptum est : *Ps.* cv, 20. Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum. Dicitur autem populus iste mutasse Deum in idolum, non quasi Deus in idolum sit mutatus, sed quia post Deum ejusque cultum se dedit ad idolum : sicut dicimus auroram mutari in meridiem, quia auroræ succedit meridies. Juxta quem *Amos* v, 8. modum de Deo legitur : Convertens tenebras in mane, et diem nocte commutans.

12 *Obstupescite, cœli, super hoc,* videlicet de tanta hujus populi impietate. Porro, secundum Hieronymum, de his cœlis nunc loquitur Propheta, de quibus alibi scribi*Is.* i, 2. tur : Audite, cœli, et auribus percipe, ter*Deut.* xxxii, 1. ra. Item et Moyses : Audite, cœli, quæ loquar. Verum, ut super Isaiam induxi, ipse Hieronymus ibidem intelligit per cœlos, habitatores cœlorum, angelos sanctos, qui in divino judicio pro bonis testimonium perhibent : similiter Moyses. Unde ait Psal*Ps.* xlix, 4. mista : Advocabit cœlum desursum, et terram discernere populum suum. Si ergo de his cœlis, puta cœlestibus civibus, angelicis quoque spiritibus, nunc loquitur Jeremias, quæritur quomodo ipsi super hominum vitiis obstupescere invitentur, præsertim quum in eis nulla sit pœna aut passio. Ad quod respondere quis potest, quod tanta est peccati enormitas et impi-

A orum perversitas, ut non angeli tantum, sed etiam Dominus angelorum per modum admirantis se habeat et loquatur, sicque metaphorice obstupescere asserantur. Sic enim de Sodomitis loquitur Dominus in Genesi : Clamor, inquit, Sodomorum et Gomor- *Gen.* xv[iii], 20, 21. rhæorum multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis ; descendam, et videbo utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam. Hieronymus autem ista exponens, aliqua inserit quæ non sunt minus obscu-B ra quam littera. Etenim ait : Cœlum videns Dei præcepta calcata, inhorrescit, et stuporem dissimulare non potest ; omnis enim creatura congemiscit et condolet super peccatis hominum. Si hæc de cœlestibus civibus accipiantur, intelligendum est eos eo modo inhorrescere, et stuporem dissimulare non posse, quomodo jam dixi obstupescere eos. Vel inhorrescunt ac obstupescunt super nostris peccatis, quia quam abhorrenda admirandaque sint nostra peccata, ostendunt nobis.

C Alii istud exponunt de materialibus cœlis, cœlestibus orbibus vel elementis : quæ super peccatis hominum mirantur, eo modo quo Deum benedicere et laudare pro- *Dan.* iii, 5[6]. vocantur, videlicet occasionaliter et ma- *Ps.* cxlv[iii], 4. terialiter. Dant equidem nobis materiam obstupescendi de hoc, quod divina præcepta audent homines transgredi, quando cœlos hos consideramus a Deo creatos, et ex magnitudine eorum ac decore Dei Creatoris majestatem perpendimus, quam ex creaturarum speculatione, immensam et D infinita reverentia dignam cognoscimus. Juxta hunc modum etiam elementa Creatori suo, qui in tantum quotidie dehonoratur, compati referuntur, non quod sensum cognitionemque habeant. Unde super illud Matthæi, A sexta hora factæ sunt tenebræ *Matth.* xxvii, 45. super universam terram, asserit Glossa : Creatori suo elementa compatiuntur ; et denuo : Tenebræ factæ sunt, ne sol pendentem Dominum videret, et ne ejus luce impii fruerentur, ex hac consideratione qua omnis creatura quodammodo pro suo

.v, 18. Creatore zelatur. Itemque Sapiens ait : Armabit creaturam ad ultionem inimicorum, et pugnabit pro illo orbis terrarum contra insensatos. — Postremo, per cœlos hoc loco intelligi possunt homines virtuosi ac justi, cœlestem in terris conversationem habentes ; de quibus legitur in libro Psal-
xviii, 2. morum, Cœli enarrant gloriam Dei ; itemque
li, 16. in Isaia, Plantes cœlos, et fundes terram. Isti utique transgressoribus condolent, et de eorum perversitate atque duritia obstupescunt.

Et, portæ ejus, desolamini vehementer, dicit Dominus. Quum dixit, Obstupescite, cœli, quare non addidit, Et portæ eorum ? Puto quod ideo, quia sicut ipsemet translator noster B. Hieronymus hic fatetur, verbum Hebraicum SAMAIM, pro quo ipse transtulit, Cœli, communis est numeri, et sonat indifferenter cœlum, et cœlos. Unde et Septuaginta interpretes, et Theodotion transtulerunt, Cœlum, singulariter. Quæ ergo sunt portæ istæ cœlorum ? Ad quod respondet Hieronymus, quod illæ de qui-
xxiii, 7. bus habetur in libro Psalmorum : Attollite portas, principes, vestras. Quod rursus obscurum est. Verum, si per cœlos intelligamus cives cœlestes, portæ istæ sunt aditus patriæ, vel virtutes supernorum spirituum : sicut et portæ inferni, vitia appellantur. Si autem per cœlos intelligamus orbes cœlestes, aut superiora elementa, vel cœlum aerium, portæ istæ sunt cataractæ horum
.vii, 11. cœlorum : de quibus scriptum est, Cataractæ cœli apertæ sunt. Quæ cataractæ sive fenestræ metaphorice ponuntur in cœlis : quæ etiam metaphorice desolari dicuntur, eisdem modis quibus cœli obstupescere conscribuntur. Insuper, quod ait Propheta, Obstupescite, cœli, et, portæ ejus, desolamini, intelligi potest per modum hyperbolicæ locutionis, quatenus Propheta taliter per excessum loquendo, reddat nos ad verba sua intentos, atque ad considerationem gravitatis peccati attonitos.

13 Cujus dicti subjungitur causa : *Duo enim mala* culpæ, videlicet duo peccata in genere, quamvis pene innumerabilia in specie, *fecit populus meus :* quorum illud primum est, *me dereliquerunt fontem aquæ vivæ,* id est, cor suum averterunt a me, primo æternoque fonte aquæ sapientiæ salutaris, atque totius vitæ principio : de quo canit Psalmista, Sitivit anima mea ad Ps. xli, 3.
Deum fontem vivum. Unde et Moyses ait : Domine Deus, audi clamorem populi hu- Num. xx, 6.
jus, et aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ vivæ. Denique et Ecclesiasticus : Fons sapientiæ, inquit, verbum Dei in ex- Eccli. i, 5.
celsis ; item Psalmographus, Quoniam apud Ps. xxxv, 10.
te est fons vitæ. Quod autem per aquam vivam sapientia et doctrina signetur salubris frequentius in Scripturis, certum opinor : præsertim quum et Christus in evangelio Joannis dicat, Qui credit in me, Joann. vii, 38.
flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ ; et Isaias, Haurietis aquas in gaudio Is. xii, 3.
de fontibus Salvatoris. Deinceps secundum malum exprimitur : *et foderunt sibi cisternas dissipatas,* id est, impia documenta, seu falsos doctores, deos alienos et dæmonum cultus, quæ instar puteorum fractorum nihil ad salutem proficuum continent, studiose exquisierunt. Hinc de cisternis his subditur : *quæ continere non valent aquas,* puta fluenta sacræ doctrinæ et gratiæ.

Insuper ostenditur quod filii Israel non ex defectu naturalis propagationis, sed ex impietate operationis propriæ inciderunt
mala pœnalia eis illata. *Numquid servus* 14
est Israel, id est Israeliticus populus, *aut vernaculus ?* quasi dicat : Non, quum sit de nobili sanctorum Patriarcharum genealogia exortus. At vero inter servum et vernaculum hæc distinctio ponitur, quoniam servus pro servo empticio, vernaculus autem pro servo in domo nato accipitur. *Quare ergo factus est in prædam ?* hoc est, quum liber sit populus iste, cur terra sibi concessa sic spoliatus est, atque ab aliis dominis tam dire afflictus ? quasi dicat : Peccatis suis hoc meruit. Servi autem, quia servi, solent expelli ac hereditate privari, secundum quod Christus in Evangelio loquitur : Servus non manet in Joann. viii, 35.

domo in æternum. Præterea, super illud, A
Numquid servus est Israel ? sic scribit
S. Hieronymus : Puto ex hoc loco in su-
perbiam elatos, Salvatori dixisse Judæos :
Joann. VIII, 33. Semen Abrahæ sumus, et nemini unquam
servivimus : quomodo tu dicis, Liberi eri-
Ibid. 34. tis? Nescientes quod omnis qui facit pec-
II Petr. II, 19. catum, servus est peccati, et quod serviat
unusquisque illi a quo vincitur. Nati ergo
de amico Dei Abraham, vitio suo facti sunt
Gen. IX, 25. quasi filii Cham, cui dictum est : Maledi-
ctus Chanaan, servus servorum erit fra-
tribus suis.
15 *Super eum rugierunt leones,* id est, con-
tra Israeliticum populum vociferati sunt
crudeles reges, superbique principes As-
syriorum, Ægyptiorum, et Chaldæorum; *et
dederunt vocem suam* contra eum, commi-
nando, terrendo, ac invadendo. *Posuerunt
terram ejus in solitudinem,* habitatores
Judææ interimendo, quibus occisis, loca
habitationum in solitudinem sunt reda-
cta; *civitates ejus exustæ sunt, et non est
qui habitet in eis.* Jam enim tempore Jere-
miæ, plurima hujus populi urbium multi-
tudo a prædictis fuit combusta leonibus.
Is. I, 7. Hoc ipsum et Isaias scribit : Terra vestra
deserta, civitates vestræ succensæ sunt,
regionem vestram coram vobis devorant
16 alieni. *Filii quoque Mempheos et Taphne-
os,* id est Ægyptii, quorum præcipuæ ur-
bes sunt Memphis et Taphnis, *constupra-
verunt te usque ad verticem,* id est, te
penitus violarunt et deturparunt, ad suam
idololatriam te inducendo : de qua con-
Ezech. XXIII. stupratione apud Ezechielem multa scri-
buntur; vel te corporaliter persequendo :
quando videlicet Josiam regem occiderunt,
ejusque filium regno privaverunt, et toti
Judææ gravissimum imposuerunt tribu-
IV Reg. XXIII, 29, 33. tum, ut libro quarto Regum scribitur. Huic
verbo, Constupraverunt te usque ad verti-
Is. I, 6. cem, simile est illud Isaiæ, A planta pedis
usque ad verticem capitis, non est in eo
sanitas.
17 *Numquid non istud factum est tibi,
quia dereliquisti Dominum Deum tuum*
per idololatriam ac cetera vitia, *eo tempore
quo ducebat te per viam?* Hoc quidam ex-
ponunt de ductu quo Dominus ostendit
filiis Israel viam in eremo, præcedens eos Exod. XIII, 21.
per columnam ignis et nubis. Verum, si
verba præcedentia exponantur de Judæis
pro tempore Jeremiæ, vel circiter, non vi-
debitur istud convenienter exponi de illis
qui tempore Moysis exstiterunt. Nam pro-
pter illorum peccata isti puniti non sunt.
Hinc istud præcedentibus connectendo, sic
exponendum est : Eo tempore quo ducebat
te per viam, id est istis temporibus, quan-
B do per me aliosque Prophetas viam tibi
salutis ostendit, imo per iter virtutum de-
duxit per gratiæ illuminationem, præser-
tim in diebus Josiæ : quo mortuo, statim
ad idololatriam declinastis.
Consequenter arguuntur Judæi, quod ad
humanum auxilium potius quam divinum
confugerint. *Et nunc quid tibi vis in via* 18
Ægypti, id est, cur ad Ægyptios pro sub-
sidio mittis, *ut bibas aquam Sior* (id est
turbidam), id est, Ægyptiorum suffragio
reficiaris? quod per potationem aquæ tur-
C bidæ, videlicet Nili per Ægyptum curren-
tis, cujus aqua turbida est, designatur. *Et
quid tibi et viæ* Assyriorum,* id est, cur * cum
ad Assyrios pro adjutorio destinasti, *ut
bibas aquam fluminis,* id est, Assyriorum
ope fulciaris? quod per aquam fluminis,
utpote Euphratis per Assyriorum regio-
nem fluentis, exprimitur. Porro, quod fi-
lii Israel nunc ad Ægyptios, nunc ad As-
syrios confugerunt, ex libris Regum, item
ex Isaia, Osee aliisque Prophetis patescit :
nec ad singula opus est allegare Scripturas
D vel immorari, præsertim in his quæ nec
specialem continent difficultatem, nec ad
Christi mysteria pertinent, nec vicissim
propter instructionem moralem.
Arguet te malitia tua, id est, reprehen- 19
sione ac pœna te dignum efficiet, eritque
causa quod argueris, *et aversio tua* a Deo
et calle justitiæ, *increpabit te,* eo modo
quo malitia te redarguet. Quasi Dominus
dicat : Non ex parte mei, sed a te ipso est
causa reprobationis punitionisque tuæ. Vel
sic : Arguet te malitia tua, et aversio tua in-

crepabit te, id est, ex consideratione pravitatis transgressionisque tuæ te ipsum redargues. Unde Septuaginta transtulerunt : Erudiet te prævaricatio tua. Frequenter enim contingit, ut peccatum quum satiaverit prævaricantem, et instar coturnicum

Num. xi, ad nauseam eum perduxerit, erudiat pœnitentem, dum conspicit se in rebus caducis nec pacem, nec requiem invenire, sed afflictionem, vanitatem et curam superfluam. Sicque peccata compellunt vicissim redire ad Deum. Hinc averso a se

ee ii,6,7. Dominus per alium Prophetam ait : Ecce ego sepiam viam tuam spinis ; et dicet, Vadam et revertar ad virum meum priorem, quia bene erat mihi tunc magis

Luc. xv, 18. quam nunc. Sic in Evangelio accidit filio prodigo.

Post reprehensionem ponitur exhortatio salutaris : *Scito* per rationem et Scripturæ auctoritatem, *et vide* per experientiam pœ-

. xxviii, næ illatæ sive imminentis : vexatio nempe dat intellectum ; *quia malum* ratione culpæ, *et amarum* propter pœnam pro peccato infligendam, *est reliquisse te Dominum*

* mei *Deum tuum, et non esse timorem ejus* apud te, dicit Dominus exercituum,* vel castum et filialem, vel saltem initialem. Melius quoque est habere timorem servilem, et per illum vitare peccata, quam sine omni timore pessima libertate peccare : quia et timor servilis principium est sapientiæ, dispositivum ad eam, eo quod retrahat a peccato. Denique, sicut animus in Deo tranquillus ac ordinatus sibi ipsi est dulcis, sic animus inordinatus ac vi-

ap. xvii, tiosus sibi ipsi exstat pœnalis. Semper quoque præsumit sæva perturbata conscientia, ut scribitur in libro Sapientiæ. Peccatum etiam conscientiæ parit remorsum, et remurmurat malo ipsa synderesis. Idcirco amarum et pœnale est etiam in præsenti Deum reliquisse, nec ejus habere timorem. Præterea scriptum est in

ccle. ii, Ecclesiaste : Homini bono dedit Deus sapientiam, scientiam et lætitiam, peccatori

cli. i, 12, autem afflictionem et curam superfluam. Unde Sapiens : Timor Domini delectabit

A cor; et qui sine timore est, justificari non potest.

A sæculo, scilicet a tempore longo, *confregisti,* o Israel, *jugum meum,* id est legem tibi per Moysen datam, in qua idololatria prohibetur. Lex enim divina instar jugi, jungit et subjugat animam Deo. *Rupisti vincula mea,* id est, præcepta divina transgressus es, *et dixisti* verbis vel factis : *Non serviam* Deo. Hoc Judæi pro majori parte egerunt. Propter quod Stephanus loquitur eis : Dura cervice et in- Act. vii,51.
20

B circumcisi corde et auribus, vos semper restitistis Spiritui Sancto, sicut et patres vestri. Moyses quoque : Scio, inquit, quia Deut. xxxi, 29.
post mortem meam inique agetis, et declinabitis cito de via quam vobis præcepi. *In omni enim colle sublimi, et sub omni ligno frondoso, tu prosternebaris meretrix,* id est, in locis sublimibus et amœnis, tu, plebs Israelitica, cum idolis es spiritualiter fornicata, dæmonibusque substrata.

Ego autem plantavi te vineam electam, 21
id est, olim per gratiam feci te similem

C vineæ fructuosæ ac optimæ, videlicet tempore Patriarcharum et bene viventium Judæorum, ita quod Synagoga a Deo instituta est virtuosa. Sic quoque plantavi te *omne semen verum :* ita quod filii Synagogæ fuerunt semen et germen seu populus Dei verax, triplici veritate, videlicet vitæ, doctrinæ, justitiæ. De quo semine loquitur Isaias : Omnes qui viderint eos, cognoscent Is. lxi, 9.
illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus. Denique de hac vinea sic habetur in Psalmo : Vineam de Ægypto transtu- Ps. lxxix, 9.

D listi. Item Osee : Vitis frondosa Israel. *Quo-* Osee x, 1.
modo ergo conversa es mihi, id est ad meam injuriam, *in pravum,* id est in sterilitatem ac vitia, o *vinea aliena* a me ob ingratitudinem tuam, ita ut pro fructu virtutum protulisti germina vitiorum, et pro dulcibus gratiæ botris, amarissimos passionum aculeos ? Unde Septuaginta transtulerunt : Ego te plantavi vineam fructiferam, omnem veram : quomodo conversa es in amaritudinem vitis alienæ? Cui consonat hoc quod Dominus apud Isaiam de

Is. v, 4. hac vinea protestatur : Exspectavi ut fa- A
ceret uvas, et fecit labruscas.
22 *Si laveris te nitro,* quo immunditia emi-
nenter bene detergitur, *et multiplicaveris*
tibi herbam borith, id est herbam fullo-
num : quæ, secundum Hieronymum, in
lavando eamdem habet vim quam nitrum ;
maculata es in iniquitate tua coram me,
dicit Dominus Deus : id est, quantum-
cumque per exteriora quædam opera ex
suo genere bona, vel per sacrificia legalia
te purgare studueris, nihil tibi proderit,
quamdiu ab impietatis amore seu inordi- B
nato affectu intus non emundaveris. Sic
namque Dominus per Isaiam loquitur, di-
Ibid. i, 11, 13. cens : Quo mihi multitudinem victimarum
vestrarum? Iniqui sunt cœtus vestri. Judæi
autem per exteriora sacrificia se putabant
23 Deo reconciliari atque purgari. *Quomodo*
dicis, te impie excusando : *Non sum pol-*
luta peccatis, *post Baalim non ambulavi,*
idolum illud colendo? *Vide vias tuas in*
convalle, id est, opera sacrilega quæ in
valle filiorum Ennom, quæ aquis Siloe
irrigatur, fecisti, perpende ; *scito quid fe-* C
ceris, id est, recole quod ibi delubrum
Baalim adorasti, et filios tuos per ignem
duxisti, eos ibidem idolis offerendo.

Deinde per similitudines panditur quam
fuerit hæc plebs prona ad peccata, præser-
tim ad idololatriam. *Cursor levis explicans*
vias suas, supplendum est, tu fuisti : id
est, sicut celerrimus cursor cito se expedit
de via qua ambulat, sic tu cum impetu ad
24 idololatriam ferebaris. *Onager assuetus in*
solitudine, in desiderio animæ suæ attra-
xit ventum amoris sui : id est, quemad- D
modum onager in deserto commorari as-
suefactus, in desiderio naturali animæ suæ
sensitivæ attrahit ventum, vel spiritum
amoris sui, videlicet aerem quo refrigera-
tur, vel ventum sive aerem quo amor suus
naturalis provocatur ad suum objectum, et
subito fertur ad illud (siquidem per aeris
attractionem percipit de longe femellam,
et sine refrenatione movetur ad eam); sic
plebs hæc toto impetu ad libidinem age-
batur, omniumque idolorum amore ferve-

bat, quemadmodum in Ezechiele plenius *Ezech.*
legitur. *Nullus avertet eam* ab idololatria xxiii.
sua ante Babylonicam captivitatem. Nullus
enim Prophetarum potuit eos ab hac im-
pietate retrahere, propter eorum indura-
tionem. *Omnes qui quærunt eam* ad ido-
lolatrandum cum ea, *non deficient :* quia
invenient eam paratam ; *in menstruis ejus,*
id est in impudicitia et immunditia sua,
invenient eam similem mulieri inconti-
nentissimæ, quæ nec tempore sanguinis
menstrualis vitat concubitum. De hoc Eze- *Ibid.* xvi, 26-33.
chiel copiosius tractat, qualiter misit ad
alias nationes, et venientibus ad se dedit
mercedem. Præterea, ut quidam asserunt,
in Hebræo habetur, In mense suo inveni-
ent eam : unde pro menstruis Symmachus
transtulit, Mensem. Quod ita exponunt,
asserentes ipsum onagrum uno mense
anni, toto mense dormire : et tunc quæri-
tur ut capiatur, et facile capitur ; non au-
tem sic alio tempore, quoniam propter
cursus sui velocitatem capi non potest.
Per quod captionem Judaicæ gentis mense *Jer.* lii, 6.
quarto a rege Babylonis significari af-
firmant.

Prohibe pedem tuum a nuditate, et 25
guttur tuum a siti, id est, ab impietati-
bus tuis desiste, ne instar captivorum nu-
dis pedibus sitibundisque faucibus capta
ducaris in Babylonem. Unde Septuaginta
transtulerunt, Converte pedem tuum a via
aspera. *Et dixisti, Desperavi* de emenda-
tione vel remedio. Tamen (ut dicitur) in
Hebræo habetur : Dixisti, Non curo, scili-
cet hanc comminationem. Cui concordat
Septuaginta interpretum translatio, quæ
est : Dixit, Viriliter agam. Unde subjungi-
tur : *nequaquam faciam* quod hortaris ;
adamavi quippe alienos, videlicet deos, *et*
post eos ambulabo, pristinis idololatriis in-
hærendo. Cujus obstinationis justa ultio
subditur.

Quomodo confunditur fur quando de- 26
prehenditur in furto, vel esse furatus, *sic*
confusi sunt domus Israel, id est, sic con-
fundentur Judæi quando a Chaldæis fue-
rint capti, *ipsi et reges eorum, principes,*

et sacerdotes, et prophetæ eorum pseudo, A
27 *dicentes ligno, Pater meus es tu; et la-*
pidi, Tu me genuisti: id est, idola lignea
atque lapidea a se fabricata, patres suos
vocaverunt, aliquid numinis illis inesse
s. XLIV, 9- putantes : qui error ab Isaia et in libro
; Sap. XIII. Sapientiæ diffusius irridetur. *Verterunt ad*
me tergum, et non faciem, id est, more
contemnentium verba mea abjecerunt, et
vultum animæ a mea contemplatione ac
Zach. VII, fide retorserunt : juxta illud Zachariæ, No-
luerunt attendere, et averterunt scapulam
recedentes ne audirent legem. *Et in tempo-* B
re afflictionis suæ dicent : Surge, et libera
nos. Nam captivitate Jerusalem jam in-
stante, videntes quod clamando ad idola
nihil proficerent, Dominum invocaverunt.
Quibus Dominus subsannando respondet :
28 *Ubi sunt dii tui quos fecisti tibi? Sur-*
gant, et liberent te in die afflictionis tuæ,
id est in tempore obsidionis Jerusalem
a Chaldæis. Quasi dicat : Te juvare nequi-
bunt. *Secundum numerum quippe civi-*
Cf. LXX. *tatum tuarum erant dii tui, Juda, et juxta*
numerum viarum Jerusalem immolabant C
Baal : id est, tu, plebs regni Juda, sicut
multas urbes, ita et multos deos habue-
ras : ita ut vel eosdem vel singulos ac
diversos deos singulæ civitates colebant,
ut nec in impietate viderentur habere con-
sensum, sed pugnans contra se superstitio
diversum sequeretur errorem.
29 *Quid vultis mecum judicio contendere,*
vos excusando, et causam tribulationis ve-
stræ mihi potius quam vestris excessibus
imputando? *Omnes dereliquistis me, dicit*
Dominus, id est tam multi, ut hi qui mihi D
adhæserunt, respectu pravorum quasi nul-
li viderentur. Verumtamen aliqui in Ju-
dæa et Jerusalem justi fuerunt, de quibus
in Ezechiele Dominus præcepit angelo :
Ezech. IX, Signa Thau super frontes virorum gemen-
tium et dolentium super cunctis abomina-
30 tionibus Jerusalem. *Frustra percussi filios*
vestros : quia se non emendaverunt; *di-*
sciplinam, id est paternam castigationem
seu informationem, *non receperunt* pati-
enter, sed murmurando, ita quod nec ve-
xatio dedit in eis intellectum auditui. Qui-
bus competit illud Psalmistæ : Dissipati Ps. XXXIV, 16.
sunt, nec compuncti. Id ipsum Dominus
apud Ezechielem contestatur : Multo la- Ezech. XXIV, 12, 13.
bore sudatum est, et non exivit de ea ni-
mia rubigo ejus, neque per ignem; im-
munditia tua exsecrabilis, quia mundare
te volui, et non es mundata a sordibus
tuis. *Devoravit gladius vester Prophetas*
vestros. Hoc dupliciter explanatur. Primo
sic : Prophetas sanctos ad vos missos a me
interemistis. Secundo sic : Prophetas ve-
stros, non meos, sed pseudo, devoravit
gladius vester, quem vestris peccatis me-
ruistis. Per quod insinuatur, quod falsi
quoque prophetæ occidendi exsisterent a
Chaldæis : et interdum ante quidam eo-
rum occisi fuerunt. *Quasi leo vastatur*
generatio vestra, id est, vos ipsi ab inimi-
cis vallamini, sicut leo a capientibus eum.
Aliqui codices habent, Leo vastator : et
tunc sensus est, quod sicut leo animalium
devorator crudelis est, ita et progenies Ju-
dæorum.
Videte verbum Domini : Numquid so- 31
litudo factus sum Israeli, aut terra sero-
tina? id est, numquid inconveniens sum
populo Judæorum et ineptus eis, ut mihi
inhæreant ac ministrent, quemadmodum
solitudo et terra serotina hominum habi-
tationi exstat incongrua? quasi dicat : Non,
quum sim naturaliter bonus ac pius. *Qua-*
re ergo dixit populus meus Judaicus, meus
quidem creatione, non devotione, *Recessi-*
mus a cultu Dei, *non veniemus ultra ad*
te, id est, ad cultum Dei non revertemur?
tanquam diceret : Irrationabiliter istud lo-
cuti sunt. *Numquid obliviscetur virgo or-* 32
namenti sui, quod datur ab eo cui de-
sponsatur, *et sponsa fasciæ pectoralis suæ,*
id est ligamenti uberum, ne indecenter
magna appareant? quasi diceret, Non.
Per quod innuit Dominus, quod Synagoga
quam sibi per legis donationem despon-
savit, non debuit eum relinquere, atque
cum idolis fornicari. Cujus tamen opposi-
tum fecit, ut subditur : *Populus vero meus*
oblitus est mei diebus innumeris, scilicet

a tempore Moysis usque ad præsens, pro A
majori parte temporis ac populi hujus :
sicut ex libris Judicum et Regum osten-
ditur.
33 *Quid niteris bonam ostendere viam tu-
am,* id est, quum tot flagitiis inquineris,
cur vitam et opera tua conaris a culpa
inaniter excusare, *ad quærendam dilecti-
onem,* id est, ad hoc ut diligaris a me tan-
quam justa, et sit inter me et te amici-
tia familiaris ? Quomodo intelligendum est
hoc, quum jam paulo ante scribatur plebs
vers. 25, 31. ista dixisse, Desperavimus, recessimus, non B
revertemur ultra ad te ? Ex quo elicitur,
quod non quærebant Deo rursus uniri. Et
respondendum, quod ista intelligi possunt
atque referri ad diversas personas in ma-
litia impares, vel certe ad tempora eo-
rumdem diversa : qui enim uno die de-
sperat nec curat, die alio se emendat. *Quæ
insuper et malitias tuas docuisti vias tuas,*
id est, in pravitate crescendo docuisti te
ipsam agere malitiose ; vel, Vias tuas quæ
sunt malitiæ, id est opera tua malitiosa,
docuisti alios, ut tuam imitarentur nequi- C
Ps. I, 1. tiam. Hoc est sedere in cathedra pestilen-
Is. III, 9. tiæ. De talibus sic loquitur Isaias : Pecca-
tum suum quasi Sodoma prædicaverunt,
34 nec absconderunt. *Et in alis tuis,* id est
superstitionis tuæ vanitate ac pompis, vel
in operibus tuis impiis ac superbis : un-
de Septuaginta transtulerunt, In operibus
tuis ; *inventus est sanguis animarum pau-
perum et innocentium,* id est reatus ho-
micidii, quoniam innocentes et pauperes
Ezech. XXII, 4. occidisti : juxta illud Ezechielis, In san-
guine qui a te effusus est, deliquisti. Quod D
tempore Manassæ potissime accidit, qui
IV Reg. XXI, 16. implevit Jerusalem sanguine innocentium
usque ad os. *Non in fossis inveni eos,* id
est, non inveni istos a te latenter occisos,
puta in foveis, ut solet contingere latro-
num insidiis, *sed in omnibus* istis *quæ
supra memoravi,* id est, in locis idolola-
triæ jam præfatis eos necasti, seu alibi,
ubi te propter idololatriam redarguerunt.
Et dixisti post tanta facinora : *Absque* 35
peccato et innocens ego sum : sicut de mu-
liere adultera Salomon scribit, quod post- Prov. XXX, 20.
quam alium amatorem admisit, tergit os
suum, et dicit, Non peccavi. *Et propterea
avertatur furor tuus,* id est ultionis rigor,
a me : quasi Deus sine causa puniret. Hoc
est quod paulo ante disseruit : Quid vul- vers. 29.
tis mecum judicio contendere ? *Ecce ego
judicio contendam tecum, eo quod di-
xeris, Non peccavi,* id est, rationabiliter
te convincam peccati ream, pœnaque di-
gnam, eo quod mendaciter dixeris, Non
peccavi.
Quam vilis facta es nimis, iterans vias 36
tuas ! id est, vehementer contemptibilis
atque culpabilis es effecta recidivando, et
pristina vitia continuando. *Et ab Ægypto
confunderis, sicut confusa es ab Assur :* id
est, sicut dudum frustrata es spei tuæ ef-
fectu, quæ in Assyriorum auxilio confi-
debas tempore Achaz, sic nunc frustra-
beris effectu fiduciæ qua in Ægyptiorum
ope confisa es, ex tali spe regi Babylonis
repugnare attentans. Ideo subditur : *Nam* 37
et ab ista egredieris, id est, de hac terra
Judææ transfereris captiva in Babylonem
tempore Joachin et Sedeciæ, *et manus tuæ* IV Reg.
erunt super caput tuum, in signum de- XXIV, XXV.
solationis et captivitatis, quasi capillos vel-
les detrahere ; *quoniam obtrivit Dominus
confidentiam tuam,* id est, spem tuam pri-
vavit effectu optato, quia et Ægyptios de-
dit in manus Chaldæorum, ita quod ipsi
Ægyptii nec se nec te poterunt liberare ;
et nihil habebis prosperum in futurum,
quantum ad ea in quibus contra divinæ
sapientiæ atque justitiæ ordinem procede-
re studes. Hinc per Isaiam Dominus ait :
Erit vobis fortitudo Pharaonis in confusi- Is. XXX, 3.
onem, et fiducia umbræ Ægypti in igno-
miniam.

ARTICULUS V

EJUSDEM CAPITULI SECUNDI SPIRITUALIS EXPOSITIO.

PER Jeremiam, qui excelsus Domini A
interpretatur, designatur quicumque
prælatus, prædicator, seu doctor Ecclesiæ,
qui in alto est officio constitutus, et per
sapientiæ ac virtutum decorem ceteris emi-
2 net. Huic itaque Dominus jubet : *Vade, et
clama,* id est, voce sonora, distincte atque
s. LVIII, 1. tubaliter prædica : juxta illud : Clama, ne
cesses ; quasi tuba exalta vocem tuam, et
annuntia populo meo scelera eorum. *In
auribus Jerusalem,* id est Ecclesiæ, seu
cujuslibet Christiani. Jerusalem quippe in-
terpretatur visio pacis : et constat quod B
hilipp. IV, pacem Christi, quæ omnem sensum ex-
superat, contemplari atque appetere debet
Ecclesia, omnis quoque anima christiana,
oloss. III, juxta illud Apostoli : Pax Christi exsultet
semper in cordibus vestris. Quum enim,
secundum divinum Dionysium et S. Au-
gustinum, omnes homines naturaliter ap-
petant pacem, Christiani pacem veram, in-
ternam, cœlestem jugiter debent expetere.
*Hæc dicit Dominus : Recordatus sum
tui.* Incessabiliter memor est Christus suæ
Ecclesiæ, devotæque animæ. Sic namque C
Matth. promisit : Ecce ego vobiscum sum cunctis
VIII, 20. diebus. *Miserans adolescentiam tuam :*
quæ fuit in exordio primitivæ Ecclesiæ,
quando excellentissima gratiæ suæ dona,
Rom. VIII, imo primitias Spiritus contulit Deus fide-
libus ; *et caritatem desponsationis tuæ,*
quando te in Baptismo vel in evangelicæ
legis latione mihi in sponsam conjunxi, et
tunc caritatem ad me præcipuam habuisti
seu recepisti. Desponsatur autem anima
Christo, quum ei per caritatem, fidem, ce-
terasque virtutes unitur, juxta illud Pro- D
ee II, 19, phetæ : Sponsabo te mihi in judicio et
justitia, et in misericordia et miserationi-
bus, et sponsabo te mihi in fide. Quam
vero fuerit ardentissima primitivæ Eccle-
siæ ad Christum dilectio, pandit Aposto-
lus : Scio, inquiens, quia neque mors, Rom. VIII,
neque vita, neque angeli, neque prin- 38, 39.
cipatus, neque creatura alia poterit nos
separare a caritate Dei, quæ est in Chri-
sto Jesu. *Quando secuta es me in deser-
to,* id est in hoc sæculo nequam gratia-
rum charismatibus destituto. Vel desertum
est ipsa gentilitas a Deo diu relicta. De
primo deserto accipi potest illud : In ter- Ps. LXII, 3.
ra deserta, et invia, et inaquosa, sic in
sancto apparui tibi ; de secundo, illud :
Multi filii desertæ (id est gentilitatis), ma- Is. LIV, 1.
gis quam ejus quæ habet virum, id est Sy-
nagogæ. Plures quippe ex gentilibus quam
ex Judæis, ad Christum conversi sunt. In
hoc deserto sequuntur Christum credentes
in eum : quemadmodum et ipse hortatur,
Si quis mihi ministrat, me sequatur ; item Joann. XII,
secundum illud, Qui se dicit in Christo 26. I Joann. II,
manere, debet sicut ille ambulavit et ipse 6.
ambulare. Denique sic Christum sequi, est
in medio iniquorum laudabiliter vivere,
atque a Christo efficaciter discere quia Matth. XI,
mitis est et humilis corde. Istud desertum 29.
est *terra quæ non seminatur,* id est mul-
titudo hominum impiorum, qui a bonis
operibus sunt steriles, nec semen verbi
cœlestis fructuose recipiunt : non enim
habent radicem mentis in Deo, nec rore
cœlesti seu gratiæ irrigantur humore.
Sanctus Israel Domino, primitiæ fru- 3
gum ejus. Per Israel, quod interpretatur, vir
videns Deum, intelligitur populus christia-
nus, Dominum fide sincera contemplans.
Populus iste sanctus est Domino, quia divi-
no cultui excellentissime præ cunctis na-
tionibus mancipatus. Propterea quoque est
primitiæ frugum ejus, id est Deo præ cete-

ris populis tam specialiter deputatus, quam A
specialiter primitiæ fructuum terræ Deo
ac sacerdotibus offeruntur. Hinc Christia-
nis in prima sua epistola loquitur beatis-
I *Petr.* II, 9. simus Petrus : Vos autem genus electum,
regale sacerdotium, gens sancta, populus
acquisitionis. Non enim unquam fuit, nec
erit aliquando in mundo hoc lex tantæ
perfectionis, sicut lex Christi. Hinc Christi-
anis multo eminentius quam Judæis com-
Deut. IV, 7. petit dicere illud : Non est alia natio tam
grandis quæ habeat deos appropinquantes
sibi, sicut Deus noster adest nobis et cun- B
ctis obsecrationibus nostris; et item illud
II *Reg.* VII, 23; I *Par.* XVII, 21. verbum Salomonis, Quæ est gens una in
terra, sicut populus tuus Israel? *Omnes*
qui devorant eum, delinquunt, id est, qui
populum christianum impie persequun-
tur, spoliant aut exstinguunt, graviter pec-
cant. *Mala venient super eos.* Audiant hoc
et formident subditorum oppressores, ra-
ptores, cupidi, exactores, qui populum
Christi devastant, contristant, depauperant.
Is. III, 15. Quibus Dominus loquitur : Quare atteritis
populum meum, et facies pauperum com- C
Mich. III, 3. molitis? Item illud : Comederunt carnes
populi mei, et pellem eorum desuper ex-
Ps. XXVI, 2. coriaverunt. Unde fatetur Psalmista : Dum
appropiant super me nocentes ut edant
carnes meas, ipsi infirmati sunt, et ceci-
derunt.
4 *Audite verbum Domini, domus Jacob,*
id est, Christianorum familia, quæ vitia
supplantando, Patriarcharumque fidem se-
ctando, digna es patriarchæ Jacob proge-
5 nies nuncupari. *Hæc dicit Dominus* Jesus
mundi Salvator, vel Trinitas Deus : *Quid* D
invenerunt patres vestri in me iniquita-
tis, quia elongaverunt a me, et ambulave-
runt post vanitatem? Hoc Deus contra nos
loquitur, dum patrum nostrorum carnali-
um terrena, caduca et vana Deo ac spiri-
tualibus præferentium, vanitates et vitia
imitamur, ut consideratione impietatis eo-
rum amplius humiliemur ac corrigamur,
præsertim quum ineffabilia Christi bene-
ficia contuemur. Denique qui viam justi-
tiæ agnoscentes, et verbum Dei frequentius

audientes, non emendantur, sed in suis fæ-
cibus perseverant, isti elongant se a Deo,
et post vanitatem incedunt; de quibus scri-
ptum est : Dixerunt Deo : Recede a no- *Job* XXI, 14.
bis, scientiam viarum tuarum nolumus. *Et*
vani facti sunt. Vani sunt universi qui
terrenis istis caducis magis quam summo
et incommutabili bono inhærent, qui præ-
ceptis divinis non parent, qui ea per quæ
ab ultimo fine et vera beatitudine impedi-
untur, exercent. De quibus cantamus : Fi- *Ps.* IV, 3.
lii hominum, usquequo gravi corde? Ut
quid diligitis vanitatem, et quæritis men-
dacium? Quos Salomon deplorando allo-
quitur : Usquequo, parvuli, diligitis in- *Prov.* I, 22.
fantiam, et stulti ea quæ sibi nociva sunt,
cupient? Vani sunt omnes qui omissis iis
quæ Deus ab eis requirit, in aliis occupan-
tur. Ideo scriptum est : Quæ præcepit tibi *Eccli.* III, 22, 24.
Deus, illa cogita semper, et in supervacuis
rebus noli scrutari multipliciter.
Et non dixerunt. Similiter nos ingrati 6
ac negligentes non dicimus : *Ubi est Do-*
minus qui ascendere nos fecit de terra
Ægypti, id est, qui nobis præcepit, et gra-
tiam dedit egrediendi de vitiorum caligine
et sæculari conversatione? Ægyptus quip-
pe interpretatur caligo, estque sæculi hu-
jus vitiis obtenebrati figura. Sic egredi, est
vere ascendere de bassitudine vitiorum in
sublimitatem virtutum. Manifestum est au-
tem quod Christus sic nos fecit ascendere
de Ægypto, qui jussit Apostolis : Prædi- *Marc.* XVI, 15.
cate Evangelium omni creaturæ; cujus
passione ac merito gratiam pœnitendi et
salutem consequimur, juxta illud : Non I *Petr.* I, 18, 19.
corruptibilibus auro vel argento redempti
estis de vana vestra conversatione, sed pre-
tioso sanguine Agni immaculati.
Qui traduxit nos per desertum, de quo
jam dictum est, scilicet per lubrica et te-
tra hujus mundi itinera, ita quod in eis
dejecti non sumus, sed Christo duce evasi-
mus. At vero qui in medio nationis perver-
sæ ac pravæ irreprehensibiliter conversa-
tur, per desertum istud salubriter ducitur.
Per terram inhabitabilem : quia in terra
hac non cives et habitatores, sed peregri-

ni, viatores et exsules esse debemus, se- A
Hebr. XIII, 4. cundum illud Apostoli : Non habemus hic
manentem civitatem, sed futuram inqui-
rimus. Et in eadem epistola, de Sanctis
Ibid. XI, 13. veteris Testamenti fatetur : Defuncti sunt
omnes isti, confitentes quia peregrini et
hospites sunt super terram. *Et inviam :*
quia difficile est per desertum sæculi hu-
jus vastissimi ad patriam electorum per-
tingere. *Per terram sitis :* quia in sæculo
isto majoribus bonis egemus, atque cœle-
Ps. XLI, 2, 3. stia appetendo clamamus : Quemadmodum
desiderat cervus ad fontes aquarum, ita B
desiderat anima mea ad te, Deus ; sitivit
anima mea ad Deum fontem vivum. *Et
imaginem mortis,* propter pericula quibus
Luc. I, 79. circumdati sumus. Ideoque oramus : Illu-
minare his qui in tenebris et in umbra
mortis sedent. *Per terram in qua non am-
bulavit vir,* ab animi vigore sic dictus,
qui etsi per mundum istum tendat ad pa-
triam, non tamen per latas sæculi profi-
ciscitur vias, de quibus præcepit Sapiens :
Prov. IV, 14, 19. Ne delecteris in semitis impiorum, et via
impiorum tenebrosa. *Neque habitavit ho-* C
mo rationabiliter intuens, et sapienter se
habens. Talis namque, ut dixi, non arbi-
tratur se hic habere manentem locum, sed
quotidie suspirat ad patriam.

7 *Et induxi vos in terram Carmeli,* id
est ad regnum militantis Ecclesiæ, in qua
est spiritualium divitiarum fertilitas, uber-
tas virtutum, gratia sacramentorum, opu-
lentia Scripturarum. De qua terra canta-
Ps. XXII, 1, 2. mus : Dominus regit me, et nihil mihi
deerit; in loco pascuæ, ibi me collocavit.
Carmelus interpretatur, cognitio circumci- D
sionis : per quod sacra Scriptura vel ipsa
designatur Ecclesia, in qua est veræ cir-
cumcisionis spiritualis scientia. De hac
Galat. I, 4; quoque inductione ait Apostolus : Deus
Coloss. I, 13. Pater eripuit nos de præsenti sæculo ne-
quam, et transtulit in regnum Filii dile-
ctionis suæ. *Ut comederetis fructum ejus
et bona illius,* id est, præfatis Ecclesiæ
spiritualibus atque internis divitiis animas
vestras reficeretis : quod de Sacramento
altaris præcipue accipi potest. Nempe, ut

Sapiens ait, Sapientia ædificavit sibi do- *Prov.* IX,
mum, miscuit vinum, et posuit mensam. 1, 2.
Sapientia ista est Christus, virtus et sapi- I *Cor.* I, 24.
entia Patris. Qui utique Christus de se ipso
in Evangelio profitetur : Justificata est Sa- *Luc.* VII, 35.
pientia a filiis suis. Et denuo ad Judæos :
Propterea (inquit) Sapientia Dei dixit : Ecce *Ibid.* XI, 49.
ego mitto ad vos Prophetas et sapientes.
Et ingressi, contaminastis terram meam,
in ipsa Ecclesia impie conversando, et cor-
da credentium scandalizando ; *et heredita-
tem meam posuistis in abominationem,* id
est, sacra loca violastis, et plebem christi-
fidelem ad vitia induxistis, ita quod mihi
abominabilis est effecta. Hoc potissimum
contra prælatos negligentes et clericos car-
naliter se habentes, profert sermo divinus.

Sacerdotes non dixerunt : Ubi est Do- 8
minus ? Hoc contra presbyteros Ecclesiæ
dicitur qui sacerdotalem vitam non du-
cunt, sed scurrilitati, jocis atque risibus
vacant, divini timoris obliti, nec debita sol-
licitudine considerantes sacra et metuenda
atque divina mysteria quæ quotidie tra-
ctant. *Et tenentes legem, nescierunt me.* Isti
sunt litterati, et doctores, ac prædicatores,
qui Scripturas agnoscunt, aliosve docere
præsumunt, nec tamen juxta Scripturas vi-
tam suam gubernant; de quibus ait Aposto-
lus : Inquinatæ sunt eorum et mens et con- *Tit.* I, 15,
scientia ; confitentur se nosse Deum, factis 16.
autem negant, quum sint abominati et re-
probi. Denique, teste Joanne apostolo, Qui I *Joann.* II,
dicit se nosse Deum, et mandata ejus non 4.
custodit, mendax est. Hæc de scientia for-
mata dicuntur. Est autem scientia seu co-
gnitio Dei informis, de qua scribit Apo-
stolus ad Romanos : Quum cognovissent *Rom.* I, 21.
Deum, non sicut Deum glorificaverunt.

Et pastores prævaricati sunt in me. Isti
sunt pastores nomine, non re, mercenarii
et carnales, qui gregem sibi commissum
non digne custodiunt, nec spiritualiter fo-
vent, imo pessimis moribus scandalizant,
et detestabili sua vita inficiunt et corrum-
punt. De quibus in Isaia propheta Scriptu-
ra testatur : Ipsi pastores ignoraverunt *Is.* LVI, 11.
intelligentiam, unusquisque in viam suam

declinavit. Advertant hi quod beatissimus A
I *Petr.* v, 1-3. Petrus ait : Obsecro, pascite qui in vobis
est gregem Dei, providentes spontanee se-
cundum Deum, non turpis lucri gratia;
neque ut dominantes in cleris, sed forma
gregis facti et ex animo. *Et prophetæ pro-*
phetaverunt in Baal, et idola secuti sunt.
Isti sunt somniatores et divini inanes, qui
ex divina revelatione se loqui arbitran-
tur vel jactant quæ ex propria imaginati-
one vel diabolica inspiratione concipiunt;
qui sua phantasmata tanquam idola asse-
quuntur.
9 *Propterea adhuc judicio contendam vo-*
biscum, et cum filiis vestris disceptabo.
Quanto majora Deus omnipotens et æter-
nus, invariabilis et perfectus, beneficia
populo contulit christiano, tanto cum in-
gratis contendet districtius, et rigorosius
procedet cum eis, dirioremque pœnam in-
fliget, secundum quod protestatur ipsemet
Luc. XII, 48. Christus : Cui multum datum est, multum
quæretur ab eo. Insuper loquitur Petrus
I *Petr.* IV, 17. apostolus : Tempus est ut incipiat judi-
cium a domo Dei. Faciamus ergo illud Ha-
Habac. II, 1. bacuc : Super custodiam meam stabo, et
figam gradum meum super munitionem,
et contemplabor quid dicatur mihi, et quid
10 respondeam ad arguentem me. *Transite*
ad insulas Cethim, etc. Hoc testimonio,
secundum Hieronymum, uti possumus con-
tra eos qui majori studio sequuntur vi-
tia quam virtutes, vel qui post conver-
sionem non ita ferventes inveniuntur ad
placendum Deo, ut ante ad placendum
mundo; itemque contra instabiles, qui et-
si bonum proposuerunt vel inceperunt,
non tamen id tam constanter exsequuntur
atque continuant, sicut sæculi amatores il-
licita. Quibus ad Romanos ait Apostolus :
Rom. VI, 19. Humanum dico propter infirmitatem car-
nis vestræ; sicut enim exhibuistis mem-
bra vestra servire immunditiæ et iniquitati
ad iniquitatem, ita nunc exhibete mem-
bra vestra servire justitiæ in sanctifica-
11 tionem. *Populus meus mutavit gloriam*
suam in idolum. Hoc proportionabiliter fa-
ciunt Christiani qui cordis affectum carna-
libus et terrenis magis quam Deo bonitatis
immensæ infigunt; qui pro eo quod in so-
lo Deo delectari deberent tanquam in ob-
jecto vel ratione delectandi, in transitoriis
et turpibus gloriantur: imo lætantur quum *Prov.* II, 14.
male fecerint, et exsultant in rebus pes-
simis.
Obstupescite, cœli, super hoc, etc. Quan- 12
to Christiani, præsertim religiosi, sacerdo-
tes ac clerici, amplius obligantur obsequi
Salvatori, tanto super ingratitudine, et ne-
gligentia, et carnalitate eorum, cœli ampli-
B us obstupescere asseruntur, juxta sensum
in præcedenti articulo introductum. *Duo* 13
enim mala fecit populus meus christia-
nus, et potissime clerici : *me derelique-*
runt fontem aquæ vivæ : qui sum essen-
tialiter ipsa vita; qui loquor in Evangelio,
Ego sum via, veritas et vita. *Et foderunt* *Joann.* XIV, 6.
sibi cisternas dissipatas, id est temporali-
um affluentiam, vanam et curiosam scien-
tiam, dogmata perversa, ex quibus affectum
suum reficiunt. Quod hæreticis et proprii
capitis immansoribus maxime competit,
C qui illud Salomonis dicunt : Aquæ furtivæ *Prov.* IX, 17.
dulciores sunt, et panis absconditus suavi-
or. Quocontra rursus Salomon exhortatur :
Bibe aquas de cisternis tuis, id est de san- *Ibid.* v, 15.
ctis ac divinis Scripturis, sanctorumque
Patrum documentis, in quibus veraciter
continetur aqua sapientiæ salutaris, quam
præfatæ cisternæ confractæ nequeunt con-
servare. De quibus aquis proclamat Pro-
pheta : Omnes sitientes, venite ad aquas. *Is.* LV, 1.
De istis autem cisternarum fractarum fos-
soribus ait Apostolus : Erit tempus quum II *Tim.* IV, 3.
D sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad
sua desideria coacervabunt sibi magistros
prurientes auribus.
Numquid servus est Israel, id est popu- 14
lus christianus, *aut vernaculus?* quasi di-
cat : Non, quoniam spirituali libertate a
Christo ornatur : quemadmodum ipsemet
ait, Si Filius vos liberaverit, vere liberi *Joann.* VIII, 36.
eritis; et alibi, Ergo liberi sunt filii, illi *Matth.* XVII, 25.
utique quibus ipse dedit potestatem filios
Dei fieri. De qua re tractat diffusius Apo-
stolus, inter cetera dicens : Itaque jam non *Galat.* IV, 7.

Galat. IV, 28. est servus, sed filius; et rursus, Nos secun- A
dum Isaac, promissionis filii sumus. Libe-
rati enim sumus per Christum, ejusque
fidem et sacramenta, a servitute peccati
ac dæmonum. Verumtamen per negligen-
tiam nostram pristinæ servituti subjice-
re possumus nosmetipsos. Corporalis vero
servitus Christianis non derogat nec repu-
gnat. Imo ad Corinthios monet Apostolus
I Cor. VII, 21. in servitute hac permanere, quum sit ma-
joris humilitatis occasio. *Quare ergo fa-
ctus est in prædam,* id est in inimicorum
suorum potestatem redactus, et tam invi- B
sibilium quam visibilium hostium impu-
gnatione ac vinculis irretitus? quasi dice-
ret: Non nisi propria impietate hoc meruit
et evenit. Unde de peccatoribus ait Apo-
II Tim. II, 26. stolus ad Timotheum : Resipiscant a dia-
boli laqueis, a quo captivi tenentur ad
ipsius voluntatem.
15 *Super eum rugierunt leones,* id est præ-
I Petr. V, 8. fati crudelissimi hostes. Nam et diabo-
lus tanquam leo rugiens circuit, quærens
quem devoret: cujus crudelitatem in perse-
cutione bonorum sectantur hæretici, schi- C
smatici, ac tyranni, et ceteri malitiosi, jux-
Sap. II, 25. ta illud Sapientiæ : Imitantur autem illum
qui sunt ex parte ipsius. *Posuerunt ter-
ram ejus in solitudinem, civitates ejus
exustæ sunt.* Hoc in Terra sancta et alibi
frequenter contigit populo christiano a
Sarracenis et ceteris perfidis. Aeriæ quo-
que potestates terram corporis nostri in
solitudinem redigunt, dum illud Spiritus
Sancti inhabitatione destituunt; et civitates
exurunt, dum collegia, congregationes et
claustra ad carnalium vitiorum ardorem, D
ad iræ et impatientiæ succensionem, vel
cetera pertrahunt mala : ut illud Osee eis
Osee VII, 4. conveniat, Omnes adulterantes quasi cli-
banus succensus a coquente. *Et non est
qui habitet in eis,* regulares observantias
sive canonicas sanctiones implendo, sed
mente redeunt in Ægyptum sæculi hujus,
et vitam ducunt mundanam in locis sacra-
16 tis. *Filii quoque Mempheos et Taphneos,*
id est sæcularium vanitatum dilectores,
constupraverunt te usque ad verticem, id
est, omnia membra tua ad impietatis ob-
sequium pertraxerunt : ita ut omnibus
membris tibi ad bene vivendum concessis
abutens, toto corpore violareris; et forni-
cationem illam quæ in omni peccato mor-
tali est, de qua legitur in Osee, Fornicati Osee IV, 12.
sunt a Deo suo, per cuncta membra effi-
ceres; atque per hoc, illud Isaiæ, Vulnus, Is. I, 6.
et livor, et plaga tumens, tibi competeret.
Vel, Usque ad verticem constuprari, est
usque ad mentis consensum seu fidei in-
fectionem, tentationi succumbere.
Numquid non istud factum est tibi, quia 17
*dereliquisti Dominum Deum tuum eo
tempore quo ducebat te per viam?* id est
hoc tempore ad pœnitendum concesso, de
quo dicit Apostolus : Ecce nunc tempus II Cor. VI, 2.
acceptabile, ecce nunc dies salutis. Nunc
enim per angelorum custodiam, per pa-
storum directionem, per Scripturarum le-
ctionem, seu inspirationem internam, per
gratiæ irradiationem, ducit nos Christus
per viam arctam ad patriam. Quum autem
actualiter in caritate et gratia sumus, sed
carnali affectioni et diabolo qualibet occa-
sione locum damus, tunc Deum nos per
viam salutis ducentem relinquimus, idcir-
co meremur gravius relinqui ab ipso, et
majora peccata incidere : sicque peccata
nostra sunt peccata et pœna peccati.
Et nunc quid tibi vis, o plebs christi- 18
ana, potissime religiosa vel ecclesiastica,
in via Ægypti, id est in actione sæculari
tenebrosa ac vana, *ut bibas aquam turbi-
dam,* id est falsam doctrinam aut volupta-
tem carnalem? Unde in locis humentibus Job XL, 16.
dicitur esse quies diaboli, quoniam in lu-
xuriosorum cordibus requiescit. In Ezechi-
ele quoque, fluxus Ægyptiorum esse asse- Ezech.
ritur ut fluxus equorum, et carnes eorum XXIII, 20.
ut carnes asinorum. *Et quid tibi* vis in
via Assyriorum, id est in communione et
societate seu operatione rebellium super-
borum, qui in oculis suis sapientes sunt,
et ideo dirigere volunt se ipsos, non regi
nec subjici? Assyrii quippe dirigentes in-
terpretantur. *Ut bibas aquam fluminis,* id
est abundantiæ temporalis, vel sapientiæ

I Cor. I, 20. sæcularis : de qua dicit Apostolus, Stultam A
fecit Deus sapientiam hujus mundi. Nam
hoc loco per fluvium intelligitur Euphra-
tes, qui frugifer interpretatur. Hæc autem
est religiosis et clericis præcipua causa
ruinæ, quod postquam ad claustrum vel
Dei obsequium se ipsos dedicaverint, sæ-
cularibus, puta Ægyptiis, se immoderate
commiscent, sicque in via Ægypti ince-
Judic. II, dunt. Unde et filii Israel terram promis-
11-13; III, 6, 7. sionis ingressi, quum se Chananæis ac ce-
teris illis nationibus conjunxissent, mox
ad eorum idololatriam declinaverunt.
19 *Arguet te malitia tua, et aversio tua
increpabit te.* Consideremus ergo diligen-
ter, et confiteamur humiliter nostra pecca-
ta, redarguentes nosmetipsos, juxta illud,
Ps. L, 5. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco;
Ps. XLIX, 21. ne audiamus a Deo, Arguam te, et statuam
te contra faciem tuam. *Scito et vide, quia
malum et amarum est reliquisse te Domi-
num Deum tuum.* Quum enim Deus sit
fons universæ bonitatis atque dulcedinis,
omni menti creatæ convenientissimus, cer-
tum quod sicut optimum suavissimumque C
consistit ei inhærere, sic pessimum et
Prov. XV, amarum est ab ipso recedere. Ideo mens
15. in Deo tranquilla ac secura, est quasi juge
convivium.
20 *A sæculo confregisti jugum meum.*
Matth. XI, Quamvis jugum Christi amanti suave sit,
30. multi tamen illud super se ferre renuunt :
Deut. XIII, qui recte dicuntur filii Belial, id est sine
13. jugo; qui sine timore Deum offendunt.
Rupisti vincula mea, id est evangelicæ
legis præcepta, quibus anima cum Deo
ligatur, ne per vitiorum abrupta vagetur. D
Et dixisti : Non serviam Salvatori. Hoc
omnes rebelles et impœnitentes, etsi non
verbis, tamen factis dicunt. *In omni enim
colle sublimi,* id est altitudine potestatis,
vel perspicacitatis ingenii, vel in appetitu
excellentiæ et honoris, *et sub omni ligno
frondoso,* id est sub amœnitate vanitatum
ac voluptatum carnalium, *tu prosterneba-
ris meretrix,* id est tu plebs mentem tuam
a Deo avertens, et cum dæmonibus spiri-
tualiter fornicans. De qua ait Psalmista :

Qui elongant se a te, peribunt; perdidisti Ps. LXXII,
omnes qui fornicantur abs te. De qua ac- 27.
cipi potest illud Osee : Quasi vacca lasci- Osee IV, 16.
viens declinavit Israel. Per ligna quoque
frondosa intelliguntur principes et divites
mundi, qui potestate et copia facultatum
atque familia, velut frondibus, decoran-
tur, quemadmodum in Ezechiele docetur. Ezech.
Sub his lignis prosternuntur adulatores XXXI, 3.
ac ambitiosi, et qui hominibus placere
desiderant, de quibus fertur in Psalmo :
Deus dissipavit ossa eorum qui homini- Ps. LII, 6.
B bus placent; confusi sunt, quoniam Deus
sprevit eos.
Ego autem plantavi te vineam electam. 21
Quod Ecclesia sit vinea Dei, Christus in
Evangelio docet. Hanc Deus tempore Apo- Joann. XV,
stolorum primo in Judæa, deinde per to- 1-5.
tum mundum electissimam sibi plantavit,
dulcissimis fructibus Spiritus Sancti im-
plevit, et verum semen suum effecit; sed
quia paulatim ad opera vitiosa sterilita-
temque devenit, audire meretur : *Quomo-
do conversa es in pravum, vinea aliena?*
Si laveris te nitro, etc. Hoc dicitur con- 22
tra eos qui per exteriora exercitia justifi-
cari se arbitrantur, quum tamen interiores
suas non satagunt affectiones purificare
coram Deo et ordinare in eo, non atten-
dentes illud Apostoli : Corporalis exercita- I Tim. IV, 8.
tio ad modicum utilis est. Porro, secundum
Hieronymum, nitrum nostrum et herba
fullonum, quibus purgamur a Domino,
sunt pœnitentia et sermo divinus. *Quo-* 23
modo dicis, Non sum polluta? Hoc verbo
reprobat Dominus impudentiam ac fron-
tositatem eorum qui vitia sua audent ne-
gare, quum excusatio propriæ culpæ sit
gravissimum peccatum. Propter quod orat
vir sanctus : Non declines cor meum in Ps. CXL, 4.
verba malitiæ, ad excusandas excusationes
in peccatis. Et in libro Josue scribitur :
Fili mi, da gloriam Deo, et confitere atque Josue VII,
indica quid feceris. *Vide vias tuas in con-* 19.
valle, id est, peccata quæ in hac valle mi-
seriæ vel in carne mortali fecisti, perpen-
de. *Scito quid feceris,* id est, pravitates
tuas oblivioni non tradas, sed imple quod

ov. xviii, scriptum est : Justus in principio accusator est sui.

24 *Cursor levis explicans vias suas. Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui.* Eodem modo parique sensu quo id in præcedenti articulo de populo Judæorum expositum est, propter pronitatem et fervorem eorum ad idololatriæ scelus ; ita de impiis Christianis accipi debet, qui toto affectu tendunt ad ea quæ mundi sunt, et non solum ex ignorantia et passione, verum etiam ex habitu pravo et electione deliberationeve peccant : qui rite cursori veloci et onagro infreni ac voluptuoso comparantur, et omni bruto pejores ac viliores monstrantur. *Nullus avertet eam,* id est plebem talem a sua malitia. Qui enim ex habitu vitioso et complacentia mali peccat, difficulter corrigitur, quamvis non sit impossibile (uc. i, 37.) apud Deum omne verbum; et quem Deus (ccle. vii,) spernit, nullus corrigere potest. *Omnes qui quærunt eam, non deficient,* id est, qui cum talibus peccare molitur, mox invenit eos ad iniquitatem paratos. Tales sunt omnes qui Deum non habent præ oculis : propter quod in Proverbiis scriptum est (ov. xxix,) : Qui timet hominem, cito corruet. Hinc ergo vitanda sunt vana consortia, et omnes qui justitiæ zelum non habent : propter quod levi occasione ad peccandum trahuntur, quum tamen peccatum sit infinitæ fugibilitatis, potiusque deberet homo mortem subire, quam Deum offendere, imo quam peccatum veniale committere. *In menstruis ejus invenient eam,* videlicet in vitiosis habitibus consuetudinibusque perversis, quæ sunt velut impurissima atque superflua animæ semina, ex quibus prorumpit homo sine pudore in fornicationes spirituales ac corporales.

25 *Prohibe pedem tuum,* id est cordis affectum vel actionis processum, *a nuditate,* id est a perditione caritatis Dei ac gratiæ, ne scilicet peccando mortaliter, informis et nuda seu indecora sit coram Deo omnis affectio et operatio tua. Hanc (n. iii, 11.) nuditatem primi parentes peccando illapsi A sunt; de qua in Apocalypsi ait Joannes : Beatus qui custodit vestimenta sua ne ambulet nudus (Apoc. xvi, 15.). Vestimenta enim sunt virtutes. Hinc orat Psalmista : Non veniat mihi pes superbiæ (Ps. xxxv, 12.). Et in Canticis dicitur Sponsæ : Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis! (Cant. vii, 1.) Calceamenta vero hæc, sunt imitatio vestigiorum sanctorum præcedentium Patrum, atque assidua mortis memoria. Denique Apostolus calceatos vult esse pedes eorum qui Evangelio præparantur (Ephes. vi, 15.), ne, dum per sæculi B hujus solitudinem gradiuntur, venenatis animalibus pateant, quæ evangelico pede calcanda sunt et conterenda, quemadmodum ait Salvator discipulis : Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici (Luc. x, 19.). *Et guttur tuum a siti.* Est guttur quoddam mentale, de quo scriptum est : Veritatem meditabitur guttur meum (Prov. viii, 7.). Insuper sitis quædam est bona, videlicet aviditas spiritualis profectus, et desiderium divinorum. De qua in Apocalypsi Salva- C tor : Ego, inquit, sitienti dabo aquam vitæ gratis (Apoc. xxi, 6.); et alibi, Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam (Matth. v, 6.). Hanc sitim non debemus vitare, sed augere, atque ad Fontem gratiæ jugiter adspirare, qui ait : Qui sitit, veniat ad me et bibat (Joann. vii, 37.), id est, stillas consolationis et gratiæ rivos suscipiat. Alia autem est sitis mala, videlicet æstus mundanæ cupiditatis, desideriumque peccati, et voluptatis affectus. Hanc sitim nefariam a gutture mentis abdicemus.

Et dixisti, Desperavi. Hoc æquivalenter D dicunt, quibus via salutis adeo difficilis videtur, ut aggredi eam non audeant. Non enim miseri isti divinæ bonitatis immensam pensant clementiam, quæ omnibus ad se confugientibus gratiæ suæ subsidium et spopondit, et dare parata est. *Nequaquam faciam* quod hortaris. Hoc rebelles et incorrigibiles dicunt, qui de caritativa increpatione qua emendari debuerant, deteriores redduntur. Contra quos Salomon loquitur : Viro qui dura cervice corripientem contemnit, repentinus super- (Prov. xxix, 1.)

Prov. xv, 32. veniet interitus. Et denuo ait : Qui abjicit A
disciplinam, despicit animam suam; qui
autem acquiescit increpationibus, posses-
sor est cordis. Ista indocilitas atque rebel-
lio ex ipso impietatis procedit amore.
Propter quod subditur : *Adamavi quippe
alienos,* id est vanitatis affectus et actus,
errores et vitia, seu perversos et carnales
homines, secundum quod tales, de quibus
Is. i, 4. in Isaia habetur : Abalienati sunt retror-
Ps. lvii, 4. sum; et in Psalmo, Alienati sunt peccato-
res a vulva, erraverunt ab utero. *Et post
eos ambulabo,* perseverando in malis. Hæc B
est consummata perversitas, amatoribus
mundi conveniens, juxta illud Sapientiæ :
Sap. ii, 1, 6, 7. Dixerunt impii : Venite, et fruamur bo-
nis quæ sunt, et utamur creatura tan-
quam in juventute celeriter; vino pretio-
so et unguentis nos impleamus, et non
prætereat nos flos temporis.
26 *Quomodo confunditur fur quando de-
prehenditur, sic confusi sunt domus Is-
rael,* id est Christiani inferiores ac subdi-
ti, *et reges eorum, principes et sacerdotes
eorum.* Hoc testimonio utendum est con- C
tra eos qui humanum oculum potius quam
divinum verentur, idcirco coram Deo mul-
ta agunt illicita sine timore, quæ coram
hominibus, vel eis scientibus, facere non
Ephes. v, 12. auderent. De quibus ait Apostolus : Quæ
in occulto fiunt ab eis, turpe est et dicere.
Sed frequenter contingit eorum vitia pu-
blicari, et tunc instar furis deprehensi ve-
recundantur. Propter quod loquitur Chri-
Joann. iii, 20. stus : Omnis qui male agit, odit lucem, et
non venit ad lucem, ut non arguantur
opera ejus. Talibus ut pœniteant, comme- D
morandum est illud Apostoli ad Roma-
Rom. vi, 21. nos : Quem fructum habuistis tunc in illis,
in quibus nunc erubescitis? Nam finis
27 illorum mors est. *Verterunt ad me ter-
gum, et non faciem.* Hoc agimus quando
peccamus mortaliter, præsertim quum nec
increpati pœnitemus. Et quoniam Chri-
Luc. x, 16. stus suis ait vicariis, Qui vos spernit, me
spernit; si superiorum nostrorum monita
ac præcepta contemnimus in tantum, ut
animi pompam gestu corporis indicemus,
tergum et non faciem ad Dominum verti-
mus : in quo magnam nimis irreveren-
tiam Altissimo exhibemus. Propter quod
ipse terribiliter comminatur : Quia voca- Prov. i, 24-26.
vi, et renuistis, despexistis omne consi-
lium meum, et increpationes meas ne-
glexistis ; ego quoque in interitu vestro
ridebo. *Et in tempore afflictionis suæ di-
cent : Surge, et libera nos.* Tales sunt
hodie multi, qui tempore sanitatis ac pro-
speritatis, Dei sui obliviscuntur, sed ad-
versitate instante, ad ipsum exclamant.
Quod potissime congruit iis qui tempore
juventutis ac sospitatis negligunt pœni-
tentiæ actibus insudare, proponentes tem-
pore senectutis, infirmitatis, vel in articu-
lo mortis de peccatis dolere : quod prorsus
stultissimum est.
Quumque talium pœnitentia non sit ex
odio peccati vel zelo justitiæ seu Dei amo-
re, sed ex servili timore, et ex necessita-
te; idcirco nihil merentur, imo a Domino
respondetur : *Ubi sunt dii tui quos fecisti* 28
tibi? id est, ubi jam ista carnalia et cadu-
ca quibus magis inhæsisti quam Deo? *Sur-
gant, et liberent te in die afflictionis tuæ.*
Hoc increpatorie ac subsannatorie loqui-
tur Deus, juxta illud Psalmi : Qui habitat Ps. ii, 4.
in cœlis irridebit eos, et Dominus subsan-
nabit eos. Præterea, teste Hieronymo, im-
pudens est postulatio, tempore necessitatis
et angustiæ ab eo auxilium quærere, quem
quis in pace contempserit. Hinc quoque
in Isaia ait Spiritus Sanctus : Si quæritis, Is. xxi, 12.
quærite; convertimini et venite : hoc est,
si quæritis Deum, ex caritate, non sola
necessitate atque formidine, quærite eum.
*Secundum numerum quippe civitatum tu-
arum erant dii tui, Juda.* Hoc quidam
satis congrue applicant contra eos qui in
qualibet civitate vel Ecclesia quærunt ho-
norari ac beneficiari, idola ambitionis ac
cupiditatis erigentes sibi hinc inde.
Quid vultis mecum judicio contendere, 29
vos ipsos præsumptuose justificando, et
adversitates vestras vestris peccatis non
adscribendo? quum scriptum sit, Non te Eccli. vii, 5.
justifices ante Deum; et, Non justifica- Job ix, 2, 3.

tur homo compositus Deo, et si voluerit A
cum eo contendere, non poterit responde-
re unum pro mille. *Omnes dereliquistis
me, dicit Dominus.* Ideo ait Apostolus :
...m. III, 23. Omnes peccaverunt, et indigent gloria et
gratia Dei. Discipulus quoque quem dili-
Joann. I. gebat Jesus : Si dixerimus, inquit, quia
peccatum non habemus, nos ipsos seduci-
30 mus. *Quasi leo vastator generatio vestra.*
Hoc, secundum sensum præcedenti articu-
lo positum, allegandum est contra feroces.
Prov. XII, Viscera enim impiorum crudelia. Quibus
Jacob. II, timendum est illud Jacobi : Judicium si- B
ne misericordia illi qui non fecerit mi-
sericordiam ; illud quoque Ecclesiastici,
Eccli. III, Cor nequam gravabitur in doloribus ; et
Prov. illud Proverbiorum, Qui mentis est duræ,
VIII, 14. corruet in mala.
31 Hæc dicit Dominus : *Numquid solitudo
factus sum Israeli, aut terra serotina ?*
etc. Hoc loquitur Christus contra Christia-
nos ingratos ac impœnitentes, qui nec ca-
ritatem nec fiduciam habent in ipso, a quo
32 tam immensa beneficia receperunt. *Num-
quid obliviscetur virgo ornamenti sui, et* C
sponsa fasciæ pectoralis suæ ? Et patet
quod non. *Populus vero meus* christianus
oblitus est mei diebus innumeris, id est
valde multis. In quo patet quod plurimi
nimium parvi pendunt Deum excelsum.
Denique virgo debet esse anima christia-
na, soli cœlesti Sponso conjuncta : cujus
ornamentum est caritas, quæ vestis est
nuptialis; fascia vero pectoralis, est sobria
intelligentia Scripturarum, quæ in pectore
designatur. Sed et sponsa est sancta Ec-
clesia, cujus sponsus est Christus, de quo D
...ann. III, ait Joannes Baptista : Qui habet sponsam,
sponsus est. Hæc igitur virgo ornamenti
præfati non obliviscatur, nec sponsa hæc
fasciam suam pectoralem relinquat.
33 *Quid niteris bonam ostendere viam tu-
am,* id est conversationem tuam probare
justam, *ad quærendam dilectionem,* id est,
ut diligaris a me? Hoc contra eos qui suis
meritis se gratia dignos existimant. Qui
ergo cupit amari a Deo, ab humilitate in-
cipiat, atque se ipsum omni odio et tor-

mento dignissimum reputet ; sicque di-
vinis studeat obtemperare præceptis, et
Deum in omnibus honorare conetur. *Quæ
insuper et malitias tuas docuisti* alios ; *et* 34
*in alis tuis inventus est sanguis animarum
pauperum et innocentium.* Prælati ac prin-
cipes sub alis suis subditos suos tenentur
protegere ac fovere ; sed, heu ! contrarium
plurimi faciunt, subditos opprimendo ac
spoliando. De quibus loquitur Dominus
per Amos : Væ qui opulenti estis, optima- *Amos* VI,
tes, capita populorum, ingredientes pompa- 1, 6.
tice, bibentes in phialis vinum, et optimo
unguento delibuti : et nihil compatiuntur
super contritione Joseph, id est populi
sibi subjecti. Denique qui alios pertra-
hunt ad peccandum, animarum sanguinem
fundunt.
Et dixisti : Absque peccato et innocens 35
ego sum. Ecce quanta est cæcitatis huma-
næ perversitas. Quo enim diutius gravius-
que peccamus, eo peccata nostra minus
pensamus. Peccata enim obtenebrant men-
tem, atque a luce veritatis avertunt eam-
dem. Porro quanto quis cordis puritati
vigilantius vacat, eo peccata sua etiam par-
va amplius ponderat. Propterea sanctus Job
profitetur : Si justificare me voluero, os *Job* IX, 20.
meum condemnabit me. *Ecce ego judicio
contendam tecum, eo quod dixeris, Non
peccavi.* Non enim est homo super terram *Eccle.* VII,
qui faciat bonum, et non peccet. Sed et 21.
justus septies cadit in die. Et in Job ha- *Prov.* XXIV,
betur : Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum 16. *Job* IX, 21.
ignorabit anima mea. Itaque, ut divinæ
examinationis districtionem evadamus, in-
cessabiliter toto corde redarguamus, om-
nique reprehensione dignos fateamur nos
ipsos, quum dicat Apostolus : Si nos ipsos I *Cor.* XI, 31.
dijudicaremus, non utique judicaremur. Et
cum Psalmista humiliter deprecemur : Non *Ps.* CXLII, 2.
intres in judicium cum servo tuo, Domi-
ne, quia non justificabitur in conspectu
tuo omnis vivens.
Quam vilis facta es nimis, iterans vias 36
tuas! Ecce quo frequentius in pristina vi-
tia recidivamus, eo viliores efficimur, et
gravius vulneramur : siquidem vulnera re-

petita dirius lædunt, difficiliusque curantur. In hoc quoque major est ingratitudo, quod post consecutam a Domino veniam gratiamque refusam, iterum sine pudore offendimus eum. *Et ab Ægypto confunderis, sicut confusa es ab Assur :* id est, fiducia quam in mundanis atque superbis habuisti, erit tibi confusionis damnatio-
37 nisque causa. *Nam et ab ista egredieris,* id est, de præsenti sæculo per mortem corporalem tolleris ; *et manus tuæ erunt super caput tuum :* id est, opera manuum tuarum te sequentur, vitiorumque tuorum pondus tecum ad Christi tribunal portabis ; *quoniam obtrivit Dominus confidentiam tuam :* quia in hora mortis ac divini judicii te juvare non poterunt mundus et ea quæ mundi sunt, principum favor, opulentia rerum, et cetera quæ amasti ; *et nihil habebis prosperum,* quia damnaberis in æternum. Hæc est merces, et hic est finis eorum qui summo et incommutabili bono præponunt ista temporalia et terrena, qui hominibus contra divinam justitiam quærunt placere, qui sibi thesaurizant in terra, qui quotidie peccatis peccata adjiciunt. De quibus ait Baruch : Qui argentum thesaurizant et aurum, exterminati sunt, et ad inferos descenderunt. *Baruch* III, 18, 19.

ARTICULUS VI

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI TERTII : VULGO DICITUR, ETC.

POST populi Juda increpationem, invitatur a Domino ad emendationem; et ne scelerum suorum magnitudine territus desperet, Deus clementissimus pœnitentibus incomprehensibilem misericordiam
1 pollicetur. *Vulgo,* id est vulgariter, *dicitur : Si dimiserit vir uxorem suam* propter adulteria ejus, *et recedens ab eo* uxor illa per divortium, *duxerit virum alterum,* nolens continere, nec curans de viro priore ; *numquid revertetur ad eam ultra* primus maritus ? quasi dicat, Non. *Numquid non polluta et contaminata erit mulier illa ? Tu autem,* o Jerusalem, seu plebs regni Juda, *fornicata es* per idololatriam, quæ est fornicatio spiritualis, *cum amatoribus multis,* id est diis alienis, vel regibus populisque gentilibus, in quorum auxilio magis quam in Dei adjutorio es confisa. De quibus amatoribus legitur in Osee : Dixit, Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi. *Osee* II, 5. *Tamen revertere ad me* per veram pœnitentiam atque internam conversionem, *dicit Dominus.* Porro quod subditur, *et ego suscipiam te,* non habetur in expositione et textu Hieronymi, et per consequens nec in Hebræo. Ecce quam superinfinita est misericordia Dei, et quam superdulcis est bonitas ejus, et quam magna est dilectio ad rationalem creaturam. Etenim per locum ab impossibili, accipit argumentum suæ clementiæ ; et quod in aliis non fit per viam justitiæ, ipse se perhibet facturum per viam clementiæ. Synagoga quippe fuit uxor Dei, et propter idololatriam ejus Deus eam abjecit : quæ mox multis se amatoribus miscuit, et nihilo minus Deus se offert ad recipiendum eam paratum, dummodo pœnitere curaverit. Hinc de plebe hac pessima Dominus ait per Ezechielem : Filia matris tuæ es tu, quæ projecit virum suum. *Ezech.* XVI, 45.

Leva oculos tuos in directum, id est, 2
mentis tuæ considerationem sine falsitatis atque erroris obliquitate ad operum tuorum pravitatem dirige intuendam. *Et vide ubi non,* vel nunc, *prostrata sis.* Quasi

dicat : In omnibus terræ tuæ locis idololatriam commisisti. *In viis sedebas exspectans eos,* cum quibus idololatriæ scelera
zech. xvi, 4, 31. facere posses : juxta illud Ezechielis, In capite omnium platearum ædificasti tibi lupanar; *quasi latro in solitudine :* id est, cum ingenti aviditate idololatrandi ita sedebas et exspectabas, quemadmodum latrones in deserto cum magno spoliandi affectu transeuntes observant ac præsto-
ich. v, 1. lantur. Hinc populo huic dicitur : Nunc vastaberis, filia latronis. *Et polluisti terram,* id est habitantes in terra, puta te ipsam, et tibi communicantes, *in fornicationibus tuis* spiritualibus atque carnalibus, *et in malitiis tuis,* id est ceteris iniquitatibus. Proprie autem vocant malitias, peccata quæ non ex passione, infirmitate seu ignorantia, sed ex electione et habitu profluunt vitioso.

3 *Quamobrem prohibitæ sunt stillæ pluviarum,* id est, propter hæc tua peccata, pluviam pro terræ fecundatione necessariam tibi subtraxi, *et serotinus imber non fuit,* id est, pluvia vespertina tibi concessa non est. Hoc filiis Israel accidisse cum
Reg. xvii. magna caristia, patet in libro Regum. Et
mos iv, 7. in Amos Dominus ait : Ego quoque prohibui a vobis imbrem, quum adhuc tres menses superessent usque ad messem. Unde et Jacobi ultimo scriptum est, quod
Jacob. v, sub Elia non pluerat annos tres et menses sex. *Frons mulieris meretricis facta est tibi :* id est, sine omni pudore peccasti, et characterem meretricis, qui est inverecundia, tuæ fronti impressisti; *noluisti erubescere* de quacumque turpitudine vitiorum. Hanc inverecundiam supermiseriamque inducit consuetudo peccandi et amor peccati. Quumque verecundia soleat homines a multis peccatis retrahere, dum quis ad præfatam impudentiam bestialem pervenerit, sine mensura et numero gravissime peccat, ita quod tota vita sua est velut continuum quoddam peccatum. Hoc est quod per Isaiam Dominus loquitur :
s. iii, 9. zech. xvi. Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt; et item per Ezechielem, Facis hæc

A omnia opera mulieris meretricis et procacis.

Ergo saltem amodo voca me, Pater meus, id est, præterita mala tibi sufficiant, 4
et post tantam ruinam saltem nunc de cetero dic me esse patrem tuum ratione creationis ac gubernationis : juxta illud Isaiæ, Ego Deus tuus, docens te utilia, gubernans te in via qua ambulas; et iterum, Et nunc pater noster es tu, nos vero lutum. *Dux virginitatis meæ tu es,* id est ductor meus eo tempore quo spiritualiter *Is.* xlviii, 17. *Ibid.* lxiv, 8.
B virgo et sponsa tua fui per abstinentiam ab idololatria, ac ceteris gravioribus cul-
pis. *Numquid irasceris in perpetuum, aut perseverabis in finem?* Hoc dupliciter potest exponi. Primo, ut sit verbum Dei ad populum istum : quasi dicat, Numquid jugiter quasi contra me indignans recedes a me, aut finaliter in vitiis permanebis? Secundo, ut sit verbum populi ad Deum : eritque sensus, Noli, o Domine, nobis implacabiliter irasci, aut perseverare in rigore justitiæ : ad quod dicendum, Dominus 5
C eos hortatur. Ecce hic rursus commendatur nobis immensitas dignationis ac misericordiæ Dei, quod a tam contaminata et ingratissima plebe, non solum dignatur, sed insuper exhortatur pater et dux appellari, et formam orandi eis præfigit. Quo innotescit, quam veraciter per Ezechielem Deus piissimus protestetur : Revertimini et vivite, quia nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Verum (ut ait Hieronymus) quanto Deus clementior, qui post fornicationem et vitia viam *Ezech.* xviii, 32; xxxiii, 11.
D salutis ostendit, tanto infelicior est peccatrix, quæ non vult post vulnera peccatorum recipere sanitatem.

Ecce locuta es, et fecisti mala, id est, ore et opere excessisti, et mala quæ te facturam dixisti, es exsecuta, *et potuisti,* id est, ad peccandum potens fuisti, potentia tibi concessa abutendo : juxta illud, Quid gloriaris in malitia, qui potens es in *Ps.* li, 3.
iniquitate? *Et pro verbis pœnitentiæ, verbis superbiæ blasphemasti :* id est, pro eo quod me verbis pœnitentiæ pro remissi-

one peccatorum tuorum orare debueras, A
e contrario verbis superbiæ me inhono-
rasti, dicendo, Non serviam, et idola ad-
Is. I, 4. orabo : juxta illud Isaiæ, Blasphemaverunt
Sanctum Israel. *Et implesti cogitationem*
tuam malam, ei non tantum consentien-
do, sed opere implendo eam ; *et ostendisti*
contra virum fortitudinem tuam, id est,
Prophetas et justos te increpantes es per-
secuta, *ut posses facere quod sermone tra-*
ctasti te esse acturam. De hac perfida plebe
Deut. XXXII, 6. loquitur Moyses : Hæccine reddis Domino,
popule stulte et insipiens ? Numquid non B
ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit
et creavit te ? Præterea quidam affirmant
hunc passum ab illo loco inclusive, Et pro
verbis pœnitentiæ, non esse de textu, nec
in Hebræo haberi. Verumtamen Hierony-
mus verba hæc ponit, nec sonant quasi
ab aliquo expositore adjecta.
6 *Et dixit Dominus ad me in diebus Jo-*
siæ regis : Numquid vidisti, id est, non-
ne, o Jeremia, provide considerasti, *quæ*
fecerit adversatrix Israel, id est plebs de-
cem tribuum divinis præceptis adversans C
et idola colens ? Porro quid fecerit, sub-
ditur : *Abiit sibimet,* id est, ad suam per-
niciem a Deo recessit, ac profecta est *super*
omnem montem excelsum, et subter omne
* sub omni ligno frondoso *lignum frondosum**, *et fornicata est ibi,*
id est, in locis terræ suæ sublimibus ac
amœnis idolorum cultum exercuit : se-
Osee IV, 13. cundum illud Osee, Super capita montium
sacrificabant, et super colles accendebant
thymiama, subter quercum et terebin-
7 thum, quia bona erat umbra ejus. *Et dixi,*
quum fecisset hæc omnia, Ad me rever- D
Ibid. VII ; *Amos* IV. *tere; et non est reversa.* Hoc in Osee et
Amos clarissime patet, quia per hos Pro-
phetas Deus specialiter regnum Israel, sci-
licet decem tribuum, increpavit, atque ad
pœnitentiam provocavit, sed se corrigere
noluerunt : imo etiam per diversa flagella
eos corripuit, nec tamen conversi sunt,
Amos IV, 6-11. prout in Amos prophetia continetur.
Consequenter ostendit Dominus enormi-
tatem peccati duarum tribuum, compa-
ratione peccati decem tribuum. *Et vidit*
prævaricatrix soror ejus Juda. Loquitur
Deus de duorum regnorum populis, sub
figura duarum sororum, tum quia ex eo-
dem patre, scilicet Abraham, descende-
runt, tum quia in impietate similes factæ
sunt : juxta quem etiam modum loquitur
de eis in Ezechiele sub nomine Oollæ et *Ezech.* XXIII.
Oolibæ. Est autem consuetudo Prophetis,
totum populum nomine filiæ aut sororis
significare ; et sicut Ezechiel populum
Israel vocat domum exasperantem et ex- *Ibid.* II, III, XII, XVII, XLIV.
asperatricem, ita hoc loco adversatrix est
nominata. *Quia pro eo quod mœchata esset* 8
adversatrix Israel, cum idolis seu aureis
vitulis fornicando, *dimisissem eam,* id est,
hostibus suis tradidissem, *et dedissem ei*
libellum repudii, eam a spirituali conjun-
ctione quam habuit mecum, separando.
Est autem libellus repudii, scriptura con-
tinens causam divortii. *Et non timuit præ-*
varicatrix Juda soror ejus ; sed abiit, et
fornicata est etiam ipsa, id est, mente a
Deo recessit, et idolis se conjunxit ; *et fa-* 9
cilitate, id est consuetudine ac promptitu-
dine, *fornicationis suæ,* id est idololatriæ,
imo etiam aliorum vitiorum, *contaminavit*
terram, et mœchata est cum lapide et li-
gno, id est cum diis ligneis atque lapideis.
Et in omnibus his non est reversa ad me 10
prævaricatrix soror ejus Juda in toto cor-
de suo, id est vere et ex animo, *sed in*
mendacio, ait Dominus, id est ex simu-
latione quadam, sicut hypocritæ. In quo
patet duritia populi Juda, quod exemplo
prævaricationis decem tribuum, in capti-
vitatem ac mortem datarum, territus non
est nec correctus : quum tamen aliorum
tormenta, aliorum soleant esse remedia,
juxta illud Proverbiorum : Pestilente fla- *Prov.* XIX, 25.
gellato, stultus sapientior erit. Unde com-
muniter dicitur : Felix quem faciunt alie-
na damna peritum.
Et dixit Dominus ad me : Justificavit, id 11
est, minus polluit, et respective loquendo,
justam fecit, *animam suam adversatrix*
Israel, comparatione prævaricatricis Ju-
dæ. Idololatria quippe populi Juda gravior
facta est, quia in templo Dei idola coluit,

et in Jerusalem civitate ad Dei cultum A specialiter præelecta, et quoniam valde præcipua beneficia præstitit Deus populo Juda, multosque religiosos reges ac sanctos Prophetas. Hinc in Ezechiele legitur, *Ezech.* xxiii, 11. quod Ooliba, id est Jerusalem, plus quam Oolla, id est Samaria, scilicet decem tribus, insanivit libidine. At vero de gravissima idololatria regni Juda, prolixe nar- *Ibid.* viii; *Is.* ii, 20. ratur in Ezechiele et in Isaia, quomodo scilicet reptilia et talpas ac vespertiliones adoravit.

12 Insuper Dominus præcipit Jeremiæ : *Vade, et clama,* id est, fortiter prædica, *sermones istos contra aquilonem,* id est ad eos seu versus eos qui sunt respectu Judææ in plaga aquilonari. *Et dices : Revertere, adversatrix Israel, dicit Dominus,* id est, pœnitentiam age; vel, ad propriam terram revertere, seu redibis, ut sit vaticinium de futuro, non exhortatio tantum. Sermo iste, secundum Hieronymum, dirigitur ad decem tribus in Assyriis captas, et item ad duas, quæ jam pro parte in Babyloniam ductæ fuerunt : quarum his verbis reversio prædicatur. Quidam vero affirmant Jeremiam a Deo in Assyriorum terram transmissum, ad prædicandum ibidem filiis Israel captis. Quod non videtur quibusdam probabile. Propter quod dicunt Jeremiam missum ad terram decem tribuum, ut prædicaret illis ibidem qui manus regis Assyriorum effugerant; terram vero decem tribuum, asserunt in aquilonari parte sitam respectu Jerusalem. Arbitror autem rationabiliter posse dici, quod his verbis non præcipitur Jeremias corpora- D liter ire ad aliam terram, sed vultum suum loquendo versus illam dirigere : ad innuendum quod ad eos qui ibi degebant, pertineret hic sermo, eo modo quo in Eze- *Ezech.* xxi, 1, 2. chiele habetur : Factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis, pone faciem tuam ad Jerusalem, et stilla ad sanctuaria, et propheta contra humum Israel. Nec obstat quod Jeremiæ dicitur, Vade : quia per hoc designatur officii sibi injuncti exsecutio. *Et non avertam faciem meam,* id est pietatis respectum, *a vobis* pœnitentibus : juxta illud Isaiæ, Si reversi fueritis *Is.* xxx, 15. et quiescatis, salvi eritis; *quia sanctus ego sum, dicit Dominus,* id est naturaliter bonus, purus, et verax : idcirco ex propria bonitate vobis miserebor. Unde Septuaginta transtulerunt : Misericors ego sum. *Et non irascar in perpetuum* veraciter pœnitentibus in præsenti. In inferno enim nulla est redemptio. Ideo ait Psalmista : Numquid in æternum projiciet Deus, aut *Ps.* lxxvi, 8. non apponet ut complacitior sit adhuc?

B *Verumtamen scito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum prævaricata es :* id est, peccata tua humiliter recognosce, et si motus elationis subrepserit, ea animo tuo propone, ne ab humilitate recedas. Hinc etiam Osee inducit : Noli *Osee* ix, 1. lætari, et noli exsultare, Israel, quia fornicatus es a Deo tuo. *Et dispersisti,* id est, hinc inde divisisti, *vias tuas alienis,* videlicet idolis, eundo corporaliter ad diversa loca idolis dedicata. Ideo sequitur : *sub omni ligno frondoso ; et vocem meam* C *non audisti* interiori auditu, Prophetarum sermonibus acquiescendo, atque divinis obtemperando præceptis, *ait Dominus.* 13

Convertimini ad me, *filii revertentes, dicit Dominus,* etc. Quemadmodum partim ex verbis Hieronymi, partimque ex aliorum verbis elicitur, quidam Hebræi, et item quidam Catholici exponunt hunc passum usque ad finem capituli, pro tempore reversionis Judæorum a Babylonica captivitate. Et quamvis littera valeat applicari ad hoc, multa tamen hic inseruntur, quæ non proprie aptantur ad hoc, sicut procedendo patebit. Idcirco, secundum Hieronymum et multos Catholicorum, imo et secundum præcipuos Judæorum doctores, melius exponitur pro tempore Christi, de generali non solum Judæorum, sed et gentium conversione. 14

Itaque in Christi Unigeniti Dei Patris persona nunc dicitur : *Convertimini* ad Deum verum et evangelicæ legis doctrinam, *filii revertentes* a legalium observatione et umbra figurarum, ad lucem per-

spicuam veritatis impletæ, *dicit Dominus;* A
quia ego vir, id est sponsus *vester.* Christus
namque est sponsus Ecclesiæ : de quo
Osee II, 7. populus Israel ait in Osee, Revertar ad vi-
rum meum priorem; qui vir per Osee ite-
Ibid. 20. rum protestatur, Sponsabo te mihi in fi-
de. *Et assumam vos, unum de civitate, et*
duos de cognatione : id est, paucissimi ex
vobis, o Judæi, convertentur, et credent
in me : sicut Prophetæ concorditer prædi-
Ps. LXVIII, 24. xerunt. Unde est illud in Psalmo : Obscu-
rentur oculi eorum ne videant; et in Da-
Dan. IX, 26, 27. niele : Non erit ejus populus qui eum B
negaturus est ; et finis ejus vastitas, et us-
que in finem perseverabit desolatio. Item-
que in Isaia Christus secundum naturam
Is. XLIX, 5. assumptam testatur : Hæc dicit Dominus,
formans me ex utero servum sibi, ut re-
ducam Jacob ad eum, et Israel non con-
gregabitur. Quod autem aliqui converteren-
Ibid. I, 9. tur, Isaias prædixit : Nisi Dominus Sabaoth
reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fu-
Rom. XI, 5. issemus. De quibus ait Apostolus : Reli-
quiæ per electionem gratiæ salvæ factæ
sunt. *Et introducam vos in Sion,* id est in C
militantem Ecclesiam, de qua ait Psalmi-
Ps. LXXXVI, 2. sta : Diligit Dominus portas Sion super
omnia tabernacula Jacob; Apostolus quo-
Hebr. XII, 22. que ad Hebræos, Accessistis ad montem
Sion. Denique nomine Sion, Ecclesia Chri-
sti convenientissime designatur, quia in
monte Sion sumpsit exordium. Ibi enim
Matth. XXVI, 55. Christus frequenter in templo suo, scilicet
Jerusalem, in monte hoc sito, prædicavit,
Ibid. XXI, 14. et multa fecit prodigia ; ibi quoque fecit
Luc. XXII, 7-20. Cœnam novissimam, in qua Ecclesiæ Sa-
cramentum instituit, atque legalibus quo- D
dammodo finem imposuit. Insuper ibidem,
Marc. XIV, 15; Act. I, 13, 14; II, 1-4. in cœnaculo scilicet grandi, misit disci-
pulis Spiritum Sanctum, quo illi impleti,
mox in templo evangelicam legem prædi-
care exorsi sunt. Propter quod scriptum
Is. II, 3. est in Isaia : De Sion exibit lex. In Psalmo
Ps. CIX, 2. quoque dicitur Christo : Virgam virtutis
tuæ emittet Dominus ex Sion.
15 *Et dabo vobis pastores juxta cor meum,*
id est mihi placentes et voluntati meæ
Act. XIII, 22. conformes (sicut David fuit vir secundum
cor Dei) : puta Apostolos, quibus in Evan-
gelio loquitur Christus : Ite ad oves quæ Matth. X, 6.
perierunt domus Israel. Quibus dicitur :
Vos sacerdotes Domini vocabimini ; mini- Is. LXI, 6.
stri Dei nostri, dicetur vobis. *Et pascent*
vos, id est, animas vestras reficient, *scien-*
tia et doctrina, id est novi ac veteris Te-
stamenti Scriptura ; vel, Scientia, quan-
tum ad theologiæ speculabilia, et doctrina,
quantum ad practica sive moralia. Hoc
egerunt Apostoli et apostolici viri prædi-
cando, præsertim post Christi passionem,
evangelicæ legis theoriam ac disciplinam.
Petrus quoque, Jacobus et Judas, scri-
pserunt Judæis epistolas, similiter Paulus
unam.
Quumque multiplicati fueritis, et cre- 16
veritis in terra, id est, merito et numero
aucti fueritis in Judæa. Quod statim post
Spiritus Sancti missionem fiebat : sicut
in Actibus legitur, quia addebat Dominus Act. II, 47.
quotidie qui salvi fierent, et augebatur nu- Ibid. VI, 7.
merus discipulorum in Jerusalem valde ;
et rursus, Multa turba sacerdotum obedie-
bat fidei. *In diebus illis, ait Dominus, non*
dicent ultra ex Judaismo conversi, et ce-
teri Christiani : *Arca* pacti vel *testamenti*
Domini. Mutatur autem hic modus loquen-
di a secunda persona ad tertiam, sed de
eisdem est sermo. *Neque ascendet super*
cor, id est, ejus præsentiam non optabunt,
nec ponent in ea fiduciam, ut olim quan-
do ferebant eam ad prælia, ut per eam
triumpharent, juxta illud primi libri Re-
gum : Afferamus ad nos arcam Domini, ut I Reg. IV, 3.
nos liberet de manu Philistinorum. *Neque*
recordabuntur illius, ut circa eam fiat
cultus divinus; *nec visitabitur,* id est, cre-
dentes non ibunt ad locum quo est, causa
devotionis ; *nec fiet ultra* arca nova. Ex
quibus clarissime error Judæorum pate-
scit, dicentium sibi in adventu Messiæ ar-
cam Domini et cærimonialia ac sacrificia
restituenda. Siquidem arca ista fuit figura
Christi, quantum ad multa. Ideo Christo
jam nato ac revelato, non curatur de arca.
In tempore illo vocabunt Jerusalem, id 17
est militantem Ecclesiam, cui in Isaia di-

Is. LX, 1. citur : Surge, illuminare, Jerusalem; *soli-*
um Domini : quia in ea est sedes Dei thro-
nusque Christi, qui in fidelium cordibus
commoratur, atque sub formis sacramen-
talibus in locis Ecclesiæ conservatur. Po-
test quoque de urbe illa Jerusalem accipi,
in qua christiana religio viguit primo. *Et*
congregabuntur ad eam omnes gentes, id
est, quidam, imo et plurimi ex cunctis
populis mundi ad Ecclesiam congregabun-
tur, *in nomine Domini in Jerusalem.* Repe-
titio, confirmationis ac veritatis indicium
Ps. XXI, 28. est. Hoc prædixit Psalmista : Reminiscen-
tur, inquiens, et convertentur ad Domi-
num universi fines terræ. Et in Isaia huic
Is. LX, 5. Jerusalem dicitur : Mirabitur et dilatabitur
cor tuum, quando conversa fuerit ad te
multitudo maris, fortitudo gentium venerit
tibi. Hoc autem post reditum a Babylone,
impletum non est ante Christi adventum.
Et non ambulabunt post pravitatem cor-
dis sui pessimi : quia de pristinis malis
efficaciter pœnitebunt.
18 *In diebus illis ibit domus Juda ad do-*
mum Israel, id est quidam de populo Ju-
da, ad quosdam de populo decem tribuum;
et venient simul de terra aquilonis, ad
terram quam dedi patribus vestris. Istud
non fuit impletum tempore reversionis Ju-
dæorum a Babylonica captivitate, nec le-
guntur tunc aliqui de populo Juda ivisse
ad decem tribus inter Assyrios captas, ita
quod simul cum eis ad terram Israel sint
reversi. Istud igitur tempore gratiæ con-
stat impletum, quando nonnulli ex Judæis
Act. XIV *et seq.* in Christum credentes, in terris aquilona-
ribus evangelicam legem prædicaverunt
tam ipsis gentilibus quam filiis Israel ibi
detentis : cum quibus simul venerunt ad
terram viventium seu patriam Beatorum,
quam Deus Patriarchis principaliter repro-
misit, quum bona ista terrena non sint
sufficiens, ultimatum principaleve præ-
mium operum virtuosorum. Unde Isaias
Is. LVIII, 13, 14. inducit : Si glorificaveris Dominum, sus-
tollam te super altitudinem terræ, ait Do-
minus. Præterea probabile reor, nonnul-
los istorum ex devotione vicissim Terram

A sanctam visitasse et loca passionis domini-
cæ. Quidam autem per terram aquilonis,
intelligunt generaliter eos in quibus du-
rissimum frigus impietatis atque diaboli
imperium regnant.
Consequenter Dominus quærit ac re-
spondet, qualiter memorata terra viventi-
um obtineatur. *Ego autem* Dominus *dixi* 19
per Prophetas : *Quomodo ponam te in fi-*
lios, id est in numero filiorum adoptionis,
seu electorum, seu in sorte credentium, *et*
tribuam tibi terram desiderabilem, id est
B terram regni cœlestis, quæ ob firmitatem
ac soliditatem terra vocatur, *hereditatem*
præclaram, quoniam terra hæc est nobi-
lissima hereditas, *exercituum gentium?* id
est omnium turbarum fidelium nationum,
de quibus ait Joannes : Vidi turbam ma- *Apoc.* VII, 9.
gnam, quam dinumerare nemo poterat, ex
omnibus gentibus, stantes ante thronum.
Quidam per exercitus gentium, intelligunt
angelos sanctos, regnorum hominumque
custodes. *Et dixi,* id est, ad hanc quæstio-
nem respondi, docendo per Prophetas quo-
C modo istud fiat : *Patrem vocabis me,* mihi
filialiter, caritative et reverenter adhæren-
do ac obsequendo, *et post me ingredi non*
cessabis, id est, me indesinenter sequeris,
meæ bonitati, pietati, caritati, sanctitati,
te pro modulo tuo conformando. Sic nam-
que per Moysen Dominus dixit : Sancti *Lev.* XI, 44;
estote, quia ego sanctus sum. Verum, quia XIX, 2.
Judæi pro majori parte in infidelitate man-
serunt, adjunctum est : *Sed quomodo si* 20
contemnat mulier amatorem suum, sic
contempsit me domus Israel, dicit Domi-
D *nus* rex Messias, quem Judæi leguntur in
Evangelio multipliciter persecuti, asper-
nati, ac blasphemasse. Ad quod allegat
Apostolus illud ex Isaia : Tota die expandi *Rom.* X, 21;
manus meas ad populum non credentem, *Is.* LXV, 2.
et contradicentem mihi. Christus quoque
ait ad Patrem : Improperia exprobrantium *Ps.* LXVIII,
tibi ceciderunt super me; et rursus, Om- 10; *Rom.* XV, 3.
nes videntes me, deriserunt me. *Ps.* XXI, 8.
Cujus impietatis debita pœna subjungi-
tur : *Vox in viis audita est, ululatus et* 21
ploratus filiorum Israel. Nempe propter

hanc culpam a Romanis vastati sunt, par-
tim occisi, partim venundati, partim ca-
ptivi abducti, ita quod ululando atque plo-
rando per vias hinc inde progressi sunt.
Is. XLII, 22. Hinc per Isaiam de eis prædictum est : Ipse
autem populus direptus et vastatus ; la-
queus juvenum omnes, facti sunt in ra-
pinam. *Quoniam iniquam fecerunt viam*
suam, id est, conversationem suam vitio-
sam fecerunt : idcirco excæcavit eos mali-
Joann. VIII, 12; *Ibid.* XIV, 6. tia eorum, ita quod Christum qui est lux,
via, veritas et vita, non cognoverunt, imo
Sap. II, 15. gravis fuit eis ad videndum : et *obliti sunt*
Domini Dei sui, non credendo in eum.
Nihilo minus invitantur adhuc ad emen-
dationem, ut vel pœnis attriti, intelligant
quod propter perfidiam suam et Christi
22 negationem, ista perpessi sint. *Converti-*
mini ad fidem Christi, *filii revertentes* ab
errore ad veritatem, *et sanabo aversiones*
vestras, id est, blasphemias ceteraque pec-
cata in Christum, per gratiæ infusionem
Act. II, 38. delebo. Unde Petrus dixit Judæis : Pœni-
tentiam agite, et baptizetur unusquisque
vestrum in nomine Jesu Christi in remis-
sionem peccatorum.

Deinde in persona conversorum nunc
subditur : *Ecce nos venimus ad te,* Christe
Salvator, spirituali mentis accessu per fi-
dem et caritatem, de quo fertur in Psal-
Ps. XXXIII, 6. mo : Accedite ad eum, et illuminamini. *Tu*
enim es Dominus Deus noster. Unde infra
Jer. XXIII, 6. habetur de Christo : Hoc est nomen quod
vocabunt eum, Dominus justus noster. Et
Ps. XLIV, 12. de ipso dicit Psalmista : Concupiscet rex
decorem tuum, quoniam ipse est Dominus
Deus tuus. Denique in persona istorum
Is. XXV, 9. credentium scriptum est in Isaia : Ecce
Deus noster, exspectavimus eum, et sal-
23 vabit nos. *Vere mendaces erant colles, et*
multitudo montium : id est, Scribæ et Pha-
risæi ac sacerdotes, qui erant eminentiores
in populo, Jesum Christum negando men-
A daces fuerunt. Quibus et loquitur Chri-
stus : Si dixero quia non novi Patrem, ero *Joann.* VIII, 55.
similis vobis, mendax. Et in libro Sapien-
tiæ dixisse leguntur : Tanquam nugaces *Sap.* II, 16.
æstimati sumus ab eo. Solet Scriptura no-
mine collium et montium, superbos expri-
mere, juxta illud Zachariæ : Quis tu, mons *Zach.* IV, 7.
magne, coram Zorobabel in planum ? At-
que in Isaia : Omnis mons et collis humi- *Is.* XL, 4.
liabitur. *Vere in Domino Deo nostro salus*
Israel, id est, beatitudo Israelitici populi
in Christo consistit : quemadmodum in
B Actibus Petrus testatur : Nec est nomen *Act.* IV, 12.
aliud sub cœlo datum hominibus, in quo
oporteat nos salvos fieri.

Insuper isti pœnitentes adjiciunt : *Con-* 24
fusio, id est punitio confusiva nobis, pro-
pter peccata nostra in Christum commis-
sa, *comedit laborem patrum nostrorum ab*
adolescentia nostra, greges eorum et ar-
menta eorum, filios eorum et filias eo-
rum : quia non solum a Romanis fuerunt
spoliati et partim occisi Judæi, sed etiam
multis diebus ante Romanorum adventum
C plura eis acciderunt adversa, ut patet ex
Josepho. *Dormiemus in confusione nostra,* 25
et operiet nos ignominia nostra, id est,
diebus ac noctibus confusio nostra dura-
bit, et tantam ignominiam pro nostris re-
cipiemus sceleribus, ut ea operiri dica-
mur. Et hoc accipi potest de confusione
salubri, qua de suis peccatis in se ipsis
confusi sunt. *Quoniam Domino Deo no-*
stro peccavimus nos et patres nostri, ab
adolescentia nostra usque ad hanc diem,
Christum negando ad irreverentiam Patris
D (qui enim non credit in Filium, menda- *I Joann.* V, 10.
cem facit Patrem, ut ait Joannes), imo to-
tius supergloriosissimæ Trinitatis ; *et non*
audivimus vocem Domini Dei nostri pro-
pter nos incarnati, qui locutus est nobis :
Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et *Joann.* V, 46.
mihi.

ARTICULUS VII

ELUCIDATIO MYSTICA ET MORALIS EJUSDEM CAPITULI TERTII.

1 VULGO *dicitur : Si dimiserit vir uxorem suam :* quod, Christo docente,
Matth. v, 2; xix, 9. excepta fornicationis causa, non licet; *et recedens ab eo, duxerit virum alterum : numquid revertetur,* etc.? Etsi hoc non fiat in corporalibus illis commerciis ma-
Cor. i, 3. trimonioque carnali, nihilo minus Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, ex incomprehensibili sua benignitate loquitur animæ peccatrici, vel cuicumque Ecclesiæ particulari prævaricatrici : *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis,* peccando cum impiis et immundis, imo etiam finaliter inhærendo rebus vilissimis, caducis et inanimatis, quas Deo altissimo prætulisti, et ob illarum amorem omnipotentis legislatoris mandata sprevisti.

Ecce quanta est ingratitudo, vilitas atque perversitas peccatoris, qui Deo sublimi, bono, immenso, a quo tanta beneficia sumpsit, terrena et carnalia ista præponit. Et merito prorsus anima illa fornicatrix, meretrix et adultera nuncupatur, quæ mentem suam amplius unit istis vilissimis, quam superdignissimo Creatori. Quemadmodum namque carnalis conjunctio fit per seminum commixtionem, ita spiritualis conjunctio fit per affectuum unionem. Et sicut carnalis conjunctio, matrimonialis asseritur, dum est inter personas legitimas ; sic quoque spiritualis conjunctio mentis creatæ, nuptialis ac matrimonialis, imo et virginalis censetur, dum est cum mente increata, Deo æterno, cui soli debet inhærere finaliter, et ei præcipue caritative uniri. Unde cum tot amatoribus fornicatur, quot rebus creatis, caducis atque vanis, magis quam Deo, conjungitur aut inhæret. Quidam equidem fornicantur cum

A carne, quidam cum argento et auro, quidam cum temporali honore, quidam cum veste et domo, quidam cum propria voluntate, quidam cum informi scientia, quidam cum omnibus istis aut pluribus horum.

Nihilo minus ipse misericordissimus Deus, qui offensus est et contemptus, et primo ad miserendum pulsari debuerat, primitus ad pœnitentiam provocat et invitat, seque ad ignoscendum, diligendum, ac benefaciendum paratissimum præbet. Nam subditur : *Tamen revertere ad me,*
B *dicit Dominus.* Redeundum est autem ad Deum intra nos, quoniam ipse tanquam immensus et incircumscriptus, in omnibus est, non inclusus, et extra omnia, non exclusus : et ista reditio, est mentis ad Deum conversio; hæcque conversio, est Dei contemplatio atque dilectio. Ideo loquitur Dominus : Convertimini ad me in toto Joel ii, 12.
corde vestro, puta per intellectum ac bonam voluntatem, ut mentis aciem ad Dei considerationem, voluntatisque aviditatem ad ejus amorem, imo ad ipsum Deum
C intuendum ac diligendum, viriliter intra nos erigamus. *Et ego suscipiam te,* id est, ulnis clementiæ, pietatisque brachiis te constringam instar indulgentissimi patris, qui filio prodigo revertenti occur- Luc. xv, 20.
rit, eumdem deosculans et amplexans. Sic enim Dominus per Prophetam ait : Ego Osee xi, 3.
quasi nutricius Ephraim, portavi eos in brachiis meis. Unde de ipso loquitur : In Is. xl, 11.
brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit.

Leva oculos tuos in directum, quasi 2
D linealiter ad veritatem, et solum Deum præ oculis habendo; *et vide ubi nunc** * alias *non*
prostrata sis, id est, in quibus vitiorum generibus succubuisti, et quibus tentatio-

nibus victa es, circumstantias etiam pec- A
catorum pensando, scilicet locum, tem-
pus, quoties, quo fine, cum quibus, et
qualiter, seu ex qua causa. Præterea con-
siderandum, quod aliqui peccatores oculos
suos aperiunt, quia se peccatores esse co-
gnoscunt; sed eos non levant seu erigunt
sursum, quia ad temporalem diffamiam
sive præsens incommodum magis respi-
ciunt, quam ad Deum. Alii oculos levant
ad Deum, sed oblique, non penitus in di-
rectum. Nam quamvis intuitu Dei pecca-
tores se esse fateantur, impietates tamen B
suas perfunctorie et semiplene corde per-
tractant : et quod magnum est vitium, re-
putant parvum; quod est fraudis ac doli,
prudentiam. Sed miseri fallunt se ipsos. De
quolibet tali accipi potest illud Psalmi :
Ps. XXXV, 3. Quoniam dolose egit in conspectu ejus.
Verum sapienter agamus, et peccata nostra
gravissima reputemus, quoniam vere gra-
viora omnino sunt quam comprehendere
possumus; et quidquid adversitatis acci-
derit propter ea et pro eis, cum gaudio
patiamur. C

In viis sedebas exspectans eos, cum qui-
bus impietatem et vanitatem committe-
res. Hoc competit iis qui peccandi occasio-
nem exquirunt, et tentatorem præveniunt
Thren. I, 6. potius quam exspectant, pergentes ante
faciem subsequentis. Qui, sicut scriptum
Job III, 8. est, parati sunt suscitare Leviathan. Item
Ps. LXXII, 7. in Psalmo : Prodiit quasi ex adipe iniqui-
tas eorum; transierunt in affectum cordis.
Hujusmodi assimilantur et latroni. Nam
sicut ille corpora, ita hi et suam et alio-
rum perimunt animas. Quod totum etiam D
de his quoque accipiendum est, qui et
alios scandalizare et male informare non
trepidant. Ideo subjunctum est in textu :
*Quasi latro in solitudine. Et polluisti
terram,* id est propriam carnem, *in for-
nicationibus et in malitiis tuis :* quum
I Cor. VI, 18, 16. dicat Apostolus : Qui fornicatur, in corpus
suum peccat; et qui adhæret meretrici,
unum cum ea corpus efficitur. Denique
qui vitiose agendo, congregationem suam
seu alios quosque inficiunt, polluunt in
fornicationibus suis spiritualibus vel cor-
poralibus terram. Quibus convenit illud :
Polluerunt tabernaculum nominis tui. Om- *Ps.* LXXIII, 7.
ne autem peccatum mortale, est fornicatio
spiritualis : quia per ipsum anima a Spon-
so cœlesti recedit, atque caducis ac dæ-
monibus se prosternit. Quoddam vero mor-
tale est etiam fornicatio corporalis. Ideo
sanctus vir loquitur Deo : Perdidisti om- *Ps.* LXXII, 27.
nes qui fornicantur abs te.

Quamobrem prohibitæ sunt stillæ plu- 3
viarum, id est, ob hæc tua peccata abla-
ta est tibi gratia doctrinarum et illumi-
nationum cœlestium. In malevolam enim *Sap.* I, 4.
animam non introibit sapientia. *Et seroti-
nus imber,* id est ros et humor gratiæ su-
pernæ, *non fuit* tibi concessus. Unde ait
Isaias : Mandabo nubibus meis ne pluant *Is.* V, 6.
super eam imbrem; item alius, Petite plu- *Zach.* X, 1.
viam a Domino in tempore serotino. Quod
enim peccatis nostris meremur nobis, imo
et prælatis nostris, auferri verbum præ-
dicationis idoneæ, innotescit ex eo quod
apud prophetam Ezechielem scriptum est :
Linguam tuam adhærere faciam palato *Ezech.* III, 26.
tuo, et eris mutus, nec quasi vir objur-
gans, quia domus exasperans est.

*Frons mulieris meretricis facta est tibi,
noluisti erubescere.* In quibusdam est pu-
dor castus, ex ipso bonitatis sincero amore
et dono sapientiæ profluens, quo in præ-
sentia lucis, sanctitatis ac sapientiæ sum-
mi Dei, inhoneste ac turpiter cogitare,
desiderare, loqui aut agere verecundan-
tur. In aliis vero hic pudor non est, sed
pudor humanus, quo propter communem
honestatem hominumque judicium vel ad-
spectum, vitiose se habere verentur. Alii
demum ita corrupti sunt, ut veluti im-
pudentissimi canes, sine omni verecun-
dia pessime vivant, et omnes generaliter
scandalizent, atque in rebus exsultent pes- *Prov.* II, 14.
simis : qui in tantum obtenebrantur, ut
prava appareant eis bona, et quæ vere vi-
tuperabilia damnabiliaque consistunt, lau-
dabilia reputent. De quibus ait Isaias :
Væ qui dicitis malum bonum, et bonum *Is.* V, 20.
malum, ponentes tenebras lucem, et lucem

tenebras. Insuper quidam sunt, qui quum A
de suis excessibus increpantur, non eru-
bescunt nec formidant, imo de sua secu-
ritate et inverecundia gloriantur : qui si
in conscientia sua immunes sunt, recte
gloriantur in Domino; si autem culpabiles
sunt, de sui peccati deformitate erube-
scere debent, increpationem tamen et de-
bitam castigationem non timere, imo appe-
tere debent, tanquam animæ purgamenta
et salutis antidotum. Expedit tamen ut se
homo semper humiliet, nec nimis securus
sit, quum, teste Gregorio, piarum men- B
tium sit illic timere culpam, ubi non est
culpa. Et in Proverbiis Salomon fassus
Prov. viii, 14. est : Beatus homo qui semper est pavidus.
Postremo, quod Jeremias nunc ait, con-
venit his qui sine rubore transgrediun-
tur : quod est infelicissimum hominum
genus, cui illud prophetæ Isaiæ aptatur :
. xlviii,4. Scio quia durus es tu, et nervus ferreus
cervix tua, et frons tua ærea. Erubesca-
mus ergo, et infinito rubore verecunde-
mur, coram supermundissimo ac sanctis-
simo Deo et sanctis angelis ejus, habere C
nos inhoneste ac turpiter, pensantes il-
Reg. ii,30. lud quod ipse asserit : Ego glorificantes
me glorifico; qui autem contemnunt me,
erunt ignobiles. Veneremur ergo totis præ-
cordiis atque conatibus præsentiam divinæ
majestatis, ubique cordis puritati semper
intenti.

4 *Ergo saltem amodo voca me, Pater me-
us* et *dux,* id est dator, conservator et cu-
stos, *virginitatis meæ* spiritualis (quæ in
Dei cultu per fidem, spem, et caritatem
consistit) *tu es.* Ex quo elicitur, quod D
Deus in vita præsenti nunquam despicit
veraciter pœnitentem, nec vitæ nostræ
reliquias, quantumlibet parvas, contemnit.
uc. xii,38. Propterea Salvator ait : Et si in secunda
vigilia vel tertia venerit, et ita invenerit,
beati sunt servi illi ; itemque Psalmista,
s. lxiv, 9. Exitus matutini et vespere delectabis. Et
in hoc ostenditur dignatio infinita super-
beatissimi Dei, quod a nobis miseris atque
vilissimis, a quibus toties et tam graviter
offensus est, monet se patrem vocari. Un-
de et Christus docuit ut orantes Deum,
dicamus : Pater noster, qui es in cœlis. Matth. vi, 9.
Sed qui Deum nominat patrem, ejus di-
gnationi ac gratiæ non sit ingratus. Sic
namque scriptum reperimus : Si pater, Malach. i, 6.
inquit, ego sum, ubi est honor meus?
Nec digne eum patrem vocamus, nisi fi-
lialiter eum amemus. Tuncque filialiter
eum diligimus, si ejus præcepta sollicite
adimplemus. *Numquid,* o miser peccator, 5
irasceris in perpetuum, in vitiis pertina-
citer remanendo, quum dicat Apostolus,
Non obduretur quis ex vobis fallacia pec- Hebr. iii, 13.
cati? Sic irascentibus, et quasi cum furioso
pravitatis affectu peccantibus, competit
illud : Omnes quasi clibanus succensus Osee vii, 4.
a coquente. *Pro verbis pœnitentiæ, ver-
bis superbiæ blasphemasti.* Tales sunt, qui
quum Deum pro malis præteritis remit-
tendis precari deberent quotidie cum om-
ni humilitate, econtrario omni die eum
verbis vitiosis offendunt.

Et dixit Dominus ad me : Numquid 6
vidisti quæ fecerit adversatrix Israel?
Jeremias speciem tenet prælatorum seu
prædicatorum et doctorum Ecclesiæ, qui-
bus ex divina commissione incumbit, ut
subditorum Deo adversantium peccata di-
ligenter considerent, increpent et casti-
gent. Insuper, per populum Israel seu
decem tribuum, intelliguntur vulgares et
illitterati; per populum Juda, religiosi et
clerici. Quemadmodum ergo duæ tribus
non fuerunt correctæ exemplo punitionis
decem tribuum, sed eis deteriora fece-
runt; sic nunc multi religiosi, litterati et
clerici, ruinam laicorum simpliciumque
videntes, non se continuo correxerunt aut
corrigunt, sed gravius illis delinquunt, in
tantum ut laici comparatione istorum justi
appareant, quemadmodum dicit Scriptu-
ra : Tempus est ut incipiat judicium a I Petr. iv, 17.
domo Dei. Imo isti per populum Juda si-
gnati, facilitate fornicationis et impiæ con-
versationis suæ contaminant terram, quo-
niam suo exemplo dant aliis peccandi
audaciam.

Clama contra aquilonem, id est ad eos 12

qui in vitiis congelant, et sanctæ dilectionis calore privati sunt. *Revertere, adversatrix Israel,* id est, plebs christiana Deum fide conspiciens, *et non avertam faciem*
Eccli. II, 12. *meam.* Quis enim invocavit illum, et despexit eum? Sed quomodo sit orandum,
Luc. XVIII, 1. edocet Christus : Oportet, inquiens, semper
13 orare, et non deficere. *Verumtamen scito iniquitatem tuam.* Nam quamvis Deus mox ut cordialiter pœnitemus, peccata indulgeat quantum ad culpam, non tamen quantum ad pœnam; sed vult ut sacerdoti confiteamur, et juxta ejus judicium satisfaciamus : sicut et nos injuriantibus nobis tenemur dimittere culpam, non tamen emendam seu pœnam, quam secundum ordinem juris expetere licet. *Et dispersisti vias tuas alienis,* id est, affectiones et opera tua non adunasti in Domino Deo, sed per creata hinc inde ea dimisisti, et animo vagabundo per inania discurristi : juxta
Ps. XI, 9. illud : In circuitu impii ambulant; item :
Eccli. V, 11, 12. Non te ventiles in omnem ventum; esto firmus in via Domini et in veritate sensus
14 tui, et prosequatur te verbum pacis. *Convertimini, filii revertentes,* a multis ad
Luc. X, 42. unum illud quod solum necessarium est, et a vanitatibus sæculi ad veritatem Dei; *quia ego vir vester,* id est sponsus animarum vestrarum. Unde in Apocalypsi indu-
Apoc. XIX, 7. citur : Venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se. *Et assumam vos, unum de civitate, et duos de cognatione.* Per hoc signatur paucitas salvandorum, quoniam
Matth. XX, 16; XXII, 14. multi vocati, et pauci electi.

18 *In diebus illis ibit domus Juda ad domum Israel, et venient simul de terra aquilonis,* etc. Hoc (sicut jam dictum est) fit, dum spirituales et litterati pergunt ad vulgares ac simplices, ut eos informent, et de reproborum societate ac dæmonum grege eos educant, simulque veniant ad patriam Beatorum. Præterea, quod subditur, Christus de Ecclesia dicere potest et
20 conqueri : *Quomodo si contemnat mulier amatorem suum, sic contempsit me do-*
Rom. II, 4. *mus Israel.* Unde Apostolus : An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimi-

A tatis contemnis? *Vox in viis audita est,* 21
ululatus et ploratus filiorum Israel, id est fidelium pœnitentium, qui post pristina vitia gradiuntur in viis præceptorum consiliorumque Christi, in quibus peractas deplangunt malitias, ut quantum se Apoc. XVII 7.
glorificaverunt vane et in deliciis fuerunt, tantum nunc sibi infligant tormenti ac luctus, injuriam quam Deo intulerunt, in se ipsis salubriter ulciscentes.

Quumque audierimus benignissimam Dei exhortationem quæ subditur, *Conver-* 22
B *timini, filii revertentes, et sanabo aversiones vestras;* acquiescamus celeriter, et mente compuncti, respondeamus veraciter : *Ecce nos venimus ad te; tu enim es Dominus Deus noster,* animarum amator, qui toties a nobis contemptus, non cessas nos revocare ad te. *Vere mendaces erant* 23
colles, et multitudo montium : id est, fallax et vana est omnis mundi hujus prosperitas, eminentia, opulentia, et qui confidunt in eis. Nam beatitudinem quamdam amatoribus suis promittunt, sed solvere
C nequeunt, imo seducunt : quod in judicio particulari ac generali plane patebit, quando dicturi sunt impii illud Sapientiæ : Quid profuit nobis superbia? aut quid di- Sap. V, 8,
vitiarum jactantia contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra. Hinc quoque est illud : Laus impiorum brevis Job XX, 5
est, et gaudium hypocritæ ad instar puncti. *Vere in Domino Deo nostro salus Israel.* Deus enim sublimis et benedictus, est beatitudo nostra objectalis, et ejus clara per speciem visio, est nostra beatitudo
D formalis : quemadmodum Unigenitus Dei in Evangelio ait ad Patrem : Hæc est vita Joann. XV 3.
æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. *Confusio comedit laborem patrum nostro-* 24
rum, id est, confusiva vitiosaque actio spiritualiter mortificavit, præmioque privavit præcedentia merita majorum seu parentum nostrorum. Nam peccato mortali sequenti præcedentia merita consumuntur; per pœnitentiam tamen reviviscunt. *Greges eorum et armenta,* id est passiones et

opera sensitivæ partis, qua bestiis communicamus; *filios eorum et filias eorum*, qui patrum vitia sunt secuti, in quantum ea secuti sunt, ita quod confusio similis etiam istos consumpsit. Alias autem filius non portabit iniquitatem patris. (*Ezech.* XVIII, 20.) Specialiter autem confusio vitæ luxuriosæ, omnia ista absorbet.

25 *Dormiemus in confusione nostra :* id est, tantum de vitæ nostræ impietate ac turpitudine verecundari debemus, ut die ac nocte perseveret in nobis confusio verecundiæ salutaris, et vicissim obdormiamus in ea. *Operiet nos ignominia nostra.* Beatus homo qui nunc sic corripitur atque confunditur a Domino omnipotente, ut per temporalem punitionem evadat æternam. *Quoniam Domino Deo nostro peccavimus nos et patres nostri, ab adolescentia nostra usque ad hanc diem.* Imo ab ea hora qua ratione uti cœpimus, ne unum quidem diem sine peccato transegimus. Idcirco tenemur nos ipsos maxime humiliare, ac servos inutiles reputare, atque de infinitis imperfectionibus ac inhonestatibus nostris coram Deo perfecto et supersapientissimo verecundari. *Et non audivimus vocem Domini Dei nostri*, nec semper, nec in omnibus; qui inter ceteras sermonum suorum ait sententias : Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus. (*Luc.* XVII, 10.) Quo saluberrimo documento omnem superbiendi nobis abstulit occasionem. Postremo intueamur peccata nostra tanto esse enormiora, quanto major est bonitas, sanctitas, majestas et justitia legislatoris nostri Domini Dei, quo item plura nobis beneficia præstitit, et quanto majora promisit, quo et ipse magis dilexit nos : quæ omnia si diligenter pensemus, vehementer erubescemus. (I *Joann.* IV, 10, 19.)

ARTICULUS VIII

EXPLANATIO LITTERALIS CAPITULI QUARTI : SI REVERTERIS, ISRAEL, AIT DOMINUS, AD ME CONVERTERE.

Consuetudo Prophetarum est, ut de Judæorum populo loquentes ac prophetantes, eorum peccata redarguant, ad pœnitentiam provocent, futuras punitiones non pœnitentibus prænuntient, et inter hæc de Christo nonnulla vicissim interserant. Imo hoc est eorum principale intentum, Christi atque Ecclesiæ prænuntiare mysteria, prout in Actibus scribitur : Omnes Prophetæ a Samuel et deinceps qui locuti sunt, prænuntiaverunt dies istos. (*Act.* III, 24.) Quod et evangelicus Zacharias insinuans : Benedictus, inquit, Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ, sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus. (*Luc.* I, 68.) Pariformiter igitur sanctus Jeremias procedit. Et qui in ultima parte capituli præcedentis de Christi adventu et populo Judæorum locutus est pro tempore illo, nunc denuo populum sui temporis affatur, hortatur, et non se corrigentibus, Chaldæorum adventum vaticinatur. Verumtamen quidam, ut Hieronymus et eum in hoc assecuti, exponunt ista, sicut et passum præcedentem, pro tempore Christi : quæ expositio infra tangetur, et spiritualis et allegorica magis quam litteralis videtur, quemadmodum totam hujus capituli seriem intuentibus innotescere potest.

Itaque dicit : *Si reverteris, Israel, ait* 1
Dominus, ad me convertere : id est, o popule Judæorum, si vere et ex animo ab idololatria ceterisque redis ac pœnites vi-

tiis, non nisi ad me verum Deum convertere, qui solus possum salvare. Vel sic : *Si reverteris ad me,* id est, si vere, ut dicis, te vertis ad me, *convertere,* id est, digne et efficaciter te converte, utpote toto corde ac stabili reditione. Cui consonat il-
Is. XXI, 12. lud Isaiæ : Si quæritis, quærite. *Si abstuleris offendicula tua a facie mea,* id est, si pœnitendo peccata tua deleveris, ita ut ego ea dimittam quasi nunquam fuissent; *non commoveberis* de terra hac in captivitatem, vel non agitaberis adversis et passionum impulsibus, imo fixa mente Deo inhærebis. Hinc est illud quod per alium
Ibid. LVIII, 9, 11. Prophetam dicit Dominus : Si abstuleris de medio tui catenam, et desieris loqui quod non prodest, requiem tibi dabit Dominus semper, et eris quasi hortus irriguus.

2 *Et jurabis, Vivit Dominus,* id est, amplius non per idolum, sed per Deum verum jurabis, sub hac verborum forma : Vivit Dominus. Hoc enim, secundum Hieronymum, in veteri Testamento jusjurandum est ad condemnationem mortuorum, per quos jurant idololatræ. Quomodo autem jurare sit licitum et actus virtutis, in sequenti tangam articulo. Huic autem Jeremiæ eloquio consonat illud Deuterono-
Deut. VI, 13. mii : Dominum Deum tuum timebis, et per nomen ejus jurabis. Quomodo autem jurandum sit, subditur : *in veritate, et in judicio, et in justitia.* Circa quod scribit Hieronymus : Juramentum hos tres habet comites, veritatem, judicium, et justitiam; si ista defuerint, nequaquam erit juramentum, sed perjurium. De hoc in sequenti articulo plenius dicam. *Et benedicent eum,* videlicet Israelem seu Israeliticum populum, per quem hic intelligitur populus regni Juda, *gentes, ipsumque laudabunt* tanquam justum ac prosperum, quia in omnibus ei bene succedet. Sic namque tempore David et Salomonis quidam gen-
III *Reg.* V, 7. tilium filiis Israel benedixerunt, ut Hiram
Ibid. X, 9. Tyri rex, et regina Saba cum suis. Unde
Deut. IV, 6. etiam prædixit Moyses : Hæc est vestra sapientia et intellectus coram hominibus, ut audientes universi præcepta hæc, dicant : En populus sapiens et intelligens. Variat autem Jeremias hoc loco modum loquendi a secunda persona in tertiam.

Hæc enim dicit Dominus viro Juda et 3
Jerusalem. Aliqui textus habent, Habitatori Jerusalem; sed, Habitatori, nec in littera Hieronymi, nec in Hebræa habetur. Præcipit igitur Dominus viris Juda et Jerusalem, id est populo regni Juda, imo et feminis ac adolescentibus, et cunctis ibidem ratione utentibus. Totum autem nomine principalioris partis exprimitur. *Novate vobis novale,* id est, terram cordis vestri de novo excolite, spinas ac tribulos passionum ac vitiorum ejicite, *et nolite serere super spinas,* id est, verbum Dei nolite audire corde amaro, pungitivo, iniquo, nec opera ex genere bona faciatis in peccatis mortalibus perdurantes; aliter nullum salutis sortiemini fructum : quemadmodum propheta Osee ait : Seminate *Osee* X, 12.
vobis in justitia, et metite in ore misericordiæ, et innovate vobis novale.

Circumcidimini Domino, id est in Do- 4
mino et ad ejus honorem, vitiorum superfluitates resecando, *et auferte præputia cordium vestrorum,* id est concupiscentias et peccata. Unde Symmachus transtulit : Purificamini Domino, et auferte malitias cordium vestrorum. Hoc dicitur ad Judæos, ne corporalem circumcisionem sine spirituali sibi putarent sufficere, imo ut spiritualem agnoscerent principalem, ac Deo præsertim placentem. Hinc et Moyses Israeliticum populum docens, inquit : Cir- *Deut.* X, 16.
cumcidite præputium cordis vestri, et cervicem vestram ne induretis amplius. *Ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea,* id est, zelus justitiæ meæ contra vos in ultionem procedat, *et succendatur* ignis vindictæ in vobis per Chaldæos, *et non sit qui exstinguat,* id est, a vindicta vos liberet, *propter malitiam cogitationum vestrarum.* Ex quo innotescit, in cogitationibus esse peccatum. Ecce quanta est pietas Salvatoris. Nunc informando, nunc increpando, nunc blando sermone veniam promittendo, nunc terribiliter comminando admonet

reos ad vitæ emendationem, ne pereant, et A
ne quasi invitus puniat eos dirissime.
Consequenter punitio ista notificatur fu-
tura, quod prævidebantur Judæi pœniten-
tiam non acturi. Loquitur autem Propheta
ad eos quos noverat ex Chaldæorum ad-
5 ventu terrendos. *Annuntiate in Juda,* id
est per omnem Judææ regionem, *et in Je-*
rusalem, tanquam in metropoli regni, spe-
cialiter *auditum facite; loquimini, et ca-*
nite tuba in terra vestra, ut moris est
tempore pugnæ; *clamate fortiter, et dici-*
te : Congregamini, o Judæi, *et ingredia-* B
mur civitates munitas ad defendendum
6 nos contra Chaldæos. *Levate signum in*
Sion, id est, vexillum in Jerusalem erigite
quasi ad resistendum. *Confortamini, noli-*
te stare, sed æmulis obviate. Omnia hæc
quasi cum subsannatione seu ironia et
more prophetali prædicendo, non exhor-
tando, dicuntur. Quasi dicat Propheta :
Hæc facietis, et tamen nihil proderit vo-
bis. Omnia vero hæc, sicut et sequentia, in
Isaia, Ezechiele, Sophonia et Joele haben-
Joel II, 1, 2. tur. Unde Joel : Canite tuba in Sion, ulu- C
late in monte sancto meo; conturbentur
omnes habitatores terræ, quia venit dies
Domini magnus, dies tenebrarum et tur-
binis. Unde nunc sequitur : *quia malum*
pœnæ *ego adduco ab aquilone et contri-*
tionem, id est destructionem *magnam,* vi-
delicet regem Babylonis et ejus exerci-
tum, qui a parte aquilonari contra Judæam
venerunt, atque eamdem gravissime va-
staverunt.
7 *Ascendit leo,* id est Nabuchodonosor rex
Babylonis, fortis et atrox instar leonis, *de* D
cubili suo surgens, et induens se, ut ve-
niat in Judæam. Quod autem hic dicitur
de rege isto sub appellatione leonis, hoc
de eodem in alio Propheta sub nomine
Ezech. XVII. aquilæ scribitur. *Et prædo gentium,* id
est Nabuchodonosor, quia gentes plurimas
spoliavit ac vicit, *se levabit. Egressus est*
de loco suo, puta de Babylone, *ut ponat*
terram tuam, o Juda, *in solitudinem,* au-
ferendo ab ea habitatores ejus. Ideo sequi-
tur : *Civitates tuæ vastabuntur, remanen-*
tes absque habitatore. Super hoc, id est ob 8
tantam vobis imminentem pressuram, *ac-*
cingite vos ciliciis, misericordiam Dei im-
plorando, *plangite et ululate, quia non est*
aversa ira furoris Domini, id est metuen-
da ultio justitiæ Dei, *a vobis :* juxta illud
Isaiæ, In omnibus his non est aversus fu- Is. V, 25.
ror ejus, sed adhuc manus ejus extenta.
Et erit in die illa, dicit Dominus, id est 9
tempore obsidionis Jerusalem a Chaldæis :
Peribit cor regis et cor principum, id est
animus Sedeciæ et principum ejus terre-
bitur et prosternetur : siquidem occulte IV Reg. XXV, 4, 5.
fugerunt, et capti fuerunt; *et obstupescent*
sacerdotes, et prophetæ, pseudo scilicet,
consternabuntur : quia et ipsi in manus
hostium inciderunt, et pseudo securitatem
prædicantes, mendaces inventi sunt.
Et dixi : Heu, heu, heu, Domine Deus. 10
Consuetudo est Prophetis quibusdam, pro-
pter ampliorem intentionem, maximum-
que dolorem, idem ter explicare. *Ergone*
decepisti populum istum et Jerusalem, id
est, decipi permisisti, *dicens,* id est, pseu-
doprophetas dicere permittens, *Pax erit*
vobis? Vel sic : Ergone decepisti populum
istum, prænuntiando eis prospera per me?
Hoc dicit Propheta, non quod putet Deum
directe decipere aliquem, sed ad insinuan-
dum animi sui dolorem. *Et ecce pervenit*
gladius Chaldæorum *usque ad animam,* id
est usque ad vitæ corporalis Judæorum
exstinctionem, quia de propinquo immi-
nebat multorum occisio.
In tempore illo dicetur populo huic et 11
Jerusalem : Ventus urens in viis quæ sunt
in deserto, supple, erit ventus *viæ filiæ*
populi mei : id est, sicut viæ deserti cito
siccantur a calido vento, sic via et vita Ju-
daici populi cito consumetur a rege Baby-
lonis simili vento urenti. Eritque ventus
populi hujus, *non ad ventilandum et ad*
purgandum, id est non ad hoc, ut eos pur-
gatiores effectos, in propria terra relin-
quat, sicut vicissim per ventum paleæ se-
parantur a tritico, ut triticum recondatur
in domo. *Spiritus plenus,* id est rapidus 12
ventus, *ex his* Chaldæorum viis, *veniet mi-*

hi, id est ad voluntatis meæ exsecutionem
contra Judæos. Per hunc rapidum ventum,
signatur furens Chaldæorum exercitus, jux-
Joel II, 3. ta illud Joelis : Ante faciem ejus ignis vo-
rans, et post eum exurens flamma. *Et
nunc ego,* subaudi, hæc facio : quasi di-
cat, Numquid mihi imputanda est ista Ju-
dæorum punitio, et non magis eorum ex-
cessibus ? *Sed loquar judicia mea cum
eis,* id est, ipsis monstrabo quod hæc pro
13 suis patiantur sceleribus. *Ecce quasi nu-
bes,* id est cum magna abundantia populo-
rum, *ascendet* leo præfatus, *et quasi tem-
pestas currus ejus,* id est, quadrigæ ejus,
quibus victui necessaria portabuntur, cum
grandi strepitu venient. *Velociores aquilis
equi illius.* Hoc per hyperbolen dictum
est, scilicet per excessum, ad innuendam
magnam omnino velocitatem equorum re-
gis Babylonis. Cui consonum est illud Ha-
Habac. I, 8. bacuc : Leviores pardis equi ejus, et velo-
ciores lupis vespertinis ; volabunt quasi
aquila festinans ad comedendum.

His ergo auditis, Jeremias in persona
populi ait : *Væ nobis, quoniam vastati su-
mus.* Hoc nempe a Chaldæis obsessi, locuti
14 sunt. Quibus sic desolatis consulitur : *La-
va a malitia cor tuum, Jerusalem,* id est,
tu, popule Juda, per compunctionem, con-
tritionem et lacrimas, mentem tuam a vi-
Is. I, 16. tiis purga : sicut scriptum est, Lavamini,
mundi estote, auferte malum cogitationum
vestrarum ab oculis meis ; *ut salva fias,*
id est, salutem animæ consequaris, etiamsi
corpora inimicis dilanianda tradantur. *Us-
quequo morabuntur in te cogitationes no-
xiæ ?* id est, cur non celeriter repellis a te
cogitationes iniquas idololatriæ, diffiden-
tiæ, duritiæ, ceterorumque vitiorum, quum
jam tibi de propinquo immineat adversa-
riorum accessus? Propter quod tempus es-
Mich. II, 1. set pœnitendi, admonente Propheta : Væ
15 qui cogitatis inutile. *Vox enim annunti-
antis* adventum Chaldæorum *a Dan,* id est,
a loco sic dicto mox veniet, *et notum fa-
cientis idolum,* id est regem Babylonis ido-
lolatram, seu deum vel idolum suum, quod
secum portavit, *de monte Ephraim.* Venit

A namque rex Babylonis primo per tribum
Dan, deinde circa montem Ephraim ; et
quum ad loca hæc propinquaret, nuntius
aliquis præcurrens, nuntiavit illius adven-
tum regi et habitatoribus Jerusalem.

Concitate gentes, ut Dei æquitatem in 16
punitione Judæorum advertant. Unde alia
translatio continet : Dicite in gentibus.
Ecce auditum est in Jerusalem a nuntiis
memoratis, *custodes,* id est Chaldæos civi-
tatum Juda obsessores, *venire de terra lon-
ginqua,* puta de Babylonia. Quamobrem et
B Ezechias dixit ad Isaiam de nuntiis regis
Babyloniorum : De terra longinqua vene- IV *Reg.* XX,
runt ad me, de Babylone. *Et dare super* 14.
civitates Juda vocem suam, comminando
quod easdem demolirentur. *Quasi custo-* 17
*des agrorum facti sunt super eam in gy-
ro :* id est, civitatem Juda, præsertim me-
tropolitanam Jerusalem, tam diligenter in
circuitu contra eam custodierunt, ne quis
evaderet, sicut ager segetum custoditur ;
*quia me ad iracundiam provocavit, dicit
Dominus,* id est, justitiam meam civitas
C hæc seu populus Juda offendit. Deinde mu-
tato modo loquendi, Dominus ait populo
huic : *Viæ tuæ et cogitationes tuæ fece-* 18
runt hæc tibi, id est, propter opera tua
iniqua et cogitationes perversas, sustines
ista. *Ista malitia tua,* præsertim idolola-
tria, *quia amara,* id est dulcori virtutis
contraria, et amaræ punitionis causa, *quia
tetigit cor tuum* per consensum, vel per
pœnam tibi pro ea illatam.

Ventrem meum doleo, ventrem meum 19
doleo : id est, tantus tristitiæ et mœroris
D affectus propter imminentia mala animam
meam affligit, quod redundat in corpus ac
uterum. Siquidem affectiones superioris
partis animæ, et passiones partis sensiti-
væ, quanto majores sunt, tanto amplius
corpus immutatur ex eis. *Sensus cordis
mei turbati sunt in me,* scilicet sensus in-
teriores et intellectus, ex nimia compassio-
ne ad populum meum, et propter civitatis
ac templi destructionem. Similiter Isaias
ostensa sibi divinitus vastatione Jerusalem,
ait : Propterea dixi : Recedite a me, ama- *Is.* XXII, 4.

re flebo; nolite incumbere ut consolemini
me super vastitate filiæ populi mei. Item-
Mich. I, 8, que alius : Faciam planctum velut draco-
num, et luctum quasi struthionum, quia
desperata est plaga ejus. *Non tacebo, quo-*
buccinæ *niam vocem tubæ* audivit anima mea,*
clamorem prælii, id est, Deo revelante per-
cepi Chaldæos cum tubis atque clamori-
20 bus Judæam protinus invasuros. *Contritio*
super contritionem vocata est : id est, mul-
tiplicem plagam Dominus populo suo in-
flixit, videlicet pestem, famem, obsidionem
Ezech. VII, et gladium, juxta illud : Conturbatio super
conturbationem veniet eis; *et vastata est*
omnis terra, id est, universa Judææ regio
statim vastabitur. *Repente vastata sunt ta-*
bernacula mea, id est ædificia templi et
urbes ac domus Judæorum : quæ dicuntur
tabernacula Jeremiæ, tanquam sibi valde
dilecta; *subito pelles meæ* vastatæ sunt.
Loquitur autem de futuro per modum præ-
teriti, quia de proximo imminebat : sicut
Ibid. 2, 3, 6. scriptum est, Venit finis, finis venit, nunc
21 finis super te. *Usquequo videbo fugientes,*
id est Judæos timore Chaldæorum a pro-
priis mansionibus recedentes? Et usque-
quo *audiam vocem buccinæ,* id est Chaldæ-
orum clangorem, invadentium Judæorum
provinciam? quasi dicat : Ista pariunt mi-
hi afflictionem prægrandem.

Cur autem hæc mala incumbant, Domi-
22 nus pandit, dicens : *Quia stultus populus*
meus, id est populus Juda idola colens,
quod est summa fatuitas, *me non cogno-*
vit per fidem formatam et caritatem, nec
scivit soli vero Deo latriam exhibendam.
Unde de filiis Israel in deserto vitulum
conflatilem adorantibus, scriptum est in
Exod. XXXII, 6. Exodo : Surrexerunt ludere. Item alibi :
Is. I, 3. Cognovit bos possessorem suum, et asinus
præsepe domini sui; Israel autem me non
cognovit, et populus meus non intellexit.
Filii insipientes sunt, id est, dono sapien-
tiæ ac salutari scientia (de qua scriptum
Sap. X, 10. est, Dedit illi scientiam sanctorum) priva-
ti, *et vecordes,* id est amentes, quia verbis
Dei increduli, falsorum prophetarum ser-
monibus intenderunt. *Sapientes sunt ut*

A *faciant mala :* et hoc non est vera sapien-
tia, sed iniqua astutia. De quibus per Pro-
phetam dicitur : Væ qui sapientes estis in Is. V, 21.
oculis vestris, et coram vobismetipsis pru-
dentes. *Bene autem facere nescierunt,* in-
excusabilem Dei ignorantiam habendo, vel
formatam ejus scientiam non habendo. De
qua ait Apostolus : Qui ignorat, ignorabi- I Cor. XIV, 38.
tur. Circa hunc locum ait Hieronymus :
Hæc sapientia pro stultitia accipienda est,
juxta quod et filii hujus sæculi sapientio- Luc. XVI, 8.
res filiis lucis sunt, et villicus iniquitatis
B sapienter fecisse narratur. Illa est ergo ve-
ra sapientia, quæ Dei timori conjungitur.
Alioqui ubi insidiæ et tergiversatio sunt,
non sapientia, sed versutia et calliditas
appellanda est.

Adspexi terram, et ecce vacua erat et 23
nihili. Circa quod sic ait Hieronymus :
Propheta cernit in spiritu quæ ventura
sunt, ut audiens populus terreatur, et acta
pœnitentia, nequaquam sustineat quæ for-
midat. Itaque ait : Adspexi terram, etc., id
est, in spiritu vidi seu præcognovi Judæ-
C am habitatoribus destituendam, et pro ni-
hilo æstimandam. *Et cœlos, et non erat*
lux in eis. Consuetudo Scripturæ est, ut
quum homines in gravi pressura et maxi-
ma tribulatione esse vel fore scribuntur,
luminaria cœli et etiam orbes obtenebrari,
operiri, mœrere, immutari dicantur. Un-
de Isaias ait : Complicabuntur cœli sicut Is. XXXIV, 4.
liber; et Ezechiel, Pharaonis dejectione
conscripta : Operiam cœlos quum exstin- Ezech.
ctus fueris, et omnia luminaria cœli su- XXXII, 7, 8.
per te mœrere faciam. Super hoc et Joel Joel II, 10;
D clarius scribit. Hinc ait Hieronymus : Cœli III, 15.
non habent lumen, terroris magnitudine
populo non vidente. *Vidi montes, et ec-* 24
ce movebantur; et omnes colles conturba-
ti sunt. Hoc uno modo intelligi potest de
principibus, sive prælatis majoribus atque
minoribus Judæorum, qui timore et fuga
movebantur ac turbabantur ex Chaldæ-
orum incursu; secundo, de ipsis terræ
montibus et collibus, qui per hyperbolen
moti atque turbati fuerunt ob magnitu-
dinem cladis habitatorum terræ, et quia

nec tuta erant in montibus collibusque
latibula.
25 *Intuitus sum* imaginaria visione, *et* ecce
non erat homo in regione Judææ : quia
tam pauci in ea relicti fuerunt, ut pro
nihilo reputetur ; *et omne volatile cœli
recessit* de terra hac, habitatoribus ejus
sublatis : quod de illis volatilibus accipi
debet, secundum Hieronymum, quæ ho-
26 mines sequi solent. *Adspexi, et ecce Car-
melus desertus.* Secundum Hieronymum,
Carmelus de quo nunc sermo, fuit locus
Magno mari imminens, oleis consitus et
arbustis, vineisque condensus, amœnus et
fertilis : per cujus devastationem, totius
Judææ desolatio explicatur, de qua subdi-
tur : *et omnes urbes ejus destructæ sunt,*
id est, mox per Chaldæos destruentur, *a
facie Domini, et a facie iræ furoris ejus,*
id est ab adspectu Dei et divinæ justitiæ,
cujus virtute prævaluerunt Chaldæi.
27 *Hæc enim dicit Dominus : Deserta erit
omnis terra* Judææ, *sed tamen consumma-
tionem non faciam,* id est, populum Judæ-
orum totaliter non destituam : nam aliqui
in vita manserunt, atque ad terram suam
Ezech. xi, 16-18; xiv, 21,22; xxxvi; Joel ii, 19-32. reducti fuerunt, quemadmodum apud Eze-
chielem et Joelem plenius continetur. *Lu-
gebit terra* Judææ, id est habitantes in ea,
28 vel, ipsa terra, per metaphoram, eo quod
erit inculta : quemadmodum econverso
pratum virens, dicitur ridens; *et mœre-
bunt cœli desuper.* Quod qualiter intelli-
gendum sit, jam induxi. His consonat et
Joel ii, 10. illud Joelis : A facie ejus contremuit terra,
moti sunt cœli. *Eo quod locutus sum,* id
est, definitive hæc prædixi futura. Dicit
autem Hieronymus : Iram Dei muta sen-
tiunt elementa, et irrationalia animantia
pertimescunt. Quod item metaphorice di-
citur. *Cogitavi* hæc facere, *et non pœni-
tuit me.* Pœnitentia namque proprie di-
cta, non cadit in Deo, quum invariabilis
impassibilisque consistat, sicut scriptum
est : Triumphator in Israel non pœnitebit. I Reg. xv, 29.
Quomodo autem pœnitentia conveniat Deo,
infra dicetur. *Nec aversus sum ab eo* quod
dixi futurum. *A voce equitis et mittentis* 29
sagittam, id est timore vocis Chaldæorum
equestrium ac sagittantium, *fugit omnis
civitas,* id est civitatum habitatores; *in-
gressi sunt ardua, et ascenderunt rupes,*
id est, in locis difficulter accessibilibus se
absconderunt, juxta illud Isaiæ : Introi- Is. ii, 19.
bunt in speluncas petrarum et in voragi-
nes terræ, a facie furoris Domini, quum
surrexerit percutere terram.
Tu autem, o Judæa, *vastata quid facies?* 30
quasi dicat : Resistere non valebis. *Quum
vestieris te coccino, quum ornata fueris
monili aureo, et pinxeris stibio oculos tu-
os :* sicut Jezabel fecisse legitur; *frustra* IV Reg. ix, 30.
componeris : id est, quantumcumque te
instar meretricis ornaveris et pretiose ve-
stieris, nihil proderit tibi. *Contempserunt
te amatores tui,* id est Chaldæi, quorum
idololatriam dilexisti ; *animam,* id est vi-
tam *tuam quærent* occidere. De hoc diffu-
sius scriptum in Ezechiele reperies. *Vocem* 31
*enim quasi parturientis audivi, angustias
quasi* puerperæ,* id est, in spiritu jam co- * ut
gnovi quod populus Juda quasi parturi-
ens præ dolore clamabit, angustiatusque
gemet, quum a Chaldæis vastabitur. *Vox
filiæ Sion,* id est populi Juda atque Jeru-
salem, *inter morientes expandentesque** * intermorientis expandentisque
manus suas, id est, talis erit, qualis est
vox agonizantium, et manus suas exten-
dentium, vel ad clementiam petendam ab
interficientibus, vel ex magnitudine pœ-
næ. *Væ* temporalis angustiæ *mihi* Jere-
miæ, *quia defecit anima mea* præ compas-
sione *propter interfectos,* id est populum
Judæorum mox interficiendum. Loquitur
quippe de futuro per modum præteriti,
propter prophetiæ certitudinem.

ARTICULUS IX

QUOMODO PRÆSENS CAPITULUM QUARTUM EXPONI POSSIT PRO TEMPORE CHRISTI.

SICUT prætetigi, Hieronymus litteram
istam exponit ad tempus primi adventus
Christi. Tanti ergo Doctoris expositio
1 tangenda est breviter. *Si reverteris, Israel,
ait Dominus, ad me convertere :* id est, si,
ut dicis, veraciter pœnites, crede in Christum
omnium dominatorem, et quem negasti,
adora. *Si abstuleris offendicula tua,
non commoveberis.* Christus enim in omni
bono stabiliet te, si relinquendo blasphemiam
tuam in eum, peccata satisfaciendo
4 deleveris. *Circumcidimini Domino, et auferte
præputia cordium vestrorum.* His
verbis jubetur Judæis conversis seu converti
optantibus, ut relinquant litteram occidentem,
et sequantur spiritum vivificantem.
II Cor. iii, 6. Littera enim occidit, spiritus autem
vivificat.

5 *Annuntiate in Juda et in Jerusalem,* id
est in Ecclesia, in qua est Dei confessio et
visio pacis. *Congregamini* per fidem et
caritatem, *et ingrediamur civitates munitas,*
id est Catholicorum congregationes
virtutibus contra vitiorum aciem armatas,
6 hæreticorum conventicula devitantes. *Levate
signum in Sion,* id est vexillum crucis
in populo christiano, qui divina contemplando
Sion dicitur, quod speculatio
interpretatur. *Confortamini, nolite stare,*
imo ad Christi auxilium currite, *quia malum,*
puta diabolum et ejus impugnationem,
ego adduco ab aquilone, id est a loco
frigoris vitiorum ac tempestatum : qui
diabolus ideo in mundo esse permittitur,
ut credentium fortitudo atque victoria
7 comprobetur. De quo sequitur : *Ascendit
I Petr. v, 8. leo,* id est diabolus quasi leo ad devorandum
circumiens, *de cubili suo,* id est de
abyssis et loco caliginis, *et prædo gentium,*
id est dæmon gentium victor, qui
A dono gratiæ spoliat plurimos, *se levabit* ad
impugnandum fideles; *egressus est de loco
suo, ut ponat terram tuam in solitudinem,*
id est, Ecclesiam militantem in terra
degentem suis spoliet filiis, seducendo credentes.
Unde ait ad Dominum : Circuivi Job i, 7; ii, 2.
terram, et perambulavi eam.

Civitates tuæ vastabuntur, id est, particulares
Ecclesiæ seu congregationes devotæ,
a diabolo impugnabuntur, *remanentes
absque habitatore.* Jam videmus ad oculum,
qualiter tentante diabolo ceciderint
B claustra atque collegia, ita ut ubi olim fuit
summa devotio, jam nullus sit habitator
per gratiæ mansionem, id est regularium
observantiarum seu canonicarum sanctionum
idoneus observator. Et quia de tanta
ruina vehementer dolendum est, subditur :
Super hoc accingite vos ciliciis, plangite 8
et ululate. In die illa peribit cor regis et 9
cor principum : nam sæculi hujus magnates
magis a diabolo superantur; *et obstupescent
sacerdotes, et prophetæ,* id est
somniatores et divini inanes, de futuris
C conjecturantes, *consternabuntur* incidentes
in manus diaboli. *Et dixi : Heu, heu,* 10
*heu, Domine Deus, ergone decepisti populum
istum, dicens, Pax erit vobis? et ecce
pervenit gladius usque ad animam.* Quia
præcedenti capitulo multa prospera prædixit
Deus per Jeremiam ipsi Jerusalem,
id est Ecclesiæ, esse ventura, et nunc tot
adversa prædicit eidem, admiratur Propheta,
et ait verba nunc memorata. Sed
admiratio solvitur, quoniam hæc ad diversos
et ad diversa tempora referuntur :
D quæ enim nunc subsequuntur adversa, videlicet
quod pervenerit gladius usque ad
animam, et de vento urente, etc., referuntur 11
ad tempus Babylonicæ captivitatis,

seu vastationis Judæorum per Chaldæos. A
Sicque exponit ea Hieronymus. Unde in
expositione partis residuæ non distat ex-
positio S. Hieronymi ab expositione præ-
cedentis articuli.

Denique de hac expositione idcirco tam
celeriter pertransivi, quoniam allegorica,
non litteralis, videtur; et quæ de ea dici
queunt, in sequenti articulo locum ha-
bebunt.

ARTICULUS X

EXPOSITIO SPIRITUALIS ET TROPOLOGICA EJUSDEM CAPITULI QUARTI.

JUXTA moralem seu tropologicum intel- B
lectum, ait Deus omnipotens Ecclesiæ
1 et omni animæ christianæ : *Si reverteris,
Israel, ad me convertere,* id est, quum te
converteris ad me, plene et integre te con-
verte, ne scilicet velis partim adhærere
Matth. VI, 24. sive placere mundo, et partim Deo. Nemo
enim potest duobus dominis servire. Et
qui ita se habet, nec calidus nec frigidus
esse videtur, sed tepidus; auditque incre-
Apoc. III, 15, 16. pationem illam terribilem : Scio opera tua,
quia nec calidus es nec frigidus. Utinam
calidus esses aut frigidus; sed nunc quia C
tepidus es, incipiam te evomere de ore
meo. Integra igitur mente semper ad Do-
minum convertamur, quia (ut ait Chryso-
stomus) pro quanta re fuerit cor nostrum
ad aliquid aliud, pro tanto minus erit ad
Deum. Unde ad nullam rem creatam affici
debemus, nisi in Deo, secundum Deum, et
propter Deum, referendo eam ad Dei glo-
riam, amando eam, et ea utendo, in quan-
tum ad inhærendum ac serviendum Deo
necessaria est nobis sive accommoda, et se-
cundum quod Dei bonitas in ea resplendet. D
I Par. XXVIII, 9. Hinc David hortatur : Tu autem, fili mi,
servi Deo corde perfecto et animo volun-
Josue XXIV, 14. tario; Josue quoque, Timete Dominum, et
servite ei corde perfecto atque verissimo.

Si abstuleris offendicula, id est peccata
et scandala activa et passiva, *tua a facie
mea,* id est ab intuitu mentis meæ omnia
contuentis; *non commoveberis* a statu sa-
lutis ad statum damnationis, nec tentatio-
nibus ac passionibus tuis vinceris, nec ad-
versis frangeris; sed stabilis eris in bono,
in medio virtutis, in recto judicio rationis,
in puritate affectionis. Passiones namque
et vitia nostra mentem nostram reddunt
instabilem, et omni vento adversitatis ac
tentationis agitabilem atque vincibilem.
Gratia vero et virtutes stabiliunt eam. Pro-
pter quod ait Apostolus ad Hebræos : Opti- *Hebr.* XIII, 9.
mum est gratia stabiliri cor; Salomon
quoque, Justus quasi fundamentum æter- *Prov.* X, 25
num; item in Job, Si iniquitatem abstule- *Job* XI, 14, 16.
ris, stabilis eris, et miseriæ oblivisceris.
Denique quamdiu ipsi peccata nostra non
consideramus, nec debite ponderamus ac
plangimus, audimus a Domino per Prophe-
tam dicentem : Cognovi multa scelera ve- *Amos* V, 12
stra, et fortia peccata vestra. Si autem
implemus quod scriptum est, Dixi, Con- *Ps.* XXXI, 5
fitebor adversum me injustitiam meam
Domino, et item, Quoniam iniquitatem *Ps.* L, 5.
meam ego cognosco : recte oramus, Averte *Ibid.* 11.
faciem tuam a peccatis meis; et quod per
Isaiam Dominus ait, in nobis complebi-
tur : Delevi, inquit, ut nubem iniquitatem *Is.* XLIV, 22
tuam. Faciamus ergo quotidie quod san-
ctus Job loquitur, dicens, Vias meas in *Job* XIII, 15
conspectu ejus arguam; et solliciti simus
ne divinæ majestatis adspectum in aliquo
offendamus. Non adjiciamus peccata pec- *Eccli.* V, 5
catis, verum de præteritis veniam postu-
lemus.

Et jurabis, Vivit Dominus, in veritate, 2
et in judicio, et in justitia. Circa hoc pri-

mo quærendum est, an jurare sit licitum, (A) quum Dominus dicat : Ego dico vobis, non jurare omnino; item Jacobus, Ante omnia nolite jurare. Porro, quod jurare sit licitum, Scriptura diversis locis testatur, utpote : In omni corde suo juraverunt Domino, et invenerunt eum; item, Laudabuntur omnes qui jurant in eo. Et respondendum, quod jurare secundum se honestum est et licitum, quum ordinatur ad certificandum homines de veritate, atque ad finiendum controversias. Estque interdum non utile tantum, sed etiam necessarium, quoniam facta humana non semper probari possunt per rationem, neque per testium inductionem : ideo opus est ad testimonium divinum confugere, Deum testem adhibendo. Insuper juramentum est actus latriæ. Qui enim jurat per Deum, profitetur Deum omnium habere providentiam, infallibilem veritatem, atque notitiam ; item quod ipse major sit omnibus, cujus testimonio certissime standum sit. Sic igitur jurans, reverentiam exhibet Deo : quod ad latriam pertinet. Verum, sicut in aliis actibus virtuosis, ita in juramento debitæ circumstantiæ servandæ sunt, videlicet locus, tempus, causa, modus, finis, etc. Idcirco, quamvis juramentum in se bonum consistat, ei tamen qui male utitur eo, jurando videlicet sine necessitate, reverentia et cautela, fit perniciosum. Et quantum ad hoc, prohibetur : præsertim, ne facilitate seu usu jurandi in perjurium ruat. Sic enim scriptum est : Jurationi non assuescat os tuum; multi enim casus in ea. Vir multum jurans, replebitur iniquitate.

(Matth. v, ...4. — Jacob. v, ...2. — I Par. xv, ...5. — ...s. lxii, 12. — Eccli. ...xiii, 9, 12.)

Quoniam igitur juramentum non est virtuosum, nisi debito modo agatur, ideo tribus comitibus est vallandum. Primo enim ex parte jurantis exigitur, ut discrete et caute se habeat : sicque judicium ponitur comes juramenti. Secundo, ex parte materiæ, scilicet ejus quod juratur, requiritur quod sit verum : et ita juramenti comes ponitur veritas. Tertio, ut quod juratur, non sit divinæ legi contrarium : et sic justitia ponitur comes illius. Si horum trium aliquod juramento defuerit, juramentum erit illicitum, et non observandum. Nec peccat quis non observando, sed vitiose jurando : imo, si contra præceptum sit quod jurat, jurando perjurus efficitur, quia ad non implendum tenetur. Unde Herodis juramentum fuit indiscretum; juramentum quoque David, quo juravit se occisurum Nabal et quæ pertinebant ad eum.

(Marc. vi, 23. — I Reg. xxv, 22.)

Et benedicent eum, qui ita ad Deum (B) convertitur, et offendicula sua tollit, recteque jurat, *gentes, ipsumque laudabunt.* Honor namque debetur virtuti.

Hæc dicit Dominus : Novate vobis nova- 3
le, id est, agrum cordis vestri excolite, ac infusioni cœlestium donorum præparate, ut conveniat vobis illud Apostoli : Dei agricultura estis. Hoc est quod ipse beatus Apostolus docet : Renovamini, inquiens, spiritu mentis vestræ. Quod in Ezechiele Dominus se facturum promittit, dicendo : Dabo vobis cor novum. *Et nolite serere* (C) *super spinas.* Spinæ sunt aculei passionum ac vitia ipsa, præsertim quæ in se ipsis amara sunt, ut motus iræ, invidiæ, impatientiæ, indignationis, acediæ, timoris, tristitiæ, sollicitudinisque terrenæ. Hæc susceptionem ac fructificationem evangelici seminis in mente præpediunt, sicut Veritas attestatur : Ærumnæ sæculi, et deceptio divitiarum, et circa reliqua concupiscentiæ introeuntes in cor, suffocant verbum Dei, et sine fructu efficitur. Porro qui cordis sui agrum ab istis spinis (D) ac sentibus non emundat, meretur a judice Christo audire illud confusibile verbum : Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam hominis stulti ; et ecce totum repleverant urticæ, operuerant superficiem ejus spinæ. Hinc rursus Salomon monet, dicens : Diligenter exerce agrum tuum. Ut ergo purissimi balsami Spiritus Sancti capaces simus, ab hisce nos immunditiis purgemus : sicque in terram cordis nostri mundatam, semen verbi cœlestis fructuose jactemus.

(I Cor. iii, 9. — Ephes. iv, 23. — Ezech. xxxvi, 26. — Marc. iv, 19. — Prov. xxiv, 30, 31. — Ibid. 27.)

4 *Circumcidimini Domino, et auferte præ-* A
putia cordium vestrorum. De hac spiri-
Rom. II, 28, tuali circumcisione multa scribit Aposto-
29; Philipp. III, 3; Coloss. lus. Corpus autem et animam, universaque
II, 11. corporis membra atque animæ vires cir-
cumcidere debemus, inordinatum usum ab
Rom. VI, 13. eis tollendo, ne exhibeantur arma iniquita-
tis peccato, sed sint instrumenta virtutum,
I Petr. II, 5. quatenus lapides politi vividique effecti,
in ædificio supernæ Jerusalem collocemur.
Ne forte egrediatur ut ignis indignatio
mea, et succendatur, et non sit qui exstin-
guat : id est, ne vos perire permittam, et B
de peccato in peccatum corruere : quod
est maxima ira Dei. Etenim si Deo non
obedimus, permittet nos tentationibus su-
perari, vitiis excæcari, et de gravibus ad
graviora corruere, et postremo æternaliter
condemnari. *Propter malitiam cogitatio-*
num vestrarum. Si propter peccatum co-
gitationum tanta nobis imminet miseria,
quid fiet si cogitationes perversæ proce-
dant in opus? Ubi nunc illi, qui excusando
dicere solent, Quid facio? Qui utinam co-
gitationum et affectionum suarum obli- C
quitatem malitiamque pensarent, et item
quanta bona omittunt. Itaque ab occultis
nostris et vanis cogitationibus ac turpibus
Matth. XV, cor mundemus, quia, ut ait Salvator, De
19, 20. corde exeunt cogitationes malæ, quæ coin-
quinant hominem. Unde per Prophetam
Zach. VII, dicitur : Vir fratri suo malum non cogitet
10. in corde suo.
Consequenter Dominus jubet vicariis su-
is prælatis, prædicatoribus atque docto-
ribus, qui speculatores dati sunt populo
5 christiano : *Annuntiate in Juda,* id est po- D
pulo fideli, qui Domino confitetur confes-
sione laudis, *et in Jerusalem,* id est in
Ecclesia, *auditum facite; loquimini, et*
canite tuba, id est, voce tubali prædicate,
in terra credentium; *clamate fortiter, et*
dicite : Congregamini, o universi fideles,
et ingrediamur civitates munitas, id est
congregationes devotas, in quibus sunt tot
adjutores ad resistendum diabolo, quot
habitatores : ad quos confugiendum est
pugnantibus contra peccata ac dæmones,
vel ad commanendum, vel ad exquiren-
dum consilium ac juvamen. *Levate si-* 6
gnum crucis *in Sion,* ut crucem et in
cruce distentum jugiter adspiciatis, qui
ait : Sicut Moyses exaltavit serpentem in Joann. III,
deserto, ita exaltari oportet Filium homi- 14, 15.
nis, ut omnis qui credit in ipsum, non
pereat. Unde Apostolus ad Hebræos : Cur- Hebr. XII,
ramus ad propositum nobis certamen, ad- 1, 2.
spicientes in auctorem fidei et consumma-
torem Jesum. Hunc autem intuendo, in
omni virtute instruimur, et a vitiorum
morsibus liberamur.
Confortamini. Similiter hortatur Apo-
stolus, dicens : Fratres, confortamini in Ephes. VI,
Domino et in potentia virtutis ejus; in- 10, 11.
duite vos armaturam Dei, ut possitis stare
adversus insidias diaboli. Sic confortari,
est se ipsum ad virtutum opera animare,
spem in Deo erigere, ejus auxilium invo-
care, novissima meditari, sanctorum Pa-
trum exempla ac dogmata speculari. Hinc
scriptum est : Confortare, et esto robustus Josue I, 7,
valde; noli metuere, quoniam tecum est 9.
Dominus Deus tuus in omnibus ad quæ-
cumque perrexeris. *Nolite stare,* propriis
viribus innitendo, vel a virtutum profectu
cessando, potissime quum in via Dei non
progredi, sit regredi ; *quia malum ego ad-*
duco ab aquilone et contritionem magnam.
Malum istud et grandis contritio, est tri-
plex impugnatio qua Deus electos suos
jugiter impugnari permittit in sæculo is-
to, videlicet : tentatio dæmonis, infestatio
carnis, adulatio et persecutio mundi. Quan-
to igitur anima dignior est corpore, et
quanto periculosior est mors damnationis
æternæ quam carnis; tanto diligentius ad-
monendi sunt Christiani, ut fortius re-
sistant huic triplici impugnationi, quam
temporali persecutioni aut damno corpo-
rali. Quanto etiam callidiores nequiores-
que sunt invisibiles hostes, tanto vigilan-
tius hortandi sunt contra eos Christifideles.
Hæc igitur agenda sunt : nam *ascendit leo* 7
de cubili suo, videlicet crudelissimus ille
tentator, *ut ponat terram tuam in soli-*
tudinem, id est, corda fidelium Sancti Spi-

ritus inhabitatione evacuet. Ideo sic nos A
I Petr. v, 8. hortatur beatus apostolus Petrus : Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quæ-
Ephes. vi, 12. rens quem devoret. Paulus quoque : Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et po-
9 testates. *In die illa peribit cor regis et cor principum.* Cui consonat illud Apostoli :
I Cor. i, 27. Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat fortia.
10 *Et dixi : Heu, heu, heu, Domine Deus.*
Quoniam corde, ore, et opere peccamus, B
merito ter Heu exclamat. *Ergone decepisti populum istum, dicens, Pax erit vobis ?* In tota novi Testamenti Scriptura frequenter pax Christianis annuntiatur, et Christus
Joann. xiv, 27. passioni jam proximus dixit : Pacem relinquo vobis. Et hoc quidem de pace spirituali interna rite accipitur. Sed quidam ex magnitudine pietatis et gratiæ Christi fatue præsumentes, vanam sibi securitatem et pacem carnalem assumunt : qui a Deo permissive falluntur, secundum quod sub-
ditur : *et ecce pervenit gladius* diabolicæ C
impugnationis, et vulnus peccati seu damnationis sententia, *usque ad animam* injustorum. De gladio diabolicæ tentationis
Job xl, 14. sic scriptum est : Qui fecit illum, applicabit gladium ejus ; de alio autem gladio,
Apoc. i, 16. sic, De ore ejus gladius ex utraque parte acutus exibat.
11 *In tempore illo dicetur populo huic :* id est, prædicatores annuntiabunt fidelibus : *Ventus urens,* id est diabolus seu gravis impugnatio ejus ad peccandum inflam-
mans, et gratiæ rorem desiccans ac tol- D
lens, *in viis,* id est operationibus, *quæ sunt in deserto viæ filiæ populi mei,* id est cordibus infructuosis Christianorum, *non ad ventilandum et ad purgandum,* id est, non ad separandum eos a reprobis : talibus enim tentatio prævalet; prædestinatos vero, exercitatos reddit ac purgat.
12 *Spiritus plenus,* id est magna contra iniquos indignatio seu tempestas, *ex his* eorum viis et vitiis, *veniet mihi,* id est ad gloriam meam, videlicet ad justitiæ meæ declarationem, quæ in illorum damnatio-
ne ostenditur ac relucet. *Ecce quasi nu-* 13
bes ascendet diabolus ad homines impugnandos, videlicet copiose ac cito, *et quasi tempestas currus ejus.* Currus ejus, sunt dæmonum turbæ, principis sui jacula ac venena ad hominum corda vehentes; qui instar tempestatis invadunt credentes. *Velociores aquilis equi illius,* id est superbi ac aliorum perversores : qui ad spiritualem illorum occisionem vehunt diabolum, qui ut eques sedet super eos, et ducit eos
quo vult. Unde, secundum Zachariam, ini- Zach. v, 7, 8.
quitas sedet super talentum plumbi. Igitur justi videntes se esse in medio laqueorum, et ex omni parte imminere pericula, cum cauto dicant timore : *Væ nobis, quoniam vastati sumus :* et quod gravissimum est, vallamur invisibilibus hostibus, a quibus videmur, sed eos videre non possumus.
Lava a malitia cor tuum : quoniam 14
nulla nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas. Ideo Sapiens ait : Qui diligit Prov. xxii, 11.
cordis munditiam, amicum habebit regem.
Ut salva fias. Siquidem beati mundo cor- Matth. v, 8.
de, quoniam ipsi Deum videbunt. Salva- Job xxii, 30.
bitur quoque innocens; salvabitur autem munditia manuum suarum. Affectuosissime ergo oremus Dominum, cum Psalmista
dicentes : Amplius lava me ab iniquitate Ps. l, 4.
mea, et a peccato meo munda me. Verum,
ut ait Scriptura, Omnia in confessione la- Ps. xxxi, 5 ; Prov. xxviii, 13.
vantur. Qui igitur cupit purgari, ad Confessionis sacramentum, tanquam ad optimum lavacrum, ac secundam post naufragium tabulam, semper festinet. *Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ,* quibus anima deturpatur, Deus inhonoratur, tempus amittitur, diabolus exhilaratur, æterna pœna acquiritur ? Dum ergo contra aliquem mala cogitamus, nobismetipsis nocemus. Itaque mox ut pravam cogitationem intra nos esse advertimus, eam abjiciamus, pectus tundendo, mentem ad Deum cum oratione levando, ad meditationem dominicæ passionis ac novissimorum nos convertendo. Propter quod in Ecclesiastico

Eccli. VII, 40. scribitur : Memorare novissima tua, et in A
15 æternum non peccabis. *Vox enim annun-
tiantis a Dan,* id est prædicatio annun-
tiantium adventum tentatoris ex conside-
ratione divini judicii, *et notum facientis
idolum,* id est figmenta diaboli, seu ipsum
II *Cor.* XI, 14. diabolum se in angelum lucis transfigu-
rantem, *de monte Ephraim,* id est de al-
titudine ubertatis terrenæ, de qua et per
quam venit ad hominum impugnationem,
I *Tim.* VI, 9. quemadmodum ait Apostolus : Qui volunt
divites fieri, incidunt in tentationem et in
laqueum diaboli. Porro Dan, interpretatur B
judicium ; Ephraim vero, fructificatio seu
ubertas.
16 *Concitate gentes,* id est, ad diligentem
horum advertentiam eas inducite, o præ-
dicatores atque prælati. *Ecce auditum est
in Jerusalem,* id est in Ecclesia, *custodes,*
id est diabolos et eorum ministros homi-
nes impios, qui justos ad nocendum cu-
stodiunt et observant. De quibus scribitur
Ps. LXX, 10, 11. in Psalmo : Qui custodiebant animam me-
am, consilium fecerunt in unum, dicen-
tes : Deus dereliquit eum, persequimini C
et comprehendite eum. *Venire de terra
longinqua,* puta de suis latibulis, *et dare
super civitates Juda,* id est contra Christi
Ecclesias et congregationes devotas, *vo-
cem suam,* qua se invicem ad earum in-
17 vasionem hortantur. *Quasi custodes agro-
rum facti sunt super eam in gyro,* id
est, diligentissime obsident eas, ne eorum
rete evadant. Hæc autem Ecclesia sæpi-
us patitur, quia nonnunquam Deum of-
fendit. Ideo subditur : *quia me ad ira-
cundiam provocavit.* Circa quod sic ait D
Hieronymus : Quidquid adversi nobis ac-
cidit, nostro accidit vitio. Quod sane et
caute intelligendum est, sicut illud quod
subdit, Quia dulcem Deum in amaritu-
dinem vertimus, et cogimus sævire no-
lentem.
19 *Ventrem meum doleo, ventrem meum
doleo ; sensus cordis mei turbati sunt in
me.* Si temporali afflictioni corporalique
occisioni Judæorum eatenus ita condoluit
Jeremias, ut verba ista proferret : quanto
magis spirituali fidelium occisioni, qua
per culpam moriuntur in anima, atque
æternæ eorum damnationi eis quotidie im-
minenti ac propinquanti, compati debet
mens pia, potissime prælatorum ? *Non ta-
cebo* a prædicando, increpando, obsecran-
do fideles, ut vitam emendent, *quoniam
vocem tubæ audivit anima mea, clamo-
rem prælii,* id est comminationes adver-
sariarum potestatum contra fideles. Hoc
potissimum incumbit prælatis : aliter san-
guinem pereuntium requiret Dominus de
manu eorum, quemadmodum in Ezechi- *Ezech.* III, 17, 18, 20.
ele plenissime scribitur. *Contritio super* 20
contritionem vocata est. Per multas equi- *Act.* XIV, 21.
dem tribulationes oportet nos ingredi in
regnum Dei. Et quanto quis fortius se
convertit ad Deum, tanto plures insidias
ei molitur diabolus : quibus accedunt im-
pugnationes propriæ carnis ac mundi. Un-
de ait Apostolus : Supra modum gravati II *Cor.* I, 8.
sumus. Repente *vastata est omnis terra,*
id est tota Ecclesia a principibus tenebra-
rum ; *repente vastata sunt tabernacula
mea,* id est spiritualium ædes seu clau-
stra, quibus gravius inimicatur diabolus ;
subito pelles meæ : quia et corpora mini-
strantium Deo, variis castigationibus ex-
ercentur, dicente Apostolo : Castigo corpus I *Cor.* IX, 27.
meum, et in servitutem redigo ; item Psal-
mista : Sitivit in te anima mea ; quam *Ps.* LXII, 2.
multipliciter tibi caro mea !
Usquequo videbo fugientes, id est, Chri- 21
stianos adversariis suæ salutis non effi-
caciter reluctantes, sed victos et quasi
dorsum vertentes ? De hoc cordialissime
contristari debemus, quod modo tam mul-
ti sunt tales, quum tamen dicat Aposto-
lus, Nolite locum dare diabolo ; et Jaco- *Ephes.* IV, 27.
bus præcepit, Resistite diabolo, et fugiet *Jacob.* IV, 7.
a vobis. Quum ergo tot superentur, vir
pius adjungit dolendo : Usquequo *audi-
am vocem buccinæ,* id est congressum di-
aboli contra tales ? De quibus Dominus
subdit :
Quia stultus populus meus me non co- 22
gnovit. Stulti, imo stultissimi sunt Chri-
stiani, præcipue litterati, religiosi et cle-

rici, loquendo de illa stultitia quæ dono sapientiæ contrariatur, et increatæ Sapientiæ dissonat, Christi quoque repugnat doctrinæ : qui quum Deum ratione et fide cognoscant omnium judicem justum, et cetera quæ ad salutem pertinent sciant, saltem cognitione informi, imo et vitam suam in mortalibus prostratam vitiis non ignorent; tamen non pœnitent, nec Deo obediunt, nec mundi vanitates contemnunt. Tales, prudentes sunt secundum carnem et hujus sæculi sapientes. De quorum
Jacob. III, 5. sapientia sic Jacobus ait : Non est ista sapientia a Deo, sed terrena, animalis, et diabolica. Quibus competit illud Isaiæ :
Is. XLVII, 10. Sapientia tua et scientia tua decepit te.
I Cor. I, 20. *Filii insipientes sunt,* quoniam stultam fecit Dominus sapientiam hujus mundi, *et vecordes.*

Sapientes sunt ut faciant mala, id est, ad male agendum, atque ad acquirendum intentum finem veræ saluti contrarium, acute ac diligenter excogitant et impetrant media apta. Tales sunt carnales, ambitiosi, cupidi, qui præsentis vitæ divitias, delicias et honores principaliter appetentes, vigilanter ac provide quærunt media quibus divitias, delicias et honores mundi acquirant. Et isti, quantumcumque ab hominibus prudentes putentur, prorsus vani ac stulti sunt, quoniam carnem suam Deo præferunt, præsentem prosperitatem felicitati æternæ, caduca atque terrena summo, immenso, ac invariabili bono. Insuper faciunt semetipsos vilissimos, et pane quo vescuntur indignos, vitiorum ac dæmonum servos, æternæ damnationi obnoxios. Quid enim tam stultum, quam propter hujus brevissimæ, imo respectu vitæ futuræ, momentaneæ vitæ delectationes et commoda, summum illud infinitumque bonum, et ejus beatificam fruitionem amittere, et ultra hoc perpetuam illam tartaream damnationem incurrere? Verum hæc mundi amatoribus non sapiunt : habent enim interiorem mentis gustum omnino infectum, et quasi febribus quibusdam mortiferis humoribus in-

A toxicatum. Sed quanto quis amplius fuerit divinitus illustratus, atque a Spiritu Sancto tactus, tanto clarius ac saporosius horum conspicit veritatem. Hinc est quod ait Apostolus : Prudentia carnis, mors est, Rom. VIII, 6, 7. quoniam sapientia carnis inimica est Deo ; legi enim Dei non est subjecta.

Bene autem facere nescierunt : quibus competit illud Prophetæ : Nescierunt facere rectum, thesaurizantes iniquitatem. Amos III, 10. Tales præcipue sunt simulatores et callidi, qui (teste Scriptura) provocant iram Job XXXVI, 13.
B Dei. Hi ergo aliquo modo Deum cognoscunt, et quodam modo eum non cognoscunt. Noscunt etenim eum scientia nuda, informi, insipida. Sic quoque sciunt benefacere, quoniam habent scientiam qua inter bonum et malum discernunt, quum dicat apostolus Jacobus : Scienti bonum et Jacob. IV, 17. non facienti, peccatum est illi. Non autem noscunt Deum scientia actuata, formata et affectiva, illa potissime quæ est do- Is. XI, 2. num, de qua ait Apostolus : Per omnia Coloss. I, 10. crescentes in scientia Dei ; item alibi, Exi- Philipp. III, 8.
C stimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Domini nostri Jesu Christi. De qua Dominus per Prophetam contestatur : Scientiam Dei plus volo quam Osee VI, 6. holocausta.

Adspexi terram, id est carnales terrena 23
potius quam cœlestia ac divina quærentes; *et ecce vacua erat,* id est, spiritualibus bonis carentes, et vera sapientia destituti, *et nihili.* Tales enim spiritualiter nihil sunt, et mortui coram Deo, omni esse gratiæ ac virtutum privati : quemad-
D modum ait Apostolus, Qui se putat aliquid Galat. VI, 3. esse, quum nihil sit, ipse se seducit. *Et cœlos,* id est prælatos et litteratos seu religiosos; *et non erat lux* gratiæ et sapientiæ salutaris *in eis.* Hoc, proh dolor ! in pluribus jam impletur, qui quum ratione status et officii atque scientiæ ad cœliformem teneantur conversationem, nihilo minus mente aversi sunt, et vitam ducunt carnalem, ventrem cibo, oculos somno, linguam loquacitate implentes. Quibus illud Apocalypsis aptatur : Cœlum recessit sicut liber Apoc. VI, 14.

involutus. Hoc plane est illud lamentabile A
Osee VI, 10. de quo in Propheta : In domo Dei vidi hor-
rendum. Nam hi aliis præesse satagunt ac
præsumunt, in quibus lux non est, sed vi-
tiorum tenebrosa caligo : et quomodo alios
24 illuminabunt? *Vidi montes, et ecce move-
bantur; et omnes colles conturbati sunt.*
Montes isti et colles, sunt principes majo-
res atque minores superbi, qui vitiis pas-
sionibusque variis agitantur, et in omni
pene eventu, tam prosperitatum quam ad-
versitatum, a medio rationis inflectuntur,
regiam viam deserentes. B
25 *Intuitus sum, et* ecce *non erat homo,* id
est rationabiliter et virtuose se habens : eo
Philipp. II, 21. modo quo ait Apostolus, Omnes quæ sua
sunt quærunt, non quæ Jesu Christi. Item
Augustinus de spirituali loquens profectu:
Inde, inquit, nemo vult cogitare; et item,
Nemo ita vult vivere, ut illuc perveniat,
ubi dies boni et vita inveniuntur. Talia
nempe dicuntur propter bonorum, respe-
ctu malorum, paucitatem. Simili sensu
subjicitur : *et omne volatile cœli recessit,*
id est, viri contemplativi, heroici et perfe- C
26 cti jam defecerunt. *Adspexi, et ecce Carme-
lus desertus.* Per Carmelum uberrimum, in-
telligitur ordo prædicantium : qui olim in
utriusque vitæ, videlicet activæ et contem-
plativæ, perfectione eatenus abundabant,
quod de sua plenitudine multos spirituali-
ter locupletabant, cum Apostolo humiliter
II *Cor.* VI, 10. profitentes, Quasi egentes, multos autem
locupletantes. Qui ad quantam ruinam jam
devenerint, scribere non oportet. *Et om-
nes urbes ejus destructæ sunt,* quoniam
particulares eorum domus ab observantia D
pro magna parte collapsæ sunt, *a facie Do-
mini,* scilicet permissione divina, *et a fa-
cie iræ furoris ejus,* quoniam peccatis suis
exigentibus, sic paulatim a Deo meruerunt
relinqui.
27 *Hæc enim dicit Dominus : Deserta erit
omnis terra.* Hoc propter pereuntium mul-
titudinem dicitur. Quia tamen nonnulli sal-
vantur, adjectum est : *sed tamen consum-
mationem non faciam,* quoniam omnes
perire non sinam. Nunquam enim Ecclesia
in toto deficiet, et Deus piissimus tempo-
re æquitatis et ultionis nequaquam oblivi-
scitur pietatis, juxta illud Prophetæ : Quum *Habac.* III, 2.
iratus fueris, misericordiæ recordaberis.
Lugebit terra, et mœrebunt cœli, eo quod 28
locutus sum, id est, prædictis imminenti-
bus malis inferiores et prælati dolebunt.
A voce equitis et mittentis sagittam, fugit 29
omnis civitas. Hoc in Christianis frequen-
ter impletur, dum vel invisibilibus aut vi-
sibilibus hostibus propter sua traduntur
aut succumbunt peccata.
Tu autem, o Ecclesia, seu anima chri- 30
stiana, *vastata quid facies?* quasi dicat :
Tuis viribus prævalere nequibis. *Quum
vestieris te coccino,* id est crucis vexillo,
Christi sanguine instar coccini rubicundo,
quum ornata fueris monili aureo, id est
exteriorum morum venustate seu appa-
renti justitia, *et pinxeris stibio,* id est sæ-
culari aut philosophica sapientia, *oculos
tuos* mentales ; *frustra componeris,* quo-
niam sine vera humilitate et caritate sin-
ceraque æquitate, nulli illa sufficiunt ad
salutem. *Contempserunt te amatores tui*
ficti, non veri, videlicet dæmones, qui bo-
na transitoria tibi desiderant, et mala sub
specie boni suggerendo, amatores se fin-
gunt, *animam tuam quærent,* quia hæc
faciunt, ut eam ad damnationem pertra-
hant sempiternam.
Vocem enim quasi parturientis audi- 31
vi : quia de tanta calamitate pereuntium
plurimorum mater Ecclesia quasi partu-
riens dolet, quemadmodum et Paulus at-
testatur : Quis infirmatur, et ego non in- II *Cor.* XI, 29.
firmor? Quis scandalizatur, et ego non
uror? *Vox filiæ Sion,* id est oratio, cla-
mor, seu fletus Ecclesiæ, *inter morien-
tes expandentesque manus suas.* Talibus
enim potissime subvenit, seque commi-
scet, deferens eis et exhibens saluberrima
sacramenta, juxta illud Jacobi : Infirmatur *Jacob.* V, 14.
quis in vobis? inducat presbyteros Eccle-
siæ, ut orent super eum, ungentes eum
oleo in nomine Domini. *Væ* temporalis
angustiæ *mihi, quia defecit anima mea
propter interfectos,* id est condolendo cor-

de tenus corporaliter spiritualiterve occisis : quibus ex caritate compatiendum est, Eccle. VII, 3. quum et Salomon dicat, Melius est ire ad A domum luctus, quam ad domum convivii : et rursus, Cor sapientium ubi tristitia, et Eccle. VII, 5 cor stultorum ubi lætitia.

ARTICULUS XI

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI QUINTI : CIRCUITE VIAS JERUSALEM.

QUEMADMODUM Evangelistæ, ita Prophetæ in majori parte coincidunt : unde et unus ex alio intelligitur clarius. Is. I; Ezech. XXII. Quemadmodum Isaias et Ezechiel enormitatem peccati Judæorum ostendunt ex multitudine peccantium, et paucitate bene agentium ; quod item ob id irremediabiliter sint vastandi, eo quod desint justi, quorum meritis precibusque parcatur injustis : ita nunc beatissimus agit Jeremias.

1 *Circuite vias Jerusalem.* Istud est omnipotentis Dei verbum, ad angelos hominum custodes ac intercessores, vel ad Prophetas. *Et adspicite, et considerate,* id est, interiora et exteriora habitatorum Jerusalem diligenter perpendite, *et quærite in plateis ejus.* Verumtamen ad angelorum cognitionem non requiritur localis propinquitas; sed loquitur eis Creator altissimus more humano, ut intelligamus. *An inveniatis virum facientem judicium,* id est, discrete et judicialiter ac rationabiliter se habentem, et quæ ab eo judicanda sunt, idonee judicantem, *et quærentem fidem,* id est fidelitatem inter se et proximum, seu fidem quæ est theologica virtus, ut uni vero Deo fideliter adhæreat, eique in omnibus fidelitatem observet; *et propitius ero eis**, id est habitatoribus Jerusalem, imminens malum ab eis tollendo.

* alias *ei*

Quidam exponunt istud, quasi Deus pepercisset eis, si saltem unum justum in Jerusalem reperisset. Unde Hieronymus ait : Grandis amor justitiæ, ut non pro decem Gen. XVIII, 32. justis, sicut olim ad Abraham dixit Deus, liberet civitatem, sed si invenerit unum in B Jerusalem, misereatur civitatis. Sed hoc aliis non videtur posse teneri, quoniam ipse Jeremias et Baruch ac alii aliqui justi in Jerusalem exstiterunt, atque pro ea preces fundebant. Siquidem in Ezechiele Dominus præcipit angelo : Transi per medium civitatis in medio Jerusalem, et signa Ezech. IX, 4. Thau super frontes virorum gementium ac dolentium super cunctis abominationibus ejus. Hi igitur dicunt, quod hoc loco ponitur singularis numerus pro plurali. Eritque sensus : An inveniatis virum facien- C tem, etc., id est viros justos in tali tantoque numero, ut condecens sit propter eos parcere communitati. Sed nonne unus posset esse tantæ justitiæ, sanctitatis et amicitiæ coram Deo, quod propter eum faceret Deus tantum, sicut propter multos minus justos, quemadmodum ad instantiam Moysis frequenter pepercit filiis Israel in deserto, atque in libris Regum multoties contestatus est Dominus, misereri et auxiliari se Juda et Jerusalem propter David ser- III Reg. XI, 12, 13, 32, 34; IV Reg. VIII, 19; XIX, 34; XX, 6. vum suum? Idcirco, quod quidam affirmat D sufficientem requiri numerum justorum, ut perversæ communitati parcatur, non est quomodolibet acceptandum. Porro huic verbo Jeremiæ consonat, quod per Ezechielem Dominus loquitur : Quæsivi de eis Ezech. XXII, 30, 31. virum qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam; et non inveni, et effudi super eos indignationem meam.

Quocirca posset quis sciscitari, si hæc ita se habeant, quomodo per Ezechielem Dominus profitetur : Terra quum pecca- Ibid. XIV, 13, 14, 20.

verit, interficiam de ea hominem et ju-
mentum; et si fuerint tres viri isti in me-
dio ejus, Noe, Daniel, et Job, ipsi justitia
sua liberabunt animas suas; filium autem
et filiam non liberabunt. Hujus solutionem
pertranseo, quoniam nuper super Ezechi-
elem eam posuisse me memini. Iterum
quæritur, qualiter Deus nunc ait, propter
justum vel justos velle se propitiari Jeru-
salem, quum infra non tantum Jeremiam
Jer. VII, 16; XI, 14; XIV, 11. ab oratione pro ea compescat, sed insuper
addat : Si steterint Moyses et Samuel co-
Ibid. XV, 1. ram me, non est anima mea ad populum
Ibid. VII, 16. istum. Hujus solutionem ad sequentia dif-
fero.

2 *Quod si etiam, Vivit Dominus, dixe-
rint,* id est, si cives Jerusalem per Deum
juraverint, tanquam veri Dei cultores, eo
Deut. VI, 13. quod Moyses scripsit, Per nomen ejus ju-
rabis; *et hoc falso jurabunt,* id est men-
daciter, et non ex vera, sed simulata ju-
stitia.

3 *Domine, oculi tui respiciunt fidem,* id
est, approbant fidelitatem, veritatem, et fi-
dem quæ est theologica virtus, præsertim
formatam, sine qua nemo salvatus est. Id-
Ps. XXXII, 4. eo dicit Psalmista : Omnia opera ejus in
Hebr. XI, 6. fide; et Apostolus, Sine fide impossibile
est placere Deo. Hinc quoque et David lo-
I *Reg.* XXVI, 23. quitur : Dominus retribuet unicuique se-
cundum justitiam suam et fidem. Inter-
dum autem accipitur fides pro quadam
Galat. V, 23. certitudine fidei, et sic ponit Apostolus fi-
dem inter fructus Spiritus. *Percussisti eos,*
dando eos in manus regis Assyriorum et
regis Ægypti, *et non doluerunt* pro pecca-
tis suis; *attrivisti eos* variis tribulationi-
bus, *et renuerunt accipere disciplinam,*
contra tuam justitiam murmurando, nec
suis demeritis illata sibi adversa adscri-
bendo, nec Prophetarum informationem
humiliter suscipiendo. *Induraverunt fa-
cies suas supra petram,* id est, mentem
suam eatenus firmaverunt in vitiis, tam-
que impudenter transgressi sunt, ut faci-
lius petra guttis perforetur, quam corda
eorum ad pœnitentiam emolliantur, *et no-
luerunt reverti* a vitiis suis ad virtutes.

A Nempe, ut Salomon ait, Impius quum in *Prov.* XVIII, 3.
profundum peccatorum venerit, contem-
nit. De hujusmodi Judæorum duritia supra *Jer.* II, 30.
jam dictum est, de qua etiam, et de cujus
incurabilitate scriptum legimus in Isaia :
Vulnus et livor et plaga tumens, non est *Is.* I, 6.
circumligata, nec curata medicamine, ne-
que fota oleo. Imo ex Dei percussione po-
tius deteriorati fuerunt. Ob hoc et per
eumdem Prophetam Dominus ait : Super *Ibid.* 5.
quo percutiam vos ultra, addentes præva-
ricationem? Hoc loco dicit Hieronymus :
B Ex isto capitulo discimus, idcirco infer-
ri supplicia, ut vitia corrigantur. Verum
præfatis Judæis, et cunctis qui ex Dei fla-
gellis non emendantur, Dominus per Eze-
chielem sic contestatur : Versi estis in *Ezech.* XXII, 19-22.
scoriam, idcirco conflabo vos in medio
ignis.

Denique quæ sequuntur, accipi possunt
dicta vel ex persona Dei, vel ex persona
Prophetæ. *Ego autem dixi : Forsitan pau-* 4
peres sunt et stulti : id est, cernens populi
hujus duritiam, quasi eum aliqualiter ex-
C cusare cupiens, apud me cogitavi : Vulgares
isti fortassis spirituali opulentia carent,
et legis doctrina, tanquam circa alia occu-
pati; *ignorantes viam Domini,* id est iter
virtutum, seu legem Mosaicam atque præ-
cepta, *et judicium Dei sui,* id est, divina
judicia in Scripturis commemorata, seu
præcepta legis judicialia nescientes. Dicit-
que, Forsitan, et velut dubitans loquitur,
ut liberum hominis monstretur arbitrium,
juxta quem modum Deus Pater in Evange-
lio dixit : Forsitan verebuntur filium me- *Luc.* XX, 13.
D um. *Ibo igitur ad optimates,* id est regem 5
et principes, sacerdotes et seniores [*et lo-
quar eis*]; *ipsi enim cognoverunt viam
Domini, et judicium Dei sui,* vel saltem
cognoscere debuerunt, quoniam specialiter
præcipitur eis, et ad eorum spectat offi-
cium, possuntque aptius vacare ad hoc,
quum non sicut ceteri circa servilia occu-
pentur. De optimatibus autem talibus lo-
quitur Isaias : Ecce in justitia regnabit *Is.* XXXII, 1.
rex, et principes in judicio præerunt. *Et
ecce magis hi simul confregerunt jugum,*

id est, transgressi sunt legem, *ruperunt* A
vincula præceptorum, ita quod onus legis
abjecerunt, et per præcepta sub Deo ligati
Ps. cxviii, 26. manere noluerunt, juxta illud : Dissipaverunt legem tuam. De hoc dictum est ple-
Jer. ii, 8. nius capitulo secundo, super illud : Sacerdotes non dixerunt, etc. Quorum omnium
Ezech. viii, xvi, xxii, xxiii. gravissima vitia per Ezechielem diffusius
recitantur.
6 *Idcirco percussit eos leo de silva,* id est
Nabuchodonosor rex Babylonis, de quo di-
Jer. iv, 7. ctum est in præcedenti capitulo : Ascendit leo de cubili suo; *lupus ad vesperam* B
devastavit eos, id est regnum Medorum atque Persarum simile lupo vespertino, ve-
Dan. vii, 5. loci, voraci, quod in Daniele per ursum, tres ordines dentium in ore habentem, significatur; *pardus vigilans super civitates eorum,* id est regnum Græcorum, quod præsertim a tempore Antiochi contra Judæorum oppida vigilavit. Quidam autem per pardum, Alexandrum Magnum intelligunt. *Omnis qui egressus fuerit ex eis, capietur :* quod referri potest ad vastitatem Judæorum a Romanis, præcipue sub Ve- C
spasiano et Tito. De his quatuor regnis, Ju-
Zach. i, 18-21; vi, 1-8. dæos successive vastantibus, scribitur Zachariæ primo et sexto capitulis. Hæc itaque passi sunt, *quia multiplicatæ sunt prævaricationes eorum, confortatæ sunt aversiones eorum* a Deo : id est, multa et gravia commiserunt facinora, et cum ingenti affectu peccaverunt, sic quod mala malis addendo, quasi aciem vitiorum intra se statuerunt.
7 *Super quo tibi propitius esse potero,*
o Jerusalem? quasi dicat : Quum tota sis D
universitate vitiorum repleta, nullam video in te causam qua te a debitis pœnis éripiam. *Filii,* id est habitatores, *tui dereliquerunt me, et jurant in his qui non sunt dii,* videlicet per deos alienos, tanquam cultores eorum. *Saturavi eos,* temporalia eis
Osee ii, 8. copiose præstando : juxta illud Osee, Ego dedi eis frumentum, vinum et oleum; *et mœchati sunt* spiritualiter cum idolis, et corporaliter, sicut subjungitur : *et in do-*
8 *mo meretricis luxuriabantur. Equi ama-*
tores in feminas, et emissarii facti sunt : id est, vagam et irrefrenatam exercebant luxuriam equorum instar, impetuose, ut emissarii, amoris jacula emittentes, quibus mulierculárum corda levissima vulnerantur. *Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat,* id est, fervide anhelabat, et signo lascivo amorem immundum monstra-
bat, juxta illud Ezechielis : Unusquisque *Ezech.* xxii, 11.
in uxorem proximi sui operatus est abominationem. Porro quod dicitur, Unusquisque, non est intelligendum absolute de omnibus, sed ad insinuandam multitudinem adulterorum.
Numquid super his non visitabo? dicit 9
Dominus : id est, exigente justitia mea, non debeo tanta peccata inulta relinquere. *Et in gente tali non ulciscetur anima mea?* id est, utique tam sceleratissimam plebem puniam. Denique in Scripturis, visitatio Dei, quandoque pœnæ inflictionem designat, quemadmodum apud Sophoniam
Dominus ait : Visitabo super omnem qui *Soph.* i, 9.
arroganter ingreditur. Interdum vero pietatis et gratiæ infusionem importat, ut in
Psalmo : Visita nos in salutari tuo. Nunc *Ps.* cv, 4.
autem accipitur primo modo. Item quod Dominus ait : Ulciscetur anima mea, non proprie, sed metaphorice dicitur, eo modo quo membra humana ei consueverunt adscribi. Anima vero hic pro affectu seu spi-
ritu sumitur, sicut est et illud : Solennita- *Is.* i, 14.
tes vestras odivit anima mea.
Dehinc pœna subjungitur, fitque sermo ad quatuor regna præfata, quæ successive
afflixerunt Judæos. *Ascendite muros ejus,* 10
puta Jerusalem, *et dissipate,* id est destruite *eos.* Hoc primo fecerunt Chaldæi, postremo Romani. *Consummationem autem nolite facere,* id est, totum populum non occidatis, quatenus salventur reliquiæ :
juxta illud Isaiæ, Nisi Dominus Sabaoth *Ibid.* 9.
reliquisset nobis semen, quasi Sodoma essemus. *Auferte propagines ejus,* id est, filios Judæorum incredulos capite et necate, *quia non sunt Domini,* id est, ad Deum non pertinent per prædestinationem et gra-
tiam. *Prævaricatione enim prævaricata* 11

est in me domus Israel, id est regnum A
decem tribuum, *et domus Juda,* id est
regnum duarum tribuum, *ait Dominus.*
12 *Negaverunt Dominum, et dixerunt : Non*
est ipse verus Deus, et cui soli cultus la-
triæ est impendendus, omniumque provi-
dentiam habens. Hinc quantum ad decem
Osee VII, 13. tribus, scriptum est : Væ eis, quia reces-
serunt a me : vastabuntur, quoniam præ-
varicati sunt in me; et ego redemi eos, et
ipsi locuti sunt contra me mendacia. To-
tum istud referendum est specialiter ad
Joann. XIX, 15. tempus Christi, quando dixerunt : Tolle, B
tolle, crucifige eum. Quare et a Romanis
oppressi sunt. Propter quod *neque veniet*
super nos malum, id est pœna quam nobis
comminantur Prophetæ; *gladium et fa-*
mem non videbimus, id est, non sentiemus
13 aut patiemur. *Prophetæ fuerunt in ven-*
tum locuti, id est inaniter et sine effectu,
et responsum non fuit in eis, id est divi-
num oraculum, nec est factus ad ipsos Dei
sermo. Hi namque Judæi increduli, etiam
summam Dei providentiam negaverunt,
Ezech. VIII, 12; IX, 9. juxta illud Ezechielis : Dixerunt : Non vi- C
det nos Dominus, dereliquit Dominus ter-
ram. Ideo sanctorum Prophetarum verba
quasi figmenta spreverunt ac deriserunt.
Quapropter ad Ezechielem Dominus ait :
Ibid. XXXIII, 32, 31. Factus es eis quasi carmen musicum quod
suavi dulcique sono canitur, quia in can-
ticum oris sui vertunt sermones tuos.
Hæc ergo evenient illis, videlicet pœnæ
14 quæ subsequuntur : *Hæc dicit Dominus*
Deus exercituum : Quia locuti estis ver-
bum istud, scilicet, Non videbimus ma-
lum; *ecce ego do verba mea in ore tuo,* D
o Jeremia, *in ignem,* id est ignita, et ignis
potestatem habentia, *et populum istum in*
ligna, id est similes lignis, ita quod ver-
bis tuis annuntiabuntur igne tribulationis
urendi, sicut ab igne ligna comburuntur;
et vorabit eos, id est, ignis tribulationis a
te prædictus, eos occidet. Etenim nomine
ignis, quælibet dira designatur adversitas.
Consequenter Dominus loquitur contra
id quod dixerunt Judæi, Non veniet super
15 nos malum. *Ecce ego adducam super vos*
gentem de longinquo, domus Israel, ait
Dominus, puta Chaldæos. Domus Israel,
non sumitur hic pro decem tribubus, ut
paulo ante. *Gentem robustam, gentem anti-*
quam : quoniam regnum Chaldæorum non
diu post diluvium a Nemrod incepit, ut Gen. X, 8, 10.
patet in Genesi; *gentem cujus ignorabis*
linguam, nec intelliges quid loquatur :
ideo verbis tuis eam mitigare non poteris.
Pharetra ejus quasi sepulcrum patens, id 16
est bene disposita ad occidendum, quo-
niam periti sunt sagittatores; *universi for-*
tes. Et comedet segetes tuas et panem 17
tuum; et devorabit, id est occidet, *filios*
tuos et filias tuas; comedet gregem tuum
et armenta tua, id est pecorum multitu-
dinem; *et comedet vineam tuam et ficul-*
neam tuam,* id est fructus earum; *et con-* * ficum
teret urbes munitas tuas, in quibus tu
habes fiduciam quod firmitate ædificiorum
possis defendi et illis resistere, *gladio.*
Verumtamen in diebus illis, ait Dominus, 18
non faciam vos in consummationem, id
est, aliquos vestrum reservabo in vita,
quorum nonnulli de Babylonia in Judæam
redibunt. De hac horribili gente Chaldaica
loquitur Dominus per prophetam Habacuc
sic : Ecce ego suscitabo Chaldæos gentem Habac. I, 6, 7.
amaram et velocem; horribilis et terribilis
est, ex semetipsa judicium ejus. De præ-
fata quoque terræ desolatione sic scribit
Sophonias : Congregans congregabo omnia Soph. I, 2-4.
a facie terræ, dicit Dominus, congregans
hominem et pecus; et extendam manum
meam super Judam et super omnes habi-
tatores Jerusalem.
Quod si dixeritis, o Judæi, prædicta ma- 19
la et Prophetas vera esse locutos experti :
Quare fecit nobis Dominus Deus noster
hæc omnia? dices ad eos in persona Dei :
Sicut dereliquistis me, et servistis deo ali-
eno, scilicet Baal (vel ponitur singulare
pro plurali, quoniam plura deorum colu-
erunt portenta), *in terra vestra,* utpote in
Judæa; *sic servietis diis alienis in terra*
non vestra, videlicet in Chaldæa.
Annuntiate, o viri justi ac vates, *hoc* 20
domui Jacob, et, pro id est, *auditum fa-*

cite in Juda, id est in duarum tribuum po- A
21 pulo, *dicentes : Audi, popule stulte,* quia
idololatra, *qui non habes cor,* id est re-
Osee iv, 11. ctum usum rationis : juxta illud Osee, For-
nicatio, et ebrietas, et vinum auferunt cor.
Qui habentes oculos carnis, vel etiam inte-
riores, videlicet intellectum, *non videtis,*
id est, non sapienter attenditis opera Dei
et Scripturas, nec bene utimini oculis vo-
bis concessis, Creatorem ex creaturis co-
Is. xl, 26. gnoscendo : juxta illud, Levate oculos ve-
stros in excelsum, et videte quis creavit
hæc; *et aures, et non auditis,* id est, corpo- B
rales aures habendo, interioribus auribus
non auditis obediendo. Hoc idem secun-
dum translationem Septuaginta interpre-
Ibid. vi, 9. tum scriptum est in Isaia. Moyses quoque
Deut. xxix, 2-4. sic legitur allocutus filios Israel : Vos vidi-
stis universa magnalia quæ coram vobis
Dominus fecit, et non dedit vobis Dominus
cor intelligens, et oculos videntes, et au-
res quæ possent audire.
22 *Me ergo non timebitis, ait Dominus, et*
a facie mea, id est consideratione majesta-
tis meæ, *non dolebitis,* de vestris piaculis C
pœnitendo, quod tam sublimem omnipo-
tentemque offendistis? *Qui posui arenam,*
id est terram arenosam, siccam et fragi-
lem, *terminum mari,* ita quod ad ipsam
fluctus magni maris reverberatur ac ter-
minatur; *præceptum sempiternum quod*
non præteribit : id est, perpetua lege firma-
vi sic esse, et mari præcepi, ne terminum
transeat sibi præfixum : juxta illud Salo-
Prov. viii, 27. monis, Certa lege et gyro vallabat abyssos;
Ps. xxxii, 7. item in Psalmo, Congregans sicut in utre
aquas maris, ponens in thesauris abyssos. D
Et commovebuntur fluctus maris intra ri-
pas, *et non poterunt* egredi; *et intumescent*
fluctus ejus, et non transibunt illud, id
est ultra locum præstitutum. De hoc apud
Job xxxviii, 8, 10, 11. Job pulchre loquitur Deus : Quis, inquiens,
conclusit ostiis mare, quando erumpebat
quasi de vulva procedens? Circumdedi il-
lud terminis meis, et posui vectem et
ostia; et dixi : Hucusque venies, et non
procedes amplius, et hic confringes tu-
mentes fluctus tuos. In quibus omnibus
declaratur omnipotentia Creatoris, qui ex
istis innuit, quod merito timendus sit,
et de ejus inhonoratione dolendum. Quod
quia Judæi non attenderunt, adjicitur :
Populo autem huic factum est cor incre- 23
dulum, quia ad idololatriam, majestate Dei
contempta, delapsi sunt, nec crediderunt
Prophetis, *et exasperans,* id est, Deum dul-
cissimum ad infligendum amara supplicia
provocans. Unde ad Ezechielem Dominus
ait : Increduli et subversores sunt tecum, Ezech. ii, 6.
et cum scorpionibus habitas. *Recesserunt*
mente a Deo, *et abierunt* ad idololatriæ
fana. *Et non dixerunt in corde suo : Me-* 24
tuamus Dominum Deum nostrum, qui dat
nobis pluviam temporaneam et serotinam
in tempore suo, id est, aptis temporibus
moderatam dans pluviam, juxta illud Psal-
mi : Qui operit cœlum nubibus et parat Ps. cxlvi, 8.
terræ pluviam; *plenitudinem animæ* mes-* * annuæ
sis, id est uberrimos messis † ab anima
affectante fructus, *custodientem nobis,* id
est, provide nobis dantem, atque ab hosti-
bus nostris eos tuentem.
Iniquitates vestræ declinaverunt hæc, id 25
est, per eas bona ista pluviarum ac fru-
ctuum vobis ablata sunt; *et peccata vestra*
prohibuerunt bonum a vobis, id est, causa
fuerunt quod spiritualia bona gratiæ ac
virtutum consecuti non estis. Huic concor-
dat illud Isaiæ : Ecce non est abbreviata Is. lix, 1, 2.
manus Domini, ut salvare nequeat; sed
iniquitates vestræ diviserunt inter Deum
vestrum et vos, et peccata vestra abscon-
derunt faciem ejus a vobis. *Quia inventi* 26
sunt in populo meo impii, scilicet pseu-
dopropheta ac alii seductores, *insidiantes*
quasi aucupes, id est, sic conantes fallere
homines, sicut aucupes aves, *laqueos po-*
nentes et pedicas, id est varia deceptionum
machinamenta et persuasiones fucatas, *ad*
capiendos, id est decipiendos *viros :* juxta
illud Michææ, Vir fratrem suum venatur Mich. vii, 2.
ad mortem. Porro de pseudo et impiis istis
diffusius tractat Ezechiel : Væ, inquiens, Ezech. xiii, 18.
qui consuunt pulvillos sub omni cubito
manus, et faciunt cervicalia sub capite
universæ ætatis ad capiendas animas; item

Ezech. xxii, 28. alibi : Prophetæ liniebant eos absque tem- A
peramento, videntes vana, et divinantes
Soph. iii, 4. mendacia. Item Sophonias : Prophetæ ejus
vesani, viri infideles.
27 *Sicut decipula plena avibus, sic domus*
eorum plenæ dolo, id est rebus fraudulen-
ter acquisitis, potissime a simplicioribus
ac subjectis. Decipula autem a decipiendo
nomen sortitur, et hic pro retiaculo aucu-
Ibid. 3. pis sumitur. Hinc Sophonias : Judices ejus
lupi vespertini, non relinquentes in mane.
De hac autem majorum Judæorum frau-
dulentia ac rapina, Prophetæ consona voce B
loquuntur. *Ideo magnificati sunt* domina-
tione et fama, *et ditati* aliorum divitiis.
28 *Incrassati sunt et impinguati :* juxta il-
Deut. xxxii, 15. lud Deuteronomii, Incrassatus est dilectus,
et recalcitravit; *et præterierunt,* id est
transgressi sunt, *sermones meos pessime,*
I *Tim.* vi, 10. id est valde enormiter. Radix etenim om-
Eccli. x, 10. nium malorum est cupiditas; et nihil ini-
quius quam amare pecuniam. *Causam vi-*
duæ non judicaverunt, eam admittendo et
justificando, quum esset justa. Hoc no-
men, Viduæ, non est in textu Hierony- C
mi, nec in Hebræo. *Causam pupilli non*
direxerunt, eam promovendo, atque ad
debitum finem disponendo, *et judicium*
pauperum non judicaverunt, id est, juste
elocuti et prosecuti non sunt. In quo patet
judicium horum injustitia atque sævitia.
De istis plenius scriptum est in Isaia, Eze- *Is.* i, 23
chiele et Michæa. *Ezech.* xxii, 7; *Mich.* iii, 1-3, 9-11.
Numquid super his non visitabo? di-
cit Dominus, etc. Hoc jam dictum atque 29
expositum est. *Stupor et mirabilia facta* 30
sunt in terra, id est, opera tam irrationa-
bilia et perversa in Jerusalem et Judæa
jam contigerunt, ut stupendum sit atque
mirandum, quod rationales creaturæ (præ-
sertim superiores ac lege divina instructi)
tam enormiter peccent. Quæ autem sint
ista stupenda, subjicitur : *Prophetæ,* vi- 31
delicet pseudo, *prophetabant mendacium,*
loquendo ex propria conjectura, vel in-
spiratione dæmoniaca, *et sacerdotes ap-*
plaudebant manibus suis, id est, illorum
insanis vaticiniis arriserunt; *et populus*
meus vocatione, creatione et nomine, non
autem virtute et gratia, *dilexit talia.* De
quibus apud Isaiam legitur : Dicunt ad- *Is.* xxx, 10.
spicientibus : Nolite nobis adspicere ea
quæ recta sunt; loquimini nobis placentia,
videte nobis errores. *Quid igitur fiet in*
novissimo ejus ? id est, quam magna pœna
huic congregationi in fine vitæ suæ, vel
in die judicii, aut tempore vastitatis ejus
a Chaldæis est infligenda ? quasi dicat :
Tantis excessibus gravissima debetur pu-
nitio.

ARTICULUS XII

EJUSDEM CAPITULI QUINTI SPIRITUALIS EXPOSITIO.

1 C*IRCUITE vias Jerusalem.* Per Jerusa- D
lem designari Ecclesiam, frequenter
jam dictum est. Denique angelos sanctos
orare pro nobis, orationesque nostras at-
que justitias Deo offerre, et ne secundum
rigorem justitiæ a Domino puniamur, de-
precari, ex sacra Scriptura constat. Unde
Job xxxiii, 19, 22-24. in Job legitur : Increpat Deus hominem
per dolorem in lectulo, et omnia ossa ejus
marcescere facit; appropinquat corruptio-
ni anima ejus, et vita illius mortiferis. Si
fuerit pro eo angelus loquens unum de si-
milibus, ut annuntiet hominis æquitatem,
miserebitur ejus Deus, et dicet : Libera
eum, ne descendat in corruptionem ; in-
veni in quo ei propitier. Præterea, quo
aliquid plenius est, eo ad plura diffundi-
tur. Quum ergo fuerit quispiam excellenter

Deo placens ac virtuosus, caritate et gratia plenus, allegabunt angeli æquitatem et merita ejus coram Deo, non solum ut Deus ei propitietur, sed insuper ut meritis ejus misereatur et aliis. Itaque, sicut omnipotens sæculorum gubernator jussit angelos, per plateas et vias civitatis Jerusalem quærere justum, ut per eum aliis misericordia impenderetur; sic præcipit eis circuire universa loca Ecclesiæ, et Christianorum merita considerare, ut per justum seu justos, misereatur et malis: quemadmodum in Actibus Apostolorum
Act. xxvii, 24. leguntur Paulo dati omnes qui cum eo fuerunt in navi, ita quod meritis ejus naufragium evaserunt. Propter quod et Jacobus
Jacob. v, 16. ait: Orate pro invicem, ut salvemini.

2 *Quod si etiam, Vivit Dominus, dixerint, et hoc falso jurabunt.* Jam videmus quod multi facile jurant et pejerant, quum
Matth. v, 34. tamen dicat Salvator: Ego dico vobis non jurare omnino. Et qui suæ falsitati Deum adhibet testem, nonne summæ et increatæ Veritati maximam facit irreverentiam? Alii consuetudinem peccandi pariunt sibi, qui etsi verum jurent, Deum tamen sine causa et tam leviter atque inaniter in testem suæ verbositatis assumendo, non modicam ei irreverentiam irrogant. Et ipsa jurandi detestabilis consuetudo, sine peccato mortali non est. Attendat igitur quilibet Christianus illud quod in Ecclesi-
Eccli. xxiii, 12. astico scribitur: Vir multum jurans replebitur iniquitate, et non deficiet de domo ejus plaga.

3 *Domine, oculi tui respiciunt fidem.* Fides, quæ est virtus theologica, æternæ divinæque veritati innititur. Tam certi igitur esse debemus de catholicæ fidei veritate, quam certum est Deum falsitatis auctorem aut testem esse non posse. Insuper singulariter Deo placet magnam habere fidem in eo. Estque ipsa sacratissima fides salutis operativa, effectuum orationis impetrativa, et vitiorum purgativa, quum in Evangelio toties dicat Salvator: Fides tua te salvam fecit; et, Omnia possibilia sunt credenti; et, Si habueritis fidem sic-
Matth. ix, 22; Marc. x, 52; Luc. vii, 50; xvii, 19. Marc. ix, 22. Matth. xvii, 19; xxi, 21; Marc. xi, 23.

A ut granum sinapis, dicetis huic monti, Tollere, et mittere in mare; et fiet. Salomon quoque attestatur: Per misericordiam et fidem purgantur peccata. Prov. xv, 27. Per eam quoque superamus mundum atque diabolum, sicut in prima sua epistola dicit Joannes: Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. I Joann. v, 4. Item beatus archiapostolus Petrus: Diabolo (inquit) resistite, fortes in fide. I Petr. v, 9. Ipsa demum illuminationem meretur a Deo, secundum illud Sapientiæ: Apparet eis qui fidem habent in ipsum. Sap. i, 2.
B Ipsa est basis vitæ meritoriæ, oculus animæ, et fundamentum virtutum. Hæc vero intelligenda sunt de fide caritati et operationi bonæ conjuncta. Similiter fidelitas ad justitiam pertinens, valde complacet Deo, quemadmodum David ait ad Ethai: Dominus faciet tecum misericordiam et veritatem, quoniam ostendisti gratiam et fidem. II Reg. xv, 20.

Percussisti eos, id est, peccatores propter suos excessus castigasti per te ipsum, vel per prælatos ac principes, aut per
C tyrannos, aut alios quosque, sive per dæmones; *et non doluerunt* de peccatis, ut sunt Dei offensiva, et in se ipsis deformia, atque veræ justitiæ contraria. Dolere autem de peccato ob hoc solum vel præcipue, quia est causa pœnæ inflictæ aut infligendæ, non est veraciter pœnitere, nec meritorium, quia non oritur ex amore infuso divino, sed improbo ac privato. De talibus fertur in Psalmo: Dissipati sunt, nec compuncti. Ps. xxxiv, 16.

Attrivisti eos, et renuerunt accipere di-
D *sciplinam. Induraverunt facies suas supra petram, et noluerunt reverti.* Istud murmuratoribus, impatientibus, impœnitentibus, contumacibus, atque rebellibus competit, qui a Deo vel ejus ministris digne correcti aut redarguti, mox indignantur, duri indocilesque effecti. De quibus scriptum est in Job: Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias Dei. Job xxiv, 13. Contra quos scriptum est in Proverbiis: Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, et ne deficias quum ab eo corriperis: quem enim dili- Prov. iii, 11, 12.

git Dominus, corripit, et quasi pater in A
Prov. xiii, 18. filio complacet sibi. Item alibi : Egestas et
ignominia ei qui deserit disciplinam ; qui
autem acquiescit arguenti, glorificabitur.
Judith viii, 26, 27. Præterea hi advertant illud Judith : Non
ulciscamur nos pro his quæ patimur ; sed
reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini, quasi
servi qui corripimur, ad emendationem,
et non ad perditionem nostram evenisse
credamus. Verum, quam enorme sit ita
renuere disciplinam, et faciem indurare,
innotescit ex magnitudine pœnæ quam ta- B
libus seu populo tali Dominus comminatur
Ezech. xxii, 13, 14, 21, 22. per Ezechielem prophetam : Ecce, inquiens, complosi manus meas super malitias
tuas. Numquid sustinebit cor tuum in diebus quos ego faciam tibi ? Et succendam
vos in igne furoris mei, sicut conflatur
argentum in medio fornacis. Itaque in
mansuetudine suscipiamus verbum increpationis ac disciplinæ cum omni gratiarum actione; nec videatur nobis quod
Jacob. iii, 2. simus immunes, quoniam in multis offendimus omnes. Et pro occultis nostris pa- C
tiamur libenter quidquid occurrit.
4 *Ego autem dixi : Forsitan pauperes
sunt et stulti :* id est, vulgus istud forte
indoctum est, et spirituali opulentia carens, ac per hoc aliqualiter excusandum ;
ignorantes viam Domini : de qua ait Sal-
Matth. vii, 14. vator apud Matthæum, Arcta est via quæ
ducit ad vitam. Vel, per viam Domini,
evangelica lex et doctrina est intelligenda.
5 *Ibo igitur ad optimates,* id est principes
et prælatos ; *ipsi enim cognoverunt viam
Domini :* quia ad hoc specialiter obligan- D
tur. Alios enim informare habent, judicare
atque dirigere. *Et ecce magis hi simul
confregerunt jugum :* de quo Christus,
Ibid. xi, 29. Tollite jugum meum super vos ; *ruperunt
vincula :* de quibus rursus Christus ait,
Ibid. xix, 17. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.
Ephes. iv, 3. Unde et Apostolus : Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis; itemque,
Coloss. iii, 14. Super omnia autem caritatem habentes,
quod est vinculum perfectionis. Hæc sunt
vincula felicis captivitatis, de quibus fatetur Apostolus : In captivitatem redigentes II Cor. x, 5.
omnem intellectum in obsequium Christi;
de quibus item et quidam Sapiens, Mitte, Eccli. vi, 25.
ait, pedes tuos in compedes ejus. Qui sic
vinctus est divinorum vinculis præceptorum, dicere potest cum sancto Job : Po- Job xiii, 27.
suisti in nervo pedem meum. Recte etenim
præcepta vocata sunt vincula, quoniam
sub divina voluntate ligant sic hominem,
ne ambulet juxta propriam voluntatem,
nec per impiorum viam incedat. Confringunt igitur jugum hoc, et rumpunt hæc
vincula, qui suas sequuntur concupiscentias, libertatem sectantes. Et hoc Ecclesiæ
optimatibus magis quam aliis convenire,
quis non videat ac deploret ? Egreditur Dan. xiii, 5.
iniquitas a majoribus, qui videntur regere
populum. Quocirca sic dicit Hieronymus :
Magistri pejores discipulis, et quanto in
divitibus major auctoritas, tanto major insolentia peccatorum.
Idcirco percussit eos leo de silva, id est 6
spiritus superbiæ, qui mentes illorum spiritualiter necat. Silva autem intelligi potest, infructuosorum hominum multitudo,
quorum negligentissimis cordibus dominatur diabolus. *Lupus ad vesperam devastavit
eos,* id est, spiritus gulositatis ac avaritiæ corda eorum vallavit. Quemadmodum
enim lupus vorax est, et satiari se non
posse existimat, sic gulosus et avarus. Ava- Eccle. v, 9.
rus nempe non impletur pecunia. *Pardus
vigilans,* id est spiritus curiositatis, *super
civitates eorum,* id est, contra eorum congregationes molitur insidias. *Omnis qui
egressus fuerit ex eis,* id est, semitas Domini pulchras reliquerit, vel de suggestione prava in consensum aut opus processerit, vel impiorum vano consortio se
ipsum miscuerit, juxta illud, Ex nobis pro- I Joann. ii, 19.
dierunt, sed non erant ex nobis ; *capietur*
sagena diaboli, et nexibus impietatis stringetur, juxta illud Sapientis : Iniquitates Prov. v, 22.
suæ capiunt impium, et vinculis peccatorum suorum constringitur. *Quia multiplicatæ sunt prævaricationes eorum.* Unum
namque peccatum disponit et trahit ad
aliud : et dum peccator incipit obtenebra-

ri et mente insensibilis fieri, in innumerabilia illabitur peccata; nec enim animæ suæ vulnera sentit.

7 *Super quo tibi propitius esse potero?* Ecce tanta est peccati enormitas, ut Deus impassibilis atque omnipotens, se nostris peccatis quasi gravari affirmet, et ad puniendum compelli. Quare et per Isaiam
Is. I, 14. sic ait : Laboravi sustinens; et iterum,
Ibid. XLIII, 24. Præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. *Filii tui dereliquerunt me.* Dum carnales et spirituales parentes filios suos pro posse non retrahunt a peccatis, nec corripiunt, filiorum peccata in parentes
I *Reg.* II, 22-36; III, IV. redundant, quemadmodum primo Regum patet de Heli. Idcirco docet Apostolus :
Ephes. VI, 4. Patres, educate filios vestros in disciplina et correptione Domini. *Et jurant in his qui non sunt dii.* Hoc contra eos qui per creaturas stolide jurant. Est autem duplex juramentum. Unum per simplicem contestationem : et in tali juramento licet vicissim jurare per creaturam, non secundum se acceptam, sed ut in ea divina veritas resplendet aut manifestatur : sic enim juratur per Evangelium. Aliud est juramentum per exsecrationem : et in illo inducitur creatura, sicut in qua divinum exsecratur judicium, si ita non est sicut juratur : ut quum homo jurat per caput suum vel filium. Sic quoque juravit Apo-
II *Cor.* I, 23. stolus : Ego, inquiens, testem invoco Deum in animam meam. De hoc plenius tractat Thomas in secunda secundæ, quæstione 89.

Saturavi eos, et mœchati sunt, et in domo meretricis luxuriabantur. Hoc Deus altissimus specialiter loquitur atque conqueritur contra divites et carnales, qui Deo ingrati, vitam ducunt turpissimam. Estque id ipsum fœdissimum prorsus in
Amos VI, 4. clericis. Contra quos scriptum est : Væ qui lascivitis in stratis vestris. Ideo cla-
Ephes. V, 18. mat Apostolus : Nolite inebriari vino, in
8 quo est luxuria. *Equi amatores in feminas, et emissarii facti sunt.* Hoc contra immundissimos qui instar equorum feruntur libidinis ardore, et vagam exercent

A luxuriam, quibus illud Ecclesiastici eveniet : Si præstiteris animæ tuæ concupi- *Eccli.* XVIII, 31.
scentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. Væ eis, et iterum ac tertio væ eis, qui patrimonium Christi luxuriando consumunt. *Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.* Quod quam sit enorme, liquet ex eo quod scriptum est in
Job : Si deceptum est cor meum super *Job* XXXI, 9-11.
muliere, et si ad ostium amici mei insidiatus sum, scortum sit alteri uxor mea : hoc enim nefas est, et iniquitas maxima.

B *Numquid super his non visitabo?* id 9
est, an mala ista non puniam, *et in gente tali non ulciscetur anima mea?* quasi dicat : Hoc maxime derogaret providentiæ atque justitiæ meæ. Quæ providentia nihil in universo inordinatum relinquere debet, sed malum culpæ ordinare per malum pœnæ : ut quanto quis amplius contra divinam voluntatem, voluntati propriæ acquievit, tanto plus per divinam justitiam contra propriam voluntatem pati cogatur.
Ideo scriptum est : Deus inultum abire *Ibid.* XXIV, 12.
C non patitur; item in Apocalypsi, Quantum *Apoc.* XVIII, 7.
glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi luctum et tormenta. Quum ergo præmemorata peccata sint pessima, debetur eis pœna gravissima, præsertim in clericis, qui præ ceteris ad spiritualem vitam tenentur. Quibus pavendum est illud
propheticum : Heu! ego consolabor super *Is.* I, 24.
hostibus meis, et vindicabor de inimicis
meis; item illud : Occurram eis quasi ur- *Osee* XIII, 8.
sa raptis catulis, dirumpam interiora eorum, et consumam eos ut leo.

D Consequenter adversariis potestatibus
Dominus loquitur : *Ascendite muros ejus,* 10
et dissipate. Muri Ecclesiæ, sunt prælati, quorum est alios defensare; sed quum negligenter et impie vivunt, dæmonibus substernuntur, et omni spirituali esse gratificante privantur. *Consummationem autem nolite facere :* quoniam Deus non deserit universos Ecclesiæ prælatos subverti, sed aliqui permanent justi. *Auferte propagines ejus,* id est filios hujusmodi prælatorum, qui majorum suorum sectantes ve-

stigia, simul cum eis dispereunt, *quia non* A
sunt Domini, prædestinatione et gratia;
quibus in Evangelio loquitur Christus :
Luc. XIII, 27. Nescio vos unde sitis ; discedite a me, om-
11 nes operarii iniquitatis. *Prævaricatione*
enim prævaricata est in me domus Israel,
id est vulgares, *et domus Juda,* id est mi-
12 nistri Ecclesiæ. *Negaverunt Dominum, et*
dixerunt : Non est ipse. Tales sunt omnes
Christiani injusti, qui in mortalibus jacent
peccatis prostrati; qui etsi non verbis, ta-
men operibus negant Deum et ejus provi-
dentiam : quia sic vivunt, quasi Deus non B
esset actuum humanorum judex. De qui-
Tit. I, 15, 16. bus sic scribit Apostolus : Coinquinatis et
infidelibus nihil est mundum, sed inqui-
natæ sunt eorum et mens et conscientia ;
dicunt se nosse Deum, factis autem ne-
gant. *Neque veniet super nos malum.* Quid-
quid enim viri devoti his dicant, et de
futuris tormentis commemorent, ipsi ni-
hilo minus in suis permanent fæcibus, at-
que inaniter ac periculosissime de divina
pietate præsumunt, damnabilem sibi secu-
ritatem fabricantes. Contra quos sic scri- C
Eccli. V, 5-7. ptum est : Fili mi, non adjicias peccatum
super peccatum, et ne dicas, Miseratio Do-
mini magna est, etc. ; misericordia enim
et ira cito ab illo approximant, et in pec-
catores respicit ira illius. Denique, si Deus
tam pius et bonus est, ergo est magis
amandus : non igitur relinquendus, nec
ejus spernenda præcepta. Sed excæcat eos
malitia eorum.

Quoniam itaque isti perversi tam se ha-
bent perverse, Dominus ait prædicatori ac
14 pastori idoneo : *Ecce ego do verba mea in* D
ore tuo in ignem, et populum istum in
ligna, ita quod tuis ignitis sermonibus
igne tartareo prædicentur urendi : juxta
Ps. XX, 10. illud in Psalmo : Pones eos ut clibanum
ignis in tempore vultus tui; Dominus in
ira sua conturbabit eos, et devorabit eos
ignis. Propterea sic contestatur Propheta :
Is. I, 31. Erit fortitudo impiorum ut favilla stuppæ,
et opus eorum quasi scintilla, et succen-
detur utrumque simul. Interdum quoque
dat Deus verba sua in ore prædicantium
quasi ignem, et auditores in ligna salu-
briter : quando prædicatorum corda igne
Spiritus Sancti flammantia, verba loquun-
tur ardentia, quibus audientium animæ
inflammantur ut ligna ab igne, ita quod
in eis lignum, fœnum ac stipula consu- I Cor. III, 12, 13.
muntur. Quapropter sic ait Psalmista :
Ignitum eloquium tuum vehementer, et Ps. CXVIII, 140.
servus tuus dilexit illud.

Ecce ego adducam super vos gentem de 15
longinquo, domus Israel, gentem robu-
stam, antiquam, cujus ignorabis linguam.
Sicut in Evangelio nomine hominis desi-
gnatur diabolus, quum dicitur, Inimicus Matth. XIII, 28.
homo hoc fecit ; ita hoc loco per gentem,
aeriæ potestates designantur : quarum tan-
ta est fortitudo, ut de diabolo dicatur in
Job, Non est potestas super terram quæ Job XLI, 24.
comparetur ei; quarum est magna dura-
tionis diuturnitas, et in peccato antiquitas,
quoniam ab initio peccaverunt. Hinc ex-
pertissimæ sunt in malo, et ad fallendum
callidissimæ vehementer. Quarum linguam
ignoramus, quia earum suggestiones, per-
suasiones atque fallacias intelligere non
valemus, nisi dono discretionis spirituum
accepto, dicere cum sancto Apostolo pos-
simus : Non ignoramus cogitationes ejus. II Cor. II, 11.
Unde ad Dei auxilium semper cum instan-
tissimis precibus confugere admonemur.
Pharetra ejus, id est nocendi industria, 16
sepulcrum patens, quoniam spiritualiter
interimit mentem, et fœtor tentationum
ex ea procedit. Insuper gens ista vorat et
comedit *segetes* nostras, id est, opera no- 17
stra facit inania et præmio vacua, et *pa-*
nem refectionis internæ, *filios et filias,* id
est vitiorum nostrorum imitatores ac imi-
tatrices, *gregem,* id est opera partis sen-
sitivæ, *vineam et ficum,* id est habitus
virtutum atque donorum. Per hoc enim
quod ad mortale peccatum inducit nos,
privat nos caritate et gratia habita, meri-
ta quoque mortificat, et a futuris gratiæ
donis nos impedit. *Et conteret urbes mu-*
nitas, in quibus tu habes fiduciam. Hoc
fit, dum congregationes devotas diabolus
dejicit, quarum suffragio alii sperabant

salvari. Insuper Dominus ait ad reprobos : A
19 *Sicut dereliquistis me, et servistis deo ali-*
eno, id est ventri vel auro ac diabolo, *in*
terra vestra, videlicet in sæculo isto ; *sic*
servietis diis alienis in terra non vestra,
id est, in inferno subditi eritis dæmonibus.
Vel sensus est, quod sicut peccaverunt in
Ecclesia, sic peccabunt et extra eam.
20 *Annuntiate domui Jacob,* id est, fide-
libus prædicate, o prælati et viri devoti,
21 *dicentes : Audi, popule stulte,* qui Sapi-
entiæ Dei Christo Unigenito Patris non
pares nec acquiescis, *qui non habes cor,* id B
est spiritualem intelligentiam mentis. De
talibus sic scribit Sapiens in Ecclesiaste :
Eccle. I, 15. Perversi difficile corriguntur, et stultorum
22 infinitus est numerus. *Me ergo non time-*
bitis timore filiali, aut initiali, aut saltem
servili? *Et a facie mea non dolebitis,* quod
toties offendistis me, *qui posui arenam*
terminum mari, etc., id est, qui tam gran-
de ac validum elementum atque immensas
gurgitum ejus moles littoribus refrenavi ?
Ex quibus innuit Dominus, quod etiam
naturali ratione, ex creaturarum conside- C
ratione Creatorem intelligere ac venerari
Rom. I, 20. debemus. Invisibilia enim Dei, per ea quæ
facta sunt, conspiciuntur. Sic etenim scri-
Sap. XIII, 1, 5. ptum est : Vani sunt omnes homines qui-
bus non subest scientia Dei, et de his quæ
videntur bona, non potuerunt intelligere
eum qui est ; a magnitudine enim speciei
et creaturæ cognoscibiliter poterit creator
horum videri.
23 *Populo autem huic,* Deo rebelli, *factum*
est cor incredulum : quoniam etsi habent
fidem, non tamen formatam ac vivam, D
Jacob. II, 17, 26. sed mortuam, juxta illud Jacobi : Fides
sine operibus mortua est in se ipsa. *Re-*
24 *cesserunt, et non dixerunt : Metuamus*
Dominum Deum nostrum : id est, quum
inanimata præceptum meum observent, is-
ti tamen inobedientes fuerunt, nec bene-
ficia mea perpendunt ; *qui dat nobis plu-*
viam temporaneam et serotinam, id est
utriusque Testamenti doctrinam, seu gra-
tiam prævenientem ac subsequentem, imo
et pluviam materialem, et universa spi-
ritualia ac corporalia quæ habemus. De
quibus ait Scriptura : Qui ligat aquas in *Job* XXVI, 8.
nubibus, ut non erumpant pariter deor-
sum. Si enim pariter eas effunderet, sub-
verterent omnia ; et si contineret eas, om-
nia siccarentur. Mittit igitur eas secundum
ordinem sapientiæ suæ guttatim.
Iniquitates vestræ declinaverunt hæc, 25
et peccata vestra prohibuerunt bonum a
vobis. Si ergo beneficia Dei non consequi-
mur, et si ejus gratia spoliamur, nostris
perversitatibus atque ingratitudinibus im-
putemus. Propter quod in Proverbiis scri-
ptum est : Justitia elevat gentem ; miseros *Prov.* XIV, 34.
facit populos peccatum. Vitia igitur no-
stra sunt velut murus impediens ne a Sole
sapientiæ illustremur, et ne a Sole justitiæ
rectificemur. *Quia inventi sunt in populo* 26
meo Christiani *impii insidiantes quasi au-*
cupes, laqueos ponentes, etc. Isti sunt alio-
rum, præsertim simplicium, deceptores,
simulatores et callidi, de quibus scribit
Apostolus : Impii proficient in pejus, er- II *Tim.* III, 13.
rantes et in errorem mittentes. De quibus
scriptum est : Hi sunt in epulis suis ma- *Judæ* 12.
culæ, convivantes absque timore ; item in
Psalmo, Loquuntur pacem cum proximo *Ps.* XXVII, 3.
suo, mala autem in cordibus eorum. Quo-
contra Salomon ait : Qui ambulat simpli- *Prov.* X, 9.
citer, ambulat confidenter ; et, Illusores *Ibid.* III, 34.
Deus illudet. Isti equidem rei sunt dam-
nationis omnium quos pertrahunt ad pec-
candum. Horum quoque domus plenæ sunt
bonis injuste adeptis. *Ideo magnificati* 27
sunt potestate, fama et gloria temporali.
Incrassati sunt et impinguati, et præter- 28
ierunt sermones meos pessime. Quibus com-
petit illud : Impii confortati sunt, suble- *Job* XXI, 7.
vatique divitiis. Procedit enim quasi ex *Ps.* LXXII, 7.
adipe iniquitas eorum : et quo carnem
delicatius fovent, eo amplius animam su-
am occidunt, suntque nudi atque macerri-
mi mente. Isti causas viduarum, pupillo-
rum ac pauperum non judicant juste, sed
personas ac munera accipiunt.
Stupor et mirabilia facta sunt in terra, 30
id est in Ecclesia : nam *prophetæ prophe-* 31
tabant mendacium. Hoc contra prædica-

tores qui vitia palpant, et intuitu proprii commodi blandiendo decipiunt. *Et sacerdotes* applaudunt frequenter hujusmodi.
Osee IV, 8. De quibus per Osee dicitur : Peccata populi mei comedent, et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum. *Et populus meus dilexit talia.* Multi sunt enim quos A magis delectant fabulosa, vana et frivola, quam verba salutis. Contra quos sic ait Salvator : Qui ex Deo est, verba Dei audit; et Paulus, Corrumpunt mores bonos colloquia mala. *Quid igitur fiet in novissimo* eis, puta in die judicii? quasi dicat : Tunc æternaliter damnabuntur. Joann. VIII, 47. I Cor. XV, 33.

ARTICULUS XIII

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI SEXTI : CONFORTAMINI, FILII BENJAMIN, IN MEDIO JERUSALEM.

DESTRUCTIONEM Jerusalem et iniquitatem sacerdotum ejus, Propheta in
1 præsenti capitulo describit. *Confortamini, filii Benjamin, in medio Jerusalem.* Jerusa-
Josue XVIII, 28. lem etenim, sicut in libro Josue scribitur, ad sortem ac tribum Benjamin pertinebat. Idcirco hoc loco per filios Benjamin, habitatores Jerusalem designantur, quorum multi fuerunt de tribu Benjamin, alii de tribu Juda, alii autem Levitæ. *Et in Thecua clangite buccina.* Thecua viculus fuit, secundum Hieronymum, in monte situs, duodecim milliaribus ab Jerusalem distans. *Et super Bethacarem levate vexillum.* Bethacarem, secundum eumdem, etiam viculus fuit Judææ, situs in monte. *Quia malum visum est ab aquilone, et contritio magna :* id est, idcirco, o popule regni Juda, confortare, et in Thecua buccina clange, atque in Bethacarem leva vexillum, parando te contra Chaldæos ad prælium, quoniam ex divina revelatione jam vidi tibi grande malum et vastitatem ac cladem imminere ab aquilone, videlicet ex terra et populo Chaldæorum nunc contra te venire volentium. Sicut superius, ita et nunc verba ista ad Judæos dicuntur ironice, eo quod non in Deo sperantes, contra Prophetæ consilium opposuerint se Chaldæis. Ideo subditur :

2 *Speciosæ et delicatæ,* id est mulieri te- B neræ ac formosæ, *assimilavi filiam Sion,* id est urbem, seu potius plebem Jerusalem : quoniam sicut hujusmodi mulier debilis est ad pugnandum ac resistendum, sic habitatores Jerusalem Chaldæis resistere non valebunt. Vel ideo tali feminæ comparatur Jerusalem, quia sicut ad feminam pulchram ac delicatam amatores confluunt, ita ad Jerusalem pastores. De quibus
subjungitur : *Ad eam venient pastores et* 3
greges eorum, id est principes Chaldæorum cum suis phalangis, pascentes de aliC orum prædis se ipsos. *Fixerunt in ea,* id est circa Jerusalem, *tentoria sua in circuitu,* urbem diligenter vallando. *Pascet unusquisque* de præfatis principibus, *eos qui sub manu sua sunt,* id est partem exercitus sibi subjectam, de fructibus et opibus Judæorum.

Insuper principes isti ad suas turmas
loquuntur : *Sanctificate,* id est, ex impe- 4
rio divino confirmate, *super eam,* id est
contra Jerusalem, *bellum.* Unde infra ha- Jer. XL, 2, 3.
betur quemadmodum Nabuzardan prinD ceps militiæ Chaldæorum, ad Jeremiam testatus sit se cognoscere quod ex Dei voluntate ac nutu venerint contra Judæam. *Consurgite, et ascendamus in meridie,* id est, sine timore clara luce invadamus Jerusalem. *Væ nobis, quia declinavit dies :* id est, dolemus quod tam cito finitur dies,

quoniam desideravimus ante noctem ca- A
pere urbem; *quia longiores factæ sunt*
umbræ vesperi. Ista dicuntur ad insinuan-
dum, quod cum ingenti affectu nitebantur
Chaldæi superare Jerusalem: propter quod
de diuturnitate caliginis nocturnæ dolue-
runt; imo in tantum fervebant, quod se-
quentis diei lucem præstolari nequibant.
5 Ideo dicunt: *Surgite, et ascendamus in*
nocte, et dissipemus domos ejus, id est,
domos Jerusalem destruamus.
6 *Quia hæc dicit Dominus exercituum.*
Hoc esse potest verbum Jeremiæ, ad innu- B
endum quod Deo prænuntiante hæc fiunt.
Vel, secundum Hieronymum, est verbum
Chaldæorum, istam sibi victoriæ securita-
tem spondentium, eo quod Deus Judæo-
rum hæc fieri jussit: quod Chaldæis aliquo
modo innotuit, sicut et regi eorum: nam
Ezech. IV-VII. et Ezechiel in Chaldæa eadem prophetavit.
Cædite lignum ejus, id est, ligna Judææ
succidite, o Chaldæi, *et fundite circa Je-*
rusalem aggerem, machinas et munitiones
contra eam parando, hoc est, lignorum
congeriem adversus urbem hanc compor- C
tate. *Hæc est civitas visitationis,* id est
urbs cujus tempus punitionis modo adve-
nit. Cujus causa subditur: *Omnis calum-*
nia, id est maxima pauperum injuriatio at-
que oppressio a majoribus, *in medio ejus:*
sicut superius dictum est, et infra patebit.
7 *Sicut* ergo *frigidam fecit cisterna aquam*
suam: frigidam quippe aquam communi-
ter exhibet puteus; *sic frigidam fecit ma-*
litiam suam, id est, sic Jerusalem omnem
caritatis fervorem amisit, atque ex conse-
quenti superabundanter peccavit, quem- D
Matth. XXIV, 12. admodum ait Salvator: Quoniam abunda-
bit iniquitas, refrigescet caritas multorum.
Iniquitas et vastitas, id est pauperum
oppressio seu miseria, *audietur in ea co-*
ram me semper, id est, quamdiu stabit,
infirmitas et plaga, id est debilitas ad re-
sistendum vel languor multorum, fames
ac pestis. Per quod datur intelligi, plenam
fuisse Jerusalem malis culpæ ac pœnæ, et
hoc, usque ad destructionem ipsius.
Sed quoniam pœnæ vitæ præsentis or-
dinantur a Deo in bonum nostrum, Domi-
nus subdidit: *Erudire, Jerusalem,* id est, 8
ex tua castigatione magnitudinem culpæ
tuæ perpende, et pœnitentiam age, ut ve- *Is.* XXVIII, 19.
xatio tibi det intellectum; *ne forte recedat*
anima, id est dilectio, *mea a te:* non quod
divinæ mentis dilectio in se ipsa mute-
tur, sed quantum ad suum effectum, rece-
dere atque accedere perhibetur; *ne forte*
ponam te desertam, terram inhabitabilem,
id est, ne penitus te relinquam, et in sem-
piternam solitudinem redigam. Ecce quo-
modo piissimus Deus etiam inter flagella
quasi compatiens consulit, et semper rigo-
ri justitiæ, clementiæ miscet dulcorem.
Hæc dicit Dominus exercituum: Usque 9
ad racemum colligent quasi in vinea re-
liquias Israel, id est, Chaldæi Judæos in
Jerusalem residuos capient usque race-
mum: vel inclusive, ita quod nihil sibi
occurrens relinquent; vel exclusive, ita
quod aliqui Judæorum occulte evadent,
quemadmodum pauci racemi vindemiato-
rum manus solent effugere. Deinde Domi-
nus ait exercitui Chaldæorum: *Converte*
manum tuam quasi vindemiator ad car-
tallum: id est, sicut vindemiator uvas
colligit et in cartallo reponit, ut eas ad
torcular deportet, ita tu manus tuas ad Ju-
dæorum captionem extende, ut pertrahas
eos ad Babylonem. Est autem cartallum,
instrumentum in quo uvæ ponuntur.
Verum, quoniam Judæorum incorrigibi-
litatem novit Propheta, adjecit: *Cui lo-* 10
quar? et quem contestabor ut audiat?
quasi dicat: Pauci vel nulli meis ac-
quiescent sermonibus. *Ecce incircumcisæ*
aures eorum, præsertim interiores, id est
vitiosæ et Deo rebelles, *et audire,* id est
audiendo obedire, *non possunt:* non quod
omnino non possint, quum omne pecca-
tum sit voluntarium; sed quia difficulter
id possunt: quemadmodum Christus in
Evangelio etiam ait Judæis, Quomodo po- *Matth.* XII, 34.
testis loqui bona, quum sitis mali? et sic-
ut incontinens continere non potest. Por-
ro, secundum Hieronymum, circumcisio
in Scripturis in tribus dicitur rebus, vide-

licet in præputio, in corde, atque in auribus. Nam et Stephanus sic legitur dixisse
Act. VII, 51. Judæis : Incircumcisi corde et auribus, vos semper restitistis Spiritui Sancto. Et
Matth. XI, 15; XIII, 9, 43. Christus : Qui habet aures, inquit, audiendi, audiat. *Ecce verbum Domini factum est eis in opprobrium,* id est in majorem eorum confusionem ac pœnam, eo quod illud abjecerint; vel, In opprobrium, ita quod illud vituperaverunt; *et non suscipient illud* credendo ac observando.

11 *Idcirco furore Domini plenus sum,* id est cognitione furoris Dei contra Judæos, quia vindictam Dei imminentem eis, revelavit Dominus mihi. Vel, Furore Domini plenus sum, id est zelo Dei, zelando contra iniquos pro eo. *Laboravi sustinens,* id est, populi hujus peccata tolerando, et eis compatiendo, labore confectus sum et afflictus. *Effunde* tu, popule Chaldæorum, vel, tu, o Domine Deus, effunde, id est, per Chaldæos effundes, *super parvulum*
* alias *foris* *furorem* *, id est, mortem parvulis inferes, *et super consilium juvenum simul,* id est, pariter etiam juvenibus de resistendo inter se consulentibus, mortem infliges, ita quod nec ætati parcetur, nec sexui. *Vir enim cum muliere capietur,* id est, viros ac conjuges simul captivabunt Chaldæi, et *senex cum pleno dierum,* id est senes atque decrepiti. Ex quo infert Hieronymus, quod senectus non sit ultima ætas, sed ultima ætas eorum est qui sunt pleni dierum, quos decrepitos appellamus.

12 *Et transibunt domus eorum ad alteros, agri et uxores pariter,* id est, habitacula, possessiones et conjuges Judæorum, in Chaldæorum dominium redigentur; *quia extendam manum meam,* id est potestatis meæ ultionem, *super habitantes terram,* id est Judæos in terra hac commorantes, [*dicit Dominus.*]

13 *A minore quippe usque ad majorem, omnes avaritiæ student,* id est, inferiores ac superiores generaliter cupiditatibus intenti sunt; *et a propheta usque ad sacerdotem, cuncti faciunt dolum,* id est, pseudo ac sacerdos, omnes sunt fraudulenti. Hinc

A scriptum est : Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones; itemque, Principes ejus avari, sectantes lucra. *Et curabant* 14
Is. I, 23. Ezech. XXII, 27.
contritionem filiæ populi mei, id est, desolationem Judæorum a Deo prædictam consolabantur, *cum ignominia,* id est turpi mendacio, *dicentes, Pax, pax* erit vobis, nec impugnabimini a Chaldæis; *et non erat pax,* ut illi promiserant. De hoc scriptum est : Erit manus mea super prophetas qui divinant mendacium, et deceperunt populum meum, dicentes, Pax,
Ibid. XIII, 9, 10.
B pax; et non est pax. Itemque : Hæc dicit Dominus super prophetas qui decipiunt populum meum, qui mordent dentibus suis, et prædicant pacem; et si quis non dederit in ore eorum quidpiam, sanctificant super eum prælium.
Mich. III, 5.

Consequenter eorum pœna prænuntiatur. *Confusi sunt, quia abominationem* 15
fecerunt : id est, præfati sacrilegi in destructione Jerusalem confusioni patebunt, falsitate eorum detecta, et pœna debita eis inflicta. *Quin potius confusione non sunt*
C *confusi,* id est, de suis sceleribus non sunt ad pœnitentiam veram confusi; vel, Non sunt confusi ante captivitatem Jerusalem, quoniam suas confictiones impudenter asseruerunt; *et erubescere* salubri erubescentia, quæ est de turpitudine culpæ, *nescierunt,* id est, noluerunt. Est itaque duplex confusio seu erubescentia : una bona ac salutaris, qua de peccati deformitate verecundamur; alia mala, qua reprobati, puniti, aut falsi inventi, confundimur de hoc quod deprehendimur. Interdum etiam qui-
D dam de bonis operibus verecundantur, ne derideantur. Hinc est illud : Est confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam. Denique et Psalmista precatur : Deus meus, in te confido, non erubescam; et, In te, Domine, speravi, non confundar in æternum. *Quamobrem cadent inter ruentes,* id est, cum ceteris occidentur ; *in tempore visitationis suæ corruent, dicit Dominus,* id est, tempore captionis Jerusalem a Chaldæis interficientur.
Eccli. IV, 25. Ps. XXIV, 2. Ps. XXX, 2.

16 *Hæc dicit Dominus : State super vias,* A
et videte, etc. Rursus post denuntiationem
malorum, consilium salutis dat Dominus,
præsertim ut spiritus salvus fiat. *State su-
per vias,* id est, itinera diversa quibus di-
versi incesserunt, pensate, videlicet varios
modos conversandi, qualiter quidam per
vias virtutum, alii per vitiorum calles am-
bulaverunt, *et videte* quid melius vobis sit
et utilius ; *et interrogate* a sanctis Pro-
phetis, *de semitis antiquis,* id est exemplis
et actibus virtuosis præcedentium patrum
sanctorum, qualiter illi in via Dei proces- B
serint, *quæ sit via bona,* id est conversatio
virtuosa, et recta doctrina, lexque divina,
Jacob. IV, 17. *et ambulate in ea.* Scienti enim bonum, et
non facienti, peccatum est illi. *Et inveni-
etis refrigerium animabus vestris,* id est
consolationem internam in vestris angu-
stiis, testimonium quoque bonæ conscien-
tiæ, quod est solatium magnum ; ac dein-
ceps post hanc vitam in patria quiescetis.
Is. XXX, 21. Huic dicto consonat illud Isaiæ : Hæc via ;
ambulate in ea, et non declinetis neque
ad dexteram neque ad sinistram. Unde C
Prov. I, 15. etiam est illud Salomonis : Ne ambules
cum impiis, prohibe pedem tuum a se-
mitis eorum. *Et dixerunt,* vel verbo vel
facto : *Non ambulabimus* per viam salu-
tis, tanquam indociles et rebelles. Quibus
Dominus ait :

17 *Et constitui super vos speculatores,* id
est viros sanctos vos instruentes, videli-
cet Prophetas et prælatos idoneos : sicut
Ezech. III, 17. ad Ezechielem Dominus loquitur, Specu-
latorem te dedi domui Israel. Et dixi : *Au-
dite vocem tubæ,* id est prædicationem D
istorum, ad quorum unumquemque per
Is. LVIII, 1. Isaiam Dominus dicit : Quasi tuba exalta
vocem tuam. *Et dixerunt : Non audie-
mus.* Spreverunt enim verba Prophetarum.
Nonne velut tuba Dei fuit Michæas pro-
Mich. III, 8. pheta, qui ait, Repletus sum fortitudine
Domini, judicio et virtute, ut annuntiem
domui Jacob scelus suum ? Denique, sicut
tuba, nisi insuffletur, non emittit sonum,
sic nec Prophetæ loquuntur, nisi inspirati
per Spiritum Sanctum.

Ideo audite, gentes, id est gentiles, *et* 18
cognoscite, congregatio, id est, quæcum-
que hominum collectio, *quanta ego faci-
am eis,* id est, quam dira tormenta infli-
gam istis perversis Judæis. Hoc admonet
Deus, ut sua justitia omnibus innotescat.
Audi, terra, id est, universi habitantes in 19
terra. *Ecce ego adducam mala,* id est tri-
bulationem et clades multiplices per Chal-
dæos, *super populum istum, fructum,* id
est mercedem, *cogitationum ejus* impia-
rum. Quemadmodum autem fructus est
ultimum quod de arbore exspectatur, sic
merces est quod pro opere hominis bono
vel malo ultimate recipitur. *Quia verba
mea non audierunt, et legem meam proje-
cerunt* de cordibus suis. Quocontra Salo-
mon ait : Serva mandata et legem quasi *Prov.* VII, 2, 3.
pupillam oculi tui ; liga eam in digitis
tuis, et in tabulis cordis tui scribe illam.
Ut quid mihi thus de Saba affertis ? De 20
terra enim illa thus optimum deferebatur,
quo in cultu templi utebantur Judæi. *Et
calamum suave olentem,* id est dulciter
redolentem (pro quo Septuaginta interpre-
tati sunt, Cinnamomum), *de terra longin-
qua,* puta de India ? Calamus autem, se-
cundum quosdam, hic sumitur pro arbore
aromatica, gracili ac nodosa, quæ pone-
batur in unctione vasorum divino cultui
consecratorum. *Holocautomata vestra non
sunt accepta, et victimæ vestræ non pla-
cuerunt mihi.* Sacrificia enim legalia ex
se ipsis non erant accepta Deo, sed ex of-
ferentium devotione ac fide. Unde Domi-
nus per Isaiam : Ne offeratis ultra sacri- *Is.* I, 13.
ficium frustra ; incensum abominatio est
mihi. Hinc Michæas : Quid dignum offeram *Mich.* VI, 6-8.
Domino ? Numquid offeram ei holocau-
stum ? Numquid placari potest Dominus in
millibus arietum ? Indicabo tibi, homo,
quid sit bonum, aut quid Dominus requi-
rat a te : utique facere judicium, et di-
ligere misericordiam, et sollicitum ambu-
lare cum Deo tuo.

Propterea hæc dicit Dominus Deus : *Ec-* 21
ce ego dabo in populum istum ruinas, id
est punitiones famis et pestis ac gladii ; *et*

ruent in eis patres et filii, simul vicinus
et proximus, id est, pariter a Chaldæis in-
terficientur, *et peribunt :* quia et æterna-
liter damnabuntur qui non veraciter pœ-
22 nituerunt. *Hæc dicit Dominus* Deus : *Ecce*
populus venit de terra aquilonis, videlicet
exercitus Chaldæorum, *et gens magna con-*
surget a finibus terræ, id est auxiliatores
eorum venientes de locis valde remotis.
Juxta quem sensum legitur regina Saba
Matth. XII, 42. venisse de finibus terræ, ut audiret sa-
23 pientiam Salomonis. *Sagittam et scutum*
arripiet : quia validi sagittarii erant. *Cru-*
delis est, et non miserebitur ætati, con-
ditioni, aut sexui. *Vox ejus quasi mare*
sonabit, id est, terribiliter conclamabit,
quemadmodum mare ex collisione unda-
rum terribilem efficit sonum. *Et super*
equos ascendent, præparati quasi vir ad
prælium, id est sicut viri bellicosi. Poni-
tur etenim singulare pro plurali; et, Qua-
si, notat hic veritatem, non similitudinem
tantum. *Adversum te, filia Sion,* id est
contra te, o urbs, seu plebs Jerusalem.
Hæc per Jeremiam prænuntiat Deus, ut
populus Judæorum terrore concussus, pœ-
nitentiam agat.

Consequenter in persona populi Prophe-
24 ta ait : *Audivimus famam ejus,* quod sci-
licet nunc contra nos properet, *dissolutæ*
sunt manus nostræ, id est, fortitudo nostra
collapsa est, *tribulatio apprehendit nos,*
dolores ut parturientem. Gravior enim fer-
tur mors exspectata, quam illata.

25 *Nolite,* o Judæi, *exire ad agros, et in*
via ne ambuletis extra civitates et fortali-
tia; *quoniam gladius inimici,* id est ho-
stium vestrorum Chaldæorum, *pavor,* id
est causa pavoris, est *in circuitu* civi-
tatum. Postquam docuit quid vitandum,
26 nunc instruit quid agendum. *Filia populi*
mei, id est plebs Juda : quia, ut dixi, con-
suetudo est Prophetis, vel potius Deo per
Prophetas, totum populum nomine filiæ
explicare, ut Creator ad creaturam suum
demonstret amorem. Unde et Isaias hunc
Is. XXI, 10. populum alloquens, ait : Tritura mea et
filia areæ meæ, quæ audivi a Domino, an-

A nuntiavi vobis. *Accingere cilicio, et con-*
spergere cinere, id est, cilicia indue, et
super te cineres sparge, cordialiter pœni-
tendo, atque divinam clementiam implo-
rando. Porro sic facere tempore angustia-
rum, mos erat Judæis. *Luctum unigeniti*
fac tibi, planctum amarum, id est, tam
intime dole ac plange, ut mater quæ uni-
cum perdidit filium : qui luctus est acer-
bissimus ; imo, secundum Hieronymum,
nihil dolorosius quam unicum amittere
filium. De hac causa lugendi ait Michæas :
B Super hoc plangam et ululabo, vadam spo- *Mich.* I, 8-9.
liatus et nudus : quia desperata est plaga
ejus. *Quia repente veniet vastator super*
nos, videlicet Nabuchodonosor rex Baby-
lonis, de quo infra : Contritus est malleus *Jer.* L, 23.
universæ terræ.

Insuper Dominus sic loquitur Jeremiæ :
Probatorem dedi te in populo meo robu- 27
stum, id est, virtuosum atque constantem
examinatorem Judæorum istorum te po-
sui, ita quod nulla adversitate aut terrore
cessabis ab eorum increpatione; *et scies, et*
C *probabis viam eorum,* id est, opera ipsorum
examinabis atque cognosces, an scilicet
sint corrigibiles, an non. Quemadmodum
autem Isaias dicitur fuisse populi hujus *Is.* XLI, 15.
triturator, et Ezechiel speculator, sic Je- *Ezech.* III, 17; XXXIII, 7.
remias probator. Verum, quia non fuerunt
correcti, subjungitur : *Omnes isti princi-* 28
pes declinantes, id est a Deo recedentes,
fuerunt *ambulantes fraudulenter; æs et*
ferrum universi, id est duri et incorrigi-
biles facti, *corrupti sunt* mente, non pur-
gati. *Defecit sufflatorium in igne :* id est, 29
D sermo tuus, qui instar sufflatorii nitebatur
eos mundare, non est cupitum sortitus ef-
fectum; *consumptum est plumbum :* id est,
peccatores isti gravissimi perierunt, sicut
in fornace consumitur plumbum. *Frustra*
conflavit conflator, id est, Jeremias sine
effectu sategit eos verbo Dei purgare, sicut
aurifaber aurum purgat in igne; *malitiæ*
enim eorum non sunt consumptæ, id est,
pœnitentiam non egerunt. De quibus sic
Dominus ait per Ezechielem : Omnes isti *Ibid.* XXII, 18, 21.
æs, et stannum, et ferrum, et plumbum in

medio fornacis; et succendam eos in igne A
30 furoris mei. *Argentum reprobum vocate*
eos, id est similes argento sophistico, quod
nequit veraciter depurari; *quia Dominus*
projecit illos, id est, contempsit ac dereli-
quit justo judicio. Verum ista projectio, ut
est pœna, non est causa, sed effectus et
signum impietatis illorum. Unde ad popu-
lum istum per Isaiam dicitur : Argentum *Is.* I, 22.
tuum versum est in scoriam; item per
Ezechielem, Versa est mihi domus Israel *Ezech.* XXII, 18.
in scoriam.

ARTICULUS XIV

EJUSDEM CAPITULI SEXTI MORALIS EXPOSITIO.

1 CONFORTAMINI, *filii Benjamin, in* B
medio Jerusalem, et in Thecua clan-
gite buccina, et super Bethacarem levate
vexillum. Benjamin interpretatur, filius
dexteræ : quo signantur filii prædestina-
tionis et gratiæ, in quorum persona ait
Ephes. I, 6. Apostolus : Gratificavit nos Deus Pater in
dilecto Filio suo. His itaque jubet sermo
divinus, ut tempore tribulationis ac tenta-
tionis confortentur, confidentes in Domino,
Rom. VIII, 31. atque dicentes : Si Dominus pro nobis, quis
Ps. LXXXIX, 1. contra nos? Et rursus : Domine, refugium
factus es nobis. In medio Jerusalem, id est C
Ecclesiæ, quatenus in ecclesiastica per-
maneant unitate et in communione San-
ctorum. Sic confortatus Apostolus, dixit :
Philipp. IV, 13. Omnia possum in eo qui me confortat.
Præterea Thecua interpretatur tuba : qua
significantur hi quibus Spiritus Sanctus
contulit sermonem sapientialem ac effi-
cacem in prædicando. Unde in Evangelio
nominavit Salvator Joannem et Jacobum,
Marc. III, 17. Filios tonitrui. Talibus ergo jubetur, ut
buccina prædicationis ferventis contra in-
visibilium aut etiam visibilium persecu- D
torum aciem clangant, hortando fideles ad
cordis custodiam, et ut immobiliter divino
auxilio cum incessabilibus precibus ac ple-
na fiducia innitantur. At vero Bethacarem
interpretatur, villa vineæ : qua intelligun-
tur, qui præclara aut forti divinorum con-
templatione replentur : qui cum Sponsa
Cant. II, 4. dicere possunt, Introduxit me rex in cel-
lam vinariam. Istis præcipitur, ut contra
omnem adversariarum potestatum invasio-
nem levent crucis vexillum, et dominicæ
passionis virtute repugnent, considerantes
quanta pro eis Christus pertulerit, ejusque
meritis defendi orantes, atque ipsius ve-
stigia valide assequentes, ut cum Apostolo
dicere queant : Ego stigmata Domini Jesu *Galat.* VI, 17.
in corpore meo porto. Et Christus in Can-
ticis admonet : Pone me ut signaculum *Cant.* VIII, 6.
super cor tuum, ut signaculum super bra-
chia tua. His igitur fortissimis armis ac-
cingite vos ad prælia sancta contra hostes
salutis, qui Deum vobis auferre nituntur,
videlicet contra mundum, carnem, dia-
bolum.

Quia malum visum est ab aquilone, id
est, quia Deo monstrante, viri sancti vide-
runt, quod ex diaboli regno seu ipsis dæ-
monibus ac eorum ministris, imminet vo-
bis grandis tentatio, *et contritio magna,* id
est spiritualis occisio, qua animæ vestræ,
si eis consenseritis, occidentur morte pec-
cati. De qua scriptum est : Nomen habes *Apoc.* III, 1.
quod vivas, sed mortuus es.

Speciosæ et delicatæ mulieri *assimilavi* 2
filiam Sion, id est Ecclesiam seu ani-
mam fidelem Christi sponsam, de qua di-
cit Apostolus : Elegit sibi gloriosam Ec- *Ephes.* V, 27.
clesiam, non habentem maculam neque
rugam. Quæ alibi audit a Sponso : Pulchra *Cant.* VI, 3.
es, amica mea, suavis et decora sicut Je-
rusalem. *Ad eam venient pastores et gre-* 3

ges eorum. Hoc accipi potest in bono et in A
malo. In bono, quia ad supremos Ecclesiæ
prælatos, atque ad eos qui singulari san-
ctitatis gratia decorantur, veniunt pro in-
structione atque consilio pastores ac infe-
riores prælati cum subditis suis : quorum
unusquisque pascere debet verbo ac opere
eos qui sub sua sunt manu. In malo au-
tem, quoniam contra fideles insurgunt pa-
stores damnabiles, se ipsos pascentes, et
sibi subjectos impie confoventes : præser-
tim aeriæ potestates, quæ de credentium
supplantatione seu animarum perditione B
pascuntur, et inter fideles sua figunt ten-
toria : quippe quæ die noctuque adsunt ut
noceant, et si vicissim recedant, mox re-
vertuntur, quum et de Christo scriptum
Luc. IV, 13. sit : Consummata omni tentatione, diabo-
lus recessit ab eo usque ad tempus. Non
ergo simus securi, nec torpeamus ignavia,
sed solliciti simus pro cordis custodia, in
Ps. XC, 1. adjutorio Altissimi habitantes.

Isti ad impugnandum fideles, potissime
devotiores, imo totam Ecclesiam, se invi-
4 cem cohortantur, dicentes : *Sanctificate* C
super eam bellum, id est, ex divina permis-
sione seu commissione roborate contra
istorum congregationem tentationis perse-
cutionisque pugnam. *Consurgite, et ascen-
damus in meridie,* id est in luce apparen-
tis justitiæ seu bonitatis confictæ : quia, ut
II Cor. XI, 14. ait Apostolus, Ipse Satanas transfigurat se
in angelum lucis. Cujus fallaciam sequun-
tur hæretici atque alii seductores, qui ut
facilius fallant, mala proponunt sub specie
boni. Potest quoque per meridiem, accipi
prosperitas mundi, qua innumerabiles de- D
cipit hostis nequissimus. Ideo timoratus
Ps. LV, 4. dicere potest illud in Psalmo : Ab altitu-
dine diei timebo. Tanta demum inest his
invisibilibus hostibus nocendi aviditas, ut
si aliqua dies qua nihil nocumenti inflixe-
rint, cœperit terminari, inter se dicant :
*Væ nobis, quia declinavit dies, quia lon-
giores factæ sunt umbræ vesperi.* Nam et
inde dolent, quod tempore quo dormitur,
minus valent nocere. Verum, ne prorsus
5 optato priventur effectu, adjiciunt : *Surgi-
te, et ascendamus in nocte :* quia et tunc
quiescentes variis phantasiis ac dolis in-
quietant, perturbant, terrent, ac polluunt.
Tunc quoque specialiter ad furta, adul-
teria, fornicationes, ceterasque lascivias,
atque pigritias, quæ lucem odiunt, magis
instigant. Potest quoque per noctem, ad-
versitas sæculi vel manifesta vitiositas de-
signari. Quos enim nequeunt prosperitate
seducere, adversitate frangere moliuntur ;
et quosdam adeo ad vitia pronos cogno-
scunt, ut manifeste mala eis proponere
non formident. *Et dissipemus domos ejus,*
id est, congregationes Ecclesiarum devo-
tas ad iniquitatum ruinam trahamus, vel
corpora in quibus habitant animæ, sub-
damus peccatis, ut exhibeant membra sua, Rom. VI, 1
quibus Deum honorare tenentur, arma at-
que instrumenta iniquitatis, ad Creatoris
injuriam.

Quia hæc dicit Dominus permissive : 6
Cædite lignum ejus, id est, opera fidelium
fructuosa ab eis subtrahite, ne perseve-
rent usque in finem, *et fundite circa Jeru-
salem aggerem,* id est virtutum obstacula
ac terrenorum amorem. Semper equidem
studet tentator ponere obicem boni, atque
præbere occasionem peccandi. *Hæc,* pu-
ta Ecclesia, *est civitas visitationis,* id est
tribulationibus exposita : quoniam omnes II Tim. 12.
qui volunt pie vivere in Christo, perse-
cutionem patiuntur. *Omnis calumnia in
medio ejus.* Nam intra Ecclesiam plurimi
inveniuntur falsi Christiani, injuriantes,
opprimentes, et damna inferre non me-
tuentes. Idcirco diaboli audentius impu-
gnant Ecclesiam. *Sicut* ergo *frigidam fe-* 7
*cit cisterna aquam suam, sic frigidam
fecit* Ecclesia seu anima Deo ingrata, *mali-
tiam suam,* dum in peccando indesinenter
magis ac magis abscedit et distat a fonte
vivifici caloris interni, a fervore amoris
divini, a contactu Spiritus Sancti. Unde,
quemadmodum frigus constringit atque
indurat, ita istorum malitia obdurescit.
Iniquitas et vastitas audietur in ea, etc.
Hæc mala in Ecclesia inveniri, dolendum
potius quam exponendum.

Sed quoniam mala pœnalia ordinantur A
in bonum nostrum, et nobis proficiunt ad
salutem, si bene eis utamur, Dominus sub-
8 dit : *Erudire, Jerusalem :* id est, o Eccle-
sia, seu anima christiana, ex tua punitione
et increpatione eruditionem assume, viti-
orum tuorum gravitatem pensando, divi-
nam justitiam collaudando, ac de cetero
cautius conversando. Sicque erudita, Deo
gratias age, quod te in vita præsenti pie et
paternaliter castigare dignatur, ne postea
multo gravius torquearis, considerans il-
Job v, 17, 18. lud in Job : Beatus homo qui corripitur B
a Domino : increpationem ergo Domini ne
reprobes, quia ipse vulnerat, et medetur ;
percutit, et manus ejus sanabunt. Et il-
Apoc. III, 19. lud : Ego quos amo, arguo et castigo. Huic
expositioni congruit translatio Septuaginta
interpretum quæ habet : Per omnem do-
lorem et flagellum erudieris, Jerusalem.
Circa quod ait Hieronymus : Si quando
crebris angustiis subjacemus, hujus versi-
culi recordemur, Per omnem dolorem, etc.
Erudiri quoque debemus, illuminationem
Spiritus Sancti devotissime implorando, C
sacram Scripturam studiose ac ordinate le-
gendo, doctorum ac superiorum nostrorum
informationibus humiliter acquiescendo,
doctioribus nos jungendo, et cujuscumque
melius sapientis, seu caritative hortantis
aut increpantis eloquia amplexando. Hæc
poterit adimplere, qui ipsam veritatem
Prov. VII, 4. sinceriter diligit, juxta illud : Dic sapien-
tiæ, Soror mea es ; et prudentiam voca
amicam. *Ne forte recedat anima mea a te.*
Ergo ab eo qui præfatis modis erudiri non
satagit, dilectio Dei recedit. Ideo scriptum D
Is. XXVII, 11. est : Non est populus sapiens, propterea
non miserebitur ejus qui fecit eum ; et
Sap. VII, 28. alibi, Neminem diligit Deus, nisi eum qui
cum sapientia inhabitat. Apostolus quoque
I *Cor.* XIV, 38. testatur : Qui ignorat, ignorabitur. Verum
eruditio sine Dei amore ac laudabili vita,
damnabiliorem reddit scientem. *Ne forte
ponam te desertam,* id est a gratia Dei re-
lictam, *terram inhabitabilem,* id est Sanc-
ti Spiritus inhabitatione indignam.
9 *Hæc dicit Dominus : Usque ad racemum
colligent quasi in vinea reliquias Israel.*
Nil verius dici potest, præsertim quum
Christus testatus sit : Multi sunt vocati, *Matth.* XX, 16; XXII, 14.
pauci vero electi. Itaque dæmones intra
tentationum ac deceptionum suarum rete
seu laqueos, imo et intra carcerem ge-
hennalem, colligunt reliquias Israel, id est
populum christianum superstitem, usque
ad racemos exclusive, id est præter pau-
cos et parvos, videlicet humiles, qui Do-
mino relinquuntur. De quibus sic loquitur
Christus : Nolite timere, pusillus grex, *Luc.* XII, 32.
quia complacuit Patri vestro dare vobis
regnum ; et item : Confiteor tibi, Pater, *Matth.* XI, 25.
quia abscondisti hæc a sapientibus et pru-
dentibus, et revelasti ea parvulis. Majores
autem communiter sunt de vindemia dæ-
monum, quum Corinthiis loquens, sic di-
cat Apostolus : Videte vocationem vestram, I *Cor.* I, 26, 27.
fratres, quia non multi sapientes secun-
dum carnem, non multi potentes, non
multi nobiles sunt inter vos ; sed quæ
stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confun-
dat sapientes. Hinc Michæas paucitatem
eorum qui per ipsum convertebantur at-
tendens, ait : Væ mihi, quia factus sum *Mich.* VII, 1.
sicut qui colligit in autumno racemos vin-
demiæ. *Converte manum tuam,* o diabole,
quasi vindemiator ad cartallum, trahendo
impios ad infernum.

Insuper prælatus seu prædicator devo-
tus, de auditorum ac obedientium pauci-
tate plurimum dolens, ait : *Cui loquar* 10
verbum salutis ? *et quem contestabor ut
audiat ? Ecce incircumcisæ aures eorum,
et audire non possunt.* De quibus dicit Apo-
stolus : Erit tempus quum sanam doctri- II *Tim.* IV, 3, 4.
nam non sustinebunt, sed ad sua deside-
ria coacervabunt sibi magistros prurientes
auribus ; et a veritate quidem aures aver-
tent, ad fabulas autem convertentur. Quo-
contra ait Salvator : Beati qui audiunt ver- *Luc.* XI, 28.
bum Dei, et custodiunt illud. *Ecce verbum
Domini factum est eis in opprobrium,* id
est in majorem confusionem, *et non susci-
pient illud* per adimpletionem. Ideo ait
Salvator : Servus sciens voluntatem do- *Ibid.* XII, 47.
mini sui, et non faciens eam, plagis va-

pulabit multis. Et de Judæis loquens dis-
Joann. xv, 22. seruit : Si non venissem, et locutus eis
fuissem, peccatum non haberent. Ex quo
innotescit, quam grave atque damnabile
sit contemnere Dei verbum, seu non im-
plere auditum. Unde Dei vicarius et divini
verbi minister adjungit :
11 *Idcirco furore Domini plenus sum,* id
est comminatione ultionis divinæ, vel zelo
divinæ justitiæ contra tales : sicut Apo-
stolus, qui fornicatorem illum Corinthi-
I Cor. v, 5. um tradidit Satanæ in interitum carnis. Et
II Cor. xiii, 2. iterum ait : Si venero, ultra non parcam.
Et *laboravi sustinens* tantam inobedien-
tium Deo perversitatem. Ideo dicit Psal-
Ps. cxviii, 139. mista : Tabescere me fecit zelus meus,
quia obliti sunt verba tua inimici mei;
Ps. lxviii, 10. et Christus in Psalmo, Zelus domus tuæ
comedit me. *Effunde* tu, dæmon, divinæ
æquitatis minister, *super parvulum,* id est
Job v, 2. invidum : parvulum enim occidit invidia;
furorem, id est divinæ sententiæ exsecu-
tionem, videlicet pœnam infernalem. Vel,
parvuli, sunt omnes qui per dona gratiæ,
esse spirituale coram Deo non habent :
imo hujusmodi pro nihilo reputantur. *Et
super consilium juvenum,* id est super eos
qui instar juvenum passiones suas se-
quuntur. *Vir enim cum muliere capietur,*
id est, dæmonibus subjicietur, dum quasi
equi et muli voluptatem lasciviamque se-
quuntur, nec in statu conjugali mandata
Dei custodiunt; *senex cum pleno dierum :*
Is. lxv, 20. de quibus Isaias : Puer centum annorum
morietur, et peccator centum annorum
12 maledictus erit. *Et transibunt domus eo-
rum,* id est corpora vel cubilia mentis, *ad
alteros, quia extendam manum meam su-
per habitantes terram,* id est temporalium
amatores : de quibus in Apocalypsi asse-
Apoc. viii, 13. ritur, Væ super habitantes terram : quales
præcipue sunt avari.
13 *A minore quippe usque ad majorem,
omnes avaritiæ student.* Hoc nunc vide-
mus impletum, non solum in laicis, sed
et in clericis, illis potissime qui plura be-
neficia habere non metuunt, quum tamen
I Tim. vi, 8. dicat Apostolus : Habentes victum et qui-
A bus tegamur, his contenti simus; Joannes
quoque Baptista, Qui habet duas tunicas, Luc. iii, 1
det non habenti. Unde et Christus omnium
temporalium præbuit semetipsum exem-
plarem ac perfectissimum contemptorem.
Hinc Sapiens orat : Tantum victui meo Prov. xxx, 8.
tribue necessaria; et alius : Avaro nihil Eccli. x, 10.
est scelestius; hic enim animam suam ha-
bet venalem. Propterea dicit Apostolus :
Qui volunt divites fieri, incidunt in ten- I Tim. vi,
tationem et laqueum diaboli. *Et a prophe-
ta usque ad sacerdotem, cuncti faciunt*
B *dolum.* Prophetæ quodammodo vocantur
prædicatores verbi Dei, qui futurum judi-
cium præmiumque prænuntiant. Sacerdo-
tes igitur et prophetæ faciunt dolum, dum
populi vitia palpant, vel alios scandali-
zant, vel debitum sui officii non exsol-
vunt : et heu, quam sunt multi tales!
Quibus comminatur Osee : Attendite hoc, Osee v, 1
sacerdotes, quia vobiscum judicium est,
quoniam laqueus facti estis speculationi, et
sicut rete expansum super montem. De
quibus subjungitur : *Et curabant contri-* 14
C *tionem filiæ populi mei,* id est, peccata
populi christiani se curare dicebant, *cum
ignominia,* id est falsitate, *dicentes, Pax,
pax; et non erat pax.* Hoc agunt, dum
de misericordia Dei promittunt nimiam
securitatem hominibus, vel peccata eis
indulta, sive in fine faciliter indulgenda,
affirmant.
Confusi sunt, quia abominationem fece- 15
runt. Plures eorum qui ista fecerunt, jam
in æternum damnati sunt, vel per Scri-
pturas quotidie reprobantur. *Quin potius*
D *confusione* pœnitentiali ac salutari, *non
sunt confusi, et erubescere nescierunt* de
suæ vitæ turpitudine. *Quamobrem cadent
inter ruentes,* quia cum his quos fallunt,
peribunt, *in tempore visitationis suæ,* id
est in die judicii universalis vel particula-
ris. Ut autem Hieronymus ait, Grandis im-
pietas est, non solum non cavere, sed nec
intelligere peccata.
Hæc dicit Dominus : State super vias, 16
considerando differentiam inter vias ju-
storum ac impiorum, et diversitatem præ-

mii eorumdem, *et interrogate de semitis* A
antiquis, investigando qualiter sancti Apo-
stoli ac alii veteres virtuosi vixerunt, *quæ*
sit via bona, Sanctorum trita vestigiis at-
que salvifica : de qua loquitur Christus :
fatth. xix, 7. Si vis ad vitam intrare, serva mandata ; et
bid. vii, 14. iterum, Arcta est via quæ ducit ad vitam,
et pauci inveniunt eam. *Et ambulate in*
ea, Christi testimoniis credendo, ejus præ-
ceptis parendo, ejus consiliis acquiescen-
do, et ipsius Domini Salvatoris vestigia
Joann. ii, imitando. Nempe qui se dicit in Christo
manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse B
ambulare. Hoc agit qui implet illud Apo-
Ephes. v, 2. stoli : Imitatores Dei estote, et ambulate
in dilectione, sicut et Christus dilexit nos.
Et invenietis refrigerium animabus ve-
stris. Quo enim quis in virtutibus fuerit
magis exercitatus, eo delectabilius est sibi
virtutum operationi insistere. Signum nam-
que virtutis est, delectatio fiens in opere.
Prov. xxi, 5. Ideo in Proverbiis scribitur : Gaudium est
justo facere justitiam. Bona autem conver-
satio multiplicem habet fructum, et facit
mentem in Deo quietam ; deinde sorti- C
tur requiem patriæ sempiternam. Hinc in
Matth. xi, 8. Evangelio ait Unigenitus Dei : Venite ad
me, omnes qui laboratis et onerati estis,
et ego reficiam vos. Hoc est quod Job ait :
ob xxii, 21. Acquiesce Deo, et habeto pacem, et per
hoc habebis fructus optimos. Porro de ha-
rum justorum ac impiorum distinctione
rov. iv, 18, 9. viarum, ait Sapiens : Justorum semita qua-
si lux splendens, procedit et crescit usque
ad perfectum diem : via autem impiorum
tenebrosa ; nesciunt ubi corruunt. Si igi-
tur nobilitatem, puritatem ac beatitudi- D
nem viæ justorum, vilitatem quoque, im-
munditiam ac damnationem viæ impiorum
prudenter pensemus, eligemus utique in
via bona, quanquam arcta sit, ambulare.

Et dixerunt : Non ambulabimus in via
justitiæ. O quam multi dicunt hoc facto,
quamvis non verbo ! qui scientes vitam
suam esse damnabilem, nihilo minus ex
deliberatione potius in suis vanitatibus
permanent, quam ad Dei timorem, timo-
ratamque vitam se donent : quorum dam-

natio justa est. *Et constitui super vos* 17
speculatores, id est animarum custodes,
periculorum vestrorum prævisores : quales
primi fuerunt Apostoli, deinde successo-
res eorum, et prædicatores atque pastores,
quibus Christus loquitur : Vos estis lux Matth. v, 14.
mundi ; et, Qui vos audit, me audit. *Au-* Luc. x, 16.
dite vocem tubæ, id est apertam prædica-
tionem eorum. *Et dixerunt : Non audie-*
mus. Isti sunt homines impii ac rebelles,
superioribus suis non obedientes, quibus
convenit illud Job : Dixerunt Deo : Recede Job xxi, 14.
a nobis, scientiam viarum tuarum nolu-
mus. Qui quasi de industria recesserunt Ibid. xxxiv, 27.
a Deo.

Ideo audite, gentes, id est, infideles, 18
quanta ego faciam eis. Quasi dicat Domi-
nus : Multo gravior erit horum inobedi-
entium Christianorum, quam paganorum,
damnatio, quum sint Deo magis ingrati. *Ut* 20
quid mihi thus de Saba affertis, id est
orationes non ex caritate vera prolatas,
quum proximis vestris non ignoscatis ?
Quæ orationes alienæ sunt a Deo, et quasi
de Saba alienigenarum provincia. *Et ca-*
lamum suave olentem, id est simulatam
justitiam, hominum æstimatione veram ac
dulcem ? *Holocautomata vestra* hæc spiri-
tualia, *non sunt accepta, et victimæ vestræ*
non placuerunt mihi : quod etiam accipi
potest contra eos qui de rapinis offerunt
Deo, et pauperes opprimunt, nihilo minus
æstimantes se Deum oblationibus suis pla-
care. *Hæc dicit Dominus : Ecce ego dabo* 21
in populum istum ruinas, id est, in mala
culpæ ac pœnæ eos labi permittam : juxta
illud, Ruinæ impiorum erunt. *Ecce popu-* Soph. i, 3.
lus venit de terra aquilonis, etc. Per po- 22
pulum istum crudelem ac fortem, intelli-
gendi sunt, ut dictum est, dæmones : qui
sagittam et scutum arripiunt, utpote sug- 23
gestiones pestiferas, et machinamenta qui-
bus se contra nostras pugnas in eos de-
fendant. Dum enim eis resistimus, scutum
arripiunt, ut nos a bonis impediant acti-
bus. Super equos ascendunt, id est super
corda pravorum, per quos decipiunt bo-
nos, qui per filiam Sion signantur.

24 *Audivimus famam ejus, dissolutæ sunt* A
manus nostræ, tribulatio apprehendit nos.
Hoc in persona imperfectorum potissime
dicitur, qui dæmonum crudelitate, astutia
et fortitudine cognitis, perterrentur, pen-
santes se suis viribus non posse resistere.
25 Quibus consequenter consulitur : *Nolite*
exire ad agros, id est ad lata injustorum
itinera, *et in via* istorum *ne ambuletis,*
hoc est, opera mala nec inchoetis, nec
26 continuetis. *Filia populi mei,* id est tu,
o plebs hæc christiana, *accingere cilicio,*
et conspergere cinere, id est, in cilicio et B
cinere pœnitentiam age, et Dei invoca sub-
sidium. *Luctum unigeniti fac tibi,* pro
præteritis culpis cordialissime lamentan-
do. Imo incomparabiliter plus plangendum
esset pro Dei offensa, et pro infiniti illius
boni amissione, et spiritualium ejus dono-
rum subtractione, quam pro alicujus rei
temporalis seu doni naturalis perditione ;
sed in multis contingit oppositum. *Quia*
repente veniet vastator, id est diabolus,
super nos, ut rursus tentet, vel ad inferos
pertrahat. Quapropter loquitur Christus :
Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter *Luc.* XIII
peribitis.

Probatorem dedi te in populo meo, etc. 27
Hoc ad omnem virtuosum Christianorum
prælatum ac prædicatorem, atque ad in-
corrigibiles Christianos loquitur Deus, om-
nino secundum eumdem sensum quo in
præcedenti articulo id ipsum de Jeremia
ac populo Judæorum expositum est. Jam
enim videmus quam pauci ex prædicatio-
ne bonorum corrigantur. Propter quod me-
rito sunt æri comparandi, et argentum re-
probum nuncupantur.

ARTICULUS XV

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI SEPTIMI : VERBUM QUOD FACTUM EST AD JEREMIAM A DOMINO.

RURSUS misericordiam suam ostendit C
piissimus Dominus et Deus omnipo-
tens. Et quanto diriora sunt tormenta quæ
imminent, tanto abundantius de remedio
consulit, ad pœnitentiamque invitat, de-
clarans se in perditione viventium non
lætari, quod item ulcisci atque punire, sit
Is. XXVIII, 21. quasi alienum atque peregrinum ab ipso,
quemadmodum Isaias testatus est.
1 *Verbum quod factum est ad Jeremiam*
2 *a Domino, dicens : Sta in porta domus*
Domini, scilicet templi, ut omnes te au-
diant qui ingrediuntur, *et prædica ibi ver-* D
bum istud, et dic : Audite verbum Do-
mini, omnis Juda, id est, populus regni
Juda, videlicet filii Judæ ac Benjamin, et
Levitæ. Omnes siquidem isti, nomine Ju-
da frequenter signantur, eo quod reges
essent de tribu Juda : quemadmodum in
Osee, nomine Ephraim, decem tribus si- *Osee* IV-X
gnificantur, eo quod communiter reges
decem tribuum, et primus earum rex,
Ephratæi exstiterunt. *Qui ingredimini per*
portas has, ut adoretis Dominum. Hæc 3
dicit Dominus exercituum, Deus Israel :
Bonas facite vias vestras, id est, operati-
ones vestras corrigite, *et studia vestra,*
id est desideria, quæ sunt velut quidam
conatus ad opera ; *et habitabo vobiscum,*
id est, gratiose vobis adero, *in loco isto.*
Clementissimus Deus præmium pollicetur
etiam in præsenti, ut acquiescant. Et quo-
niam unusquisque naturaliter terram dili-
git natalem, Habitabo (inquit) vobiscum
in loco isto. Simili modo ait per Isaiam :
Si audieritis me, bona terræ comedetis. *Is.* I, 19.
Nolite confidere in verbis mendacii, di- 4
centes : Templum Domini, templum Do-

mini, templum Domini est. Templum is- A
tud veraciter erat templum Domini, sed
non eo modo quo isti dixerunt. Quia et-
enim templum hoc Deo fuerat consecra-
tum, confidebant sanctitate ac pretiositate
et eminentia ædificiorum ejus ab inimicis
defendi : ad quod æstimandum, pseudo ac
sacerdotes cupiditate inducti, populum in-
duxerunt. Ter autem idem profertur, pro-
5 pter assertionem majorem. *Quoniam si
bene direxeritis vias vestras et studia ve-
stra,* ordinando ea recte in ultimum fi-
nem, qui est beatitudo æterna; *si feceritis* B
judicium inter virum et proximum ejus,
id est, si, o judices, juste judicaveritis in-
ter quoscumque inter se litem seu causam
6 habentes ; *advenæ, et pupillo, et viduæ
non feceritis calumniam :* quibus tanto
vitiosius est injuriari, quanto impotentio-
res sunt ad resistendum ; et quanto plus
humano sunt destituti solatio, tanto ini-
quius est eos contristare, tanto item beni-
gnius est eos consolari. Unde injuriam eis
illatam Deus specialiter vindicat, juxta il-
Ps. CXLV, 9. lud in Psalmo : Dominus custodit advenas, C
pupillum et viduam suscipiet. *Nec sangui-
nem innocentem effuderitis in loco hoc :*
in quo valde culpabiles erant, juxta illud
Ezech. XXII, Ezechielis : Civitas effundens sanguinem
in medio sui, tu es. *Et post deos alienos
non ambulaveritis in malum vobismetip-
sis,* id est ad vestram damnationem atque
perniciem. Quasi dicat : Non mihi, sed vo-
7 bis idololatria nocet. *Habitabo vobiscum,*
id est in cordibus vestris per caritatem et
gratiam, *in loco isto, in terra quam dedi
patribus vestris.* Porro quod subditur, *a* D
sæculo et usque in sæculum, id est per ge-
nerationum successiones, referri potest ad
id quod dixit, Habitabo ; et item ad hoc
quod ait, Dedi.

8 *Ecce vos confiditis vobis in sermonibus
mendacii, qui non proderunt vobis :* imo
nocebunt, quia ex eis occasionaliter vel
directe inducti estis ad peccata præscri-
9 pta ; *furari, occidere, adulterari :* quæ
sunt peccata in proximum, quorum pri-
mum est avaritiæ, secundum invidiæ, ter-
tium luxuriæ ; *jurare mendaciter, libare
Baalim,* id est idolo sic vocato sacrificare,
et ire post deos alienos, quos ignoratis es-
se deos, quum non sint dii. Falsum autem
non scitur, quamvis sciri putetur ; sed fal-
sum esse falsum, scitur, quia hoc verum
est. Ista sunt peccata in Deum, quorum
primum est irreligiositas, alia duo su-
perstitionis, imo et irreligiositatis. Liba-
re autem Baalim, est species ejus quod
est ire post deos alienos, quum et Baal
seu Baalim deus sit alienus ; sed et ipse
specialiter explicatur, quia in ejus cultu
filii Israel gravius atque frequentius de-
liquerunt.

Et venistis, et stetistis coram me in 10
*domo hac, in qua invocatum est nomen
meum,* qui ubique sum, tanquam incir-
cumscriptus ac simplicissimus spiritus; *et
dixistis : Liberati sumus* de manibus ini-
micorum, vel a peccatis, *eo quod fecerimus
omnes abominationes istas,* id est oblatio-
nes et sacra deorum : unde ipsi dixerunt,
Oblationes, vel aliquid tale; sed quoniam
talia erant abominabilia vero Deo, ideo
ponit Propheta rem magis quam nomen,
quemadmodum in Apocalypsi reprobi di-
cuntur clamasse, Quis similis bestiæ ? Imo Apoc. XIII,
ipsi dicent, Quis similis Christo? Sed quo- 4.
niam ille non erit Christus, sed Antichri-
stus et bestia ferox, scribuntur dicturi, Quis
similis bestiæ ? *Numquid ergo spelunca* 11
*latronum facta est domus ista, in qua in-
vocatum est nomen meum* a Prophetis ce-
terisque deicolis, *in oculis vestris,* id est
vobis præsentibus ? quasi dicat : Imo facta
est similis latronum latibulo, in qua tot
animæ spiritualiter a pseudo ac sacerdoti-
bus occiduntur, atque tot scelera commit-
tuntur, injustaque bona ponuntur. Unde
quod nunc Christus loquitur per Prophe-
tam, postea in propria ait persona, de hac
domo loquens Judæis : Scriptum est, in- Matth. XXI,
quiens : Domus mea, domus orationis vo- 13.
cabitur; vos autem fecistis illam spelun-
cam latronum. *Ego, ego sum, ego vidi,
dicit Dominus :* id est, ego solus sum Deus,
qui vere et plene sum, qui olim dixi ad

Exod. III, 14. Moysen, Ego sum qui sum; et oculi mei A
scelera vestra sunt contemplati.
Præterea, quia exempla plus terrent, mo-
vent et informant, quam verba, ostendit
Deus exemplo, quid pœnæ impœnitenti-
12 bus istis sit inflicturus. *Ite ad locum me-
um in Silo :* Silo autem urbs fuit in tribu
Ephraim ; *ubi habitavit nomen meum a
principio,* id est, in quo loco ego inter fili-
os Israel specialiter habitavi, statim quum
terram promissionis ingressi sunt, quando
videlicet tabernaculum Moysis et arca te-
stamenti ibidem locata fuerunt. *Et videte* B
*quæ fecerim ei propter malitiam populi
mei Israel.* Nam propter duodecim tribu-
um peccata locus ille fuit destructus, juxta
Ps. LXXVII, 60. illud in Psalmo : Et repulit tabernaculum
Silo, tabernaculum suum ubi habitavit in
hominibus.
13 *Et nunc, quia fecistis omnia opera hæc,*
id est præinducta opera vitiosa, *dicit Do-
minus; et locutus sum ad vos* per Prophe-
tas, *mane consurgens,* id est, tempestive
ac diligenter hoc faciens, et in actum is-
tum procedens. Vel ideo dicit, Mane, quia C
tunc anima aptior est ad opera rationis ac
devotionis. Propter quod dicitur in Psal-
Ps. V, 4. mo : Mane exaudies vocem meam. Isaias
Is. XXVI, 9. quoque : De mane, inquit, vigilabo ad te.
Deus autem frequenter loquitur in Scri-
pturis affectu et more humano. *Et lo-
quens, et non audistis* interiori obedienti
auditu ; *et vocavi vos* per Prophetas, *et
non respondistis,* id est, non exhibuistis
14 vos ad obediendum paratos. *Faciam do-
mui huic [in qua invocatum est nomen
meum, et] in qua habetis fiduciam, et loco* D
quem dedi vobis et patribus vestris, id est
templo ac Judææ atque Jerusalem, *sicut
15 feci Silo; et projiciam vos a facie mea,* id
est a pietatis meæ respectu, juste vos re-
linquendo, *sicut projeci omnes fratres ve-
stros, universum semen Ephraim,* id est
decem tribus, quæ per Ephraim designan-
tur ratione prædicta. Quemadmodum enim
decem tribus ab Assyriis permisi vastari,
et partim occidi, partimque captivari, sic
tamen quod aliqui evaserunt; ita vobis ac-
cidet per Chaldæos. Unde quod ait, Uni-
versum semen Ephraim, et, Omnes fratres
vestros, non est referendum ad singulos
generum, sed ad genera singulorum.
Tu ergo, o Jeremia, *noli orare pro po-* 16
*pulo hoc, nec assumas pro eis laudem et
orationem,* psalmos ac preces pro ipsorum
redemptione fundendo, *et non obsistas mi-
hi,* id est, effectum justæ ultionis quem
eis inferre intendo, non coneris impedire;
quia non exaudiam te : id est, ne videaris
pati repulsam, quum sis talis ac tantus co-
ram me, injungo tibi ne ores pro eis. Cir-
ca hoc oritur quæstio, quia per Ezechie-
lem Dominus loquitur : Quæsivi virum qui *Ezech.*
interponeret sepem, et staret oppositus 30.
contra me pro terra, ne disperderem eam;
et non inveni. Rursus paulo ante jussit
Dominus circuiri vias Jerusalem, ut si ju-
stus inibi inveniretur, propter eum populo
parceretur. Quomodo ergo nunc non solum
non quærit, sed nec admittit paratum? Et
respondendum, quod peccata populi paula-
tim in tantum creverunt, quod non decuit
ea propter preces justi inulta relinqui.
Vel, in auctoritatibus præallegatis sumitur
numerus singularis pro plurali, ut intelli-
gatur quæsisse justos in tanto numero,
quod per eos peccantibus ignosceretur ex
condecenti. Quod autem peccata illorum
in tantum excreverunt, subjungitur :
Nonne vides quid isti faciunt in civita- 17
tibus Juda et plateis Jerusalem? Filii col- 18
*ligunt ligna, et patres succendunt ignem,
et mulieres conspergunt adipem, ut faci-
ant placentas reginæ cœli,* utpote lunæ,
secundum Hieronymum, *et libent,* id est, de
humidis rebus sacrificent, *diis alienis.* Sic-
que parentes et proles concorditer in ido-
lolatriæ exercitiis occupabantur; nec so-
lum peccabant parentes idololatrando, sed
et filios suos ac filias eam docendo, quum
ex præcepto legis ad oppositum teneren-
tur. Unde in cantico Ezechiæ habetur : Pa- *Is* XXX
ter filiis notam faciet veritatem tuam. *Et* 19.
me ad iracundiam provocent. Si in tan-
tum perversi fuerunt, ut ideo egerint ista,
quatenus Deum quasi turbarent, et ejus

felicitatem minuerent, tunc fuit in eis in- A
tolerabilis error et cæcitas atque inexplica-
bilis pravitas : et ex odio quodam in Deum
id processisset, vel ex zelo vindictæ, ut
quia Deus aliqua eis displicentia egerit,
ipsi quoque aliqua Deo displicentia face-
rent, ut inquietarent eumdem. Et quan-
tum ad hunc sensum, mox reprobantur a
Deo.
19 *Numquid me ad iracundiam provo-
cant? dicit Dominus.* Quasi dicat, Non.
Ira enim et ceteræ passiones, quum sint
affectiones et motus partis sensitivæ ac B
corporalis naturæ, in supersimplici Deo
locum non habent; nec ei proprie adscri-
buntur, videlicet secundum affectionis ve-
ritatem, sed metaphorice per effectus si-
Sap. XII, 18. militudinem. Hinc quidam Sapiens ait : Tu
autem, dominator Domine, cum tranquil-
Malach. III, 6. litate judicas. Et per Malachiam : Ego Do-
minus, et non mutor. In Judith quoque
Judith VIII, 15. libro : Non quasi homo sic Deus commi-
nabitur, neque sicut filius hominis ad ira-
cundiam inflammabitur. *Nonne semetipsos
in confusionem vultus sui?* id est, mihi C
inobediendo, se ipsos ad iracundiam pro-
vocant, eo quod mereantur atque procu-
rent sibi inferri supplicia, per quæ coram
hostibus confunduntur, et se ulcisci de eis
desiderant. Sicque peccatum nocet eis, non
Job XXXV, 6, 7. mihi : juxta illud Job : Si peccaveris, quid
ei nocebis? Porro, si juste egeris, quid
donabis ei? Itaque peccando, non Deum
lædimus, sed nobismetipsis interitum præ-
Rom. II, 5. paramus, thesaurizantes iram in die vin-
dictæ.
20 *Ideo hæc dicit Dominus Deus : Ecce D
furor meus et indignatio mea conflatur
super locum istum.* Jam dixit se Dominus
non irasci : quomodo ergo nunc ait, Fu-
ror meus et indignatio mea? Sed hoc per
metaphoram ait, per furorem intelligens
terribilem ultionem; per indignationem,
detestationem vel effectum detestationis
peccati : quæ conflantur, id est, per im-
piorum demerita procurantur ac succen-
duntur super Jerusalem. *Super viros, et
super jumenta, et super lignum regionis,*

et super fruges terræ : ut scilicet Judæi
pravissimi non solum in suis personis, sed
in suis quoque possessionibus puniantur,
dum propter eorum peccata tolluntur ab
eis pecora, ligna, atque frumenta. *Succen-
detur, et non exstinguetur* hic furor meus,
id est, pœna ista non cessabit, donec di-
gne fuerint per Chaldæos plagati. Et ne
putarent se per legalia sacrificia posse sa-
tisfacere Deo, subjungitur :
Hæc dicit Dominus exercituum, Deus 21
*Israel : Holocautomata vestra addite vi-
ctimis vestris,* id est, quantum placuerit,
sacrificia legis offerte, *et comedite carnes*
oblatas. Quasi dicat : Ipsi eas vorate, quo-
niam mihi non placent. *Quia non sum lo-* 22
*cutus cum patribus vestris, et non præcepi
eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti,
de verbo holocautomatum et victimarum,*
id est, in prima Decalogi datione non jussi
mihi holocausta et victimas immolari :
quemadmodum in Exodo patet. *Sed hoc* 23
*verbum præcepi eis, dicens : Audite vo-
cem meam,* præcepta Decalogi observan-
do; *et ero vobis Deus* per providentiam
specialem, *et vos eritis mihi populus* per
cultum devotum. Hoc est enim quod in
Exodo Dominus dixit : Si audieritis vo- *Exod.* XIX, 5.
cem meam, et custodieritis pactum meum,
eritis mihi in peculium. *Et ambulate in
omni via* præceptorum moralium, *quam
mandavi vobis.* Verumtamen Deus præce- *Lev.* I, III *et seq.*
pit postmodum per Moysen, sibi offerri
holocausta et victimas : non quod in se
essent accepta, sed ne idolis immolaren-
tur. Unde observantia præceptorum mora-
lium fuit in se virtuosa ac principalis.
Propter quod Dominus ait in Osee : Mi- *Osee* VI, 6; *Matth.* IX, 13.
sericordiam volo, et non sacrificium, et
scientiam Dei plus quam holocausta; Sa-
muel quoque, Numquid vult Dominus ho- I *Reg.* XV, 22.
locausta aut victimas, et non potius ut
obediatur voci ejus? *Ut bene sit vobis* per
gratiam in præsenti, et per gloriam in fu-
turo. Ex quo constat, quod propter no-
stram felicitatem præcipit Deus nos sibi
servire. Ipse quippe bonorum nostrorum *Ps.* XV, 2.
non eget.

24 *Et non audierunt, neque inclinaverunt*
aurem suam; sed abierunt in voluptati-
bus suis, id est desideriis vitiisque carnali-
bus, *et in pravitate cordis sui mali,* id est
in spiritualibus vitiis; *factique sunt re-*
trorsum, et non in ante, id est aversi a
25 me, ac defectuosi in omnibus, *a die qua*
egressi sunt patres eorum de terra Ægy-
pti, usque ad diem hanc. Non quod con-
tinue fuerint tales, imo nec omnes, sed
plures eorum, et pro majori temporis par-
Ps. cv, 12, 13. te, juxta illud Psalmi : Et crediderunt ver-
bis ejus, et laudaverunt laudem ejus : cito
fecerunt, obliti sunt operum ejus; non
sustinuerunt consilium ejus. Et istud ex
decursu libri Judicum, Regum, librorum-
que Moysis patet. De qua re loquitur Deus
diffuse per Ezechielem, ubi etiam inter
Ezech. xx, 8. cetera ait, quod idola Ægypti non reliquerunt. Porro quæ hic de Judæis dicuntur,
ad eosdem referri non possunt; sed de
toto populo loquitur Dominus quasi de
aliquo uno, quum utique ea quæ dicit, ad
eos qui diversis successive fuerunt tem-
poribus, referantur. *Et misi ad vos omnes*
servos meos Prophetas : non simpliciter
omnes, sed omnes qui vestris fuerunt die-
bus, et quibus id jussi; *per diem, consur-*
gens diluculo, et mittens : secundum in-
26 tellectum jam positum. *Et non audierunt*
me, nec inclinaverunt aurem suam per
obedientiam, *sed induraverunt cervicem*
suam, id est, rebelles fuerunt; *et pejus*
operati sunt quam patres eorum.
27 *Et loqueris ad eos omnia verba hæc, et*
non audient te, humiliter acquiescendo; *et*
vocabis eos, affectuose hortando, *et non*
respondebunt tibi verbo aut facto, sed
28 spernent. *Et dices ad eos : Hæc est gens*
quæ non audivit vocem Domini Dei sui :
quod est maxime inhonestum; *nec recepit*
disciplinam : quod incorrigibilibus pro-
prium est. *Periit fides* de cultu et adora-
tione unius veri Dei dumtaxat, nec inter
se fidelitatem servaverunt, *et ablata est de*
ore eorum : quoniam unum verum Deum
non sunt confessi fideliter, imo male sen-
Rom. x, 10. serunt de Deo. Corde nempe creditur ad
justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.

Insuper Dominus præcipit Jeremiæ :
Tonde capillum tuum, id est, crines capi- 29
tis tui abrade, *et projice* eos a te, *et sume*
in directum, visum ad populum istum seu
pilos abrasos dirigendo; vel, In directum,
id est pro causa justa, pro qua recte plangendum; *planctum : quia projecit Dominus et reliquit generationem furoris sui,* id est populum Judæorum, qui iram Dei contra se provocavit. Sancti Prophetæ nunc verbis, nunc rebus ac signis seu factis, prophetaverunt : quod maxime claret in Ezechiele. Ideo nunc Jeremias tonsione pilorum suorum, et projectione eorum a se, præsignavit quod Judæi, qui aliquando Deo adhæserunt, nunc abjicerentur ab ipso. Istud etiam Ezechieli legitur Dominus jussisse, dicendo : Fili hominis, sume *Ezech.* v
tibi gladium acutum radentem pilos (puta rasorium sive novaculam), etc. Et ipse Ezechiel jussus est pilos abscisos in tres *Ibid.* 9
partes dividere, sicut ibidem exposui. Porro, secundum Hieronymum, apud veteres consuetudo fuit lugentium, tondere cæsariem. Idcirco illud Jeremiæ præcipitur in signum mœroris pro Judæorum abjectione.

Quia fecerunt filii Juda malum in 30
oculis meis, dicit Dominus. Posuerunt offendicula sua, id est idola, in quorum cultu Deum gravissime offenderunt, *in domo in qua invocatum est nomen meum,* scilicet in templo, tempore Achaz et Manassæ, ut quarto Regum volumine legitur, IV *Reg.* x… 15; xxi, 4… 7.
ut polluerent eam, id est, violarent, quæ
fuit Deo altissimo consecrata. *Et ædifica-* 31
verunt excelsa, id est aras sublimes, *Topheth,* id est idolo sic vocato, secundum quosdam, *quæ est in valle filii Ennom,* id est hominis cujusdam, cujus pater dictus est Ennom. Nam locus ille, secundum Hieronymum, fuit amœnus et nemorosus, et Siloe fontibus irrigabatur. Propterea idololatriam ibi exercebant more gentilium. *Ut incenderent filios suos et filias* *Ibid.* x… 3; II *P*… xxviii, 3.
suas igni, id est, per ignem eos idolo con-

secrarent, sicut de Achaz legitur; vel ut A
eos idolo in holocaustum offerrent, ita
quod ad idoli reverentiam igne consume-
bantur, ut per hoc ad beatitudinem deo-
Ezech. xxii, et seq. rum transirent. Totum istud in Ezechiele
habetur, nec opus est ad singula allega-
tiones adducere. *Quæ non præcepi, nec
cogitavi in corde meo,* ut facerent talia,
imo oppositum jussi.
32 *Ideo ecce dies venient, dicit Dominus,
et non dicetur amplius Topheth, et vallis
filii Ennom,* id est, locus iste pristinum
nomen amittet. Ennom autem, secundum B
Hieronymum, interdum est nomen homi-
nis; et interdum significat gratiam et con-
solationem, sicque nunc sumitur. Nam
subditur : *sed vallis Interfectionis :* id
est, tot Judæi ibi a Chaldæis occidentur,
quod non vocabitur vallis consolationis et
gratiæ, sed desolationis. *Et sepelient* occi-
sos *in Topheth.* Quidam, ut tactum est, per
Topheth intelligunt idolum Moloch. Alii
dicunt quod Topheth sit locus sic dictus,
quoniam habet tofos, id est lapides spon-
giosos et concavos, ex quibus egreditur C
ignis : qui locus est in valle præfata. Ali-
quando quoque accipitur Topheth pro in-
ferno, quemadmodum in Isaia : Præparata Is. xxx, 33.
est ab heri Topheth a rege. In hoc ita-
que loco sepelientur occisi, *eo quod non
sit locus* alius, quo ceteri Judæi possint
vel audeant fratres suos sepelire. *Et erit* 33
morticinum populi hujus, id est cadave-
ra Judæorum, *in cibum volucribus cœli
et bestiis terræ.* Hoc, secundum Hierony-
mum, intelligitur de his quorum corpora
manserunt insepulta. Secundum alios au-
tem, quod dictum est, Sepelient, non in-
telligitur de consueta sepelitione sub ter-
ra, sed de sepultura tali, qualis inferius
de Jechonia rege habetur : Sepultura asini Jer. xxii, 19.
sepelietur. *Et non erit qui abigat* aves ac
bestias a cadaveribus occisorum, quomodo
Respha concubina Saul abegit eas a cor- II Reg. xxi, 10.
poribus crucifixorum filiorum filiæ Saul.
Et quiescere faciam de urbibus Juda et de 34
*plateis Jerusalem vocem gaudii et vocem
lætitiæ, vocem sponsi et vocem sponsæ. In
desolatione enim erit terra* Judææ. Siqui-
dem tempore obsidionis tanta fuit angu-
stia Judæorum, quod non delectabat can-
tare aut nubere.

ARTICULUS XVI

EJUSDEM CAPITULI SEPTIMI EXPOSITIO MORALIS.

JEREMIAS speciem tenet prædicatorum
atque pastorum Ecclesiæ : quibus, sic- D
2 ut et Jeremiæ, Dominus jubet ut stent *in
porta domus Domini,* id est in aliquo loco
apto in ecclesia ad prædicandum : quan-
quam spiritualiter porta domus Domini
dicatur fides, per quam intramus societa-
tem fidelium. In hac fide firmissime stare
debet prædicator et pastor. Jubet autem
3 Deus ut prædicent, dicentes : *Bonas facite
vias vestras et studia vestra.* Hoc est quod
ipsemet Christus in exordio prædicavit :
Matth. iv, 17. Pœnitentiam agite. Qui actiones suas, co-
gitatus, affectus et verba, per virtutes re-
gulat ac disponit, vias suas efficit bonas
et studia sancta. *Et habitabo vobiscum in
loco isto.* Hoc est quod Christus disseruit :
Ubi fuerint duo aut tres congregati in no- Matth. xviii, 20.
mine meo, ibi in medio eorum sum; et
rursus : Si quis diligit me, sermonem Joann. xiv, 23.
meum servabit; et Pater meus diliget
eum, et ad eum veniemus, et mansionem
apud eum faciemus. Denique, Qui manet I Joann. iv, 16.
in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.
Nolite confidere in verbis mendacii. Os 4
enim quod mentitur, occidit animam. Et Sap. i, 11.

Ps. v, 7. Psalmista loquitur Deo : Perdes omnes qui A
loquuntur mendacium. *Dicentes : Templum
Domini, templum Domini, templum Do-
mini est.* Hoc in eos qui in ædificiorum
ecclesiæ confidunt splendore, pretiositate,
ac eminentia. Porro, secundum Hierony-
mum, istud est verum Dei templum, in
quo habitat fides et sancta conversatio,
omniumque virtutum chorus, videlicet ip-
sa anima virtuosa : cujus templi sanctitate
salvamur.
8 *Ecce vos confiditis vobis in sermonibus
mendacii.* Tales, simulatores sunt et calli- B
di, qui verba sua sciunt palliare nequiter,
subtiliter colorare, apparenter proponere,
atque in tali sperant astutia quod depre-
9 hendi non possint. Propter quod audent *fu-
rari, occidere, adulterari, jurare menda-
citer,* et servire creaturis, inhærereque eis
magis quam Creatori : nihilo minus im-
munes et innocentes volunt videri, et in-
super audent cum ceteris templum ingre-
10 di, æqualiterque dicere : *Liberati sumus*
de nostra inopia, vel adversitate captivita-
tis aut mortis, *eo quod fecerimus* pecca- C
ta præinducta, præsertim perjurii atque
11 mendacii, quibus se juvant multi. *Num-
quid ergo spelunca latronum facta est
domus ista ?* Ecclesia, secundum Hierony-
mum, vertitur in speluncam latronum,
dum gravia scelera in ea versantur, et
principes ejus avaritiæ facibus inarde-
scunt. Et qui in ecclesia lascive circumspi-
ciunt, fabulationibusque intendunt, nonne
de domo salutis locum sibi faciunt dam-
nationis? Quibus Dominus terribiliter com-
minatur, dicendo : *Ego, ego sum, ego vidi.* D
Quasi dicat : Ego sum judex vester, ego
sum ille, in cujus conspectu talia facere
non timetis, ego quem tantum despicitis.
12 *Ite ad locum meum in Silo, ubi habita-
vit nomen meum a principio; et videte
quæ fecerim ei propter malitiam populi
mei Israel,* etc. Per Silo hoc loco, Jerusa-
lem in qua primo cœpit christiana Reli-
gio, intelligendam opinor. Quemadmodum
ergo proposuit Deus Judæis destructionem
Silo in exemplum terroris, sic omni parti-
culari Ecclesiæ proponit derelictionem Je-
rusalem in exemplum. Merito enim for-
midare debemus relinqui a Domino, si
vitiose vixerimus, quum cernamus ipsam
Jerusalem civitatem sanctam et templum
ejus, etiam postquam omnes ibidem chri-
stiani fuerunt, et terram et loca in quibus
ipsemet Christus incarnari, nasci, conver-
sari, mori ac sepeliri dignatus est, esse a
Deo relicta propter Christianorum ibidem
manentium scelera. Mittit ergo nos Chri-
stus ad loci illius considerationem, et ait
quod similia patiemur, nisi correxerimus
vitam et mores.
Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec 16
*assumas pro eis laudem et orationem, et
non obsistas mihi ; quia non exaudiam
te.* Quæritur quomodo Deo quis possit ob-
sistere, quum ipse per Isaiam testetur :
Omnis voluntas mea fiet. Et in libro Es- Is. xlvi,
ther legitur : Non est qui tuæ resistere Esther
possit voluntati. Rursusque scriptum est 9.
in Job : Quis restitit ei, et habuit pacem ? Job ix,
Nihilo minus S. Hieronymus ait, quod San-
ctorum preces iræ Dei possunt resistere.
Et respondendum, quod voluntati ac om-
nipotentiæ Dei proprie et absolute acce-
ptæ, nullus resistere valet : sed iræ ejus
dicuntur Sancti resistere, in quantum me-
ritis suis ac precibus ultionis impediunt
effectum; sicque resistunt Deo, non quasi
invito, compulso ac victo, sed quantum
ipsemet vult, et ut decens judicat ut uni
propter alium pie parcatur. Præterea con-
stat, quod preces devotorum pro aliis fu-
sæ, quandoque non exaudiuntur propter
aliorum peccata, quibus obicem gratiæ Dei
ponunt. *Nonne vides quid isti faciunt ?* 17
Filii colligunt ligna, id est occasiones seu 18
materiam peccandi, *et patres succendunt
ignem,* id est, materiam illam fervore im-
piæ voluntatis perducunt ad actuale pec-
catum ; *et mulieres conspergunt adipem,*
id est, delectationem in peccato fovent
atque conservant, *ut faciant placentas re-
ginæ cœli,* id est, potestati sæculari in alta
tendenti complaceant, et Placebo decan-
tent. Hoc contra adulatores, ambitiosos et

vanos, qui hominibus magis quam Deo A
placere cupiunt ac nituntur, quum tamen
Galat. i,10. fateatur Apostolus : An quæro hominibus
placere ? Si adhuc hominibus placerem,
20 Christi servus non essem. Ideo super istos
conflatur furor et indignatio Dei; quibus
etiam ait :
21 *Holocautomata vestra addite victimis*
vestris. Quasi dicat : Exteriora munera ve-
stra, oblationes et eleemosynas corpora-
les, gratas non habeo, nec meritoriæ sunt,
quia in caritate non estis et gratia. Pro-
I Cor. xiii, 3. pter quod ait Apostolus : Si distribuero B
omnes facultates meas in cibos paupe-
rum, et si tradidero corpus meum ita ut
ardeam, caritatem autem non habuero, ni-
22 hil mihi prodest. *Quia non sum locutus*
cum patribus vestris, et non præcepi eis
de verbo holocautomatum et victimarum,
id est, prædicta exteriora non jussi mihi
principaliter immolari, seu tanquam prin-
cipalia exhiberi, *in die qua eduxi eos de*
terra Ægypti, id est de præsenti sæculo
nequam, seu de conversatione mundana.
23 *Sed hoc verbum præcepi eis : Audite vo-* C
cem meam, id est, præceptis quæ sunt
immediate de actibus virtutum, præsertim
interioribus atque elicitis, obtemperate; *et*
ambulate in omni via quam mandavi vo-
bis, ut non quædam tantum, sed universa
Jacob. ii, 10. præcepta servetis. Nam si quis totam le-
gem implevit, offendat autem in uno, fa-
ctus est omnium reus. Verum his Christi
24 sermonibus multi non acquiescunt, sed in
voluptatibus suis ac pravitatibus sui cor-
25 dis a Deo recedunt. *Et misi ad vos omnes*
servos meos Prophetas, id est prædicatores D
26 et Scripturarum interpretatores ; *et non*
28 *audierunt. Periit fides* formata *de ore eo-*
rum. Fides etenim talium, non est cari-
tate et bonis operibus perornata.
29 *Tonde capillum tuum, et projice.* Hoc
spiritualiter adimplemus, dum cogitatio-
nes superfluas et temporalium abundan-
tiam abdicamus. *Et sume in directum*
planctum, non oblique, sicut hypocritæ,
id est, Christianorum peccata recta inten-
tione deplora ; *quia projecit Dominus et*
reliquit generationem furoris sui, id est
populum christianum divina ultione præ-
dignum, *quia fecerunt filii Juda,* id est 30
Christiani Domino ore tenus confitentes,
malum in oculis meis. Posuerunt offendi-
cula sua, id est simoniam, ambitionem,
lasciviam, cupiditatem, et ceteras impie-
tates, *in domo in qua invocatum est no-*
men meum. His siquidem offensionibus
divinæ justitiæ pleni sunt multi, potissi-
me clerici : quas ad ecclesiam deferunt
secum, nec erubescunt se tot inquinatos
sordibus divino præsentare conspectui. *Et* 31
ædificaverunt excelsa Topheth, id est ti-
tulos latitudinis suæ in terrenis divitiis,
deliciis, atque honoribus. Topheth namque
latitudo interpretatur. Hi autem mundani
quærunt eminentiam suam ostentare ubi-
que. *Quæ* latitudo *est in valle filii En-*
nom, id est in terra peregrinationis istius,
in qua filii Ennom, id est consolationis
carnalis, quasi in patria habitant; *ut in-*
cenderent filios suos et filias suas igni,
id est vitiorum quibus ipsi accensi sunt,
flamma, ut filii patrum sequantur ve-
stigia.
Ideo ecce dies venient, dicit Dominus, 32
et non dicetur amplius Topheth, et vallis
filii Ennom, sed vallis Interfectionis. Hoc
impletur, dum amatoribus sæculi subito
supervenit ultio Dei, pestilentia, fames,
gladius, ita ut in eo loco jam lugeant at-
que dispereant, in quo deliciari solebant,
divitiisque impleri. Quibus Salvator ait :
Væ vobis divitibus, qui habetis consola- Luc. vi,24, 25.
tionem vestram ; væ vobis qui saturati
estis, quia esurietis ; væ vobis qui ridetis
nunc, quia lugebitis et flebitis. *Et sepe-*
lient in Topheth, videlicet in inferno, in
quo reprobi a dæmonibus sepeliuntur, jux-
ta illud : Mortuus est dives, et sepultus Ibid. xvi, 22.
est in inferno. Topheth autem, sicut præ-
cedenti articulo dictum est, in una signi-
ficatione sumitur pro inferno. *Eo quod*
non sit locus alius eis conveniens : quem-
admodum scriptum est, Erubescant impii, Ps. xxx, 18.
et deducantur in infernum ; et item, Tol- Is. xxvi, 10. juxta LXX.
latur impius ne videat gloriam Dei. *Et erit* 33

morticinum populi hujus in cibum volucribus cœli, id est dæmonibus in aere volitantibus, *et bestiis terræ.* Dæmones etenim in reproborum corporibus jam exstinctis lætantur, in quantum cognoscunt ea animabus rursus jungenda, et in infernum trudenda. In Ecclesiastico quoque legitur : Quum morietur homo, hereditabit serpentes et bestias et vermes. Cetera patent ex præinductis. *Eccli. x, 13.*

ARTICULUS XVII

EXPLICATIO LITTERALIS CAPITULI OCTAVI : IN ILLO TEMPORE, AIT DOMINUS, EJICIENT OSSA REGUM JUDA.

1 IN *illo tempore* destructionis Jerusalem a Chaldæis, *ait Dominus, ejicient ossa regum Juda,* id est, Chaldæi de sepulcris extrahent sive effodient ossa regum Judaicæ plebis, *et ossa principum ejus, et ossa sacerdotum, et ossa prophetarum, et ossa eorum qui habitaverunt Jerusalem, de sepulcris suis.* Hoc egerunt Chaldæi ex avaritia, quatenus ornamenta ac cetera pretiosa corporibus defunctorum applicata, auferrent ac possiderent. Solebant quippe Judæi mortuorum, præsertim majorum, videlicet regum, principum, pontificum, Prophetarum ac divitum cadaveribus ornamenta aurea atque argentea applicare, et in talibus eadem sepelire : quod Chaldæos non latuit. Arbitror autem quod ordinatione divina, sanctorum Prophetarum ac regum ossa intacta permanserint. Nam de idololatris sermo est, ut verba sequentia
2 pandunt. *Et expandent,* id est, super terræ planitiem projicient, *ea ad solem, et lunam, et omnem militiam cœli,* id est stellas, *quæ dilexerunt* tanquam deos, suosque gubernatores ac provisores, putantes quod corpora cœlestia essent animata, et aliquid numinis habentia, *et quibus servierunt, et post quæ ambulaverunt* per cordis adhæsionem, *et quæ quæsierunt* per diligentem sacrilegamque culturam, *et quæ adoraverunt,* honorem et cultum Creatoris referentes ad creaturam : super qua impietate omnis creata tabescit natura. *Non colligentur, et non sepelientur.* Judæi enim timore Chaldæorum non audebant ea colligere, et forte nec poterant, quia transferebantur de propria terra. *In sterquilinium super faciem terræ erunt* hæc ossa.

Et eligent magis mortem quam vitam, 3
omnes qui residui fuerint de cognatione, id est plebe Judæorum *hac pessima,* qui Chaldæorum gladium evaserunt, *in universis locis quæ derelicta sunt,* id est a Chaldæis nondum vastata, *ad quæ ejeci eos* per captivitatem vel fugam, *dicit Dominus exercituum.*

Consequenter, post comminationem addit Dominus exhortationem. *Et dices,* o Je- 4
remia, *ad eos : Hæc dicit Dominus : Numquid qui cadit, non resurget?* tanquam dicat : Qui corporaliter cadunt, festinant resurgere. *Et qui aversus est, non revertetur?* id est, qui a terra sua vel amico elongatus est, conatur redire. Quum hoc
ita sit in exterioribus rebus, *Quare ergo* 5
aversus est populus iste in Jerusalem habitans, a me Deo suo, *aversione contentiosa,* id est pertinaci et obstinata, ita quod semper contra me quasi contendunt ac murmurant, nolentes humiliari et obedire? *Apprehenderunt mendacium,* credendo pseudoprophetis, *et noluerunt reverti*
a vitiis ad virtutes. *Attendi, et auscultavi,* 6
id est, corda et opera eorum diligenter consideravi : juxta illud in Psalmo, Deus *Ps. XIII, 2; LII, 3.*

de cœlo prospexit super filios hominum,
ut videat si est intelligens, aut requirens
Deum. *Nemo quod bonum est loquitur,* id
est, in loquendo nullus istorum habet se
virtuose aut bene; *nullus est qui agat*
pœnitentiam super peccato suo, dicens,
Quid feci? id est, heu, quam male feci!
quam impie egi! *Omnes conversi sunt ad*
cursum suum, id est ad conversationem
injustam, in qua indefesse transgressi sunt
cum ardore peccandi ac perversitatis amo-
re, *quasi equus impetu vadens,* id est
celerrime currens, *ad prœlium.* Ex quo
elicitur, quod non ex sola passione, in-
firmitate aut ignorantia peccaverunt, sed
ex habitu vitioso, ex deliberatione, atque
ex mera malitia. Verumtamen ista intel-
ligenda non sunt, quasi tempore illo nul-
lus penitus justus inter Judæos exstiterit;
sed quia tam pauci illic tunc justi fue-
runt comparatione pravorum, quod quasi
nulli videantur fuisse. Unde his Jeremiæ
Mich. VII, 2. verbis consonum est illud Michææ: Periit
sanctus de terra, et rectus in hominibus
non est.

Consequenter magnitudo et inexcusabi-
litas ignorantiæ Judæorum ostenditur ex-
7 emplo brutorum. *Milvus in cœlo* aerio
cognovit cognitione sensitiva ex naturali
instinctu, quo agitur magis quam agat,
tempus suum, id est tempus faciendi ope-
rationes sibi connaturales, quæ sunt, quæ-
rere victum, nidificare, pullificare. *Turtur*
et hirundo et ciconia custodierunt tempus
adventus sui, id est abeundi ac redeundi.
Noscunt etenim quando ob hiemalis frigo-
ris vitandum rigorem, ad calida loca de-
beant properare, et rursus veris exordio
ad solitas reverti regiones. *Populus autem*
meus non cognovit judicium Domini, id
est, præcepta ejus non intellexit, nec ju-
stitiæ ejus pensavit effectus. Quibus con-
Is. I, 3. sonat illud Isaiæ: Cognovit bos possesso-
rem suum, et asinus præsepe domini sui;
Israel autem me non cognovit, et populus
meus non intellexit.

Porro, quod subditur, contra Pharisæos
ac Scribas profertur, secundum Hierony-

A mum. *Quomodo dicitis, Sapientes nos su-* 8
mus, id est in divinorum notitia informa-
ti, vel lege instructi, *et lex Domini* per
Moysen data, *nobiscum est,* scilicet per
sanam intelligentiam? *Vere mendacium*
operatus est stilus mendax Scribarum:
quoniam ad falsa dogmata populum sim-
plicem induxerunt verbis et scriptis. *Con-* 9
fusi sunt sapientes, perterriti et capti
sunt: id est, Scribæ et Pharisæi se ipsos
sapientes jactantes, in captione Jerusalem
confundentur, terrebuntur, et capientur.
B *Verbum enim Domini projecerunt,* ejus
mandata relinquendo, et Prophetarum ser-
monibus non credendo, *et sapientia nulla*
est in eis, id est nulla sapientia salutaris,
infusa, formata: de qua scriptum est, In *Sap.* I, 4.
malevolam animam non introibit sapien-
tia. *Propterea dabo* permissive *mulieres* 10
eorum exteris, puta Chaldæis, qui eas co-
gnoscent, *et agros eorum heredibus,* haud
dubium quin alienis; *quia a minimo us-*
que ad maximum, omnes avaritiam se-
quuntur, tanquam servi cupiditatis, victi
C ab ea; *a propheta* pseudo *usque ad sacer-*
dotem inclusive, *cuncti faciunt mendaci-*
um, agendo contra propria verba, et contra
veritatem vitæ atque justitiæ. *Et sanabant* 11
contritionem filiæ populi mei, etc. Locus
iste usque ad illud, Congregans, sexto ca- *Jer.* VI, 14,
pitulo scriptus atque expositus est, nec 15.
idem jam resumendum putavi.

Congregans congregabo eos, ait Domi- 13
nus, id est, Judæos timore Chaldæorum in
Jerusalem confugere faciam. *Non est uva*
in vitibus, et non sunt ficus in ficulnea:
D id est, Chaldæi advenientes botros et ficus
Judæorum consument; *folium defluxit,*
id est, folia arborum tempore obsidionis
Jerusalem deciderunt tempore hiemali. Du-
obus namque annis duravit obsidio. *Et*
dedi eis Judæis *quæ prætergressa sunt,* id
est terræ nascentia et arborum fructus,
quæ reliquerunt per fugam, nec obsessi
poterant ea acquirere. Unde Deus contu-
lit eis hæc, quoniam terram et arbores
eis concessit, et nisi peccassent, fructus
cepissent.

Deinde territi Judæi inter se dicunt : A
14 *Quare sedemus* extra civitatem Jerusalem?
*Convenite, et ingrediamur civitatem mu-
nitam,* puta Jerusalem, ne a Chaldæis ca-
piamur, *et sileamus ibi,* tanquam territi,
et advertentes si quid de adversariorum
percipiamus adventu; *quia Dominus no-
ster silere nos fecit,* id est, ad hanc calami-
tatem pervenire reliquit : imo et fecit, quo-
niam malum pœnæ est effective a Deo; *et
potum dedit nobis aquam fellis,* id est,
amaritudine quasi poculo nos implevit.
Peccavimus enim Domino. Ista sunt verba B
non omnium, sed quorumdam pœnitenti-
Is. xxviii, 19. um, quibus dedit vexatio intellectum. *Ex-*
15 *spectavimus pacem* temporis, secundum
quod pseudo nobis vaticinabantur, *et non
erat bonum,* id est, pacem consecuti non
sumus; exspectavimus quoque et *tempus
medelæ,* id est remedii contra Chaldæos,
sperantes inaniter liberari ab illis, *et ecce
formido,* id est, timor quo Chaldæos time-
mus, inest jam nobis.
16 *A Dan,* id est a loco Judææ sic dicto,
qui fuit in una extremitate Judææ, *audi-* C
tus est fremitus equorum ejus, videlicet
regis Babylonis, quia per illam partem
intravit cum suis Judæam. *A voce hinni-
tuum,* id est clamorum indomitorum, *pu-
gnatorum ejus,* id est servorum regis hu-
jus, *commota est omnis terra,* id est, totus
Judæorum populus timore concussus est :
sicut et Isaias ad aliam plebem adversan-
Ibid. vii, 2. tem adspiciens, loquitur de Judæis : Com-
motum est cor populi hujus, sicut moven-
tur ligna silvarum. *Et venerunt* Chaldæi,
et devoraverunt terram et plenitudinem D
ejus, id est, bona Judæorum, imo et ipsos
Judæos consumpserunt, illa edendo, istos
necando; *urbem* Jerusalem, *et habitatores
ejus* abstulerunt. Loquitur autem de futu-
ro per modum præteriti consuetudine pro-
17 phetali. *Quia ecce ego mittam vobis,* id est
ad vestram punitionem, o Judæi, *serpentes*
* regulos *pessimos**, *quibus non est incantatio,* id
est Chaldæos sævissimos, qui deprecatio-
nibus non flectentur; *et mordebunt vos,
dicit Dominus,* id est, affligent.

Deinde in persona Jeremiæ vel populi
hujus afflicti subjungitur : *Dolor meus su-* 18
per dolorem, id est, vehementer auctus
est; *in me cor meum mœrens,* id est con-
tristatum propter tanta adversa. *Et ecce* 19
vox clamoris filiæ populi mei, id est Ju-
daicæ plebis, *de terra longinqua,* id est,
de Babylonia resonat : quia Judæi in Chal-
dæam translati, audita destructione Jerusa-
lem, plangentes eam, dixerunt : *Numquid
non Dominus est in Sion,* id est in Jeru-
salem? *aut rex ejus,* scilicet Deus omni-
potens, *non est in ea?* quasi dicant : Quo-
modo Deus ita locum suum ac templum
reliquit? Quibus Deus respondet : *Quare
ergo me ad iracundiam concitaverunt in
sculptilibus suis, et in vanitatibus alie-
nis?* id est, Judæi ista perpessi sunt, quo-
niam per idolorum culturam et vanitates
sacrilegas me clementissimum ad rigorem
justitiæ excitaverunt.

Deinceps populus cladem suam deplo-
rans, adjecit : *Transiit messis, finita est* 20
æstas : id est, tempus quo nobis de vi-
tæ necessariis providere speravimus, jam
transiit; *et nos salvati non sumus* de ma-
nibus Chaldæorum, quia adhuc nostra du-
rat obsidio. Quibus Jeremias compatiens,
ait : *Super contritione filiæ populi mei,* 21
id est de Judæorum, quorum ego unus
sum, afflictione, *contritus sum et contri-
status, stupor obtinuit me,* id est, ingenti
admiratione admiror, quod populus olim
Dei, in tantam congeriem malorum cul-
pæ ac pœnæ illapsus est. *Numquid resi-* 22
na, id est medicina pœnitentiæ, aut in-
structio sapientiæ, *non est in Galaad,* id
est in Synagoga seu populo Judæorum?
Galaad namque, acervus testimonii inter-
pretatur; et in Synagoga fuit acervus te-
stimoniorum Scripturæ divinæ servorum-
que Dei. Galaad quoque terra fuit ad filios
Israel pertinens. *Aut medicus,* id est vul-
nerum animæ spiritualis curator, seu vi-
tiorum sanator, *non est ibi?* quasi dicat,
Imo. Nam in Synagoga fuerat Jeremias, et
alii quidam justi, dono sapientiæ decora-
ti, et pœnitentiæ medicinam proponentes.

Quare igitur non est obducta cicatrix, id
est, cur sanata non est omnino vulneratio
peccati, *filiæ populi mei,* id est plebis Ju-
A daicæ? quasi dicat : Defectus fuit ex parte
populi, qui rebellis ac pertinax fuit, me-
dicumque contempsit.

ARTICULUS XVIII

EJUSDEM CAPITULI OCTAVI EXPOSITIO MYSTICA.

DENIQUE, juxta allegoricum vel tropo-
logicum intellectum, quod in hujus
1 capituli fertur exordio, de ejectione ossi-
um regum Juda, etc., etiam in Ecclesia
corporaliter accidit, quando gentiles ex
nimia crudelitate atque invidia, beatorum
martyrum humata jam corpora effoderunt,
atque ossa eorum hinc inde sparserunt, ne
a Christianis honorarentur. Itemque dum
quidam hæretici asserebant Sanctorum re-
liquias non honorandas, nec in ecclesia
reverenter ponendas : propter quod eas
3 foras projicere præsumpserunt. *Eligent
magis mortem quam vitam,* etc. Hoc quo-
que vicissim constat in Ecclesia impletum,
quando exigente Christi justitia, quidam
impii Christiani ad tantam afflictionem
perducti sunt, ut vitæ præferrent inter-
itum.

His autem induratis, a prædicatoribus
4 et prælatis seriose dicendum est : *Num-
quid qui cadit, non resurget?* quasi di-
cant : Humanum est cadere, sed diaboli-
cum est in peccati ruina permanere. Et si
a corporali lapsu non surgere, stultum
est : quanto stolidius est, a spirituali casu
animæ non mox conari resurgere? Hinc
Eccli. XXI, 1. in Ecclesiastico consulitur : Fili, peccasti?
non adjicias iterum; sed et de præteritis
deprecare, ut tibi dimittantur. Apostolus
Ephes. V, 14. quoque exclamat : Surge, qui dormis, et ex-
surge a mortuis, et illuminabit te Christus.
5 *Quare ergo aversus est populus aversione
contentiosa?* Aversione contentiosa, indu-
rata ac pessima, a Deo benedicto aversi
sunt, qui frequentissime ac diligentissime
B ad emendationem admoniti per inspiratio-
nem divinam vel allocutionem humanam,
in suis vanitatibus perseverant, Deum quo-
tidie graviter exacerbantes : qui contra
Deum quasi contendunt ac litigant. Nam
quidquid ille dicit, monet ac præcipit, ipsi
oppositum agunt, et pravis suis affectibus
contra legem divinam recalcitrant, ac Deo,
qui eos ad bona invitat, resistunt. Unde in
Job scriptum est : Tetendit impius adver- *Job* XV, 25.
sus Deum manum suam, et contra Omni-
potentem roboratus est.

C Præterea Dominus protestatur : *Attendi,* 6
*et auscultavi; nemo quod bonum est loqui-
tur.* Ecce Deus omnipotens omnia verba
nostra diligenter advertit ac judicat, et de
omni verbo otioso rationem exquiret. Cur *Matth.* XII, 36.
ergo eo audiente et attendente, audemus
loqui inania, imo et vitiosa, quæ etiam
coram honestis hominibus effari verecun-
daremur? Hinc scriptum est in libro Sa-
pientiæ : Qui loquitur iniqua, non potest *Sap.* I, 8, 10, 11.
latere; auris enim zeli audit omnia : cu-
stodite ergo vos a murmuratione, et a de-
D tractione parcite linguæ. *Omnes conversi
sunt ad cursum suum, quasi equus impetu
vadens ad prælium.* Quemadmodum unus-
quisque fidelium tanto promptius atque
velocius ea quæ Dei sunt exsequitur, quan-
to amplius divinæ caritatis ardore ignitur,
ita ut perfecti viam Dei potius currere
quam ambulare dicantur; sic quanto in
aliquo plus mundi amor et carnis libido
dominatur, tanto ad vitia incessabilius et
impetuosius fertur. Hinc habituati in vi-
tiis, non ad ambulationem, sed ad cursum

iniquitatis conversi scribuntur. Unde in A Job xv, 26. Job legitur : Cucurrit impius adversus Deum erecto collo, et pingui cervice armatus est.

7 *Milvus in cœlo cognovit tempus suum,* etc. Ecce his verbis insipientia, inobedientia, atque perversitas hominum reprobatur, eo quod irrationalibus ea quæ sibi apta et connaturalia sunt cognoscentibus, rationalis creatura præcepta Dei non pensat, neque custodit : imo nec Creatorem suum per gratitudinis vicissitudinem recognoscit. Considerantes ergo quod inanimata ac bruta leges sibi divinitus præstitutas custodiunt, atque in suis actibus ordinato processu percurrunt, ad obedientiam erudiamur, et legem nobis ab Omnipotente præfixam servemus. Propter quod Ibid. xii, 7. scriptum est : Interroga jumenta, et docebunt te; et volatilia cœli, et indicabunt tibi.

8 *Quomodo dicitis, Sapientes nos sumus, et lex Domini* Salvatoris, videlicet lex evangelica, *nobiscum est?* Frustra ergo jactant legis scientiam, qui doctrinam operibus destruunt. Hoc contra ambitiosos et vanos, qui sapientes se arbitrantur, et tales ab aliis reputari ac dici desiderant. Propter Prov. iii, 5, 7. quod in Proverbiis scriptum est : Ne innitaris prudentiæ tuæ; ne sis sapiens apud te ipsum. Audiant isti quod ad Romanos Rom. ii, 21, 23. scribit Apostolus : Qui alium doces, te ipsum non doces; qui gloriaris in lege, per prævaricationem legis Deum inhonoras. *Vere mendacium operatus est stilus mendax Scribarum.* Hoc contra eos qui falsa documenta ac deceptorias artes seu leges injustas conscribunt, et aliis scriptas re- Ps. i, 1. linquunt; qui in cathedra pestilentiæ sedentes, multos inficiunt; quibus ait Scri- Is. x, 1, 3. ptura : Væ qui condunt leges iniquas, et scribentes, injustitiam scripserunt : quid facietis in die visitationis et calamitatis ?

9 *Confusi sunt sapientes* in oculis suis : Rom. i, 22. juxta illud ad Romanos, Dicentes se sapientes esse, stulti facti sunt. *Perterriti :* Job xv, 21. secundum illud in Job, Sonitus terroris semper in auribus impii. Quum enim non sint mente fixi in Deo, nunc vana securitate tumescunt, nunc inordinato timore succumbunt. Quocontra Salomon attestatur : Justus quasi leo confidens, absque Prov. xxviii, 1. terrore erit. *Et capti sunt* vinculis vitiorum et jugo diaboli. Confundentur, perterrebuntur, et capientur a Deo in hora mortis, quum ad Christi tribunal fuerint ducti. Ad quod pertinet illud in Job : Qui Job v, 13. apprehendit sapientes in astutia eorum. *Verbum enim Domini projecerunt,* quo ait : Discite a me quia mitis sum et humi- Matth. xi, 29. B lis corde; et item, Contendite intrare per Luc. xiii, 24. angustam portam; itemque, Nolite diligere I Joann. ii, 15. mundum, neque ea quæ in mundo sunt. *Et sapientia nulla est in eis,* loquendo de sapientia vera, salutari, superna, de qua scriptum est : Quæ desursum est sapien- Jacob. iii, 17. tia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suasibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis. Præterea, quid stultius, quam propriæ animæ neglecta salute, circa alia occupari, et de necessariis corporis magis quam de C necessariis animæ sibimet providere? Ideo in Ecclesiastico fertur : Quæ præcepit tibi Eccli. iii, 22. Deus, illa cogita semper. Et Salvator : Pri- Matth. vi, 33. mum, inquit, quærite regnum Dei et justitiam ejus. *Propterea dabo mulieres eorum* 10 *exteris,* id est, effeminata atque carnalia ipsorum opera dæmonibus torquenda adjudicabo. Opera enim illorum sequuntur Apoc. xiv, 13. illos.

Non est uva in vitibus, et non sunt fi- 13
cus in ficulnea. Quemadmodum tota Ecclesia est vinea magna ac generalis, sic D particulares Ecclesiæ sunt vites speciales. Dum itaque congregationes ecclesiasticæ cessant a vigorosis virtutum operibus, non est uva in vineis. Insuper dum hi qui alios spiritualiter recreare et consolari tenentur, puta prælati, asperitate verborum potius turbant, non sunt ficus in ficulnea. Ideo subditur : *Folium defluxit,* id est, verbum eorum inutile fuit. Quocontra de justo scriptum est in Psalmo : Folium ejus Ps. i, 3. non defluet. Primo quoque Regum, de Samuele scriptum est : Non cecidit ex verbis I Reg. iii, 19

ejus super terram. Salomon quoque in A
Prov. xi, 28. Proverbiis loquitur : Justi quasi virens fo-
lium germinabunt. Ubi per virens folium,
intelligi potest sapientiæ verbum, quod
utique valde est fructuosum. *Dedi eis quæ*
prætergressa sunt, id est, malis et repro-
bis transitoria ista largitus sum.

Deinde in persona pœnitentium subdi-
14 tur : *Quare sedemus,* id est, a bonis operi-
bus cessamus? *Convenite, et ingrediamur*
civitatem munitam, videlicet congregatio-
nem devotam seu claustrum, ubi sunt tot
adjutores ad resistendum peccato, quot B
habitatores ; vel, Civitatem munitam, id
est Ecclesiam, ejus obtemperando præce-
ptis. Denique istud specialiter accipi po-
test de solitariis qui videntes se pericu-
la, tentamenta, atque rigorem omnimodæ
solitudinis ferre non posse, ad fratrum so-
cietatem confluunt, eo quod Salomon di-
Eccle. iv, 10. cat : Væ soli, quia quum ceciderit, non ha-
Prov. xviii, 19. bet sublevantem se ; et denuo, Frater qui
adjuvatur a fratre, quasi civitas firma. *Et*
sileamus ibi, servando silentium secundum
sanctorum patrum ordinationem ; *quia Do-* C
minus noster silere nos fecit, id est, ja-
ctantiæ et confabulationum licentiam oc-
casionemque abstulit. Hinc in Isaia legitur:
Is. xxx, 15. In silentio et spe erit fortitudo vestra ; in
Habac. ii, 20. Habacuc quoque, Sileat a facie Domini om-
nis terra. *Et potum dedit nobis aquam fel-*
lis, id est consolationem cum tribulatione,
refectionem cum amaritudine ac discipli-
næ rigore : ita ut cum Psalmista dicere
Ps. xxii, 4. habeamus, Virga tua et baculus tuus, ipsa
Ps. lxxix, 6. me consolata sunt ; et, Cibabis nos pane
Ps. ci, 10. lacrimarum ; et, Potum meum cum fletu D
miscebam. Hæc autem patienter ferre de-
bemus. *Peccavimus enim Domino.* Idcir-
co quem vitiis inhonoravimus, virtutibus
honoremus ; et sicut voluntati Dei præ-
tulimus nostram, ita nostræ præferamus
nunc Dei. Postremo, sicut propriæ volun-
tati immoderanter indulsimus atque con-
sensimus contra voluntatem divinam, ita
jam consentiamus divinæ contra propri-
am, agendo et patiendo quæ Deo sunt pla-
cita, et quæ nos pati ei placet, quanquam
propriæ voluntati ac amori privato vehe-
menter repugnent.

Exspectavimus pacem, et non erat bo- 15
num ; tempus medelæ, et ecce formido.
Frequenter contingit, ut religionem intran-
tes putent se amplius non tentandos, tur-
bandos, terrendos ac affligendos : quum-
que tempore procedente senserint se tanto
acrius impugnari, quanto affectuosius co-
nantur proficere, dicere possunt hæc ver-
ba. Rursus nonnulli libenter manent in
sæculo, et pacem carnalem et temporalem
exspectant in eo ; sed ordinatione divinæ
clementiæ, tot eis occurrunt adversa, ut
quasi compellantur fugere mundum : qui
in claustrali quiete salubriter constituti,
cum gratiarum actione dicere habent hæc
verba.

A Dan auditus est fremitus equorum, 16
etc. Hoc ante expositum est. *Ecce ego mit-* 17
tam vobis serpentes pessimos, id est invi-
sibiles hostes ac tentatores, *quibus non est*
incantatio : non enim faciliter recedunt,
quamvis Deum laudando atque orando, eis
reluctemur. *Et mordebunt vos,* id est, mor-
tifera suggestione animam lædent, si con-
sensum dederitis ; vel, Mordebunt, quia ad
minus molestiam inferent imperfectis. Por-
ro, pro serpentibus pessimis, Aquila trans-
tulit, *regulos,* utpote basiliscos, quod est
venenosissimum serpentium genus, solo
flatu dejiciens aves volantes : per quod in-
telliguntur callidissimi dæmones contem-
plativis insidiantes, ut eos flatu sugge-
stionis, vanitatis ac spiritualis superbiæ,
mordeant atque dejiciant.

Dolor meus super dolorem, in me cor 18
meum mœrens. Hoc competit his qui pro
peccato et pro pœna peccati tristantur ;
præsertimque his qui non sua tantum, sed
et proximorum deflent peccata : quod ma-
xime pertinet ad prælatos. *Et ecce vox cla-* 19
moris filiæ populi mei, id est Christiano-
rum, *de terra longinqua : Numquid non*
Dominus est in Sion, id est in Ecclesia?
aut rex ejus, scilicet Christus, *non est in*
ea? Hoc fit, dum Christiani in una parte
terræ deplangunt ruinam Christianorum

in locis distantibus. Quasi dicant : Quomo- A
do Christus ita reliquit Ecclesiam ? Quibus
ipse respondet : *Quare ergo me ad ira-*
cundiam concitaverunt? id est, si vere rex
fui eorum, cur non obedierunt, sed creatu-
ræ potius quam Creatori, velut quibusdam
20 sculptilibus, inhæserunt? *Transiit messis,*
finita est æstas, id est, congruum pœniten-
di ac promerendi tempus nunc pertrans-
II Cor. vi, 2. iit. De quo dicit Apostolus : Ecce nunc
tempus acceptabile, ecce nunc dies salu-
tis. Præsertim autem quadragesimale tem-
pus dicitur messis Christianorum, in quo B
mentis suæ horreum fructibus potissime
debent implere. *Et nos salvati non sumus.*
Hoc quidam in fine vitæ sero pœnitentes
loquuntur. Alii autem qui dies suos dimi-
diant, considerantes quod magnam jam
temporis sui partem infructuose transege-
runt, de reliquo pœnitentiam student per-
agere. Denique æstas Ecclesiæ fuit, quando
in Christianis caritatis viguit ardor.
21 *Super contritione filiæ populi mei con-*
tritus sum, id est, Christianorum ruinæ
22 compassus sum. *Numquid resina non est* C
in Galaad? Per Galaad, quod interpretatur tumulus testis, vel acervus testimonii, designatur Ecclesia, in qua est utriusque Testamenti testimoniorum copia; per resinam autem, Salvatoris doctrina, vel crucis mysterium, seu passionis dominicæ medicamentum, videlicet virtus ac meritum Christi, quibus vitiorum vulnera cuncta curantur. *Aut medicus non est ibi?* videlicet Christus, summus ac optimus animarum curator, qui ait : Non est opus sanis Matth. i 12.
medicus, sed male habentibus; et item, Filius hominis non venit animas perdere, Luc. ix, 5
sed salvare. Medicus quoque est, omnis dignus Christi vicarius, prædicator ac doctor. Quum itaque hæc in Ecclesia habeantur, Deus de perversitate Christianorum conqueritur : *Quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* Pro quo alia translatio habet : Quare ergo non ascendit sanitas plebi meæ ? quasi dicat : Defectus est ex parte ipsorum. Unde et pœnitens profitetur : Putruerunt et corruptæ Ps. xxxv 6.
sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ.

ARTICULUS XIX

EXPLANATIO CAPITULI NONI : QUIS DABIT CAPITI MEO AQUAM, ET OCULIS MEIS FONTEM LACRIMARUM ?

POSTQUAM Propheta populi sui iniqui-
tates descripsit, nunc eas deplangit. D
1 *Quis dabit capiti meo aquam,* id est lacri-
mandi copiosam materiam, *et oculis meis*
fontem lacrimarum, ut jam non sint mihi
stillicidia, sed flumina fletus ? *et plorabo*
die ac nocte, vel sine interruptione, vel
frequenter ac competentibus horis dierum
ac noctium, *interfectos filiæ populi mei,*
id est Judæos occisos, et protinus occi-
dendos, ipsamque urbem ac templum Je-
2 rusalem. *Quis dabit me in solitudine in*
diversorio viatorum ? id est, quis mihi
præstet esse ac demorari in solitario loco in deserto, et in diversorio seu habitaculo separato, quo ob causam viatores ad tempus divertunt ? Unde Septuaginta transtulerunt : Quis mihi det in solitudine mansionem novissimam ? Talem autem locum optavit, ut liberius fleret pro populo, instantiusque oraret pro eo, præsertim pro animarum salute. Item, ne inter tam impios habitaret, quia eorum peccatis plurimum affligebatur ex zelo justitiæ atque divini honoris, quem copiose habebat. Ideo sequitur : *et derelinquam populum me-*

um, videlicet compatriotas, concives, ami-
cos et proximos, *et recedam* corporaliter
ab eis : mentis tamen affectu non eos re-
linquo.

Et quoniam mala culpæ pejora sunt,
magisque plangenda quam mala pœnæ,
consequenter ostendit se peccata populi
sui potius lamentari, quam temporalem
vastitatem eis de proximo imminentem.
Quia omnes adulteri sunt, id est quidam
de omnibus, et maxima pars eorum; vel,
Omnes spiritualiter adulteri per idolola-
triæ fornicationem; *cœtus prævaricatorum,*
3 id est exercitus impiorum. *Et extenderunt*
linguam suam quasi arcum suum, arcum,
inquam, *mendacii, et non veritatis :* id
est, ad loquendum mendacium linguas su-
as moverunt, ut sicut ex arcu emittuntur
occidentia jacula, ita de eorum lingua pro-
cederent verba nociva. *Confortati sunt in*
terra, id est in vitiis confirmati, *quia de*
malo ad malum egressi sunt, id est, de
peccatis in peccata majora ruerunt, sicut
Ps. LXXXIII, 8. econtrario justi ambulant de virtute in
virtutem; *et me non cognoverunt* per no-
titiam illustrationis divinæ, *dicit Domi-*
4 *nus. Unusquisque se a proximo suo custo-*
diat, observando se ne decipiatur ab eo, *et*
in omni fratre suo, id est cognato, vicino
aut proximo, *non habeat fiduciam : quia*
omnis frater supplantans supplantabit, id
est, quem poterit, suppeditabit seu oppri-
met, *et omnis amicus,* qui scilicet putatur
amicus, *fraudulenter incedet.* Ista atque
sequentia Judæorum vitia, supra descripta
sunt. Nec est intelligendum quod omnes
Judæi simpliciter tales fuerint, sed per ex-
cessum ista dicuntur, ad innuendum quod
valde multi et pene omnes, fuerunt hujus-
Mich. VII, 2. modi. Quibus consonat illud Michææ : Re-
ctus in hominibus non est, omnes in san-
guine insidiantur, et vir fratrem suum
venatur ad mortem.

5 *Et vir fratrem suum deridebit, et veri-*
tatem non loquetur, id est, misero non
condolebit, nec informabit errantem. *Do-*
cuerunt enim linguam suam loqui menda-
cium, id est, consuetudinem sibi fecerunt
A flectendi eam ad proferendum mendacia;
ut inique agerent, laboraverunt, id est,
cum industria et labore studuerunt impie
agere, ita quod artes ac modos nocendi
non sine labore excogitaverunt vel didice-
runt. *Habitatio tua in medio doli.* Hoc du- 6
pliciter exponitur. Primo, ut sit verbum
Dei ad Jeremiam directum, quod scilicet
habitet in medio hominum dolosorum. Se-
cundo, ut sit increpatio populi : eritque
sensus, quod eorum domus ac vita dolis
sit plena. *In dolo,* id est vitio doli insi-
B stendo, *renuerunt scire me,* scientia effi-
caci, *dicit Dominus.*

Propterea hæc dicit Dominus exercitu- 7
um : Ecce ego conflabo, id est, igne puni-
tionis involvam, *et probabo eos,* id est, per
pœnam ostendam quales sint, reprobi sci-
licet, an patientes : quia si temporalem
hanc ultionem patienter pertulerint, probi
reputabuntur, atque ab æternis eruentur
suppliciis. Unde et sanctus Job ait : Pro- *Job* XXIII, 10.
bavit me Dominus, quasi aurum quod per
ignem transit. *Quid enim aliud faciam*
C *a facie filiæ populi mei?* id est, conside-
ratione perversitatis eorum, non restat ni-
si ut taliter puniam eos. *Sagitta vulne-* 8
rans, lingua eorum, id est similis jaculo
ferienti, proferendo verba nociva, detracto-
ria, pungitiva, discordiæ inductiva. Hinc
est illud in Psalmo : Gladius in labiis eo- *Ps.* LVIII, 8.
rum. *Dolum,* id est verba dolosa, *locuta*
est. In ore suo pacem cum amico suo lo-
quitur, et occulte ponit ei insidias. Tales
sunt fraudulenti et domestici inimici, qui
sunt ficti amici; qui sunt gravissima pe-
D stis, et ad nocendum magis idonea. De hac
Judæorum fraudulentia scriptum est ple-
nius in Michæa : Nolite credere amico, et *Mich.* VII, 5, 6.
nolite confidere in duce; ab ea quæ dor-
mit in sinu tuo, custodi claustra oris tui :
inimici hominis, domestici ejus. *Numquid* 9
super his non visitabo? dicit Dominus; et
in gente hujuscemodi non ulciscetur ani-
ma mea? id est, tam impossibile est hæc
peccata inulta manere, et me ea non judi-
care, quam impossibile est me non justum
consistere.

10 *Super montes assumam fletum ac la-* A
mentum, et super speciosa deserti plan-
ctum, id est ea quæ in deserto decora fu-
erunt, videlicet arbores aut aliqua talia
hominibus accommoda; *quoniam incensa*
sunt, id est, idcirco ista deploro, quoniam
habitacula ac speciosa quæque Judæorum
in montibus ac solitudine posita, a Chal-
dæis mox comburentur; et ideo quoque
lamentor, *eo quod non sit vir pertransiens*
vias montium ac deserti Judææ. Nam Ju-
dæi de terra sua translati fuerunt, ita quod
pauci aut nulli eorum ibi transibant. *Et* B
non audierunt vocem possidentis, id est,
Judæi non obedierunt verbis Dei, qui om-
nia possidet, cujus sunt omnia. *A volucre*
cœli usque ad pecora transmigraverunt et
recesserunt, id est, non tantum Judæi in
Babylonem ducentur, sed aves quoque et
pecora terram istam relinquent. Chaldæi
enim pecora consumpserunt. Aves autem
quæ in terris fructiferis pastum quærunt,
terris illis incultis manentibus, avolant.
Ista superius habita atque exposita sunt.
11 *Et dabo Jerusalem in acervos arenæ, et in* C
cubilia draconum; et civitates Juda dabo
in desolationem, eo quod non sit habita-
tor, id est, funditus destrui eam permit-
tam, ita quod ædificia in cineres redi-
gentur, et animalia venenosa in antris et
foveis ceterisque latibulis ibidem mane-
Mich. III, 12. bunt. Cui simile est illud Michææ : Sion
quasi ager arabitur, et Jerusalem quasi
acervus lapidum erit, et mons templi Do-
mini in excelsa silvarum.
12 *Quis est vir sapiens, qui intelligat hoc,*
et ad quem verbum oris Domini fiat, id D
est qui ex impiorum punitione divinam
consideret æquitatem, et capax sit sermo-
nis Dei per Prophetas? Cui concordat illud
Osee XIV, 10. Osee : Quis sapiens, et intelliget ista? in-
telligens, et sciet hæc? *Ut annuntiet istud,*
quare perierit terra, id est, cur Judæorum
regio sit vastata, *et exusta sit quasi deser-*
tum, eo quod non sit qui pertranseat, id
est, per habitaculorum combustionem in
solitudinem sit redacta, et similis facta
deserto.

Et dixit Dominus : Quia dereliquerunt 13
legem meam quam dedi eis, et non audie-
runt vocem meam, et non ambulaverunt
in ea; et abierunt post pravitatem cordis 14
sui, impiis desideriis consentiendo, et ea
in actum perducendo, *et post Baalim :*
quod didicerunt a patribus suis. Circa
hunc locum ait Hieronymus : Baal est ido-
lum Sidoniorum, et est numeri singula-
ris, Baalim autem pluralis est numeri. Est
igitur sensus, quod deos Sidoniorum co-
luerunt, prout a patribus suis idololatris
didicerunt, ita ut patrem sequeretur sua
proles. Circa quod scribit Hieronymus :
Ergo nec parentum, nec majorum sequen-
dus est error, sed auctoritas Scriptura-
rum. *Idcirco hæc dicit Dominus exerci-* 15
tuum, id est angelicorum agminum, *Deus*
Israel, id est Jacob patriarchæ, qui alio
nomine dictus est Israel : juxta illud in *Gen.* XX 28.
Psalmo, Jubilate Deo Jacob. Vel, Deus *Ps.* LXXX
Israel, id est Israeliticæ plebis de Jacob
exortæ. *Ecce ego cibabo populum istum*
absinthio, et potum dabo eis aquam fellis,
id est, amaritudinibus atque angustiis eum
implebo, sicut impletur manducans cibo
ac poculo. *Et dispergam eos in gentibus,* 16
quas non noverunt ipsi et patres eorum,
id est inter Chaldæos, Persas ac Medos; *et*
mittam post eos gladium donec consuman-
tur, id est, quosdam eorum in via alienis-
que terris permittam occidi : juxta illud
Ezechielis, Dispergam eos in omnem ven- *Ezech.* 12.
tum, et gladium evaginabo post eos.
Hæc dicit Dominus exercituum : Con- 17
templamini, id est, circumspicite, o Judæi
jam puniendi, *et vocate lamentatrices,* id
est feminas quæ alios ad fletum provocare
solent ac sciunt, *et veniant; et ad eas quæ*
sapientes sunt in hac arte, videlicet in
modo provocandi ad fletum, quæ causam
flendi sagaciter pensent atque flebiliter
proferant, *mittite, et properent; festinent,* 18
et assumant super vos * *lamentum.* Qua- * alias r
si dicat : Gravissima vobis instat calami-
tas. Porro, secundum Hieronymum, con-
suetudo fuit Judæis, ut mulieres sparsis
crinibus atque nudatis pectoribus, voce

modulata ac lugubri lacertos manibus ver-
berantes, populum ad lacrimas concita-
rent. Sunt enim magis compassivæ, mol-
les ac flebiles, quam sint viri. Unde et
in Evangelio scriptum est, quemadmodum
Christus in domo archisynagogi, cujus uni-
Matth. ix, 23. ca filia erat defuncta, vidit tibicines, hoc
est lugubre carmen cantantes.

Consequenter Propheta populo compa-
tiens, seque ei consocians, ait : *Deducant
oculi nostri lacrimas, et palpebræ nostræ
defluant aquis :* id est, abundantissime
19 fleamus; *quia vox lamentationis audita
est,* id est, cito audietur, *de Sion,* id est
de Jerusalem et loco ubi fuerat templum.
Quæ autem sit vox ista, subjungitur : *Quo-
modo vastati sumus* a Chaldæis, *et confusi
vehementer,* ita quod resistere non vale-
mus? Hoc habitatores Jerusalem tempore
obsidionis dixerunt. Atque ad verba sua
sub forma quæstionis proposita, ipsimet
mox respondent : *Quia dereliquimus ter-*
* dejecta *ram, quoniam deserta* sunt tabernacula
nostra :* id est, ideo patimur ista, quoniam
nostris peccatis meruimus terram nostram
amittere, domibusque privari.

Consequenter Propheta hortatur lamen-
tatrices, ut et filias suas doceant de Judæo-
20 rum miseria lamentari. *Audite ergo, mu-
lieres, verbum Domini, et assumant aures
vestræ verbum ejus,* quod per me Dominus
loquetur vobis; *et docete filias vestras la-
mentum, et unaquæque* lamentatrix doce-
at *proximam suam planctum.* De magnis
namque adversitatibus consueverunt car-
mina mœsta componere, et hæc ipsa filias
21 proximasque docere. *Quia ascendit mors
per fenestras vestras*, ingressa est domos*
* nostras *vestras* :* id est, Chaldæi cum tanto impe-
tu vos invaserunt, quod fenestras ac ja-
nuas confregerunt, sicque per loca talia
introeuntes, in propriis vos domibus occi-
derunt. Loquitur autem Propheta de futu-
ro per modum præteriti. Itaque ingressi
sunt *disperdere parvulos deforis* et *juve-
nes de plateis,* id est ad occidendum istos
extra domum exsistentes, vel in domo, ne
de cetero deforis aut in plateis appareant.

Et cadet morticinum hominis, id est occi- 22
sorum corpora, *quasi stercus super faciem
regionis, et quasi fœnum post tergum me-
tentis, et non est qui colligat :* id est, tot
Judæorum in Jerusalem et circa eam sunt
occidendi, et tanquam vilissima stercora
conculcandi, quod cadavera non sepeli-
entur.

Hæc dicit Dominus : Non glorietur sa- 23
*piens in sapientia sua, et non glorietur
fortis in fortitudine sua, et non glorietur
dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur,* 24
qui gloriatur, scire et nosse me. Ad litte-
ram iste est sensus : Nullus Judæorum
præsumat neque superbiat, putans se im-
minentem vastitatem vel per legis doctri-
nam seu quamcumque scientiam, vel per
fortitudinem corporalem, vel per rerum
opulentiam evadere : juxta illud Amos,
Peribit fuga a veloce, et robustus non sal- Amos ii, 14.
vabit animam suam. Qui igitur sobrie vult
gaudere, inde lætetur in Deo grata ac hu-
mili mente, quod per gratiam illustrantem
scit Deum, et noscit eum per fidem ac
rationem. *Quia ego sum Dominus,* id est, id
cognoscat de me, quod ego sum Dominus
universorum; vel idcirco in mei notitia
est gaudendum, quoniam ego sum omni-
um Dominator altissimus. *Qui facio mi-
sericordiam, et judicium, et justitiam in
terra,* id est, omnium providentiam habeo,
pœnitentibusque ignosco, universis quo-
que quod merentur retribuo. Hoc idcirco
Dominus ait, quoniam plurimi Judæorum
providentiam Dei negabant, de quibus per
Sophoniam testatur : Visitabo super viros Soph. i, 12.
defixos in fæcibus suis, qui dicunt : Non
faciet Dominus bene, et non faciet male :
hoc est, nec pœnam infliget injustis, nec
bonis gloriam condonabit. Denique ex hoc
Jeremiæ verbo sumpsit, secundum Hie-
ronymum, Apostolus illud testimonium ad
Corinthios : Qui gloriatur, in Domino glo- I Cor. i, 31;
rietur. Præinducto quoque verbo conso- II Cor. x, 17.
nat, quod in libro Sapientiæ scribitur :
Nosse te, Domine, consummata justitia est; Sap. xv, 3.
et scire justitiam et virtutem tuam, radix
est immortalitatis. *Hæc enim placent mi-*

hi, ait Dominus, id est inanem gloriationem abjicere, atque in propria mei cognitione fideliter gaudere. Vel : Hæc, scilicet misericordia, judicium et justitia, placent mihi, quia in me ipso, et item in aliis approbo ea ; imo præcipio ut rationales creaturæ misericordiam, judicium et justitiam agendo, me imitentur : juxta illud
Mich. vi, 8. Michææ : Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : utique facere judicium, et diligere misericordiam.

25 *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et* B
visitabo super omnem qui circumcisum habet præputium. Aliqui textus habent, Incircumcisum ; sed in Hebræo et in textu Hieronymi habetur, Circumcisum, et secundum hoc Hieronymus exponit etiam
26 hunc locum. Denique sequitur : *super Ægyptum, et super Juda :* Judæi autem corporaliter circumcisi fuerunt ; *et super Edom,* id est Idumæos, *et super filios Ammon, et super Moab.* Circa quæ scribit Hieronymus : Multæ gentes et maxime quæ A Judææ confines sunt, usque hodie circumciduntur ex quadam parte seu partim, præcipue Ægyptii et Idumæi, Ammonitæ et Moabitæ, et omnis regio Sarracenorum, qui habitant in solitudine : de quibus in textu subjungitur : *et super omnes qui attonsi sunt in comam, habitantes in deserto.* Isti fuerunt Agareni seu Sarraceni, filii Ismaelis, qui patrem suum in circumcisione carnali et coma secuti sunt. Præfatas autem has gentes visitavit Dominus, puniendo eorum peccata per Nabuchodonosor regem Babylonis. Si itaque legatur, Qui incircumcisum habent præputium, intelligendum est de præputio cordis vel etiam carnis, quantum ad eos qui inter prædictos populos carne circumcisi non erant. *Quia omnes gentes habent præputium* carnis : omnes, videlicet exceptis gentibus nunc præfatis. *Omnis autem domus Israel,* id est Judæi, *incircumcisi sunt corde,* id est vitiosi et Deo rebelles. Unde in Deuteronomio legitur : Circumcidet Dominus cor tuum, si ad eum redieris. *Deut.* x[xx], 6, 2.

ARTICULUS XX

DE TROPOLOGICO EJUSDEM CAPITULI NONI INTELLECTU.

QUOD in exordio præsentis capituli Je- C
1 remias loquitur, *Quis dabit capiti meo aquam,* etc.? omnis præsertim prælatus, et animarum curatus, omnisque princeps christianus, imo et omnis Catholicus caritate diffusus, ac zelo Dei accensus, dicere debet tempore magnæ adversitatis ac ruinæ confratrum * suorum sibi commissorum, seu quorumlibet proximorum *, ut eorum tribulationes temporales, maxime autem animarum iniquitates deplorent : sicut Apostolus ait, Flere cum flentibus ; et Salvator, Beati, inquit, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Sic Christus deflevit Jerusalem, et Paulus Judæos incre- D dulos, Samuel quoque Saulem. Denique flendum est nobis desiderio patriæ, odio culpæ, Christi compassione, proximorum afflictione. *Et plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei,* id est Christianos in anima spiritualiter mortuos, vel innocenter occisos. Quod ut efficacius impleamus, solitarium locum quæramus, juxta illud in Psalmo : Similis factus sum pelicano solitudinis. Gratiam etenim lacrimarum frequentia hominum impedit. Ideo subditur :

Quis dabit me in solitudine diversorium 2
viatorum? Hinc ait Psalmista : Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine. *Et*

* fratrum
* Christianorum

Rom. xii, 15. *Matth.* v, 5. *Luc.* xix, 41. *Rom.* ix, 2, 3. I *Reg.* 35. *Ps.* ci, *Ps.* liv

derelinquam populum meum, et recedam A
ab eis : quia omnes adulteri sunt, cœtus
prævaricatorum. Viri justi impiis cohabi-
tantes, videndo pravitates illorum contra
Deum atque justitiam, non mediocriter
affliguntur : tum ex zelo Dei, cujus hono-
rem desiderant, idcirco de ejus inhono-
ratione cordialiter contristantur; tum ex
caritate fraterna, qua de proximorum pe-
riclitatione tristantur; tum ex zelo justi-
tiæ, quo iniquitatem odiunt propter ejus
in se ipsa deformitatem, propter quod non
sine dolore cernunt justitiam conculcari B
ac vitia perpetrari. Unde in secunda sua
epistola scribit beatissimus Petrus de Lot,
II *Petr.* II, 8. quod adspectu et auditu justus erat, habi-
tans apud eos qui de die in diem animam
justam iniquis operibus cruciabant. Deni-
Marc. IX, 18. que Christus in Evangelio loquitur : O ge-
neratio incredula, quamdiu apud vos ero?
quamdiu patiar vos? At vero spiritualiter
adulteri sunt, quorum animæ, Sponso cœ-
lesti relicto, cum dæmonibus vitiisque
concordant.

3 *Extenderunt linguam suam quasi ar-* C
cum mendacii, et non veritatis. Hoc verbo
redarguuntur falsiloqui, qui sine timore a
veritate recedunt, quum tamen Deus sit
Ps. V, 7. veritas; ad quem ait Propheta : Perdes
omnes qui loquuntur mendacium. Aposto-
Ephes. IV, 25. lus quoque : Deponentes, inquiens, om-
ne mendacium, loquimini veritatem unus-
quisque cum proximo suo. Quod quam sit
acceptum, Salomon in Proverbiis pandit :
Prov. III, 3, 4. Misericordia et veritas non te deserant, et
invenies gratiam coram Deo et homini-
bus. Honestissimum plane est, nequaquam D
mentiri. Præinducto insuper verbo redar-
guuntur mordaces, fallaces, ac susurrones,
fraternæ concordiæ corruptores, quibus
Ps. LXIII, 4. convenit illud Psalmi : Exacuerunt ut gla-
dium linguas suas. *Confortati sunt in ter-*
ra. Qui terrena magis quam cœlestia dili-
gunt, in his quæ mundi sunt, confortari
conantur. *Quia de malo ad malum egressi*
sunt. Tales sunt, qui sine numero peccant,
qui conscientiam suam quotidie examina-
re ac purificare non student, et pravitatem

in consuetudinem convertentes, animarum
suarum læsiones atque pericula non ad-
vertunt. *Et me non cognoverunt, dicit Do-*
minus. Nullus qui in peccato manet mor-
tali prostratus, Deum agnoscit cognitione
clara, formata et efficaci, nec limpidis, sed
lippis eum inspicit oculis.

Unusquisque se a proximo suo custo- 4
diat, etc. His verbis docemur non omni I *Joann.* IV, 1.
spiritui credere. Unde in Proverbiis scri-
ptum est : Innocens credit omni verbo ; *Prov.* XIV, 15.
astutus considerat gressus suos. In Eccle-
siastico quoque : Si possides amicum, in *Eccli.* VI, 7, 8.
tentatione posside eum, et non facile cre-
das ei te ipsum ; est enim amicus secun-
dum tempus suum, et non permanebit in
die tribulationis. Et post pauca : Non omni *Ibid.* VIII, 22.
homini cor tuum manifestes, ne forte con-
vitietur tibi. Attende tibi a pestifero. *Vir* *Ibid.* XI, 35.
fratrem suum deridebit. Quod quam im- 5
pium sit, audiant derisores : scriptum est
enim in Proverbiorum libro : Illusores *Prov.* III, 34.
Deus deludet; et in Isaia : Væ qui spernis; *Is.* XXXIII, 1.
nonne et ipse sperneris? *Docuerunt lin-*
guam suam loqui mendacium. Hoc fa-
ciunt, qui ex consuetudine et cum de-
lectatione mentiuntur ; item, qui verbis
coloratis ac callidis sophisticisque utun-
tur. *Ut inique agerent, laboraverunt.* Quam
multi tales ! quam multi discurrunt ut
luxurientur ! quam multi nituntur dita-
ri, aut plura beneficia, aut unum pingue
acquirere, non ut Deo per vitam virtuo-
sam ac sobriam obsequantur, sed ut in
deliciis vivant, ut ab hominibus honoren-
tur ! *In dolo renuerunt me scire, dicit Do-* 6
minus. Dolosi enim non merentur radio
divinæ cognitionis perfundi.

Ecce ego conflabo et probabo eos in ca- 7
mino justæ vindictæ, in quo et reprobi
invenientur. *Sagitta vulnerans, lingua eo-* 8
rum : juxta illud, Filii hominum, dentes *Ps.* LVI, 5.
eorum arma et sagittæ, et lingua eorum
gladius acutus. Timeant et se emendent
susurrones et bilingues, qui teste Scriptu- *Eccli.*
ra maledicti sunt. Hinc scriptum est : Pu- XXVIII, 15.
rificate corda, duplices animo. Et Paulus : *Jacob.* IV, 8.
Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, in- *Galat.* V, 26.

vicem provocantes, invicem invidentes; et A
Galat. v, 15. rursus, Si invicem mordetis et comeditis,
videte ne ab invicem consumamini. Denique omnes isti per linguam suam primo
occidunt se ipsos. Et heu, quam multi
sunt tales! secundum quod in Ecclesiasti-
Eccli. XXVIII, 22. co legitur: Multi ceciderunt in ore gladii,
sed non sic sicut qui interierunt per lin-
Prov. XXI, 23. guam suam. Ideo qui custodit os suum,
custodit ab angustiis animam suam. *In
ore suo pacem cum amico suo,* a quo amatur, sed quem non amat veraciter, *loquitur,* concordiam simulans; *et occulte po-* B
nit ei insidias, qùum tanto acrius nocet,
quanto ille se minus ab ipso observat.
Ps. XXVII, 3, 4. Hinc fertur in Psalmo: Qui loquuntur
pacem cum proximo suo, mala autem in
cordibus ipsorum; da illis secundum opera eorum. Hoc est quod subditur:
9 *Numquid super his non visitabo? dicit
Dominus.* Quasi dicat: Peccata ista magna
10 sunt valde. *Super montes assumam fletum,*
id est, prælatorum ac principum Ecclesiæ deflebo ruinam, qui ad tantam peccati labem sunt devoluti: qui tanto amplius C
sunt plangendi, quanto eorum impietas
pluribus nocet. *Et super speciosa deserti
planctum,* id est, de subditorum casu lugebo, qui sunt deserti hujus mundi quasi
germina pulchra: nec enim pulchrius terræ ornamentum invenitur, quam sint homines, terræ habitatores. *Quoniam incensa
sunt* igne concupiscentiæ, iræ, superbiæ;
eo quod non sit ex istis *vir pertransiens,*
id est, de via hujus exsilii festinans ad
patriam. *A volucre cœli usque ad pecora,*
id est ab elatis ac vanis usque ad eos qui D
vitam ducunt carnalem, *transmigraverunt,*
id est, de Christi imperio ad dæmonum
11 servitium exierunt. *Et dabo Jerusalem,* id
est animam devotam atque Ecclesiam, *in
acervos arenæ.* Hoc fit, dum spiritualiter
per peccatum mortale omni esse meritorio,
spirituali, infuso privantur. *Et in cubilia
draconum,* id est dæmonum, qui in talium
cordibus demorantur. *Et civitates Juda,* id
est congregationes religiosorum seu particulares Ecclesias, *dabo in desolationem*
permissive, ita quod per tentationes dejiciuntur. *Quis est vir sapiens, qui intelli-* 12
gat, id est, qui ex tribulationibus vitæ
præsentis attendat æquitatem providentiamque Dei sublimis, et gravedinem propriæ culpæ?
Idcirco hæc dicit Dominus: Ecce ego 15
*cibabo populum istum absinthio, et potum
dabo eis aquam fellis,* id est, pane tribulationis et aqua angustiæ reficientur: quia
non solum in futuro, sed etiam in præsenti variæ afflictiones occurrunt mundanis, qui gravissimum Dei judicium nequaquam effugient. *Hæc dicit Dominus:* 17
Vocate lamentatrices, id est devotas et
caritativas personas; *et assumant super vos* 18
lamentum, id est, peccata vestra deplorent. Hoc consilium est salubre, ut qui
duro sunt corde, ad ferventes ac compassivos confugiant: quatenus orando, condolendo, plorando, sibi succurrant.
Consequenter pœnitentes exclamant:
Deducant oculi nostri lacrimas, quia vox 19
lamentationis audita est de Sion, id est
de Ecclesia et principalibus locis ejus:
quæ ruinam suam in spiritualibus bonis
graviter plangit, quod scilicet jam tot sunt
errores, schismata hæresesque in ea, tot
abusiones et simoniæ atque acediæ. Ideo
subditur: *Quomodo vastati sumus,* id est
ab invisibilibus ac visibilibus hostibus
impugnati, variisque peccatis vallati, *et
confusi vehementer? Quia dereliquimus
terram,* id est, peccatis nostris amisimus
militantis sanctæ Ecclesiæ communionem,
et proprii corporis terram non subjecimus
rationi; *quoniam deserta sunt tabernacula nostra,* id est, corpora sive collegia nostra a Sancto Spiritu sunt relicta, ita quod
templum ipsius esse jam desierunt.
Audite ergo, mulieres, id est præfatæ 20
lamentatrices, seu quæcumque feminæ religiosæ ac sanctæ; *et docete filias vestras
lamentum,* id est, inducite atque instruite
eas, ut vobiscum nostra deplorent peccata. *Quia ascendit mors per fenestras ve-* 21
stras, id est per sensus exteriores non custoditos. Qui enim illos non refrenat neque

custodit, haurit per eos mortiferas spe-
cies, et peccata incurrit mortalia, inspici-
endo incaute quod non licet appetere, audi-
endo detractoria ac impia verba, tangendo
lascive, gustando cum voluptate, odoran-
Eccli. IX, 7, 8. do irrefrenate. Ideo scriptum est : Noli cir-
cumspicere in vicis civitatis; et, Averte
Job XXXI, 1. faciem tuam a muliere compta ; et, Pepi-
gi fœdus cum oculis meis, ut ne cogita-
Eccli. XXVIII, 28. rem quidem de virgine ; itemque, Sepi
aures tuas spinis, et noli audire linguam
nequam. *Ingressa est domos vestras,* id
est cubilia cordis, *disperdere parvulos,* id
est imperfectos ac sensu sapientiæ mino-
ratos, *deforis,* id est, qui extra disciplinæ
custodiam inveniuntur, et *juvenes de pla-
teis,* id est leves ac petulantes, de latitu-
dine caritatis, quam relinquentes, incedunt
22 per latitudinem vanitatis. *Et cadet mor-
ticinum hominis quasi stercus super fa-
ciem regionis,* id est, corpora horum morte
iniquitatum turpiter prosternentur.
23 *Non glorietur sapiens in sapientia sua,
et non glorietur fortis in fortitudine sua,
et non glorietur dives in divitiis suis.* Si-
mili ratione nec nobilis in sua nobilitate,
nec pulcher in pulchritudine sua, nec elo-
quens in eloquentia sua, nec ingeniosus
in subtilitate ; nec in aliqua perfectione
naturali est gloriandum inaniter : ut quis
de ea lætetur in se ipso, quasi non habeat
eam a Deo ; vel, ut de ea superbiat, aut
alium spernat. Imo nec in supernaturali-
bus donis gratiæ est gaudendum, ibi ulti-
mate sistendo, sed ea ad Deum ac ejus
honorem finaliter ordinando. Sic quoque
de ceteris Dei donis ac bonis possumus
gloriari, in quantum per ea ad Dei amo-
rem atque obsequium expediti efficimur.
24 *Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire
et nosse me,* in via per fidem illuminatam
ac sapientiæ donum, in patria vero per
speciem. Hæc enim cognitio Dei, est nostra
felicitas ac ultimus finis, Salvatore id as-
Joann. XVII, 3. serente ad Patrem : Hæc est vita æterna,
ut cognoscant te solum verum Deum, et
A quem misisti Jesum Christum ; Joanne
quoque in prima sua epistola : Nondum I Joann. III, 2.
apparuit quid erimus ; scimus quoniam
quum apparuerit, similes ei erimus, quia
videbimus eum sicuti est. Verumtamen
quum ista Dei cognitio sit quid creatum,
nec in ea gloriari debemus, ibi sistendo seu
tanquam in objecto simpliciter ultimato,
sed tanquam in ultimo fine interiori for-
mali, quo immediate, proxime ac perfectis-
sime conjungimur Deo, ipsum ad Deum,
qui est finis ultimus atque felicitas obje-
B ctalis, totaliter referendo, ut medium quo
eum plenissime reveremur. Itaque in do-
nis Dei gloriandum est ordinate, scilicet :
in corporalibus exterioribus ac naturali-
bus, per relationem eorum ad bona spi-
ritualia interiora ac supernaturalia ; in
istis quoque, per relationem eorum ad
præfatam Dei contemplativam cognitio-
nem ; et item in hac, per relationem ejus
ad Deum, universæ bonitatis atque totius
beatitudinis fontem : ut omnino qui glori- I Cor. I, 31; II Cor. X, 17.
atur, in Domino glorietur, vel sicut in ob-
C jecto, vel sicut in ratione ac fine gloriatio-
nis quæ objectaliter est de bonis creatis.
Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et 25
*visitabo super omnem qui incircumcisum
habet præputium* circumcisione spiritua-
li, qua omnia membra corporis, viresque
animæ sunt circumcidendæ, ne aliquo ho-
rum aliter quam Deo placet, utamur. De
qua re dictum est plenius. *Super Ægy-* 26
ptum, id est, super eos qui in tenebris
sunt vitiorum. Ægyptus enim interpreta-
tur caligo. Et sic de ceteris gentibus hic
D expressis sumendum est secundum nomi-
num interpretationem. Quod pertranseo,
quum diversitas ista non variet sensum.
Omnes gentes habent præputium : quoniam
vitiis carnis laborant. *Omnis autem domus
Israel,* id est Christiani, ut sit distributio
pro generibus singulorum, *incircumcisi
sunt corde :* quoniam multi in Ecclesia
sunt, qui etsi corporaliter casti sunt, spi-
ritualibus tamen vitiis inquinantur.

ARTICULUS XXI

ELUCIDATIO LITTERALIS CAPITULI DECIMI : AUDITE VERBUM QUOD LOCUTUS EST, ETC.

REVOCAT insuper præsenti capitulo be-
nignissimus Deus populum Israel, et
sub illorum nomine homines universos,
ab idololatriæ superstitione ad beatificum
1 summæ Deitatis cultum. *Audite verbum
quod locutus est Dominus super vos,* id est
ad vos, primo illud loquendo ad me suum
prophetam, deinde illud nunc per me lo-
2 quitur vobis, o *domus Israel. Hæc dicit
Dominus : Juxta vias gentium nolite di-
scere,* id est, ritus et actus gentilium non
addiscatis ut imitemini ea ; *et a signis cœ-
li,* videlicet duodecim signis zodiaci, ac
astris et constellationibus variis, *nolite me-
tuere,* quasi aliquid numinis sit in illis, et
quasi fataliter cogant, aut pro suo arbitrio
prodesse obesseve possint, *quæ timent gen-
tes* idololatræ. Verumtamen homo, quan-
tum ad corporis immutationem, subjacet
influentiis cœlestium corporum. Secun-
dum diversas autem corporis immutati-
ones, disponitur anima ad diversas af-
fectiones seu passiones. Imo ex variis
planetarum conjunctionibus ac constella-
tionibus, maxima imminent pericula po-
pulis, scilicet sterilitates terræ, inundatio-
nesque maris. Sed ob hæc, astra non sunt
veneranda, quæ agunt necessitate naturæ,
sed rector atque creator eorum, in cujus
nutu est talia impedire, ac naturalem cur-
3 sum mutare. *Quia leges populorum vanæ
sunt,* id est, statuta ac jussa deos colen-
tium exstant inania, tanquam veræ bea-
titudinis impeditiva : nam reverentiam uni
soli summo omnipotentique Deo debitam,
creaturis impendunt.

Consequenter contra idololatras dispu-
tat : *Quia lignum de saltu præcidit opus
manuum artificis in ascia,* id est, operatio
manuum, seu operantes manus artificis,
A absciderunt de silva cum instrumento fer-
reo quod ascia nuncupatur, lignum seu
ligna unde idola lignea fabricantur. Ma-
teria ergo vilis corruptibilisque consistit.
Argento et auro decoravit illud, scilicet 4
lignum jam formatum in similitudinem
rei quæ colitur. Aliqui enim idola colu-
erunt tanquam imagines, alii tanquam res
vivas. Sic igitur decoravit, ut per fulgorem
decipiat intuentes. *Clavis et malleis com-
pegit* artifex idolum, *ut non dissolvatur.*
Quum enim sit opus artis, indiget talibus.
B *In similitudinem palmæ fabricata sunt* 5
idola, id est, eo modo quo cælatur aut
pingitur arbor palmæ, vel manus, *et non
loquentur :* quia non vivunt, et si loqui
videntur, spiritus malignus interius for-
mat verba ; *portata* manibus hominum seu
aliis vehiculis, *tollentur* de loco ad locum,
quia incedere non valent : juxta illud, Pe- Ps. cxii
des habent, et non ambulabunt. *Nolite* sec. Heb.
*ergo timere ea, quia nec male possunt fa-
cere, nec bene,* id est neque nocere neque
juvare. Per quod reprobatur error Herme-
C tis Trismegisti qui dixit, statuas animatas,
sensu ac spiritu plenas, imbecillitatem ac
sanitatem hominibus facientes. Denique de
hac materia, scilicet idolorum reprobati-
one, pulchre ac plenius scriptum est in
Isaia et libro Sapientiæ. Sed brevitati stu- Is. xli
dens, ac tædium vitans, allegationes di- Sap. xiv
mitto.

Non est similis tui, Domine, qui cuncta 6
in infinitum perfectione excedis. Verum-
tamen, si nullus similis Deo, quomodo ait
Joannes, Similes ei erimus ? Et quomodo I Joann. 3, 2.
D ad similitudinem suam fecit nos? Et re-
spondendum, quod duplex est similitudo,
videlicet naturalis et imitativa. Similitu-
dine naturali, puta æqualitatis aut æqui-

parantiæ, nulla creatura est similis Deo, A
quum ab ejus majestate in immensum
deficiat. Et quoad hoc, in Isaia scriptum
Is. XL, 18. est : Cui similem fecistis Deum? aut quam
imaginem ponetis ei? Porro similitudine
imitativa, creaturæ Creatori assimilantur,
Lev. XI, 44; XIX, 2. quum et ipse præcipiat : Sancti estote,
quoniam et ego sanctus sum. *Magnus es tu,*
non quantitate aut mole, sed potestate ac
perfectione. Deo quoque idem est, esse et
magnum esse; ejusque magnitudo, est sua
essentia : quæ quum sit infinita, vere can-
Ps. XCV, 4; CXLIV, 3. tamus, Quoniam magnus Dominus et lau- B
dabilis nimis, et magnitudinis ejus non
Job XXXVI, 26. est finis. De quo scriptum est in Job : Ecce
Deus magnus vincens scientiam nostram.
Et magnum, imo immensum, est *nomen*
tuum nominatum, haud dubium quin tu
ipse nomine designatus, *in fortitudine,*
quia omnipotens es. De quo Scriptura ait
Ibid. IX, 4. in Job : Sapiens corde est, et fortis ro-
bore.

7 *Quis non timebit te, o Rex gentium?* id
est, quum talis ac tantus sis, merito om-
nes te formidarent, o Deus omnium gu- C
bernator, rex gentium universarum, ita
quod tuæ potestati subduntur, quamvis
tuæ voluntati non conformentur, se tibi
humili obedientia subjiciendo. Vel ideo
ait, Rex gentium, quia prævidit eas credi-
I *Tim.* I, 17. turas in Deum. Timeamus ergo hunc regem
sæculorum immortalem ac invisibilem.
Quem utinam sic timeremus nos imper-
fecti ac vitiosi, sicut sanctus Job timuit
Job XXXI, 23. eum, sic protestatus : Semper quasi tu-
mentes super me fluctus timui Deum. Un-
Is. VIII, 13. de in Isaia docemur : Dominum exerci- D
tuum sanctificate; ipse pavor vester, et
ipse terror vester. *Tuum est enim decus,*
id est splendor sanctitatis ac veritatis, qui
essentialiter pulcher es, cujus decor finem
non habet, *inter cunctos sapientes gen-*
tium, ita quod ipsi hoc noscunt, puta phi-
losophi, vel quod præ illis decor competit
tibi. Nam et ipsi philosophi deorum cul-
tores, posuerunt unum altissimum Deum :
cui, ut Proclus Platonicus scribit, tota
* caterva deorum catena * comparari non valet;

quem ei Porphyrius regem ac patrem deo-
rum appellat. *Et in universis regnis eo-*
rum nullus est similis tui. De quo scri-
ptum est in Job : Ecce Deus excelsus in *Job* XXXVI, 22.
fortitudine, et nullus ei similis in legisla-
toribus; atque in Psalmo, Non est similis *Ps.* LXXXV, 8.
tui in diis, Domine, et non est secundum
opera tua.

Pariter insipientes, per veræ sapientiæ 8
carentiam, *et fatui,* propter irrationabi-
lem cultum, *probabuntur* a te omnium
judice, et cunctis illuminatis a te, tam ar-
tifices quam cultores deorum seu idolo-
rum. *Doctrina vanitatis eorum, lignum*
est argento involutum, id est, vana eorum
doctrina, non circa Deum, sed circa li-
gnum argento extra ornatum versatur. Alii
(et melius) habent, Argentum, ut sit sen-
sus : *Argentum involutum,* id est produ- 9
ctum aut aliquo circumdatum, *de Tharsis*
(id est de India, secundum quosdam, vel
de locis marinis : in Hebræo enim Tharsis,
mare vocatur) *affertur, et aurum de Ophir,*
unde et Salomoni aurum afferebatur, ut
tertio Regum legitur. Ista itaque pro ido- III *Reg.* IX, 28; X, 21.
lorum afferuntur ornatu. *Opus artificis et*
manus ærarii, supple, est idolum vel ma-
teria idolorum, in quantum artifex in ea et
circa eam operatur; *hyacinthus et purpura*
indumentum eorum, videlicet idolorum :
quia idololatræ vicissim vestes hyacinthi-
nas atque purpureas idolis circumposue-
runt, ut venerabiliora crederentur. *Opus*
artificum universa hæc idola sunt, vel
eorum indumenta jam dicta.

Dominus autem, qui solus est per ple- 10
nam auctoritatem omnium Dominus. Cete-
ri autem non sunt domini, nisi particula-
res et instrumentales, ac subditi Domino
universali. Ideo Dominus nomen est ap-
propriatum Deo omnibus præsidenti, juxta
illud Amos : Dominus nomen illi; atque *Amos* V, 8; IX, 6.
in Psalmo, Qui dominatur in virtute sua *Ps.* LXV, 7.
in æternum. *Deus verus est :* verus, in-
quam, Deus in semetipso, per veram, per-
fectam ac incommutabilem deitatem, non
participatam aut dependentem; verus quo- II *Reg.* VII, 28.
que in suis sermonibus. Imo ipse Deus

sublimis et benedictus, est veritas superessentialis, exemplaris, æterna : a qua tanquam ex supersplendidissimo fonte, omnes veritates ceteræ tanquam rivuli derivantur, et in ea tanquam in superclarissimo speculo idealiter fontaliterque resplendent. *Ipse Deus vivens,* cui idem est esse ac vivere, qui solus per essentiam est vivens et vita : vita plane prima, fontana, superditissima, a qua vita naturæ, vita gratiæ, vita gloriæ profluxerunt ; *et rex sempiternus :* qui universis legem præfixit; ad quem cuncti rectores ac principes comparantur, ut servi ad dominum; quem, teste Porphyrio, ipsa quoque deorum numina perhorrescunt. De quo scriptum est
Eccli. I, 8. in Ecclesiastico : Unus est Altissimus, creator omnium omnipotens, rex potens et metuendus nimis, sedens super thronum;
Ps. XCIV, 3. itemque in Psalmo, Quoniam Deus magnus Dominus, et rex magnus super omnes deos.

Ab indignatione ejus commovebitur terra : vel ipsum terræ elementum (cujus sæpe partes divina jussione concutiuntur,
Ps. CIII, 32. ob hominum scelera, juxta illud : Qui respicit terram, et facit eam tremere); vel impii ac terreni, qui commoventur, terrentur, moriuntur, damnantur, quum Deus indignationem suæ justitiæ super ipsos
Job IX, 5, 6. effundit. Hinc scriptum est in Job : Qui transtulit montes, et nescierunt hi quos subvertit; qui commovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutientur. *Et non sustinebunt gentes comminationem ejus,* id est, effectui divinæ comminationis resistere non poterunt, sed succumbent. Veniente enim super eos plaga, labuntur ac pereunt, secundum quod legitur in Job :
Ibid. IV, 8, 9. Vidi iniquos Domino flante perisse.

11 *Sic ergo dicetis eis,* scilicet gentilibus idolorum cultoribus, vel ipsis diis ac idolis : *Dii qui cœlos et terram non fecerunt, pereant de terra, et de his quæ sub cœlo sunt :* id est, falsi dii qui superstitiose coluntur, quibus divinitas mendose adscribitur, nomen et cultum perdant in terra et sub cœlo, nec inter electos Dei computen-
A tur. Ex quo constat, solum omnium Creatorem esse Deum verum, et cultu latriæ honorandum. Per quod etiam Porphyrius Platonicus, Christianorum hostis acerrimus, ostenditur mendax : qui quum legem christianam assereret falsam, Mosaicam tamen perhibuit esse divinam. Quum ergo secundum Moysen et Prophetas solus omnium Creator sit adorandus, patet errasse Porphyrium, qui coluit deos, et dixit id lege non esse prohibitum. Imo verba ejus implicant contradictionem, sicut in
B libro de Civitate Dei Augustinus clarissime probat. Verumtamen in Scripturis rationales creaturæ interdum certas ob causas dii vocantur; sed non sic, ut adorentur, vel tanquam Deus colantur : nunc autem agit Propheta de diis, quos gentiles superstitiose colebant. Sed quum quidam eorum astra et orbes cœlestes ac elementa, potissime solem et lunam, ut deos coluerint, numquid orandum ut ista pereant? Et respondendum, quod imo, quantum ad hoc quod dii putantur atque coluntur, non
C autem quoad id quod a Creatore sortiti sunt.

Qui facit terram in fortitudine sua, 12
præparat orbem, id est mundum, *in sapientia sua.* Quod uno modo specialiter intelligi potest de Patre, qui per Unigenitum suum cuncta creavit. Filius enim, teste Apostolo, est virtus et sapientia Patris. I *Cor.* I,
De quo Filio ad Colossenses habetur : Qui *Coloss*
est imago Dei invisibilis, quia in ipso con- 15, 16.
dita sunt universa. Secundo, de Deo absolute seu superbeatissima Trinitate, quæ est
D unus Deus, omnium creator, principium primum, et finis. Præparat autem Deus orbem in sapientia sua, quia per eam totum mundum disponit ac regit. *Et prudentia sua extendit cœlos,* dans eis determinatam quantitatem, specificamque figuram, secundum prudentiæ suæ determinationem. Unde in Isaia legitur, quod extendit cœlos, *Is.* XL, 2
et expandit illos sicut tabernaculum ad inhabitandum. Denique his consonat illud Proverbiorum : Dominus sapientia funda- *Prov.* III,
vit terram, stabilivit cœlos prudentia.

13 *Ad vocem suam dat multitudinem aqua-* A
rum in cœlo, id est, ad potestatis suæ impe-
rium fiunt imbres in aere, in quo vapores
humidi de terra elevati, condensantur in
nubes, atque in pluvias resolvuntur. Hinc
Ps. CXLVI, 8. est illud Psalmistæ : Qui operit cœlum nu-
bibus, et parat terræ pluviam. *Et elevat*
nebulas ab extremitatibus terræ, id est a
magno mari terram cingente. *Fulgura in*
* alias *facit* *pluviam fecit*,* id est, terminavit. Nubibus
enim in pluviales aquas resolutis, fulgura
cessant. *Et educit ventum,* id est ventos,
de thesauris suis, id est de potestatis suæ B
divitiis seu secretis, vel de locis terræ oc-
cultis, quantum ad determinatam terræ
partem in qua venti incipiunt. Quamvis
siquidem in generali noscamus ex quibus
terræ plagis flent venti, nescimus tamen
qua parte incipiant, aut quo loco generen-
Ps. CXXXIV, 7. tur. Idem fertur in Psalmo : Educens nu-
bes ab extremo terræ, fulgura in pluviam
fecit; qui producit ventos de thesauris
suis. Præterea ista dicuntur, ut nedum
cœlestia, sed terrestria quoque ac infima
per divinam providentiam moderari no- C
Sap. XII, 13. scamus, juxta illud Sapientis : Non est
alius Deus quam tu, cui cura est de omni-
bus. Hinc etiam pulchre scriptum est in
Job XXXVII, 15, 6, 10-13. Job : Numquid scis quando præcepit Deus
pluviis, ut ostenderent lucem nubium
ejus? Qui præcepit nivi, ut descendat su-
per terram, et hiemis pluviis, et imbribus
fortitudinis suæ. Et latissime funduntur
aquæ; et nubes spargunt lumen suum :
quæ lustrant cuncta per circuitum, quo-
cumque eas voluntas gubernantis duxerit,
ad omne quod præceperit illis, super fa- D
ciem orbis terrarum, sive in una tribu,
sive in terra sua, sive in quocumque loco
misericordiæ suæ eas jusserit inveniri.

14 *Stultus factus est omnis homo a scientia*
sua. Hoc dupliciter explanatur. Primo, ut
omnis homo quantumcumque doctus aut
sapiens, comparatione immensæ sapientiæ
Is. XL, 23. Dei stultus dicatur, juxta illud Isaiæ : Deus
dat scrutatores secretorum quasi non sint.
Prov. XXX, 2. Unde in Proverbiis Salomon ait : Stultis-
simus sum virorum. Quemadmodum enim
comparatione divini esse divinæque lu-
cis, omne esse ac lumen creatum est vel-
ut nihil ac tenebræ; sic respectu sapientiæ
increatæ, creata sapientia quasi ignorantia
reputatur. Secundo, ut de idololatris intel-
ligatur, quos sua scientia fabricandi colen-
dique idola, efficit stultos. Potest demum
et tertio accipi, quod stultus sit omnis
homo a scientia sua : quoniam scientia na-
turalis humanitus adinventa aut invenibi-
lis, nemini sufficit ad salutem. Imo talis
scientia inflat : qui autem inflatur, stultus I Cor. VIII, 1.
est coram Deo. His consonat illud ad Ro-
manos : Soli sapienti Deo honor et gloria. Rom. XVI, 27.

Confusus est omnis artifex in sculptili,
id est, idolorum artifices sunt confusi in
suis sculptilibus seu idolis sculptis : quod
per Apostolorum prædicationem clarissime
patuit; *quoniam falsum est quod conflavit,*
id est, idolum conflatione formatum, est
mendax signum. Imo, secundum Aposto-
lum, idolum nihil est : quia videlicet id I Cor. VIII, 4.
quod per ipsum repræsentatur, nihil est,
vel tale non est quale putatur. Etenim om- Ps. XCV, 5.
nes dii gentium dæmonia. *Et non est spi-*
ritus in eis, id est, spiritus vitæ seu anima
vivens non est in idolis, tanquam forma
intrinseca et pars essentialis horum; vel,
Non est spiritus in eis, puta in artificibus,
eo quod Sancti Spiritus careant gratia. *Va-* 15
na sunt idola, quia ab ultimi finis adeptio-
ne impediunt, *et opus risu dignum,* id est,
opera sunt artificum deridenda. *In tempore*
visitationis suæ, id est tempore ultionis
divinæ, et idola et eorum factores atque
cultores *peribunt.*

Non est his similis pars Jacob, id est, 16
Deus pars patriarchæ Jacob, filiorumque
ejus et omnium vitia supplantantium, non
est similis idolis falsisque diis. Deus au-
tem dicitur pars Sanctorum, secundum il-
lud in Psalmo : Dominus pars hereditatis Ps. XV, 5.
meæ et calicis mei. Infra quoque in Thre-
nis habetur : Pars mea Dominus, dixit ani- Thren. III, 24.
ma mea. Et per Moysen Dominus ait fre-
quenter : Ego pars Levitarum. *Qui enim* Num. XVIII, 20; Deut. X, 9; XVIII, 2.
formavit omnia, ipse est, id est, Deus uni-
versitatis plasmator habet esse verum,

plenum, perfectum ac infinitum, ita quod A
ipse simpliciter esse asseritur, sicut ad
Exod. III, 14. Moysen loquitur : Hæc dices filiis Israel :
Qui est, misit me ad vos. Ad quem sanctus
Job XIV, 4. Job dicit : Quis potest facere mundum de
immundo conceptum semine? nonne tu
qui solus es? *Et Israel virga hereditatis ejus,* id est, populus Israel, et nunc populus christianus, est sceptrum et pars Dei, quia specialiter ad suum cultum eum elegit præ ceteris populis. Unde in cantico
Deut. XXXII, 9. Moyses dixit : Pars autem Domini populus
ejus, Jacob funiculus hereditatis ejus; et B
Ps. LXXIII, 2. Psalmista, Redemisti virgam hereditatis
tuæ. Regnum autem Dei sunt, in quibus ipse per gratiam aut gloriam regnat. *Dominus exercituum nomen illi.* Pro quo in Hebræo habetur, Dominus Sabaoth : quod sonat, Dominus omnipotens, vel, Dominus virtutum : quæ nomina Deo sunt propria, qui cœlestium Dominus est virtutum, seu agminum supernorum. Hinc in Isaia scri-
Is. XLVII, 4. ptum est : Redemptor noster, Dominus exercituum nomen ejus.

His inductis, redit Propheta ad descri- C
bendum Judæorum, qui Deo suo relicto,
17 idola venerati sunt, pœnas. *Congrega de terra confusionem tuam,* id est, terræ nascentia et cetera bona tua in brevi confusibiliter a Chaldæis vastanda, collige intra urbem Jerusalem, *quæ habitas in obsidione,* id est tu, plebs Jerusalem, jam jamque a Chaldæis obsidenda. Unde Septuaginta transtulerunt : Congregavit deforis substantiam suam, quæ habitat in munitione. Quod autem hoc ironice dictum sit perfido
18 populo, verba pandunt sequentia : *quia* D
hæc dicit Dominus : Ecce ego longe projiciam habitatores terræ in hac vice, id est, Judæos nunc per captivitatem projiciam usque in Babylonem; *et tribulabo eos* fame, peste et gladio, *ita ut non inveniantur* in terra ista Judææ.

Insuper loquitur Jeremias in persona
19 Jerusalem seu plebis Judaicæ : *Væ mihi super contritione,* id est punitione *mea, pessima plaga mea,* id est gravissima : sicque pessima nuncupatur malitia pœnæ, non culpæ, quemadmodum apud Jonam
legitur : Misertus est Dominus super ma- Jonæ III
litiam, quam locutus est ut faceret eis (videlicet Ninivitis), et non fecit. Denique de
hoc in Ezechiele Dominus dixit : Mittam Ezech.
in eos (puta Judæos) quatuor judicia mea 21.
pessima, scilicet quatuor plagas : quæ hic singulariter plaga vocantur, quoniam una plaga in genere, et quatuor in specie. *Ego autem dixi : Plane hæc infirmitas mea est,* id est, plaga ista me debilitans, pœna est mihi pro peccatis meis inflicta, *et portabo illam* patienter pro meis sceleribus. Unde pro infirmitate, Septuaginta transtulerunt, Vulnus. Istud dicitur in persona pœnitentium Judæorum, quibus vexatio contulit intellectum. Et consonat his illud
Michææ : Iram Domini portabo, quia pec- Mich. V
cavi ei.

Deinde Jerusalem ait : *Tabernaculum* 20
meum vastatum est, id est templum a Chaldæis combustum; *omnes funiculi mei dirupti sunt,* id est templi extentiones seu partes : quæ similitudinarie funiculi appellantur : nam de templo Salomonis loquitur nunc Propheta ad modum taberna-
culi Moysis, quod funibus extendebatur, et Num.
pellibus operiebatur. Unde et hoc loco 26; Ex. XXXVI, 1
Septuaginta transtulerunt : Omnes pelles meæ conscissæ sunt. *Filii mei,* id est habitatores, *exierunt a me* in captivitatem, *et non subsistunt* in terra hac vel in vita. Nam multos eorum occiderunt Chaldæi. *Non est qui extendat ultra tentorium meum, et erigat pelles meas,* id est, nemo est qui reparet me, et more solito tentoria
mea expandat : juxta illud Isaiæ, Derelin- Is. I,
quetur filia Sion ut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario, et sicut civitas quæ vastatur.

Quia stulte egerunt pastores, id est prin- 21
cipes sacerdotum, reges ac præsidentes, *et Dominum non quæsierunt* debita devotione, et recta intentione, obedientique mente; *propterea non intellexerunt* ea quæ Dei sunt, et verba Prophetarum sancto-
rum, *et omnis grex eorum dissipatus* est,* * disper
id est, subditi per vitia et tormenta disper-

si sunt ac destructi. Causa ergo erroris ac A
perversitatis, pœnæ et damnationis subditorum, est negligentia atque impietas su-
Eccli. x, 2. periorum, juxta illud Ecclesiastici : Secundum judicem populi, sic et ministri ejus; et qualis est rector civitatis, tales et inhabitantes in ea. Quam verum sit hoc, innotescit legentibus libros Judicum, Regum, ac Paralipomenon. Isti fuerunt pastores nomine, non virtute, quibus compe-
Zach. xi, 17. tit illud Zachariæ, O pastor et idolum. De hac re scriptum est plenius in Ezechiele,
Ezech. xxxiv, 5. ubi inter cetera Dominus ait : Dispersæ B
sunt oves meæ, eo quod non esset pastor.
Ibid. 2. Quibus verbis præmisit : Væ pastoribus
22 Israel, qui pascebant semetipsos. *Vox auditionis ecce venit,* id est, verbum quod a Deo audivi, nunc adimpletur : sicut subjungitur : *et commotio magna,* id est ingens strepitus hostium, venit *de terra aquilonis,* scilicet de Chaldæa, *ut ponat civitates Juda in solitudinem et habitaculum draconum,* id est, funditus destruat eas, ita ut venenata illic animalia demorentur.

Consequenter Jeremias communem hu- C
mani generis fragilitatem insufficientiamque allegat, ut Deum ad misericordiam
23 flectat. *Scio, Domine, quia non est hominis via ejus,* id est, in hominis naturali ac propria potestate non est, viam justitiæ secundum divinæ legis intentionem implere; *nec viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos,* id est, in virorum potestate propria non consistit, conversari atque operationes suas dirigere secundum rectitudinem legis divinæ. Ideo ait Psalmista :
Ps. xxxvi, 23. Apud Dominum gressus hominis dirigen- D
tur, et viam ejus volet. In Proverbiis quo-
Prov. xvi, 9. que legitur : Cor hominis disponit viam suam, sed Dei est dirigere gressus ejus. Hoc est quod ad Romanos post multa con-
Rom. ix, 16. cludit Apostolus : Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Denique, quum beatitudo ad quam conditi sumus, sit supernaturalis, non nisi per supernaturalia Dei dona et media atque subsidia ad eam pervenire valemus. Propter
Joann. xv, 5. quod ait Salvator : Sine me nihil potestis facere. Itaque nil meritorie possumus cogitare, loqui aut operari, nisi per supernaturalia dona gratiæ et caritatis, imo et per actualem motionem Spiritus Sancti. Ideo namque ait Apostolus : Fiduciam ta- II Cor. iii, 4, 5.
lem habemus, non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est. Et rursus, Nemo potest dicere Dominus Jesus, I Cor. xii, 3.
nisi in Spiritu Sancto; itemque, Deus est Philipp. ii, 13.
qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate, utique sua, non nostra, hoc est ex sua benevolentia. Sed quoniam infusionem donorum gratiæ nostra peccata præpediunt, recte orare debemus:

Corripe me, Domine, id est, in vita 24
præsenti castiga me; *verumtamen in judicio* discretionis, id est secundum sapientiæ tuæ discretionem ac pietatis tuæ censuram, secundum quod noveris me posse ferre, fragilitati meæ condescendendo, patientiamque donando, *et non in furore tuo,* id est non secundum æquitatis tuæ rigorem, et sicut magnitudo iniquitatum mearum meretur. Hoc est quod orat Psalmista : Adspice in me, et miserere mei, se- Ps. cxviii, 132.
cundum judicium diligentium nomen tuum. Et denuo Psalmista orat : Domine, ne Ps. vi, 2; xxxvii, 2.
in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. *Ne forte ad nihilum redigas me,* id est, ne penitus me relinquas, perimas, et condemnes. Quamvis enim homo non redigatur in nihilum, quantum ad suam essentiam naturaleque esse, quum et anima ejus sit immortalis, materia quoque prima ingenerabilis incorruptibilisque feratur; nihilo minus spiritualiter in nihilum redigitur, quum omni esse gratiæ destituitur et privatur. Unde Apostolus : Qui Galat. vi, 3.
se putat aliquid esse, quum nihil sit, ipse se seducit. Quum itaque nullum malum maneat impunitum, optemus nunc paternaliter corripi, nec frangamur adversis, sed quidquid occurrit molestiæ, tanquam disciplinam Dei Patris patienter cum gaudio amplectamur, pensantes illud Apostoli ad Hebræos : Si extra disciplinam estis, Hebr. xii, 8.
ergo adulteri, et non filii estis.

25 *Effunde indignationem tuam super gen-*
tes quæ non cognoverunt te, id est, secun-
dum rigorem justitiæ puni eas, *et super*
provincias quæ nomen tuum non invoca-
verunt. Ad litteram autem est sermo con-
tra Chaldæos et adjutores eorum. *Quia*
comederunt Jacob, id est, Judæos filios Ja-
cob, quasi cibum consumpserunt ac pere-
merunt, *et devoraverunt eum,* bona eorum
A edendo; *et consumpserunt illum, et decus*
ejus dissipaverunt, id est templi decorem,
pascua terræ, et quidquid speciosum appa-
ruit in Judæa. Hoc orat Propheta ex zelo
justitiæ, conformans se æquitati ac volun-
tati divinæ. Potest quoque intelligi per
modum denuntiationis propheticæ, vel ut
in præsenti acriter puniantur, quatenus
postremo levius habeant.

ARTICULUS XXII

DE SENSU MORALI EJUSDEM CAPITULI DECIMI.

QUOD in principio hujus capituli Pro-
2 pheta ait Judæis, *Juxta vias gentium*
nolite discere, etc., hoc est quod Apostolus
Ephes. IV, 17, 18. loquitur Christianis : Non ambuletis sicut
gentes, quæ ignorant Deum. *Et a signis*
cœli nolite metuere : præsertim quum in
Deut. IV, 19. Deuteronomio Moyses dicat : Solem, lu-
nam, et omnia astra creavit Dominus Deus
in ministerium cunctis gentibus; non ergo
3 adores ea nec colas. *Quia leges populorum*
vanæ sunt. Nonne et nunc vanissimæ sunt
leges Sarracenorum ac Tartarorum, qui
summum hominis bonum in carnalibus
ponunt voluptatibus?

12 *Qui facit terram in fortitudine sua,*
præparat orbem in sapientia sua. Quod
communiter dicitur, in creatione manife-
stari Dei potentiam, in dispositione rerum,
ejus sapientiam, his quoque verbis osten-
ditur. Porro, quum aliquid creat Deus,
dicitur etiam id præparare, quia creando
disponit, aptat ac ordinat illud ad suam
operationem, aliosque profectus aut utili-
tates. Præterea nomine terræ, designatur
peccator, qui terrena magis amat quam
Deum : quem Deus in sua fortitudine fa-
cit, id est, spiritualiter reficit dum eum
justificat, juxta illud Augustini : Majus est
peccatorem justificare, quam cœlum et
terram creare. Orbem autem, id est Eccle-
siam, disponit ac præparat Deus in sapien-
B tia sua. *Et prudentia sua extendit cœlos,*
id est contemplativos, quorum conversa- *Philipp.*
tio in cœlis est, mentes eorum elevando 20.
ad intuitum supernorum.

Ad vocem suam dat multitudinem aqua- 13
rum, id est expositionum ac documento-
rum sacræ Scripturæ, *in cœlo,* id est in
Ecclesia, quæ in Evangelio frequenter re- *Matth.*
gnum cœlorum vocatur; *et elevat nebulas*
ab extremitatibus terræ. Per nebulas seu
nubes, solent intelligi prædicatores, quos
Deus ab infimis erigit ad divina. *Fulgura*
C *in pluviam fecit :* quia post comminatio-
nis terrorem adversitatisque ignem, con-
solationis ac reparationis dat pluviam, jux-
ta quod fertur in Psalmo : Transivimus *Ps.* LXV,
per ignem et aquam, et eduxisti nos in re-
frigerium. Unde Apostolus : Sicut abun- II *Cor.*
dant passiones Christi in nobis, ita et per
Christum abundat consolatio nostra. *Et*
educit ventum de thesauris suis. Est ven-
tus, id est impetus, persecutionis, tenta-
tionis, commotionisque animæ. Est etiam
ventus bonus inspirationis divinæ. Estque
D uterque a Deo, secundum aliquem modum.

Stultus factus est omnis homo a scien- 14
tia sua. Nemo igitur scientem se jactet,
quum ea quæ scimus, pene nulla sint re-
spectu eorum quæ ignoramus. Nec solum
comparatione Dei, sed etiam angelorum,
homo viator quantumlibet doctus, est qua-

si ignorans ac stultus. *Confusus est omnis* A
artifex in sculptili. Hoc contra hæreticos,
qui diversa mendaciorum portenta quasi
sculptilia conflaverunt.
17 *Congrega de terra confusionem tuam,*
quæ habitas in obsidione. Deus confusio-
nes et vitia Ecclesiæ invisibilibus hostibus
semper obsessæ, aufert de terra, quum
ei pœnitentiæ salutaris gratiam elargitur,
Is. XLIV, 22. juxta illud in Isaia : Delevi ut nubem ini-
18 quitatem tuam. *Ecce ego longe projiciam*
habitatores terræ, id est eos qui terram
quasi patriam diligunt, atque in ea morari B
magis quam peregrinari affectant : quos
19 projicit Deus in tartarum. *Væ mihi su-*
per contritione mea, pessima plaga mea.
Hoc sobrie dicere possumus, quum undi-
que impugnamur, dum corpore et corde
affligimur, dum gravissimis tentationibus
afficimur. Verum excessuum nostrorum
enormitatem pensantes, patienter cuncta
feramus, dicentes quod subditur : *Ego au-*
tem dixi : Plane hæc infirmitas mea est,
et portabo illam. Sic enim digne dicemus
Job XXXIII, 27. et illud in Job : Peccavi, et vere deliqui; C
et ut eram dignus, non recepi. O quam
patienter fert cuncta adversa, qui peccato-
rum suorum multitudinem magnitudinem-
que illuminata mente perpendit !
21 *Quia stulte egerunt pastores, et Domi-*
num non quæsierunt ; propterea omnis
grex eorum dissipatus est. Timeant hoc
prælati, et si ullus sensus in eis est, hor-
reant vehementer : quia ipsorum negligen-
tia atque insipiens coram Deo vita, causa
est iniquitatis ac damnationis subditorum;

imo tot hominum patientur tormenta præ-
lati hujusmodi, quot per eorum negligen-
tiam pereunt. Ideo scriptum est : Judicium *Sap.* VI, 6.
gravissimum fiet in his qui præsunt.
Scio, Domine, quia non est hominis via 23
ejus, etc. Non igitur præsumamus, neque
inaniter in nostris meritis, industriis seu
perfectionibus confidamus ; sed cum Psal-
mista oremus : Gressus meos dirige secun- *Ps.* CXVIII, 133.
dum eloquium tuum, et non dominetur
mei omnis injustitia. Illud quoque Osee
impleamus : Spera in Deo tuo semper. *Osee* XII, 6.
Nempe ob id, in Osee Deus omnipotens
protestatur : Perditio tua ex te ; in me *Ibid.* XIII, 9.
tantummodo auxilium tuum. Verumtamen
per ista homini non aufertur libertas ar-
bitrii, quum in Ecclesiastico scriptum sit :
Deus reliquit hominem in manu consilii *Eccli.* XV, 14.
sui. Nec aliquis potest se per suam impo-
tentiam excusare, quum Deus misericors
nulli quod in se est facienti, gratiæ suæ
deneget opem. *Corripe me, Domine,* etc. 24
Si sagaciter consideremus quam salubre
ac utile sit a Deo paternaliter corripi in
præsenti, dicemus ex corde : Corripe me,
Domine, etc., secundum sensum jam præ-
inductum. Hæc quippe correptio, a pec-
cato emundat, gratiam impetrat, Christo
conformat, a futuris suppliciis eruit, ad
gloriamque perducit. *Effunde indignati-* 25
onem tuam, etc. Hoc et in psalmo qui
incipit, Deus, venerunt gentes, habetur ; *Ps.* LXXVIII, 6, 7.
et contra persecutores Ecclesiæ ac boni
communis impeditores, vicissim orandum
est. Ceterorum moralitas patet ex præin-
ductis.

ARTICULUS XXIII

EXPOSITIO CAPITULI UNDECIMI : VERBUM QUOD FACTUM EST A DOMINO AD JEREMIAM.

FREQUENTER in volumine Jeremiæ D
eadem repetuntur, ea potissime quæ
ad moralem spectant doctrinam : non ta-
men superflue ; admonitiones enim opor-

tet frequentius iterare, potissime propter
duros, quales erant quibus Propheta hæc
loquebatur. *Verbum quod factum est a Do-* 1
mino ad Jeremiam, dicens. His quæ nul-

lam in se continent difficultatem, vel quæ
ex superioribus innotescunt, immorandum
2 non arbitror. *Audite verba pacti hujus,* id
est testamenti legisve Moysis. Unde Sep-
tuaginta transtulerunt, Testamenti hujus.
Lex autem fuit quasi testamentum Dei et
pactum inter Deum et filios Israel. *Et*
loquimini ad viros Juda, id est de tribu
Juda : quo nomine etiam filii Benjamin
ac Levitæ significantur; *et* ad *habitatores*
Jerusalem.

3 *Et dices ad eos.* Quum jam pluraliter
dixerit Dominus, Audite et loquimini, quo-
modo nunc singulariter præcipit Jeremiæ,
Dices ad eos ? Et respondendum, quod plu-
raliter dictum est, Audite, etc., ad omnes
Prophetas vel justos in regno Juda, præ-
sertim in Jerusalem tempore isto. Nunc
autem ad Jeremiam, tanquam ad præci-
puum aliquem, singulariter dicitur : *Hæc*
dicit Dominus : Maledictus vir, maledi-
cta quoque et mulier, omnisque adultus,
qui non audierit aure interiori, efficaci ac
4 obedienti, *verba pacti hujus, quod præ-*
cepi patribus vestris, per Moysen in monte
Sinai, *in die,* id est in tempore, *qua eduxi*
eos de terra Ægypti. Dies autem in Scri-
pturis pro tempore accipi consuevit. *De*
fornace ferrea, id est de Ægypto simili
ferreæ fornaci, quantum ad Israelitas, qui
ibi gravissime affligebantur. *Dicens : Au-*
dite vocem meam, et facite omnia quæ
præcipio vobis. Qui enim unum præcepto-
rum transgreditur, peccat mortaliter : pro-
pter quod gratia et caritate carens, nullum
aliorum servat præceptorum secundum le-
gislatoris intentionem. Idcirco servanda
Eccle. IX, 18. sunt omnia. Hinc Ecclesiastes asserit : Qui
in uno peccaverit, multa bona perdet. *Et*
eritis mihi in populum, et ego ero vobis
in Deum. Unde in Deuteronomio Moyses
Deut. VII, 6; XIV, 2; XXVI, 18. ait : Dominus elegit te hodie, ut sis ei
populus peculiaris. *Ut suscitem juramen-*
5 *tum quod juravi patribus vestris,* id est,
promissionem juramento firmatam, Patri-
archis factam, impleam opere, vel imple-
tam conservem. Quod autem fuerit hoc
juramentum, subditur : *daturum me eis,*

A non in propriis eorum personis, sed po-
steris filiisque eorum, *terram fluentem la-*
cte et melle, id est terram Chanaan omni-
um victualium opulentia copiosam. Quam
sæpe hoc Deus Abraham, Isaac et Jacob
promiserit, in libris Moysis elucescit. Ni-
hilo minus in Actibus loquitur Stephanus,
quod Deus non dedit in ea Abrahæ here- Act. VI
ditatem, nec passum pedis. *Sicut est dies*
hæc, id est, quemadmodum nunc ad ocu-
lum claret, me quod spopondi implesse.

Et respondi, et dixi : Amen, Domine,
B id est, fiat quod dictum est, ut populus
tuus in terra ista permaneat. Hoc ait Pro-
pheta impellente amore quo populum su-
um dilexit. *Et dixit Dominus ad me :* 6
Vociferare, id est, alte serioseque prædi-
ca, *omnia verba hæc in civitatibus Juda*
et foris Jerusalem, dicens. Non ergo in
Jerusalem tantum prædicavit Jeremias, sed
in agris et ceteris urbibus regni Juda :
sæpius tamen et magis continue in Jerusa-
lem, imo et ibi dumtaxat, ut apparet, tem-
pore obsidionis Jerusalem. *Audite verba*
C *pacti hujus, et facite illa,* id est, præce-
pta legis implete. *Quia contestans conte-* 7
status sum patres vestros in die qua eduxi
eos de terra Ægypti, usque ad diem hanc.
Nam a tempore illo usque ad tempus Je-
remiæ, admonuit Deus gloriosus atque om-
nipotens filios Israel per Moysen, Josue, Ju-
dices, reges sanctos, Prophetas ac ceteros
justos, ut legem custodirent divinam, sic-
ut ex veteris Testamenti patet decursu.
Mane consurgens contestatus sum, et di-
xi : Audite vocem meam. Et non audie- 8
D *runt, nec inclinaverunt aurem suam, sed*
abierunt unusquisque in pravitate cordis
sui mali. Omnia verba hæc jam sæpe ex-
posita sunt. *Et induxi super eos omnia*
verba pacti hujus [*quod præcepi ut face-*
rent, et non fecerunt], id est, commina-
tiones in lege positas contra rebelles, in-
flixi istis Judæis inobedientissimis.

Et dixit Dominus ad me : Inventa est 9
conjuratio in viris Juda, et in habitato-
ribus Jerusalem : id est, unanimiter se
constrinxerunt juramento, pacto, seu forti

assertione, facere ea quæ ego prohibui. A
III Reg. xii, Unde in libris Regum et alibi leguntur
26 et seq.; I Mach. i, fœdus iniisse cum idolis, atque ad scelera
12, 16. perpetranda. Hinc subditur : *Reversi sunt*
10 *ad iniquitates patrum suorum priores,*
etc., scilicet ad idololatrias, avaritias, indurationes, infidelitates, ac cetera de quibus prædictum est vitia.
11 *Quam ob rem hæc dicit Dominus : Ecce*
ego inducam super eos mala, de quibus exire non poterunt, id est tribulationes multiplices per Chaldæos, videlicet famem, pestem, captivitatem et gladium. B
Mich. ii, 3. Hinc scriptum est in Michæa : Hæc dicit Dominus : Ecce cogito malum super familiam istam, unde non auferetis colla vestra, et non ambulabitis superbi, quoniam tempus pessimum est. *Et clamabunt ad me* tempore angustiæ, *et non exaudiam eos,* quia non vera caritate et pia devotione, sed servili timore ac dira necessitate compulsi, me invocabunt, quem tempore securitatis spreverunt. De hoc quoque in
Ibid. iii, 4. Michæa scribitur : Tunc clamabunt ad Dominum, et non exaudiet eos, sicut nequi- C
Is. i, 15. ter egerunt. Et per Isaiam Dominus : Quum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis; et quum multiplicaveritis orationem, non exaudiam : manus enim vestræ plenæ sunt sanguine. Qualiter autem quærendus et inveniendus sit Do-
Deut. iv, 29. minus, Moyses docet : Quum quæsieris, inquit, Dominum Deum tuum, invenies eum; si tamen toto corde quæsieris eum, et tota tribulatione animæ tuæ. Propterea hoc loco ait Hieronymus : Si non exaudierit Dominus, nequaquam cessandum est D
ab orationibus, sed confugiendum semper ad Dei auxilium, qui iratus cito flectitur, et mutat sententiam, si et hi quibus iratus est, commutentur.
12 *Et ibunt civitates Juda,* id est cives earum, *et habitatores Jerusalem,* ad fana
* deos deorum, *et clamabunt ad eos* quibus libant,* id est, ad deos quibus de liquida materia immolant; *et non salvabunt eos in tempore afflictionis eorum :* quia, ut
Jer. x, 5. dictum est capitulo præcedenti, dii nec
bene facere possunt, nec male. *Secundum* 13
numerum enim civitatum tuarum, erant dii tui, Juda, id est, o popule Judæorum : *et secundum numerum viarum,* id est platearum *tuarum,* o *Jerusalem, posuisti aras confusionis,* id est altaria idolorum, per quæ meruisti confundi, *aras ad libandum Baalim.* Ista superius dicta sunt : per Jer. ii, 28.
quæ patet intolerabilis multiplicatio idololatriæ Judæorum.
Tu ergo, o Jeremia, *noli orare pro po-* 14
pulo hoc, et ne assumas pro eis laudem et orationem, quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me, etc., id est, non ores pro eis, quia etsi simul cum eis orares pro eis, non exaudirem propter eorum malitias. Verba ista superius scripta, ple- Ibid. vii, 16.
niusque exposita reminiscor. Cur autem pro eis non exaudiretur Propheta, Dominus pandit. *Quid est quod dilectus meus,* 15
id est populus Judæorum, cui tam multa beneficia præstiti, atque ad cultum meum elegi (quorum aliqui fuerunt absolute a Deo dilecti, electi, ac prædestinati : non tamen hi de quibus nunc sermo; sed dilecti vocantur, quantum ad temporalia bona, vel propter specialia signa dilectionis Dei ad eos, ita quod Deus, quantum in se fuit, præbuit eis plurimas occasiones salutis : unde et de talibus Moyses ait, In- Deut. xxxii,
crassatus est dilectus, et recalcitravit), *in* 15.
domo mea, id est in templo, *fecit scelera multa,* exercendo idololatrias, ambitiones, usuras ibidem? *Numquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas, in quibus gloriata es?* id est, vane putas te a tuis impietatibus posse per sacrificia emundari, quum tu ipse in affectu peccandi permaneas. Istud quoque superius habitum est. Jer. vii, 21, 22.
Olivam uberem, pulchram, fructiferam,
speciosam, vocavit Dominus nomen tu- 16
um, o Synagoga seu popule Judæorum, id est, tali olivæ te comparavit, et ita te appellavit pro tempore quo Deo digne ministrabas, tempore David, ante quoque et postea : ut patet in libris veteris Testamenti. Tunc nempe fuit populus Judæorum fecundus bonis operibus, pulcher per

sapientiam legis, fructifer in exterioribus rebus, speciosus in decore ac cærimoniis
* David templi, ita ut Salomon* diceret : Quæ est
II Reg. VII, 23 ; I Par. XVII, 21. gens super terram sicut populus tuus Israel ? Denique istud superius dictum est
Jer. II, 21. aliis verbis his : Ego te plantavi vineam electam, etc. *Ad vocem loquelæ grandis, exarsit ignis in ea.* Hoc tripliciter explanatur. Primo : Ad vocem, id est ad imperium, loquelæ grandis, id est sermonis Dei magni, ignis exarsit in ea, id est, Chaldæorum igne succensa est ipsa Jerusalem. Secundo : Ad vocem loquelæ grandis, id est ad sententiam Nabuchodonosor regis magni, exarsit ignis in ea. Nam ipso judicante, Jerusalem fuit combusta. Tertio : Ad vocem loquelæ grandis, id est propter verba superba jactantiosi sermonis hujus olivæ, ipsa combusta est, quia intumuit.
Ps. LI, 10. Præterea, si Psalmistæ licuit dicere, Ego autem quasi oliva fructifera in domo Dei : quanto magis populus iste totalis pro tempore divini cultus, oliva modo prætacto vocandus est? Sed et de populo Israel scri-
Osee XIV, 7. ptum est in Osee : Erit quasi oliva gloria ejus. *Et combusta sunt fruteta ejus,* videlicet rami hujus olivæ, id est, filii Synagogæ, a Chaldæis durissima tribulatione, quæ sub nomine ignis exprimitur, consumpti sunt.

17 *Et Dominus exercituum qui plantavit te,* id est, in terra ista constituit te, o præfata oliva, *locutus est super te malum,* id est, vastitatem tibi instare prædixit, *pro malis domus Israel et domus Juda,* id est propter peccata regni Juda, seu propter propria tua peccata, et propter peccata decem tribuum, in quantum secuta es ea eorumque vitia, etiam tua esse fecisti ; *quæ fecerunt sibi,* id est ad suam perditionem, domus Juda ac Israel, *ad irritandum me* consecutive, quia ad eorum impietatem secuta est ultio justitiæ meæ, *libantes Baalim.*

18 *Tu autem, Domine, demonstrasti mihi, et cognovi ; tu ostendisti mihi studia eorum,* id est machinationes atque insidias
19 Judæorum. *Et ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam.* Totus hic locus a quibusdam ad litteram exponitur de ipso Jeremia, ita quod his verbis insinuat sibi divinitus revelatum, quod Judæi volebant eum occidere, eo quod iniquitates eorum argueret, plurimaque eis adversa prædiceret. Ideo comparat se innocentem agno miti, qui fertur ad locum mortis quo immoletur. Unde et subditur : *et non cognovi,* donec tu mihi revelares, *quia cogitaverunt super me consilia, dicentes : Venite, mittamus lignum in panem ejus.* Voluerunt quippe Judæi, ut isti affirmant, particulas cujusdam arboris venenosæ cibo Jeremiæ miscere, et ipsum sic intoxicare. Verum ista expositio an sit satis catholica, ex verbis B. Hieronymi consideretur, qui ait hoc loco : Omnium Ecclesiarum iste consensus est, ut sub Jeremiæ persona, de Christo hæc dicta intelligantur. Sequendo ergo Hieronymum, imo Ecclesiam, iste est sensus :

Tu autem, Domine Pater, *demonstrasti* 1
mihi Christo secundum naturam assumptam; *et cognovi,* te revelante. Siquidem animæ Christi a primo suæ creationis instanti contulit Deus Pater, imo Trinitas supergloriosa, universorum notitiam. *Tu ostendisti mihi studia eorum,* quibus Judæi conati sunt me persequi atque occidere, jam præcipitare, jam lapidare me Luc. IV
satagentes. *Et ego quasi agnus mansuetus* Joann 59; X,
qui portatur ad victimam. Hoc est quod 1
de Christo in Isaia legitur : Sicut ovis Is. LII
ad occisionem ductus est, et quasi agnus coram tondente se obmutescet. Ipse equidem est Agnus qui tollit peccata mundi. Joan
Et non cognovi, subauditur peccatum, se- 29.
cundum Hieronymum, quia Christus pec- I Pe
catum non fecit; *quia cogitaverunt super* 22.
me consilia, dicentes : Venite, mittamus lignum, id est crucis patibulum, *in panem ejus,* id est ad corpus ipsius, de quo ipsemet loquitur : Caro mea vere est ci- Joan
bus; et denuo, Ego, inquit, sum panis vi- 56. Ibid. 4
vus. Quod itaque ista contra Christum cogitaverunt, signum est quod ipse innocens fuit ac justus. Nam ideo contra eum con-

ceperunt rancorem, quia eorum increpabat facinora. — Potest et ita intelligi : *et non cognovi,* id est, per modum ignorantis me habui, dum ad eos a quibus mox occidendus eram, accessi, nec eorum insidias determinate aperui. Secundum hunc modum
Ps. xxxiv, 15. ait in Psalmo : Et adversum me lætati sunt, et convenerunt; congregata sunt super me flagella, et ignoravi. Et psalmus ille ad litteram de Christo exponitur. In
Marc. xiii, 32. Evangelio quoque testatur Christus diem judicii neminem scire, nec Filium hominis. *Quia cogitaverunt super me consilia, dicentes : Venite, mittamus lignum in panem ejus,* id est, morte seu passione crucis, quasi pane ac cibo eum impleamus, ut amaritudine adimpletus intereat.
Sap. ii, 20. Unde in libro Sapientiæ dicunt : Morte turpissima condemnemus eum. Juxta hunc
Ps. lxviii, 22. modum Christus testatur in Psalmo : Dederunt in escam meam fel. Est quippe consuetudo Scripturæ, imo et communis loquendi modus, ut id quo aliquis vehementer impletur, panis aut cibus ejus vo-
Jer. ix, 15. cetur. Unde superius dictum est : Cibabo populum istum absinthio. Dicunt autem nonnulli, quod quia Christus aperte prædi-
Joann. vi, 56. cavit, Caro mea vere est cibus, et, Ego sum
Ibid. 48. panis vitæ, Judæi isti increduli ex derisione corpus ejus vel ipsum nomine panis expresserunt. — *Et eradamus eum de terra viventium,* id est, de terra hac, in qua nos viventes degimus, eum per mortem tollamus; *et nomen ejus non memoretur amplius,* id est, fama ejus omnino depereat. Sic enim intendebant Christum occidere, ut nec memoria ejus in hominum cordibus remaneret. Propter quod in Psalmo testa-
Ps. xl, 6. tur : Inimici mei dixerunt mala mihi : Quando morietur, et peribit nomen ejus?

Insuper Christus secundum naturam assumptam ait ad Patrem, vel etiam ad
20 Deum Trinitatem : *Tu autem, Domine Sabaoth,* id est omnipotens, vel exercituum, scilicet angelorum, *qui judicas juste, et probas renes et corda,* id est, omnia interiora hominis, scilicet partem sensitivam ac intellectivam, inspicis, discutis, approbas, vel reprobas. Hinc est illud in Psalmo : Scrutans corda et renes Deus. (Ps. vii, 10.) Quod etiam in Apocalypsi Christus loquitur de se ipso : Scient, inquiens, omnes Ecclesiæ, (Apoc. ii, 23.) quia ego sum scrutans renes et corda, et dabo unicuique juxta opera sua. *Videam ultionem tuam ex eis,* id est, iniquitatem eorum ulciscere. Hoc orat Christus zelo justitiæ, et quantum ad eos qui in malitia sua pertinaces permanserunt. Nam pro aliis ipsemet precem fudit : Pater, (Luc. xxiii, 34.) ignosce illis. Huic consonat illud quod in Isaia Christus fatetur : Dies ultionis in corde meo; (Is. lxiii, 4.) atque in Psalmo, Tu autem, Domine, (Ps. xl, 11.) miserere mei, et resuscita me, et retribuam eis. Hanc ultionem vidit Salvator, quando per Romanos Judæi destructi sunt. *Tibi enim revelavi causam meam,* quod scilicet innocens sum, nec ullo peccato mortem promerui, sed tuam voluntatem implendo, odium Judæorum incurri, et propter humani generis liberationem ista pati dignatus sum. Hanc causam revelavit seu fassus est Filius Patri, dum passione instante dixit illud in Joanne : Nunc (Joann. xii, 27, 28.) anima mea turbata est; et quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora; sed propterea veni in hanc horam. Pater, clarifica tuum nomen. Itemque in Psalmo : Quoniam (Ps. lxviii, 8.) propter te sustinui opprobrium.

21 *Propterea hæc dicit Dominus ad viros Anathoth, qui quærunt animam tuam, et dicunt : Non prophetabis in nomine Domini, et non morieris in manibus nostris.* Ex his potest alicui apparere, quod superiora non de Christo, sed Jeremia, ad litteram dicta sunt, ita quod concives Jeremiæ, videlicet Anathothitæ, voluerunt eum occidere, et a prophetando prohibere : quod si acquiesceret eis, non eum occiderent. Ad quod respondet B. Hieronymus, quod hoc loco per viros Anathoth designantur communiter omnes Judæi, præsertim habitatores Jerusalem. Anathoth namque obedientia interpretatur, et Judæorum populus aliquando Deo obediens fuit. Potest autem et aliter ac melius dici, quod etiam Hieronymus breviter tangit,

quod scilicet Prophetæ multa in figura Christi operati, passi, atque locuti sunt. Ideo quæ de se Jeremias asseruit verbis propheticis, dixit de se, in quantum fuit figura Christi. Idcirco de Christo litteralius principaliusque intelligendum est, quam de Jeremia. Sic et illud quod de Salomone
II *Reg.* VII, 14. prædictum fuit, Ego ero illi in patrem, et
Hebr. I, 5. ipse erit mihi in filium, Apostolus de Christo prædictum conscribit. Similiter quod
Osee XI, 1. in Osee habetur, Ex Ægypto vocavi filium
Matth. II, 15. meum, evangelista Matthæus de Christo prophetatum allegat. Quod non advertentes hostes fidei christianæ, Porphyrius, Julianus ac Celsus, dixerunt Matthæum verbum istud mendose ac callide allegasse, quatenus eorum qui ex gentibus crediderant, simplicitati illuderet. Cœptam ergo de Christo interpretationem sequendo, dicendum quod viri Anathoth, puta Judæi, quærentes eum occidere, voluerunt eum a prædicationis ac prophetationis suæ exercitio impedire : quod si cessasset, non eum occidissent. Unde et in Evangelio ha-
Luc. XI, 53, 54. betur, quod Scribæ et Pharisæi cœperunt os ejus opprimere, de multis ei insidiantes.

22 *Propterea hæc dicit Dominus exercituum : Ecce ego visitabo super eos,* id est, Anathothitas puniam. *Juvenes morientur in gladio, filii eorum et filiæ eorum morientur in fame.* Ista perpessi sunt a Chal-
23 dæis atque Romanis. *Et reliquiæ non erunt ex eis.* Quomodo intelligendum est hoc,
I *Esdr.* II, 23. quum in libro Esdræ legantur ducenti vi-
* *alias* centum vigenti octo ginti octo* de viris Anathoth a Babylonica captivitate reversi? Et respondendum, quod si ista determinate sumantur de habitatoribus loci illius, dici potest Jeremiam nunc loqui de eis qui eum tentabant occidere. *Inducam enim malum* pœnæ *super viros Anathoth, annum visitationis eorum,* id est tempus debitæ ultionis.

Expositio mystica. PRÆTEREA, juxta mysticum intellectum, loquitur nobis Christus per Evangelistas
2 atque Apostolos : *Audite verba pacti hu-*
3 *jus,* id est evangelici testamenti. *Maledictus vir qui non audierit verba pacti hujus.* Unde et scriptum est : Maledicti qui *Ps.* c[xviii], 21.
declinant a mandatis tuis. *Quod præcepi* 4
patribus vestris, id est Apostolis, et per eos ceteris sacerdotibus atque fidelibus ; *in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de fornace ferrea,* id est tempore passionis, quo eos de tenebris sæculi, suppliciisque inferni eripui. Siquidem in Cœna novissima novum testamentum Christus instituit, atque Ecclesiæ Sacramentum confecit, dicendo : Hic calix novum testamentum est I *Co*[*r*]. 25.
in meo sanguine; hoc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis. Unde verba pacti hujus non audiunt, qui indevote et sine debita reverentia celebrant sive communicant : contra quorum ignaviam ingratitudinemque, viri virtuosi quotidie prædicant.

Inventa est conjuratio in viris Juda, et 9
in habitatoribus Jerusalem, id est in Christianis, præsertim in clericis ac Ecclesiæ ministris, qui jam tam unanimiter ac pertinaciter rebelles sunt Christo, quasi adversus eum concorditer conjurassent : quorum erit tanto major intolerabiliorque damnatio, quanto præ ceteris ad conversationem exemplarem, piam ac sobriam, amplius obligantur. Contra quos etiam Dominus specialiter ait : *Quid est quod dilectus* 1[5]
meus, videlicet ordo clericorum ac sacerdotum, ad Dei obsequium singulariter deputatus, *in domo mea fecit scelera multa,* divinum Officium ac Horas cursorie, truncate, indevote solvendo, sine debita reverentia ac fervore celebrando, vel communicando, seu ministrando, ambitiose, luxuriose, gulose vivendo, in ecclesia fabulando, hinc inde circumspiciendo, vestibus curiosis, pretiosis superfluisque utendo, et taliter eleemosynas pauperum consumendo? Cui impiissimo populo recte nunc dicitur : *Numquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas, in quibus gloriata es?* quasi diceret, Non utique. Imo corpus et sanguinem Christi conficiendo, sumendo, tractando, damnabiliores redduntur, dicente Apostolo : Quicumque man- *Ibid.*

ducaverit panem hunc, et biberit calicem A
Domini indigne, reus erit corporis et san-
guinis Domini. Denique, quum vastatur
Ecclesia, isto testimonio, secundum Hie-
ronymum, est utendum : Quid est quod
dilectus meus in domo mea fecit scelera
multa? Contra eos quoque qui aliena diri-
piunt, et pauperum bona gulose consu-
munt, dicendum est : Numquid carnes
sanctæ auferent a te malitias tuas?
16 *Olivam uberem, pulchram, fructife-
ram, speciosam, vocavit Dominus nomen
tuum.* Hoc tanto sublimius competit Eccle- B
siæ quam Synagogæ, quanto exuberantiora
Spiritus Sancti charismata data sunt popu-
lo christiano, quam ipsis Judæis. Ecclesia
ergo est oliva uberrima atque pulcherri-
ma, misericordiæ visceribus plena, non
Ephes. v, 27. habens maculam neque rugam, secundum
Apostolum. *Ad vocem loquelæ grandis,* id
est propter ejus in quibusdam superbiam,
exarsit ignis concupiscentiæ, tentationis
ac persecutionis, *in ea,* quoniam propter
superbiam merentur multi incidere vitia
carnis, tentari ac persequi : quibus dis-
pereunt plures. Unde *Dominus locutus est* 17
malum contra eam propter ejus peccata.
Postremo Christiani scelerate viventes,
dicunt cum Judæis de Christo : *Mittamus* 19
lignum in panem ejus, id est, doctrinæ
ejus resistamus, obicemque ponamus. Chri-
sti nempe doctrina, panis est animæ. *Et
eradamus eum de terra viventium,* id est
de corde bonorum. Hoc realiter dicunt,
quum bonos, innocentes ac simplices ad
vitia conantur inducere. Quod si ad fœ-
torem luxuriæ castos induxerint, eradunt
Christum de illorum corporibus : imo om-
ni peccato mortali aufertur Christus de
corpore nostro, per hoc quod cessat esse
templum Spiritus Sancti. Cetera ex supe-
rioribus innotescunt.

ARTICULUS XXIV

ELUCIDATIO CAPITULI DUODECIMI : JUSTUS QUIDEM TU ES, DOMINE.

ASSERUNT quidam Jeremiam hoc loco C
adversariorum suorum, videlicet vi-
rorum Anathoth, deflere prosperitatem in
temporalibus rebus. Sed non videtur in
Anathothitis tempore hujus prophetiæ, tan-
ta fuisse prosperitas sicut hic tangitur,
præsertim quum tota Judæa tunc in ma-
xima fuerit afflictione, quemadmodum ex
circumstantia hujus capituli liquet. Alii
igitur dicunt, quod ad litteram contra Chal-
dæos loquatur. Porro Hieronymus ait, quod
contra omnes inique agentes ista disputa-
tio est : et hoc textui amplius consonare D
videtur. Itaque ait :
1 *Justus quidem tu es, Domine, si dispu-
tem tecum,* ex admiratione veritatem pie
inquirendo, non ex infidelitate reprehen-
sibiliter contendendo. Quasi dicat : Sic,
o Domine, disputo tecum, et quæro, ut te
injustum probare non velim. *Verumtamen
justa loquar ad te,* id est, ea proponam
quæ merito movent considerantem : *Quare
via,* id est operatio, *impiorum prospera-
tur,* id est, ad finem ab eis intentum pro-
ficit ac pertingit, scilicet ad divitias, de-
licias atque honores mundi ac carnis? Sed
ista non est vera, sed falsa prosperitas, a
vera felicitate impediens, atque ad sempi-
ternam damnationem deducens. *Bene est
omnibus qui prævaricantur,* id est, ad
nutum succedit his qui tua transgrediun-
tur præcepta. Hoc dicitur, quia frequenter
sic est : nihilo minus certum est quosdam
reprobos etiam in hac vita plenos esse
afflictione atque inopia. Ideo distributio
ista est pro generibus singulorum. *Et ini-*

que agunt, ita quod contra Deum ac pro- A
2 ximos peccant. *Plantasti eos,* id est, in
terra eos firmasti, *et radicem miserunt,* id
est, in terrenis bonis sunt radicati ; *pro-
ficiunt* in temporalibus, in spiritualibus
autem deficiunt : unde nec vere, sed se-
cundum suam æstimationem proficiunt ;
*et faciunt fructum. Prope es tu ori eo-
rum :* quia vicissim loquuntur de te, et
propter beneficia tua te laudant : juxta
Ps. XLVIII, 19. illud in Psalmo, Confitebitur tibi quum
benefeceris ei ; *et longe a renibus eorum,*
id est ab interioribus animæ, quia in ap- B
petitu sensitivo habent desideria carnalia
vitiosa; conscientia quoque eorum non est
coram te pura. Tales sunt omnes qui men-
te a Deo aversa, labiis Deum alloquuntur,
orant, laudant aut prædicant : quibus con-
Matth. XV, 8; Is. XXIX, 13. venit quod ex Isaia Christus allegat : Po-
pulus hic labiis me honorat, cor autem
eorum longe est a me ; illud quoque in
Ps. XLIX, 16. Psalmo : Peccatori autem dixit Deus, Qua-
re tu enarras justitias meas ?

Præterea quæstionem istam frequenter
viri sancti inducunt. Nam et beatissimus C
Job XXI, 4, 7-9. Job ait : Numquid contra hominem dispu-
tatio mea est, ut merito non debeam con-
tristari ? Quare ergo impii vivunt, suble-
vati sunt, confortatique divitiis ? Semen
eorum permanet coram eis, et non est
virga Dei super illos. De hac materia pul-
cherrime disputat Psalmista in psalmo qui
Ps. LXXII. incipit, Quam bonus Israel Deus ! De qua
Habac. I, 2-4, 13; Malach. III, 14-18. etiam in Habacuc et Malachia scriptum
est. Hanc autem quæstionem faciunt viri
sancti in persona imperfectorum, qui non-
dum sanctuarium Dei ingressi sunt, nec D
justa ejus judicia sapienter intelligunt ;
qui autem divinitus illustrantur, clare in-
tuentur quam rationabiliter propter varias
II Tim. IV, 8. causas Deus judex justus electos suos in
hac vita exercet adversis, reprobos vero
prosperari permittit. Adversa namque ele-
ctis expediunt pro præteritorum vitiorum
purgatione, pro gratiæ impetratione, pro
virtutum exercitatione, pro æternæ vitæ
compendiosa adeptione. Reprobis autem
concedit Deus hæc exteriora, suam in hoc
liberalitatem ostendens, eosque quantum
in ipso est, per beneficia sua ad suum
amorem invitans, et ut inexcusabiles vi-
deantur ; pro aliquibus quoque bonis ex
genere, quæ forte egerunt, nunc sua præ-
mia sortiantur. Quod autem in hac vita
sic prosperantur, sæpe contingit justo Dei
judicio, quo eos iratus relinquit, et ea
per quæ damnabiliores fiunt, adipisci per-
mittit.

Consequenter in persona cujuslibet ju-
sti loquitur Jeremias. *Et tu, Domine, nosti* 3
me per approbationem : sicut ad Moysen
Dominus ait, Te ipsum novi ex nomine. Exod.
Impiis autem ait : Non novi vos. Apostolus XXXIII, 1[2], 17.
quoque : Si quis, inquit, ignorat, ignora- Matth.
bitur. *Vidisti me,* qui infallibiliter judi- 23. I Cor. X
cas, eo quod cor intuearis ; *et probasti* 38.
cor meum tecum, id est, per adversa exa- I Reg. XVI
minasti an tibi fideliter adhæreret, et ip-
sum invenisti probatum. Hoc et Psalmista
fatetur : Domine, probasti me, et cogno- Ps. CXXX
visti me. Hinc in libro Sapientiæ legitur : 1.
Tanquam aurum in fornace probavit ele- Sap. III
ctos Dominus. *Congrega eos quasi gregem
ad victimam,* id est, reprobos hic pro-
speratos collige, ut simul damnentur, sic-
ut grex pecorum immolandus congrega-
tur. Sicque fuerunt, Deo ordinante, Judæi
in Jerusalem congregati, quando a Baby-
loniis sunt vastati. *Et sanctifica eos in die
occisionis.* Hoc dupliciter accipi potest :
primo, ut per temporalem persecutionem
ac mortem a peccatis purgentur, ne æter-
naliter pereant ; secundo, ut in die suæ
occisionis materialiter sanctificentur, ita
quod in eorum punitione sanctitas atque
justitia Dei manifestentur. Ista dicit Pro-
pheta prænuntiando magis quam impre-
cando. Per quæ solvit quod movet infir-
mos, videlicet prosperitatem injustorum
appretiandam non esse, sed contemnen-
dam, quum taliter pereant, quemadmodum
et in Psalmo habetur : Dejecisti eos dum Ps. LX
allevarentur. Quomodo facti sunt in deso- 18, 19.
lationem ? Subito defecerunt ; perierunt
propter iniquitatem suam.

Usquequo lugebit terra ? id est, quam- 4

diu erit Judæa in hac desolatione ? *et herba omnis regionis siccabitur,* id est, herbæ ac terræ nascentia deficiente aquarum humore marcescent? Cujus ratio subditur : *Propter malitiam habitantium in ea, consumptum est animal,* id est, propter Judæorum peccata, eorum animalia ab adversariis seu fame consumpta sunt, *et volucre,* id est, aves de terra ista avolarunt, eo quod pastum in ea non invenirent ; *quoniam dixerunt* habitatores præfati : *Non videbit novissima nostra :* id est, providentiam Dei negabant, ita quod finem eorum Deus non cerneret, nec judicaret. Unde Septuaginta transtulerunt : Non videbit Deus vias nostras. De quo intolerando errore jam sæpe prædictum est.

Consequenter populo Judæorum insinuatur gravitas persecutionis, eis jam immi-
5 nentis. *Si cum peditibus currens laborasti,*
id est, quia fatigatus es impugnationibus
gentium tibi vicinarum pedestrium, videlicet Philistinorum, Idumæorum, Ammonitarum ac Moabitarum, *quomodo contendere poteris cum equis,* id est Chaldæorum, qui equis utuntur, impetum ferre? *Quum autem in terra pacis securus fueris,* id est in propria regione aliquando tutus ab hostibus, *quid facies in superbia Jordanis,* id est, quum Jordanem transieris, ductus a superbis Chaldæis ad Babylonem? Sicque superbia Jordanis, vocatur elatio Chaldæorum, qui Judæos per Jor-
6 danem in captivitatem duxerunt. *Nam et*
Gen. xxxvi, 43. *fratres tui,* id est Idumæi filii Esau fratris Jacob patris Judæorum, *et domus patris*
Ibid. xix, 36-38. *tui,* id est filii Ammon et Moab filiorum Lot nepotis Abrahæ : sicque erant domus, id est congregatio seu consanguinei Abrahæ patris Judæorum ; *etiam ipsi pugnaverunt adversum te :* ut patet in libris
Judic. III, X, XI; I Reg. XI, XIV; II Reg. VIII, X, XII; IV Reg. III, VIII, XIV. Regum et Judicum ; *et clamaverunt post te plena voce,* id est, tibi in miseria constituto altis vocibus insultaverunt. *Ne credas eis, quum locuti fuerint tibi bona,* amicitiam tecum simulando et blandiendo.
Prov. XXVI, 25; Eccli. XII, 10. Nam inimico reconciliato facile credendum non est, eo quod pauci ex corde indul-

A geant. Sunt qui ista, ab illo loco, Si cum peditibus, de ipso Jeremia exponunt. Sed ista S. Hieronymi expositio convenientior visa est.

Reliqui domum meam, dimisi heredi- 7
tatem meam, dedi dilectam animam me-
am in manus inimicorum ejus. Facta est 8
mihi hereditas mea quasi leo in silva ; dedit contra me vocem, ideo odivi eam. Hucusque textus cohæret : quem quidam exponunt pro tempore Babylonicæ vastitatis, ita quod Deus in cujus persona ista B dicuntur, tunc domum suam, id est templum, reliquit, hereditatemque suam, id est populum Israel (de quo ait per Isaiam, Hereditas mea Israel) dimisit, dilectam quo- Is. XIX, 25. que animam suam, id est animam Judæorum, sibi præ ceteris dilectorum, [dedit] in manus inimicorum ejus, id est Chaldæorum. Tunc facta est sibi hereditas sua quasi leo in silva, recedendo mente feroci ab ipso ; deditque contra eum vocem suam, idola invocando. Ideo Deus eam odivit. — Sed multo congruentior est expo- C sitio Hieronymi, qui ista in persona Christi exponit. Nempe post passionem suam Judæis in incredulitate obstinatis, Christus urbem ac templum Jerusalem, Judæorumque populum dereliquit, omnia tradens manibus Romanorum, atque ad gentium conversionem mittens Apostolos. Dedit vero dilectam animam suam, quæ erat sibi carissima, potissime propter hypostaticam ejus unionem cum Verbo, in manus inimicorum suorum : juxta illud Isaiæ, Tra- Ibid. LIII, 12. didit in mortem animam suam ; itemque, D Oblatus est, quia voluit. Unde et ipsemet Ibid. 7. ait : Nemo tollit animam meam a me, sed Joann. X, 18. ego pono eam. Tunc demum facta est sibi hereditas quondam sua, plebs ista Judaica, quasi leo in silva, eum crudeliter persequendo ; deditque contra eum vocem suam, dicendo, Tolle, tolle, crucifige eum ; Ibid. XIX, 15. et, Non habemus regem nisi Cæsarem. Ibidem. Idcirco eam odivit : quia, ut ait Apostolus, Pervenit ira Dei in Judæos usque in finem ; I Thess. II, 16. et Psalmista, Odisti, inquit, omnes Ps. V, 7. qui operantur iniquitatem.

9 *Numquid avis discolor hereditas mea* A
mihi? Numquid avis tincta per totum?
quasi dicat, Imo. Populus iste Judæorum
aliquando fuit ad Dei honorem similis pa-
vo, qui est avis discolor tincta per totum,
quia diversimode colorata in pennis : sic
fuerunt Judæi quandoque diversis grati-
arum cœlestium charismatibus adornati.
Secundum quosdam vero tali avi compa-
rantur Judæi, quia ab hostibus graviter
cæsi, læsi, ac cruore perfusi. *Venite, con-*
gregamini, omnes bestiæ terræ, properate
ad devorandum Judæos occisos : quia Chal- B
dæi eos reliquerant insepultos ; vel, be-
stiæ agri intelliguntur crudelissimæ gentes
aquilonarium regionum, quæ eos inter-
fecerunt, vel ipsi Romani tempore Titi.
10 Unde nunc subditur : *Pastores multi,* sci-
licet principes Chaldæorum ac Romano-
rum, *demoliti sunt vineam meam,* id est
populum Judæorum. De quibus principi-
bus se ipsos de rapina pascentibus, dictum
Jer. vi, 3. est plenius supra. *Conculcaverunt partem*
meam, id est, populum olim ad me præ
ceteris pertinentem occiderunt ; *dederunt* C
portionem meam desiderabilem, id est ple-
bem hanc quondam propter virtutes ama-
bilem, *in desertum solitudinis,* id est si-
milem tali deserto, terram ejus desolantes,
11 et habitatores inde tollentes. *Posuerunt*
eam in dissipationem, id est in destru-
ctionem, *luxitque super me,* id est, vinea
ista ploravit, quoniam eam reliqui, et quia
peccavit in me. *Desolatione desolata est*
omnis terra Judæorum, *quia nullus est*
qui recogitet corde : id est, pauci vel nulli
Judæorum suam malitiam adverterunt, aut D
pœnitentiam dignam egerunt.
12 *Super omnes vias deserti* Judææ *vene-*
runt vastatores terræ, id est præfati ad-
versarii Judæorum, *quia gladius Domini,*
id est gladius adversariorum istorum, qui
Dei dicitur gladius, quia divinæ justitiæ
exsecutor ac instrumentum, *devorabit ab*
extremo terræ usque ad extremum ejus, id
est, plurimos Judæorum occidet per totam
eorum terram, ab uno termino terræ istius
usque ad alium. *Non est pax universæ*
carni, id est cunctis Judæis a facie ho-
stium suorum. *Seminaverunt* Judæi *triti-* 13
cum, et messuerunt spinas, id est, fructum
terræ utilem non sunt adepti, quoniam
hostes omnia terræ nascentia consumpse-
runt. Vel sensus est, quod prospera ex-
spectabant, et durissima acciderunt; vel,
quod aliqua opera bona fecerunt, quod eis
non profuit, eo quod timore servili, non
amore Dei, id egerint. *Hereditatem acce-*
perunt, id est bona hereditaria in Judæa,
et non eis proderit : quia ablata sunt eis.
Confundemini a fructibus vestris, o Ju-
dæi, id est, fructus confusibiliter vobis ab
hostibus auferentur, *propter iram furoris*
Domini, id est propter vindictam divinæ
æquitatis, vobis nunc imminentem.
Post comminationem inserit pius Domi-
nus consolationem. *Hæc dicit Dominus* 14
adversus omnes vicinos meos pessimos, id
est Philistæos, Idumæos, Moabitas et Am-
monitas, quorum terræ erant Judæis pro-
pinquæ, *qui tangunt hereditatem,* id est,
regionem Judææ impugnant, *quam distri-*
bui populo meo Israel. Fuerunt enim, ut
dicitur, in exercitu Chaldæorum contra
Judæos. *Ecce ego evellam eos de terra*
sua : quia postmodum a rege Babylonis
ejecti sunt de locis suis, ut infra diffuse
dicetur; *et domum Juda,* id est Judæos,
evellam de medio eorum, reducendo eos
de Babylone in propriam terram, præfatis
gentibus ad tempus in captivitate relictis.
Et quum evulsero eos, convertar, per di- 15
versitatem effectus, a rigore justitiæ ad
opem clementiæ, *et miserebor eorum,* vi-
delicet Judæorum ; *et reducam eos, virum*
ad hereditatem suam, et virum in terram
suam, id est unumquemque eorum ad
propria loca : sicut in libro Esdræ imple- I Esdr. II.
tum describitur.
Et erit : Si eruditi didicerint vias po- 16
puli mei, id est, si aliqui gentilium prædi-
ctorum seu Babyloniorum fuerint a Judæis
conversi, et in lege Moysis eruditi, *ut ju-*
rent in nomine meo, Vivit Dominus, id
est, me solum verum Deum coluerint, at-
que per me cum debitis circumstantiis in

jurando servandis juraverint, ita quod ju-
ramentum illud sit actus latriæ, *sicut do-
cuerunt populum meum jurare in Baal,*
id est per idolum sic vocatum : nam an-
tequam sic convertebantur, induxerunt
quosdam filiorum Israel ad ritum idolola-
triæ suæ; *ædificabuntur in medio populi
mei,* id est, inter Judæos morabuntur in
ipsa Judæa, atque spiritualem ædificatio-
nem in doctrina, vita ac moribus ab eis
suscipient. Istud quidam dicunt impletum,
ita quod quidam Chaldæorum conversi,
17 cum Judæis in Judæam venerunt. *Quod si
non audierint* gentes hæ informationem
Judæorum, *evellam gentem illam evulsi-
one et perditione, ait Dominus.* Unde et
Chaldæos Deus evulsit per Persas et Medos.

Expositio tropologica. PORRO, juxta tropologiam, ex hujus ca-
pituli docemur principio, prosperitatem
mundanam penitus contemnere, nec flo-
rentes in mundo, secundum quod tales
sunt, quidpiam reputare, imo potius asper-
Ps. XIV, 4. nari, juxta illud in Psalmo : Ad nihilum
deductus est in conspectu ejus (scilicet
justi) malignus; timentes autem Dominum
5 glorificat. *Si cum peditibus currens labora-
sti,* id est, si visibilibus hostibus cum dif-
ficultate restitisti, videlicet mundo et car-
ni, *quomodo contendere poteris cum equis,*
id est invisibilibus fortissimis ac velo-
cissimis adversariis reluctari? Vel sensus
est : Si inferiorum persecutiones ferre non
vales, quomodo prælatorum ac principum
infestationes sustinebis? In parvis igitur
patientiam observemus, mundo quoque ac
propriæ carni renitamur, quatenus in ma-
gnis adversitatibus discamus patientiam
custodire, atque dæmonibus prævalere.
6 *Nam et fratres tui et domus patris tui
pugnaverunt adversum te, et clamaverunt
post te plena voce.* Hoc est quod Christus
Luc. XXI, 16. in Evangelio ait discipulis : Trademini
autem a parentibus, et fratribus, et amicis,
et cognatis, et morte afficient ex vobis.
Sic et boni Christiani ab impiis Christianis
et hæreticis sibi propinquis infestantur, et
ad vitia alliciuntur.

A *Reliqui domum meam, dimisi heredita-* 7
tem meam. Hoc facit Christus, quum Ec-
clesiæ vel cuicumque fidelium gratiam
suæ inhabitationis juste ob ejus iniqui-
tatem subtrahit. *Dedi dilectam animam
meam,* id est animam Christiani hujusmo-
di mihi valde dilectam, quantum ad ea
quæ habet a me, in tantum ut pro ea po-
nerem animam meam, *in manus inimico-
rum ejus,* id est diabolorum, quibus im-
pie conversando deservivit, et cum eis in
infernum descendit. *Facta est mihi here-* 8
B *ditas mea,* id est Ecclesia, *quasi leo in
silva.* Hoc fit, dum Christiani fiunt Christo
rebelles, vel pauperes persequuntur, aut
in hæreses vel schismata dilabuntur. *De-
dit contra me vocem* suam, mentiendo, bla-
sphemando, vel pauperes opprimendo. Qui *Prov.* XIV,
enim convitiatur pauperi, exprobrat facto- 31; XVII, 5.
ri ejus, ut Sapiens ait. Et Christus testa-
tur : Quod uni ex meis minimis fecistis, *Matth.* XXV, 40.
mihi fecistis. Unde et Paulo dixit : Quid *Act.* IX, 4.
me persequeris? *Ideo odivi eam,* relin-
quendo eam in suis vanitatibus et pecca-
C tis, quod est gravissima Dei plaga, deinde
eam æternaliter condemnando.

Numquid avis discolor, id est similis 9
avi multiformiter coloratæ, *hereditas mea,*
id est Ecclesia vel anima, *mihi* est, id est
ad meum honorem? *Numquid avis tincta
per totum,* id est similis avi toto suo cor-
pore variis perfusæ coloribus? Et hoc ac-
cipi potest in bono, itemque in malo. In
bono, propter multiplicem ornatum Ec-
clesiæ vel animæ in habitibus virtutum,
donorum, beatitudinum, ac fructuum. In
D malo quoque : sicque potissime competit
his qui bilingues sunt, et duplices corde,
adulatores sive hypocritæ, contra quos in
Ecclesiastico scriptum est : Væ duplici *Eccli.* II, 14.
corde, et labiis scelestis, et peccatori in-
gredienti terram duabus viis. Tales quam
plurimum displicent Deo; et de hujusmo-
di vitiis Christus præcipue arguit Phari-
sæos. Quod autem Ecclesia vel anima reli-
giosa, secundum primum modum sit avis
discolor, tincta per totum, ex Psalmo pa-
tescit : Adstitit regina a dextris tuis in ve- *Ps.* XLIV, 10.

stitu deaurato, circumdata varietate. Quid
vero mereantur qui secundo modo hujus-
modi avi assimilantur, subjungitur : *Ve-
nite, congregamini, omnes bestiæ terræ,*
Ps. LXXIII, 19. videlicet dæmones, de quibus cantatur : Ne
tradas bestiis animam confitentem tibi.
Properate ad devorandum eam. Incorpo-
rantur enim dæmonibus, et absorbentur
ab eis.
10 *Pastores multi demoliti sunt vineam
meam, conculcaverunt partem meam.* Au-
diant hoc principes et prælati negligentes,
qui populum Dei spiritualiter destruunt,
eum ad vitia inducendo, aut a peccatis non
retrahendo, seu debitam disciplinam non
infligendo, aut gregem sibi commissum
seu pauperes contra justitiam opprimen-
do : quum tamen ratione officii teneantur
vita et moribus, salutari quoque scientia
vineam istam ædificare ac custodire. *De-
derunt portionem meam desiderabilem,* id
est præmemoratam hereditatem ac partem
seu plebem christianam, *in desertum soli-
tudinis,* ita ut in ea non sit habitatio Spi-
11 ritus Sancti, sed dæmonum. *Desolatione
desolata est omnis terra,* id est tota Eccle-
sia, propter varia quæ occurrunt in ea
pericula tentationum, persecutionum, hæ-
resum, schismatum, aliorumque crimi-
num; *quia nullus est qui recogitet corde,*
id est, pauci omnino sunt qui ea quæ Dei
sunt et veræ salutis, rite perpendant.
12 *Super omnes vias deserti,* id est sæculi
hujus nequam, Dei gratia destituti, *vene-
runt* omnes *vastatores terræ,* id est visi-
biles ac invisibiles hostes Ecclesiæ. Pro-
Joann. XVI, 33. pter quod Christus prædixit discipulis : In
mundo pressuram habebitis. *Quia gladius
Domini,* id est impugnatio ista a Deo per-
missa sive inflicta, *devorabit ab extremo
terræ usque ad extremum ejus,* id est per
totum orbem quo Ecclesia dilatatur : ubi-
que enim innumerabiles pereunt ex im-
pugnatione diaboli, carnis, ac mundi. *Non
est pax universæ carni,* id est, pax inter-
na, vera ac spiritualis, carnalibus non in-
est hominibus, quum dicat Apostolus :
Rom. VIII, 7, 8. Prudentia carnis inimica est Deo; et qui
A in carne sunt, Deo placere non possunt.
Seminaverunt triticum, et messuerunt spi- 13
nas. Hoc competit his qui bona incipiunt,
sed non perseverantes, spinas æternæ mor-
tis acquirunt; his quoque qui aliis bona
impendunt, sed pro eis mala recipiunt;
his item qui in aliorum cordibus cœlestis
seminis verbum spargunt, sed alii postea
subvertunt. Hinc in Evangelio scriptum
est : Domine, nonne bonum semen semi- Matth. XIII, 27, 28.
nasti in agro? Unde ergo habet zizania?
Qui respondit : Inimicus homo hoc fecit.
B *Hereditatem acceperunt,* id est, incorpo-
rati sunt Christo, et ei per spem coheredes
effecti sunt; *et non eis proderit.* Hoc fer-
tur de eis qui in bonis non permanent
stabiles. *Confundemini a fructibus vestris,*
id est operibus carnis, pro quibus diram
ultionem Deus infligit.
Hæc dicit Dominus adversus omnes vi- 14
cinos meos pessimos, scilicet hæreticos,
schismaticos, tyrannos, aliorumque ad vi-
tia inductores, *qui tangunt hereditatem,* id
est, gratiarum charismata et spiritualem
C opulentiam bonis auferre nituntur, *quam
distribui populo meo Israel,* id est, Chri-
stianis, quibus Christus contulit pignus
Spiritus, imo primitias ejus sanctis Apo- Rom. VIII, 23.
stolis. *Ecce ego evellam eos de terra sua,*
id est de ecclesiastica unitate et mystico
corpore Christi, cujus membra fuerunt,
caritatem gratiamque habendo; *et domum
Juda,* id est electos, *evellam de medio eo-
rum,* id est, loco et merito ab illis secer-
nam ac dividam, ne cum perversis perver- Ps. XVII, 27.
tantur. *Et miserebor eorum,* qui a reprobis 15
D illis fuerunt decepti; *et reducam eos ad
hereditatem suam,* id est ad pristinas gra-
tiarum divitias. *Et erit : Si didicerint vi-* 16
as populi mei, id est, si vitiosi ab electis
susceperint informationem, eorumque vir-
tutes fuerint imitati, *ut jurent in nomine
meo,* id est per Deum, secundum rationis
censuram, *sicut docuerunt populum me-
um jurare in Baal,* id est per caduca et
vana, quibus magis quam Deo inhæserunt
altissimo; *ædificabuntur* in virtutibus, *in
medio populi mei,* id est, unus cum eo

17 populus erunt, et salvabuntur. *Quod si*
non audierint verba salutis cum obedi-
entia efficaci, *evellam gentem illam per-*
A *ditione :* quemadmodum scriptum est, Tol-
latur impius ne videat gloriam Dei ; et
denuo, Ite, maledicti, in ignem æternum.

Is. xxvi, 10, juxta LXX. *Matth.* xxv, 41.

ARTICULUS XXV

DECLARATIO CAPITULI TERTIIDECIMI : HÆC DICIT DOMINUS AD ME : VADE, ET POSSIDE TIBI LUMBARE.

PROPHETÆ nunc verbis, nunc rebus
prophetant. Nunc ergo jubetur Jere-
mias facto prædicere vastitatem ac incor-
rigibilitatem Judæorum, per similitudinem
lumbaris vetustate consumpti, atque om-
1 nino inutilis facti. *Hæc dicit Dominus ad*
me : Vade, et posside tibi lumbare lineum,
id emendo aut aliter acquirendo, *et pones*
illud super lumbos tuos, cingendo te illo
sub vestibus. Unde Septuaginta transtule-
runt, Cinctorium. *Et in aquam non infe-*
res illud, id est, non humectabis, ne ex
hoc videatur citius resolvi. Porro quid ista
2 significent, statim patefiet in littera. *Et*
possedi lumbare juxta verbum Domini,
3 *et posui circa lumbos meos. Et factus est*
sermo Domini ad me secundo, dicens :
4 *Tolle lumbare quod possedisti, quod est*
circa lumbos tuos ; et surgens, vade ad
Euphraten fluvium, *et absconde ibi illud*
5 *in foramine petræ,* ne aquis tingatur. *Et*
abii, et abscondi illud in Euphrate, sicut
præceperat mihi Dominus.
6 *Et factum est post dies plurimos, dixit*
Dominus ad me : Surge, et vade ad Eu-
phraten, et tolle inde lumbare quod præ-
7 *cepi tibi ut absconderes illud ibi. Et abii*
ad Euphraten, et fodi, et tuli lumbare de
loco ubi absconderam illud : et ecce com-
putruerat lumbare, id est, præ antiquita-
te cœpit resolvi, *ita ut nullo* (secundum
antiquam grammaticam) *usui aptum esset.*
8 *Et factum est verbum Domini ad me, di-*
9 *cens : Hæc dicit Dominus : Sic computre-*
scere faciam superbiam Juda et superbiam
B *Jerusalem multam :* id est, populum regni
Juda, et principaliter habitatores Jerusa-
lem valde superbos, atque in ea invetera-
tos, humiliabo ac perimam per Chaldæos;
et, pro id est, *populum istum pessimum* 10
qui nolunt audire verba mea, ita quod
peccant non ex passione aut infirmitate
dumtaxat, sed deliberata malitia, *et ambu-*
lant in pravitate cordis sui pessimi, ab-
ieruntque post deos alienos, ut servirent
eis, et adorarent eos : et erunt sicut lum-
bare istud, etc., ita quod prorsus inutiles
C erunt, et fame, peste, ac gladio consu-
mentur.
Consequenter clementissimus Deus si-
militudinem istam exponit, et cur sit po-
sita, pandit. *Sicut enim adhæret lumbare* 11
ad lumbos viri, sic agglutinavi, id est,
caritatis coagulo specialique amicitia co-
pulavi, *mihi omnem domum Israel,* id est
decem tribus, *et omnem domum Juda,* id
est duas tribus, *dicit Dominus.* Hoc po-
tissime fuit, quum per legis dationem sibi
Synagogam in monte Sinai desponsavit.
D Hinc in Deuteronomio scriptum est : En
Domini Dei tui cœlum est et cœli cœlo-
rum ; et tamen patribus tuis conglutinatus
est Dominus, et amavit eos, elegitque se-
men eorum post eos. In Osee quoque :
Puer Israel, et dilexi eum ; et ego quasi
nutricius Ephraim portavi eos in brachiis
meis. *Ut essent mihi in populum* pecu-
liarem, devotum, salvandum, *et in nomen,*
id est, per eos nominarer in terra, et ipsi
meus populus dicerentur, *et in laudem, et*

Deut. x, 14, 15.

Osee xi, 1. 3.

in gloriam, id est, per eos et per benefi- A
cia mea circa ipsos laudarer et glorifica-
rer ab omnibus ; item, ut ipsi per virtutes
ac merita essent ubique famosi ac gloriosi
in terra, sicut quandoque fuerunt, maxi-
me tempore David ac Salomonis. Et hoc,
Prov. xvi, 4. ad gloriam Dei. Omnia enim propter se
ipsum operatus est Dominus, ut dicitur in
Proverbiis. Propter quod in Isaia Dominus
Is. xliii, 7. loquitur : Omnem qui invocat nomen me-
um, in gloriam meam creavi eum. Non
itaque simus laudis aut gloriæ cupidi; sed
Ps. cxiii, 1, sec. Hebr. cum Psalmista cordialiter exoremus : Non B
nobis, Domine, non nobis ; sed nomini
tuo da gloriam. *Et non audierunt,* sed
tantæ benevolentiæ fuerunt ingrati. Cujus
ingratitudinis subditur pœna.
12 *Dices ergo ad eos sermonem istum : Hæc*
dicit Dominus Deus Israel : Omnis lagun-
cula implebitur vino, quum fuerit oppor-
tunum. *Et dicent ad te* mente indocili :
Numquid ignoramus quia omnis lagun-
cula implebitur vino? Attenderunt enim
verbum Jeremiæ, quasi non esset prophe-
tale ac mysticum, quia et virum sanctum C
13 spreverunt. *Et dices ad eos : Hæc dicit*
Dominus : Ecce ego implebo omnes habi-
tatores terræ hujus, et reges, scilicet filios
Josiæ, *qui sedent de stirpe David super*
thronum ejus, et sacerdotes, et prophetas,
videlicet pseudo, *et omnes habitatores Je-*
rusalem, ebrietate, id est afflictione eos
instar ebrietatis turbante, et robur corpo-
14 ris auferente ; *et dispergam eos, virum a*
fratre suo, et patres ac filios pariter, ait
Dominus, id est, propinquissimos atque
carissimos inter se ab invicem separabo D
per captivitatem ac pestem. *Non parcam,*
et non concedam veniam, *neque miserebor*
ut non disperdam eos, id est, pœnas com-
minatas certissime inferam eis. Eumdem
sensum frequenter Propheta sub aliis re-
petit verbis, ut moris est hortantibus in
dolore grandi locatis, quatenus hi quibus
fit sermo, terreantur, magisque advertant
atque proficiant.
Consequenter Propheta ait ad populum :
15 *Audite* auribus carnis, *et auribus* interio-
ribus *percipite. Nolite elevari* tumore su-
perbiæ. Quid enim superbit terra et cinis? Eccli. x, 9.
Quia Dominus locutus est : ideo verba
mea non contemnatis, sed intuitu vitio-
rum vestrorum et pœnarum jam commi-
natarum, humiliamini sub potenti manu I Petr. v, 6.
Dei. *Date Domino Deo vestro gloriam,* eum 16
in omnibus honorando per vestræ impie-
tatis et suæ bonitatis confessionem, *ante-*
quam contenebrescat, id est, priusquam
adversitatis caligo diraque persecutio vos
involvat, *et antequam offendant pedes ve-*
stri ad montes caliginosos, id est, prius-
quam in captivitatem ducamini, atque ad
montes tenebrosos in via positos pes ve-
ster impingat. *Exspectabitis lucem,* id est
prosperitatem et securitatem, secundum
verba pseudo, et ex confidentia regis Ægy-
pti, ad cujus confugistis auxilium, *et ponet*
eam in umbram mortis et in caliginem,
id est, exspectatio ista, verissima erit vobis
majoris tribulationis angustiæque causa.
Quod si hoc non audieritis, id est, nisi 17
huic meo consilio acquieveritis, *in abs-*
condito plorabit anima mea, id est, vobis
usque ad lacrimas condolebo et contrista-
bor, *a facie superbiæ,* id est consideratio-
ne vestræ elationis. Magis enim sunt de-
plangenda mala culpæ, quam mala pœnæ,
quanquam utrumque deflendum sit, quum
ratio exigit. Ideo subditur : *Plorans plo-*
rabit Jerusalem, *et deducet oculus meus*
lacrimam, quia captus est grex Domini,
id est, populus Judæorum statim jam ca-
pietur : qui fuit grex Dei per specialem
vocationem, non per veram obeditionem.
Præterea, quoniam ex bonitate superio-
rum dependet subditorum correctio, sub-
infertur : *Dic,* o Jeremia, *regi et dominatri-* 18
ci, id est regi Juda atque reginæ, videlicet
Jechoniæ ejusque matri, secundum quos-
dam; vel, Sedeciæ et ejus uxori, secun-
dum alios : *Humiliamini,* id est, sponte
vos humilietis, et in manus Chaldæorum
vos tradite, et *sedete,* id est, in imo quie-
scite, *quoniam de capite vestro descendit*
corona gloriæ vestræ, id est, regia pote-
state et diademate solito privabimini per

19 Chaldæos. *Civitates austri clausæ sunt,* id A
est Jerusalem et ceteræ urbes regni Juda
sitæ versus plagam australem, quæ præ
Chaldæorum timore diebus ac noctibus
steterant clausæ; *et non est qui aperiat,* id
est, aperire audeat, vel secure hoc facere
possit. *Translata est omnis Juda transmigratione perfecta,* id est, universus Judæorum populus de propria terra sub Sedecia
tolletur. Nam et si qui manus Chaldæorum
evaserunt, paucissimi erant, nec in Judæa
20 manere audebant. *Levate oculos vestros,*
o Judæi, *et videte qui veniunt* ab aquilone,* id est, considerate quam terribilis B
exercitus Chaldæorum contra vos veniat.

* alias *venitis*

Deinde ad Judæam vel ad civitatem Jerusalem dicitur : *Ubi est grex qui datus
est tibi?* id est, ubi nunc habitatores tui,
et qui in te tuti esse sperabant, qui erant
pecus inclytum tuum, id est animalia nobilia, quia rationabilia? quasi dicat : Abla-
21 tus est grex iste a te. *Quid dices quum
visitaverit te,* id est, quum Deus per Chaldæos cœperit te punire? *Tu enim docuisti
eos adversum te,* id est, Chaldæis dedisti C
notitiam quomodo te capere possent, *et
erudisti eos in caput tuum,* id est ad
tui ipsius perditionem atque dispendium.
Quemadmodum enim in Ezechiele legitur,
Judæi idololatriis gravissime dediti, contraxerunt amicitiam cum Chaldæis, et per
legatos adduxerunt quosdam Chaldæorum
ad se, ut ab eis idololatrias Babylonis addiscerent : qui venientes, consideraverunt
aptiora ad invadendum Judæam itinera.
*Numquid non dolores apprehenderunt te
quasi mulierem parturientem?* id est, uti- D
que irruente super te Chaldæorum exercitu dolebis ac affligeris, sicut parturiens
22 mulier, cujus est angustia maxima. *Quod
si dixeris in corde tuo, Quare venerunt
mihi hæc* mala pœnalia? audi responsum :
*Propter multitudinem iniquitatis tuæ revelata sunt verecundiora tua, pollutæ sunt
plantæ tuæ,* id est, sine omni reverentia a
Chaldæis tractata es, punita, atque spoliata,
imo nudata et violata, quantum ad feminas. De hoc in Ezechiele plura dicuntur.

Ezech. XXIII, passim.

Consequenter ostenditur impossibilitas,
vel potius difficultas emendationis Judæorum exemplo Æthiopis et pardi. *Si mutare* 23
potest Æthiops pellem suam, id est cutis
suæ nigredinem, *aut pardus varietates
suas,* id est colorum suorum diversitates :
quod utique nequeunt ; *et vos poteritis
benefacere,* id est virtuose ac meritorie,
quum didiceritis malum, id est, consuetudinem peccandi vobis fecistis, et cum
proposito didicistis perpetrare injusta. Habitus autem seu consuetudo, vim habet
naturæ, et quasi altera natura vocatur :
ideo difficulter relinquitur. Itaque in proposito est similitudo quantum ad hoc,
quod sicut illud est impossibile per naturam, sic istud difficile est. Non est autem
per omnia simile, quoniam causa nigredinis in Æthiope, et varietatis in pardo, est
penitus naturalis : idcirco naturaliter non
mutatur ejus effectus. Causa autem peccati in homine, est voluntaria : ideo libere
ad contraria fertur. Potestque homo se
emendare, præsupposito semper Dei auxilio, ex cujus parte defectus non est.
Secundum hunc modum et Christus in
Evangelio Judæis locutus est : Quomodo *Matth.* XII, 34.
potestis loqui bona, quum sitis mali?

Tantæ demum iniquitatis subjungitur
pœna. *Et disseminabo eos quasi stipulam* 24
quæ vento raptatur in deserto, id est, per
captivitatem ac fugam in locis hinc inde
diversis dividam eos. *Hæc sors tua,* id est, 25
iste est eventus tibi juste pro tuis peccatis
inflictus, *parsque mensuræ tuæ,* id est pœna tibi debita secundum mensuram divinæ justitiæ, quæ punit secundum exigentiam culpæ, *a me, dicit Dominus, quia
oblita es mei, et confisa es in mendacio,*
scilicet pseudoprophetarum ac Pharaonis
regis Ægypti, qui tibi prospera prædixerunt. *Unde et ego nudavi* et revelabo *fe-* 26
mora et posteriora *tua contra faciem tuam,*
id est, contra tuum naturalem ruborem,
in vultu potissime apparentem, te per
Chaldæos nudavi, et impudenter tractari
permisi ; *et apparuit ignominia tua,* id
est inhonestissima tua vita, *adulteria tua,* 27

et hinnitus tuus, id est impatiens furor A
libidinis, quo instar equi ad immunditiam
ferebaris, *scelus fornicationis tuæ,* id est
idololatria tua. Omnia ista facinora Judæorum apparuerunt in punitione eorum, sicut causa relucet in suo effectu. Deus enim non vindicat nisi peccata, nec maximam infert ultionem, nisi propter offensam gravissimam.

Super colles in agro vidi abominationes tuas, id est, idololatrias vidi te exercere in montibus qui erant in agro, vel in montibus et in agris. *Væ tibi, Jerusalem, non* B
mundaberis a tuis peccatis per pœnitentiam salutarem, *post me,* id est, ita ut me imiteris, serviendo mihi in sanctitate, pietate atque justitia. Ideo instat tibi non solum væ præsentis persecutionis, sed æternæ insuper damnationis. *Usquequo adhuc?* id est, quamdiu in hac pravitate durabis? quamdiu te exspectabo? quamdiu te feram?

Expositio mystica. PRÆTEREA, juxta mysticam interpretationem, lumbare est ipsa Ecclesia, et omnis C
homo veraciter christianus, Deo caritate unitus : estque lumbare hoc lineum, quia de terra formatum. Quemadmodum itaque lumbare istud Jeremiæ computruit, ita superborum Christianorum vanitatem et pompam Christus in nihilum rediget, eosque æterna humiliatione in infernum
11 retrusos dejiciet. Denique, *sicut adhæret*
lumbare ad lumbos viri, sic Unigenitus Dei agglutinavit sibi Ecclesiam et omnem animam christianam : quibus testatur :
Joann. xv, 9; x, 15. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos; D
et animam meam pono pro ovibus meis. Denique nostram assumpsit naturam, et noster effectus est frater, ut simus ei *in nomen, laudem et gloriam.* Sed multi eum non audiunt : quibus pronuntiat, quod
12 sicut laguncula impletur vino, ita et ipsi
sempiternis implebuntur tormentis in tartaro, eruntque miseriis ebrii : quia, ut
Eccle. ix, 10. Salomon loquitur, Nec scientia, nec opus, nec ratio, erunt apud inferos.

Insuper omnibus nobis ait Scriptura :

Nolite elevari. Odibilis enim coram Deo et 15
hominibus est superbia. Ideo in Job legitur : Quid te elevat cor tuum? et quid tumet contra Deum spiritus tuus? In Ecclesiastico quoque : Non te extollas in cogitatione tua velut taurus. *Quia Dominus locutus est,* scilicet Christus in Evangelio : Discite a me quia mitis sum et humilis corde; itemque, Omnis qui se exaltat, humiliabitur. *Date Domino Deo vestro*
gloriam, omne bonum jugiter sibi cum 16
omni humilitate adscribendo, eum semper laudando, atque vos ipsos jugiter accusando, ut cum Apostolo rite dicatis : Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli Deo, honor et gloria in sæcula sæculorum; rursusque, Gratia Dei sum id quod sum; et iterum, Venit Jesus Christus peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. *Antequam contenebrescat,* id est, priusquam caligo et ignorantiæ tenebræ vestram occupent mentem. Ideo Christus : Ambulate, inquit, dum lucem habetis, ut non tenebræ vos comprehendant. *Et antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos,* id est, priusquam superbissimorum dæmonum finibus gehennalibus appropinquetis, vel manus illorum incurratis. Pedes quoque animæ nostræ, sunt ejus affectus : qui ad montes caliginosos offendunt, dum contra Dei præcepta ad ea quæ dæmonibus complacent, tendunt. *Exspectabitis lucem, et ponet eam in umbram mortis.* Omnis qui in rebus caducis, terrenis, mortalibusve confidit, prosperitatem veram ex eis exspectans, falletur, et sua exspectatione inani incidet umbram mortis, imo et mortem gehennæ.

Quod si hoc non audieritis, in abscondi- 17
to plorabit anima mea, et deducet oculus meus lacrimam, quia captus est grex Domini. Ecce his verbis beatissimus instruit Jeremias, quid ad omnem prælatum, prædicatorem, et fervidum hortatorem pertineat : ut scilicet corde tenus in suo secreto doleat ac lamentetur, dum hi quibus loquitur, verbis Dei non acquiescunt; et lacrimas fundat, eo quod ab invisibilibus

Eccli. x, 7. *Job* xv, 12-13. *Eccli.* vi, 2. *Matth.* xi, 29. *Luc.* xiv, 11; xviii, 14. I *Tim.* i, 17. I *Cor.* xv, 10. I *Tim.* i, 15. *Joann.* xii, 35.

hostibus captus sit grex Domini, scilicet A
populus sibi commissus, vel is quem exhortatur. Qui enim in mortalibus vitiis contabescit, dæmonum vinculis captus est et adstrictus. Talem fuisse apostolum Paulum, ejus testantur epistolæ. Hoc est contra eos qui non acquiescentibus mox irascuntur, indignantur, et aversi cessant ab informatione ipsorum.

18 *Dic regi et dominatrici : Humiliamini* et
sedete, quoniam de capite vestro descendit
corona gloriæ vestræ. Istud universis re-
gibus, principibus, prælatis, reginis, domi- B
nabus, cunctisque præsidentibus diligen-
ter dicendum est, ut timorati ac humiles
Eccli. III, 20. sint, implentes illud Ecclesiastici : Quanto
major es, humilia te in omnibus. Advertant
Sap. VI, 7. quoque quod potentes potenter tormenta
Luc. XII, 48. patientur; et cui plus datum est, plus re-
quiretur ab eo. Pensent ergo se Dominum
Hebr. XIII, 17. judicem habere in cœlo, cui pro se et sub-
ditis rationem daturi sunt. Quumque hæc
vita momentanea ceperit finem in eis, om-
ni mox potestate et gloria privabuntur;
nec quidpiam, nisi opera eorum, cum ipsis C
Luc. I, 51, 52. transibit. Hinc ait Christifera Virgo : Di-
spersit Deus superbos mente cordis sui;
deposuit potentes de sede, et exaltavit
humiles.

19 *Civitates austri clausæ sunt.* Hoc fit,
dum congregationes, et claustra olim de-
vota ac sancta, a pristina puritate labun-
tur, ita quod Spiritus Sanctus ad ea non
intrat, nec supernis visitationibus patent.
Et non est qui aperiat eas, nisi Deus om-
nipotens. *Translata est omnis Juda trans-*
migratione perfecta. Dum Christiani a Chri- D
sti imperio recedentes, diabolicæ servituti
se subdunt, transferuntur omnino perfe-
cte, imo et pessime.

20 *Levate oculos vestros* interiores, *et vide-*
te qui veniunt ab aquilone, id est, dæmo-
num agmina contra vos venire attendite,
21 atque ad reluctandum vos præparate. *Tu*
enim docuisti eos adversum te. Frequenter
per negligentias nostras hostibus nostræ
salutis ostendimus viam, damusque occa-
sionem nos impugnandi ac superandi. Ideo
ait Apostolus : Nolite locum dare diabolo. Ephes. IV, 27.
Unde et nostris meremur peccatis a Deo
relinqui, et adversariorum tentationibus
persecutionibusque prosterni.

Si mutare potest Æthiops pellem suam, 23
etc. Istud universis obstinatis, duris ac in-
corrigibilibus inconvertibilibusque dicen-
dum est, qui verbo Dei nullatenus acqui-
escunt, atque ex intentione permanent in
peccatis, malentes istis terrenis, carnali-
bus atque vanissimis inhærere, quam Deo,
a quo tot bona sortiti sunt; et conversi-
onem suam stultissime differunt, quum
nec diem sciant nec horam. Idcirco eve- Matth. XXV, 13.
niet eis quod Dominus subdit : *Et disse-* 24
minabo eos quasi stipulam quæ vento ra-
ptatur. Sunt enim tanquam pulvis quem Ps. I, 4.
projicit ventus a facie terræ, et circumfe-
runtur impetu passionum suarum instar
brutorum. Hinc quotidie per varia vitio-
rum genera disperguntur, mente inani un-
dique evagantur, nec ullam in Deo sor-
tiuntur quietem. *Hæc sors tua, parsque* 25
mensuræ tuæ, o plebs intimorata, *a me,*
dicit Dominus, quia oblita es mei, id est,
istud inconveniens incurrere meruisti, mei
obliviscendo. Itaque Dei oblivio, omnium
vitiorum origo consistit. Et ista oblivio
opponitur recordationi qua quis Deum ha-
bet præ oculis cum reverentia et timore :
quæ utique recordatio ab omni hominem
avertit peccato.

Unde et ego nudavi femora tua contra 26
faciem tuam, et apparuit ignominia tua,
etc. Istud potissime fiet omni peccatori in
die sui judicii tam particularis quam uni-
versalis, quum in conspectu angelorum
omniumque Sanctorum, omnis ejus con-
fusio, negligentia, immunditia atque per-
versitas innotescent. Litteraliter quoque
fit istud, quum Deus quempiam propter
præcedentia sua peccata, in fœditates lu-
xuriæ sinit cadere. Est autem et spirituale
animæ femur, quo in generationem ope-
rum bonorum procedit, videlicet intelle-
ctus seu ratio, ac voluntas. De quo, Christo
cantatur in Psalmo : Accingere gladio tuo Ps. XLIV, 4.
super femur tuum, potentissime. Quod nu-

datur in nobis, quum donis gratiæ, quibus A
spiritualiter fecundi efficimur, anima no-
stra ob sua demerita destituitur : quo fa-
cto, apparet ignominia ejus hostibus suæ
salutis dæmonibus, imo et angelis sanctis
27 atque Beatis. *Super colles* superbiæ *in*
agro hujus sæculi *vidi abominationes tuas.*
Hoc Deus altissimus omnia intuens, loqui-
tur his qui erecta cervice contra divina
mandata incedunt. *Væ tibi, Jerusalem,* id
est, Ecclesia, quantum ad impœnitentes in
ea; *non mundaberis post me,* id est me
sequendo, ut impleas illud Apostoli : Imi- *Ephes.* v, 1
tatores Dei estote, sicut filii carissimi.
Ad quam deiformem imitationem etiam
Christus nos hortatur, dicendo : Estote *Matth.* v,
perfecti, sicut et Pater vester cœlestis 48.
perfectus est.

ARTICULUS XXVI

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI QUARTIDECIMI : QUOD FACTUM EST VERBUM DOMINI AD JEREMIAM.

PRÆSENTI capitulo describit Propheta B
mala pœnalia, mala quoque culpabilia
Judæorum, quædam pulchra de mysteriis
1 Christi interserens. *Quod factum est ver-*
bum Domini ad Jeremiam de sermonibus
siccitatis. Prædixerat enim Deus Prophe-
tæ, magnam sterilitatem imminere Judæis
ex pluviarum defectu propter eorum pec-
2 cata. *Luxit Judæa,* id est, adveniente ca-
ristia et ceteris plagis ejus, statim lugebit,
et portæ ejus corruerunt, et obscuratæ
sunt in terra, id est, a Chaldæis destruen-
tur portæ civitatum Judææ, ita quod ma- C
teria harum portarum in terram projecta,
redigetur in pulveres : quo prænuntiatur
desolatio terræ hujus diutius duratura. Lo-
quitur autem Propheta de futuro per mo-
dum præteriti. *Et clamor Jerusalem ascen-*
dit, id est, habitatores Jerusalem tempore
3 obsidionis suæ præ miseriis ejulabunt. *Ma-*
jores ejus *miserunt minores suos,* id est
domini servos, *ad aquam. Venerunt* mi-
nores *ad hauriendum, et non invenerunt*
aquam, eo quod putei essent siccati; *re-*
portaverunt vasa sua vacua. Confusi sunt D
et afflicti, tam minores quam majores;
operuerunt capita sua in signum doloris,
quemadmodum David, audita morte Absa-
II *Reg.* XIX, 4. lonis, caput suum operuit.
Propter terræ vastitatem, quia non ve- 4
nit pluvia in terram. Terra namque Judææ
specialiter indiget pluviis, prout in Deute-
ronomio loquitur Moyses populo Israel :
Terra ad quam ingredieris, non est sicut *Deut.* XI,
terra Ægypti, ubi jacto semine aquæ du- 10, 11.
cuntur irriguæ; sed montuosa est et cam-
pestris, de cœlo exspectans pluvias. *Con-*
fusi sunt agricolæ, operuerunt capita sua,
id est mœrore ac conturbatione perfusi.
Nam et cerva in agro peperit, et reliquit, 5
quia non erat herba : id est, tanta erit
sterilitas, quod cervæ parientes in agro
fetus suos relinquent, quoniam herbas cir-
ca se non invenient : ideo alibi quærent
pastum. *Et onagri,* id est asini silvestres, 6
de quibus fertur in Psalmo : Exspectabunt *Ps.* CIII, 11.
onagri in siti sua; in Job quoque, Quis *Job* XXXIX,
dimisit onagrum liberum? *Steterunt in* 5.
rupibus, campestria relinquentes, atque in
locis eminentioribus loca pascuæ explo-
rantes, juxta illud in Job : Circumspicit *Ibid.* 8.
onager montes pascuæ suæ, et virentia
quæque perquirit. *Traxerunt ventum* pro
refrigerio contra sitis ardorem, *quasi dra-*
cones : qui sunt animalia calidissima in-
tus, idcirco contra interioris caloris exces-
sum sæpius attrahunt aerem. *Defecerunt*
oculi eorum, id est, animalium horum

eversi sunt oculi, et vita exstincta est, *quia* A
non erat herba, id est, quia alimenta non
invenerunt.

Insuper Propheta in persona impiæ ple-
bis loquens, et pro subventione divinæ
7 pietatis exorans, adjecit : *Si iniquitates*
nostræ responderint nobis, id est, quia
peccata nostra reale responsum nobis de-
derunt, ita quod propter ea nobis inflicta
sunt ista mala pœnalia. Pœna quippe dici-
tur effectus peccati. Hinc in Isaia habetur :
Is. LIX, 2. Peccata vestra absconderunt faciem Dei a
Ibid. 12. vobis; et ibidem, Multiplicatæ sunt iniqui- B
tates nostræ coram te, Domine, et peccata
nostra responderunt nobis. *Domine, fac*
propter nomen tuum, id est, propter tui
ipsius bonitatem ac pietatem, atque ob ma-
jestatis tuæ honorem et gloriam, misericor-
diter age nobiscum, et pœnas istas averte;
quoniam multæ sunt aversiones nostræ,
quibus a te corda nostra avertimus, inobe-
dientesque fuimus : ideo propter nostram
justitiam exaudiri non petimus, quemad-
IV *Reg.* XX, 3. modum Ezechias, qui veraciter dixit, Me-
mento, Domine, quomodo in veritate am- C
Ps. LXXXV, 2. bulaverim coram te; et Psalmista, Custodi
animam meam, quoniam sanctus sum. Præ-
terea connumerat se Jeremias populo pec-
Dan. IX, 4-9. catori, sicut et Daniel, qui simili modo
orat : Propter temetipsum, Deus meus,
audi.

Tibi, id est contra te et ad tuam in-
8 juriam, *peccavimus, exspectatio Israel,* id
est, summum bonum a bonis Israeliticis
finaliter exspectatum, imo ab omnibus
Ps. XXXIX, 2. exspectandum, juxta illud in Psalmo : Ex-
spectans exspectavi Dominum; rursus quo- D
Ps. XXXVIII, 8. que : Et nunc quæ est exspectatio mea?
Is. XXV, 9. nonne Dominus? Unde Isaias inducit : Ec-
ce Deus noster iste, exspectavimus eum, et
salvabit nos. *Salvator ejus,* id est Israeliti-
ci populi, *in tempore tribulationis :* juxta
Judic. II, 18. illud libri Judicum : Flectebatur Dominus
misericordia, et audiebat afflictorum ge-
mitus, et liberabat eos de cæde vastan-
Osee XIII, 4. tium. Qui per Osee testatur : Ego Dominus
Deus tuus, et salvator non est præter me.

Denique sancti Prophetæ de Synagoga
loquentes, frequenter mysteria Christi at-
que Ecclesiæ intermiscent. Ita nunc agit
Jeremias. Quia itaque superius frequenter
jam dixit, qualiter Deus a populo Judæo-
rum recesserit, subito illustratus a Spiritu
Sancto, oculum mentis ad Christi adven-
tum in carne convertit; et quod in tanta
paupertate atque humilitate venturus sit,
vehementer admirans, subjecit : *Quare,*
o Unigenite Dei vere, *quasi colonus futurus*
es in terra, per Incarnationis mysterium
seu humanitatem assumptam? Colonus
nempe vocatur, qui in alterius habitat
terra, et ut pauper hereditatem non habet,
in quantum colonus. Sic Christus propter
nos pauper effectus est, et adeo pauper, ut
diceret : Aves cœli nidos habent, et vulpes *Matth.* VIII,
foveas; Filius autem hominis non habet 20.
ubi caput reclinet. *Et quasi viator decli-*
nans ad manendum, id est modico tempo-
re habitaturus in terra? quia in juventute
occisus est.

Quare futurus es velut vir vagus, id est 9
quietam mansionem non habens? Christus
siquidem prædicando hinc inde multoties
discurrebat, sicut in Evangelio ait : Quia *Luc.* IV, 43.
et aliis civitatibus oportet me evangeliza-
re, quia ad hoc missus sum; in Psalmo
quoque, Pauper sum ego, et in laboribus *Ps.* LXXXVII,
a juventute mea. Venit etiam sicut vir 16.
vagus, quia Judæos relinquens, ad gentes
migravit. *Aut fortis qui non potest sal-*
vare? id est, quare venturus es sicut vere
robustus fortitudine propria in salvando
non utens? Quamvis enim Christus omni-
potens fuerit, non tamen per viam po-
tentiæ, sed justitiæ, genus humanum sal-
vavit. Nec in passione potestatem suam in
se ipso ostendit, sed velut infirmum ac
impotentem se permisit occidi. Idcirco di-
xerunt increduli : Alios salvos fecit, se ip- *Matth.*
sum non potest salvum facere. Et in Isaia XXVII, 42.
de ipso prædictum est : Quasi absconditus *Is.* LIII, 3.
vultus ejus et despectus, unde nec reputa-
vimus eum. Quod autem primus Christi
adventus esse debuerit in paupertate et
humilitate, Zacharias ostendit : Exsulta *Zach.* IX, 9.
satis, filia Sion : ecce rex tuus veniet tibi

justus et salvator; ipse pauper et ascendens super asinam.

Interea, quamvis Jeremias ista per modum mirantis et interrogantis proponat, non tamen tanti mysterii fuit ignarus. Noverat nempe quare Dei Filius ita venire elegerit, scilicet ut ad terrenarum ac temporalium rerum contemptum induceret homines, viamque veniendi ad regna cœlestia demonstraret, ad humilitatem, patientiam, fortitudinemque in adversis servandam instrueret; item, ut moreretur pro mundo, et ut agnoscamus nos in hoc sæculo quasi in exsilio relegatos, sicque jugiter ad patriam respiremus; postremo, ut sua nos paupertate ditaret, sua nos humilitate exaltaret, merito suæ patientiæ ac rigidæ conversationis nos justificaret : tota enim vita ejus, nobis meritoria fuit. Verumtamen Jeremias ista quasi mirans et inquirens proponit, ut altitudinem tanti pandat mysterii, nosque ad diligentem istorum considerationem inducat. Præterea, ex his verbis probatur Christi divinitas, ita quod in unitate personæ sit verus Deus et verus homo.

Tu autem in nobis es, Domine, id est, tu, Christe, in terris visus es, et inter homines conversatus, per fidem quoque et gratiam fidelium corda inhabitas. Sed et sacramentaliter ades, et Christianis promittis : Ego vobiscum sum cunctis diebus. *Et nomen tuum invocatum est super nos :* id est, te ipsum oramus et invocamus, Sancti quoque te invocant super nos; atque a nomine tuo nomen sortiti sumus, quia a te Christo Christiani vocamur. Unde et in Isaia Ecclesiæ dicitur : Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit. *Ne derelinquas nos,* id est, non nos cadere sinas, nec gratiam tuam amittere, ne promissionibus tuis efficiamur indigni.

Baruch III, 38. — Matth. XXVIII, 20. — Is. LXII, 2.

Judæi, et quidam eos sequentes, prædictum locum exponunt pro tempore Jeremiæ, ita quod Propheta in persona populi sui conqueritur, quare Deus a Judæis se segreget, nec diutius apud eos aut in templo suo remaneat, sed cuncta manibus A tribuat Chaldæorum. Hæc autem expositio non consonat textui. Jam enim Deus prædixit, quod auxilium suum eis non solum abstraheret, sed et nunc subtraxerit. Ideo non videtur convenienter dici ad eum, Quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum? præsertim quum jam multo tempore in templo ac populo Judæorum permanserit.

Consequenter redit Propheta ad popu-
lum Synagogæ. *Hæc dicit Dominus populo* 10
huic Judæorum, *qui dilexit movere pedes*
B *suos,* quærendo auxilium ab Ægypto, at-
que ad idola concurrendo, quibus loquitur
Isaias : Væ qui descenditis in Ægyptum. *Et* Is. XXXI, 1.
non quievit in Dei obsequio, nec cessavit
a vitiis, *et Domino non placuit* propter
sua peccata. *Nunc recordabitur iniquita-*
tum eorum, id est, debite eos puniendo,
ostendet se memorem quam pessime fe-
cerint. Ideo subditur : *et visitabit peccata*
eorum, ea per Chaldæos vindicando. *Et di-* 11
xit Dominus ad me : Noli orare pro po-
pulo isto in bonum, videlicet ut parcam
C eis, sed potius ut puniantur. Hoc jam su- Jer. VII, 16; XI, 14.
pra plenius dictum est atque expositum.
Nunc enim apud Dei sapientiam definitum
fuit ut punirentur. Et non cessando a pes-
simis vitiis, reddebant se indignos orati-
one Sanctorum. *Quum jejunaverint, non* 12
exaudiam preces eorum : ita quod nec je-
junia eorum nec preces sunt mihi acce-
ptæ, eo quod corda eorum maneant in
affectu peccandi, nec amore, sed timore
servili ac dura necessitate hæc agant. Hinc
in Isaia exclamant : Quare jejunavimus, et Is. LVIII, 3.
D non adspexisti? humiliavimus animas no-
stras, et nescisti? Quibus a Domino re-
spondetur : Quia in diebus jejunii vestri Ibidem.
invenitur voluntas vestra. Et postea ibi Ibid. 4 et seq.
docetur, quod jejunium sine actibus pieta-
tis, nihil prosit. *Et si obtulerint holocau-*
tomata et victimas, non suscipiam ea :
quia non agunt hæc ex vera devotio-
ne. Sacrificia autem legis non erant Deo
accepta, nisi ex offerentium devotione,
quemadmodum plenius dictum est supra.
Quoniam gladio, et fame, et peste ego

consumam eos. Conjunctio ista causalis, A
potius notat hic signum quam causam.
13 *Et dixi : A, a, a, Domine Deus* meus.
Hoc ait Propheta condolendo miseris jam
vastandis, pro eo quod audivit a Domino,
Gladio, et fame, et peste consumam eos.
Prophetæ dicunt eis (isti fuerunt pseudo-
prophetæ) : *Non videbitis gladium, et fa-
mes non erit in vobis; sed pacem veram
dabit vobis* Dominus *in loco isto.* Istam
securitatem promittebant, ex parte Dei se
14 loqui dicentes. *Et dixit Dominus ad me :
Falso prophetæ* pseudo *vaticinantur in* B
nomine meo, id est, dicendo se loqui in
nomine meo, vel ex mea persona, men-
tiuntur. *Non misi eos, et non præcepi eis,*
ut ista loquerentur, *neque locutus sum ad
eos. Visionem mendacem, et divinationem
fraudulentam, et seductionem cordis sui
prophetant vobis,* id est, ex propria imagi-
natione, confictione et diabolica inspira-
15 tione loquuntur. *Idcirco hæc dicit Domi-
nus de prophetis qui prophetant in nomine
meo, quos ego non misi, dicentes, Gladius
et fames non erit in terra hac : Gladio* C
et fame consumentur prophetæ illi. Nam
16 quosdam eorum occiderunt Chaldæi. *Et
populi quibus prophetaverunt**, *erunt pro-*
*jecti in viis Jerusalem præ fame et gladio,
et non erit qui sepeliat eos, ipsi et uxores
eorum, filii et filiæ eorum,* id est, in pla-
teis Jerusalem corruent præ fame et gla-
dio; *et effundam super eos malum suum,* id
est pœnam iniquitatum eorum.
17 *Et dices ad eos verbum istud : Deducant
oculi mei lacrimam per diem et noctem,
et non taceant,* id est, a motu plorationis D
non cessent. Hæc in persona Jeremiæ di-
cuntur, quasi dicat ad populum : Quamvis
jam prohibitus sum orare pro vobis, nihi-
lo minus in tantum vobis condoleo, ut
nocte et die plorare desiderem. Nam et
dolor interior per fletum quodammodo
relevatur ac minoratur. Simili compas-
Is. XXII, 4. sionis affectu loquitur Isaias : Nolite, in-
quiens, incumbere ut consolemini me su-
per vastitate filiæ populi mei. Denique
Michæas ineffabili compassione affectus,

* *prophetant*

ait : Utinam non essem vir habens spiri- *Mich.* II, 11.
tum, et mendacium potius loquerer. Quod
autem hic loquitur Jeremias, supra dixit :
Quis dabit capiti meo aquam, et oculis *Jer.* IX, 1.
meis fontem lacrimarum, et plorabo die
ac nocte interfectos filiæ populi mei? Un-
de et nunc tanti planctus causam subje-
cit : *Quoniam contritione magna,* id est
grandi destructione, *contrita est virgo filia
populi mei,* id est Synagoga seu plebs Ju-
dæorum, quæ et virgo et filia appellatur :
virgo, ut naturæ puritas designetur; filia,
ut Creatoris ad eam dilectio declaretur.
Natura quippe secundum se pura ac no-
bilis est, sicque a Deo diligitur paterno
amore. Nec mirum, si populus Judæorum,
quamvis pravissimus, virgo filiaque dica-
tur, quum et in Isaia de populo Chal-
dæorum scriptum sit : Descende, sede in *Is.* XLVII, 1.
pulvere, virgo filia Babylon. *Plaga pessi-
ma vehementer,* id est, gravissima prorsus
punitio huic populo est inflicta. Dicitur
ergo plaga hæc pessima, malitia pœnæ.
Unde et scriptum est in Amos : Si erit ma- *Amos* III, 6.
lum in civitate quod Dominus non fecit?
Deinde per partes ostendit plagæ istius
dirissimæ gravitatem. *Si egressus fuero* 18
*ad agros, ecce occisi gladio; et si introiero
in civitatem, ecce attenuati fame :* id est,
quocumque me verto, Judæos occisos in-
venio vel afflictos : qui enim extra urbium
mœnia inveniuntur, Chaldæorum gladio
feriuntur ; et qui intra Jerusalem propter
securitatem se collegerunt, fame deficiunt.
Tanta equidem erat in Jerusalem fames, ut
per Ezechielem prædixerit Dominus : Pa- *Ezech.* V, 10.
tres comedent filios in medio tui, et filii
patres. Nec mirum istud de vulgo. *Prophe-
ta quoque et sacerdos,* id est pseudopro-
phetæ ac sacerdotes, de quibus superius
dictum est : Sacerdotes non dixerunt, Ubi *Jer.* II, 8.
est Dominus? et prophetæ prophetaverunt
in Baal. De quibus in Michæa legitur :
Principes ejus (puta Jerusalem) in mune- *Mich.* III, 11.
ribus judicabant, et sacerdotes ejus in mer-
cede docebant, et prophetæ ejus in pecu-
nia divinabant. *Abierunt in terram quam
ignoraverunt,* id est, in Babyloniam capti-

vi abducti sunt. Loquitur autem Propheta de futuro per modum præteriti, quia quum dixit hæc, nondum capta fuit Jerusalem.

Deinceps dolorose alloquitur Dominum :
19 *Numquid projiciens abjecisti Judam? aut Sion abominata est anima tua?* Quod intelligi potest et negative, et affirmative. Negative, hoc modo : Hucusque non penitus abjecisti, nec dereliquisti regnum ac populum duarum tribuum, nec anima (id est mens) tua penitus detestata est Sion, id est templum ac urbem Jerusalem. Unde in
III *Reg.* xi, 32-36; xv, 3,4; IV *Reg.* viii, 19. libris Regum frequenter habetur, quod licet reges et populus Juda graviter Deum offenderint, noluit tamen disperdere Judam propter se et propter David servum suum. Porro affirmative legendo hæc, iste est sensus : Nunc utique vehementer abjecisti populum tuum, urbem et templum. Primæ autem expositioni magis concordat sequens versiculus : *Quare ergo percussisti nos ita, ut nulla sit sanitas?* id est, cur nunc præ solito tam dire per Chaldæos nos afflixisti, ut nullus aut pauci evaserint, et his qui cæsi aut capti sunt, subveniri non queat? Cui consonat illud Isaiæ :
Is. lix, 11. Rugiemus quasi ursi omnes, et quasi columbæ meditantes gememus. *Exspectavimus pacem* secundum pseudopromissa,
Mich. iii, 11. de quibus in Michæa scribitur : Super Dominum requiescebant, dicentes : Numquid non Dominus in medio nostri est? non veniet super nos malum. *Et non est bonum,* id est, prosperitatem aut tranquillitatem consecuti non sumus. Exspectavimus quoque *et tempus curationis,* id est remedii, a te protegi propter templi sanctitatem putantes; *et ecce turbatio* accidit nobis. Istud loquitur Jeremias in persona peccantium, quibus se ipsum connumerat, quia pars populi hujus fuit. Simili
Is. lix, 9. modo loquitur Isaias : Exspectavimus lucem, et ecce tenebræ; splendorem ignis, et in tenebris ambulavimus.

Deinde in persona pœnitentium ait :
20 *Cognovimus, Domine, impietates nostras,* item et *iniquitates patrum nostrorum,* quas et nos operati sumus, *quia peccavimus*

A *tibi.* Hoc dixerunt aliqui boni in Jerusalem, de quibus in Ezechiele habetur, quod Dominus jussit super eos poni signum *Ezech.* ix, 4.
Thau, qui dolent ac gemunt super cunctis abominationibus quæ fiunt in medio Jerusalem. *Ne des nos in opprobrium propter* 21
nomen tuum, id est, propter te ipsum, propter tibi connaturalem bonitatem atque clementiam, propter nominis tui honorem, erue nos ab opprobrio Chaldæorum; *neque facias nobis contumeliam,* id est, non nos permittas ab hostibus nostris contumelio-
B se tractari. *Solii gloriæ tuæ recordare,* id est, templi in quo tua habitavit majestas, memor esse digneris, illud illæsum servando; *ne irritum facias fœdus tuum nobiscum,* id est, pactum pacis quod cum patribus nostris inisti, quod in monte Sinai percussisti cum eis, quum eos in populum peculiarem assumpsisti, non sinas *Exod.* xix, 5, 6.
cassari in nobis, nec tua nos protectione destituas. Vel, Solii gloriæ tuæ recordare, id est sanctorum Patriarcharum et ceterorum justorum, in quorum mentibus habi-
C tasti, et propter illorum merita nos tuere.

Circa præhabita oritur quæstio, quomodo Jeremias nunc oret pro populo, et a Chaldæorum opprobrio erui postulet, quum jam Dominus vicibus repetitis dixerit ei, *Jer.* vii, 16; xi, 14; xiv, 11.
ne oraret pro eo, et quod certissime dandus esset manibus Chaldæorum. Et respondendum, quod Dominus non absolute aut præceptive prohibuit Jeremiam ab oratione pro populo isto, sed hortative et consultorie loquebatur, ne Propheta immoderato orandi labore se ipsum conficeret. Quam-
D vis etiam audivit se non exaudiendum, nihilo minus confidebat preces suas non totaliter esse frustrandas, et pœnas instantes mitigari optavit, præsertimque animarum saluti divinitus subveniri gliscebat. Fervens etenim amor non cito neque faciliter ab oratione pro amato compescitur. Unde et beatus antistes Servatius, audita a Petro apostolo Tungrensium destructione, et ne oraret pro eis, nihilo minus ardentissime oravit pro eis. Nam et importuna oratio nonnunquam contra Deum præva-

lere videtur : quemadmodum Christus in A
Luc. xviii, 2-5. Evangelio ponit exemplum de judice, qui
nec Deum nec hominem verebatur, tamen
viduam importune rogantem audivit. De-
II *Reg.* xii, 14, 16. nique David, audita a Nathan prophetia,
quod infans sibi de Bethsabee genitus,
mox moreretur, deprecatus est Deum in-
stanter, ne infantem sibi auferret.

Postremo, quoniam in principio hujus
capituli de siccitate facta est mentio, nunc
22 subditur : *Numquid sunt in sculptilibus*
gentium qui pluant ? id est, gentilium si-
mulacra pluviam dare non valent. *Aut cœ-* B
li possunt dare imbres ? quasi dicat : Non,
nisi per tuam virtutem, qua moventur et
agunt, et sine qua nec ad momentum sub-
sistere possunt. *Nonne tu es Dominus Deus*
noster, quem exspectavimus, id est, a quo
pluviam et cetera omnia necessaria postu-
lavimus ? *Tu enim fecisti omnia hæc,* sci-
licet cœlum et terram, et quidquid cœli *Esther* xiii, 10.
ambitu continetur. Ideo solus es verus
Deus, propria virtute operans, atque fina-
liter exspectandus.

Ecce blande et commendative Propheta
Deum affatur, ut plenius exaudiatur, sciens
orationem laudibus Dei mixtam et amoro-
se propositam, esse efficaciorem, juxta il-
lud in Psalmo : Laudans invocabo Domi- *Ps.* xvii, 4.
num, et ab inimicis meis salvus ero.

ARTICULUS XXVII

EJUSDEM CAPITULI QUARTIDECIMI MYSTICA PERTRACTATIO.

JEREMIAS speciem tenet prælatorum, C
doctorum ac prædicatorum Ecclesiæ,
ad quos fit sermo a Deo de spirituali sicci-
tate fidelium, id est de carentia gratiæ, de
subtractione roris consolationis divinæ, de
defectu aquæ sapientiæ salutaris, propter
2 Christianorum negligentias et peccata. *Lu-*
xit Judæa, id est Ecclesia vel anima pia,
in qua est Dei confessio. Judæa namque
confitens vel confessio interpretatur. *Et*
portæ ejus corruerunt, et obscuratæ sunt,
id est, exteriores eorum sensus non sunt
refrenati. Imo per eos mors culpæ ingres- D
sa est mentem, et sic organa sensuum fa-
cta sunt instrumenta vitiorum. Vel, Portæ
Ecclesiæ, sunt prælati ac prædicatores, per
quorum doctrinam exemplaremque vitam
ac preces alii patriam ingredi debent. Qui
sui officii debitum non implentes, labun-
tur, ac obscurantur, gratiæ luce ablata, et
peccati caligine introducta. Ipsis quippe
Matth. v, 14. dicitur : Vos estis lux mundi. *Et clamor*
Jerusalem ascendit, id est, Ecclesia ad
Deum pro gratioso auxilio vociferata est.
Majores, id est prælati, *miserunt mino-* 3
res, id est vicarios, *suos ad aquam,* id est
ad sacræ Scripturæ fluenta ac fontes de
quibus Isaias ait : Haurietis aquas in gau- *Is.* xii, 3.
dio de fontibus Salvatoris. *Venerunt ad*
hauriendum, et non invenerunt aquam,
id est sacræ Scripturæ scientiam : quod
fuit ex incapacitate, imperfectione et ru-
ditate eorum, quoniam ineruditi et inexer-
citati, Scripturarum mysteria intelligere
nequiverunt. Istud potissime convenit pa-
storibus et prælatis qui in locis suis per-
sonaliter residere nolunt, et ultra hoc, in-
eruditos, carnales, insufficientes vicarios
sibi substituunt : quod est utique ineffa-
biliter periculosum, quum omnium per-
euntium damnatio, nedum in vicarios, sed
et in majores redundet prælatos qui gregi
sibi commisso nec digne nec debite pro-
vident. Advertant hi, quod Joseph Christi
tenens figuram, fratribus suis Patriarchis,
prælatorum typum gerentibus, dixit : Non *Gen.* xliii, 3.
videbitis faciem meam, nisi fratrem ve-
strum minimum adduxeritis ad me. *Re-*

portaverunt isti minores *vasa,* id est cor- A
da, *sua vacua :* quoniam in Scripturis
nihil profecerunt, nec dono sapientiæ sunt
impleti. *Confusi sunt* propter ignorantiam
suam, *et afflicti* de sua imperfectione : et
utinam modo confunderentur, et afflige-
rentur sincere, profectuique studerent, ne
post vitam hanc a Christo æternaliter re-
probarentur. *Operuerunt capita sua,* id
est, superiores animæ vires habuerunt ve-
lo insipientiæ tectas, ita quod cum Apo-
II *Cor.* III, 18. stolo dicere non valebant : Nos autem
revelata facie gloriam Domini speculan- B
tes. Juxta hunc modum ait Apostolus de
Ibid. 15. Judæis : Velamen super cor eorum posi-
tum est.
4 *Propter terræ vastitatem,* id est cordis
sui inopiam, *quia non venit pluvia in ter-
ram,* id est, quoniam rore gratiæ non sunt
fecundati, nec claritate sapientiæ illustra-
ti ; *confusi sunt agricolæ,* id est pastores,
qui agrum mentalem subditorum suorum
excolere debent, sicut discipulis suis scri-
I *Cor.* III, 9. bit Apostolus : Dei agricultura estis. Isti,
deficiente auxilio illustrationis supernæ, C
confunduntur. *Operuerunt capita sua :*
sensu prætacto. Interdum tamen defectus
culturæ subditorum, non est ex parte pa-
storum, sed ex negligentia perversitateque
propria : et tamen tunc de imperfectione
gregis sui pastores virtuosi intra se con-
funduntur, atque in signum mœroris ca-
put suum operiunt, et foris apparere re-
5 fugiunt. *Nam et cerva,* id est anima in
bonis operibus velox, *in agro* Ecclesiæ
peperit, alios convertendo, ac juste viven-
do, *et reliquit* germen virtutum spiritua- D
lesque filios, *quia non erat herba,* id est
viror refectionis internæ. Hoc fit, dum
animæ devotæ paulatim vitiosæ reddun-
tur, et gratiarum humore per negligentiam
6 perdito, steriles efficiuntur. *Et onagri,* id
est viri seriosi et rigidi, *steterunt in ru-
pibus,* id est in locis disciplinaribus. *Tra-
xerunt ventum,* id est, caduca et vana,
carnaliterque oblectantia requirebant, *qua-
si dracones,* id est sicut concupiscentiis
inflammati, et aliorum perversores. Hoc

contingit, dum quidam religiosi aut spiri-
tuales in corporalibus suis exercitiis præ-
sumptuose confidunt, ac secrete super-
biunt : propter quod divina consolatione
privari merentur, qua subtracta, ad exte-
riora, inania atque carnalia diffunduntur.
Quibus ad Galatas scribit Apostolus : Sic *Galat.* III, 3.
stulti estis, ut quum spiritu cœperitis,
nunc carne consummemini ? *Defecerunt
oculi eorum,* id est, excæcati sunt mente,
quia non erat herba, id est animæ esca
seu obedientiæ cibus, qui est observantia
præceptorum : de quo loquitur Christus,
Meus cibus est, ut faciam voluntatem Pa- *Joann.* IV, 34.
tris mei.
Si iniquitates nostræ responderint no- 7
bis, Domine, fac propter nomen tuum. Is-
tud in omni adversitate dicamus, et quid-
quid asperum nobis occurrit, humiliter
cogitemus quod iniquitates nostræ nobis
respondent, ita quod nedum ea quæ pati-
mur, sed duriora quoque pati meruimus.
Unde de impiis in Isaia scriptum est :
Agnitio vultus eorum respondebit eis. Jux- *Is.* III, 9.
ta hunc sensum scriptum est in Job : Os *Job* XV, 6.
tuum condemnabit te, et non ego, et labia
tua respondebunt tibi ; et item in Psalmo,
Arguam te, et statuam contra faciem tu- *Ps.* XLIX, 21.
am. Idcirco oremus : Domine, non secun- *Ps.* CII, 10.
dum peccata nostra facias nobis ; sed mi- *Ps.* XVI, 7.
rifica misericordias tuas, qui salvos facis
sperantes in te. *Quoniam multæ sunt aver-
siones nostræ.* In omni equidem pecca-
to mortali præponimus Deo omnipotenti,
summo infinitoque bono, bonum creatum,
caducum et vanum : imo in ipso constitui-
mus nobis ultimum finem, quia plus illi
quam Deo invariabili inhæremus. Quid igi-
tur restat nobis ? nisi ut illud Esdræ di-
camus : Deus meus, confundor et erubesco I *Esdr.* IX, 6.
levare faciem meam ad te, quoniam ini-
quitates nostræ multiplicatæ sunt super
caput nostrum, et delicta nostra creverunt
usque ad cœlum ; illud quoque in fine li-
bri secundi Paralipomenon : Quoniam pec- *Oratio Manassæ.*
cavi super numerum arenæ maris, mul-
tiplicatæ sunt iniquitates meæ ; excitavi
iracundiam tuam, et malum coram te fe-

ci, statuens abominationes, et multiplicans A
offensiones, etc.
8 *Tibi peccavimus, exspectatio Israel,* id
Gen. XLIX, 10; Agg. II, 8. est, tibi, o Christe, exspectatio gentium
electarum, et desideratus earum, inobedi-
entes ingratique fuimus, qui pro nostra
salute tot et tanta assumpsisti, fecisti ac
pertulisti ; *salvator in tempore tribulatio-
nis.* Tempore enim adversitatis, tentationis
et persecutionis, maxime pronus est Deus
succurrere, juxta quod ait in Psalmo :
Ps. XC, 15. Cum ipso sum in tribulatione ; eripiam
eum, et glorificabo eum. Unde et Jonas B
Jonæ II, 3. ait : Clamavi ad Dominum de tribulatione
Ps. L, 19. mea, et exaudivit me. Denique, sacrificium
Deo spiritus contribulatus. *Quare quasi
colonus futurus es in terra, et quasi viator
declinans ad manendum ?* Hoc cordiali
cum gemitu proferamus, quum Deum in
nobis vel in Ecclesia per stabilem gratiam
habitare non invenimus, sed cito gratio-
sam suam nobis subtrahere præsentiam.
10 *Hæc dicit Dominus populo huic, qui
dilexit movere pedes suos, et non quievit,
et Domino non placuit.* Istud vagis, inti- C
moratis, ac instabilibus competit : qui di-
ligunt propriam libertatem, et quocumque
mens suggerit, proficiscuntur ; nec cor
suum quietant in Deo, sed voluptatem ac
vanitatem sectantur. Pedes itaque animæ
nostræ, videlicet cordis affectiones, tenea-
mus ancoratas in Domino. *Nunc recorda-
bitur iniquitatum eorum,* deserens eos
quotidie in graviora vitia labi, donec tan-
11 dem omnino damnentur. *Et dixit Domi-
nus : Noli orare pro populo isto in bonum.*
Quidam nimis confidunt in precibus alio- D
rum, ita ut pro se ipsis negligant orare, et
cum securitate quadam peccent, non at-
tendentes quod iniquitatum suarum con-
tinuatione ponant obicem gratiæ Dei, om-
nique exauditionis divinæ effectu prorsus
indignos se exhibeant. Pœniteant ergo, et
Luc. IX, 62. orent etiam ipsi pro se ipsis, manum mit-
tentes ad aratrum, nec retro adspicientes.
12 *Quum jejunaverint, non exaudiam preces
eorum ; et si obtulerint holocautomata et
victimas, non suscipiam ea.* Audiant hoc
et formident, qui in peccatis mortalibus
manent scienter, nec plenum nec since-
rum habentes emendationis propositum :
quoniam quidquid patiantur vel agant,
donent aut offerant, nihil apud Deum me-
rentur. *Quoniam gladio* diabolicæ tenta-
tionis, *et fame,* id est carentia gratiæ, *et
peste,* id est scandalo suo activo atque pas-
sivo, *ego consumam eos,* id est, in anima
perire permittam.

Hæc audiens Christi amator, verusque
pastor, et vulgo pereunti compatiens, vo-
ciferatur : *A, a, a, Domine Deus, prophe-* 13
tæ, id est prædicatores, imo impii adula-
tores ac negligentes pastores, *dicunt eis :
Non videbitis gladium, sed pacem dabit
Dominus in loco isto.* Quocirca ait Hiero-
nymus : Audiant hæc magistri qui pec-
cantibus atque in suis vitiis permanen-
tibus, prospera pollicentur ; qui dicunt
divitibus : Non videbitis gladium tormen-
torum Dei. Tales sunt, qui proprium et
carnale emolumentum exquirunt. De istis
igitur Dominus protestatur, quod ipse eos 14
non mittat, nec verba ejus vere loquan-
tur, sed visiones mendaces. Propter quod
ipsi peribunt, et qui eis consentiunt. *Et* 16
erunt projecti in viis Jerusalem, id est,
in semitis mandatorum Ecclesiæ corruent,
juxta illud Osee : Quia rectæ sunt viæ Osee XIV, 10.
Domini, et justi ambulabunt in eis ; præ-
varicatores vero corruent in eis.

Insuper vir ecclesiasticus ac devotus,
qui animarum curam accepit, proximo-
rum vel sibi commissorum, imo totius
Ecclesiæ varias persecutiones, tentationes,
ruinas, pericula pensans, piissimæ carita-
tis compassivo et doloroso dicat affectu :
Deducant oculi mei lacrimam per diem 17
et noctem, id est assidue, in adversis ac
prosperis, omnique tempore competenti.
Quasi dicat : Video quidem proximis atque
Ecclesiæ cordialiter compatiendum, ideo
precor Deum ut tribuat mihi condignarum
gratiam lacrimarum, ut secundum magni-
tudinem adversitatis et culpæ, sit magni-
tudo doloris et lacrimæ. *Quoniam con-
tritione magna contrita est virgo filia*

populi mei, id est, Ecclesia seu anima christiana in spiritualibus quamplurimum est destructa. Tot enim letalibus est sauciata vulneribus, quot mortalia incurrit peccata. Et quo magis peccavit, tanto amplius est destructa, in nihilumque redacta, quia peccatum nihil est, et peccando
Ps. LXXII, 22. nihil efficimur, juxta illud in Psalmo : Ego ad nihilum redactus sum, et nescivi. Hinc subditur : *plaga pessima vehementer :* id est, consuetudo peccati et obstinatio in peccato, in plebe christiana prævaluit, et hæc plaga est prorsus pravissima. Nempe quo pejus est malum culpæ malo pœnæ, eo major est plaga peccati quam plaga supplicii. Tunc quoque Deus terribilius nos relinquit, dum nos impune ac diu peccare permittit, quemadmodum in Psal-
Ps. LXXX, 13. mo ait de impiis : Dimisi eos secundum desideria cordis eorum ; ibunt in adinventionibus suis. Incomparabiliter itaque amplius condolendum est animæ læsioni, quam corporis.

18 *Si egressus fuero ad agros,* id est, si lata sæcularium hominum perpendam itinera, *ecce occisi gladio,* id est, tales gladio dæmoniacæ impugnationis victos invenio, mucrone concupiscentiæ, iræ, impatientiæ, ac ceteris vitiis prostratos conspicio. Non enim passionibus suis resistunt, nec dæmonum tentamentis reluctari idonee norunt. De hoc gladio ad sanctum Job de
Job XL, 14. diabolo dicitur : Qui fecit eum, applicabit gladium ejus. *Et si introiero in civitatem,* id est, claustralium et clericorum conversationem pensavero, *ecce attenuati fame,* id est, ibi quoque spirituali inopia seu gratiarum carentia confectos reperio, in quibus non est interna mentis refectio, nec verus cordis profectus. Hi sunt, qui sub veste religiosa cor gerunt mundanum,
Coloss. I, 10; Ephes. IV, 1. qui non satagunt digne Deo conversari secundum exigentiam sui status et suæ vocationis : quibus tanto gravior restat damnatio, quanto aptiora habuerunt media proficiendi. *Propheta quoque et sacerdos,* id est aliorum instructores ac sacerdotes Ecclesiæ, qui de futuro sæculo

A continue fantur, *abierunt in terram quam ignoraverunt,* id est, mystico Christi corpore relicto, dæmonis congregationi sunt incorporati, imo ad infernum profecti sunt. Quocirca scribit Hieronymus : Audiant hoc prophetæ nostri et sacerdotes, quod nec intus nec foris propter negligentiam eorum sit ulla securitas, et quod eos scandalizent qui foris sunt, et eos qui intus sunt, fame interire patiantur.

Numquid abjecisti Judam, id est eccle- 19
siasticam plebem? *aut Sion,* id est religiosos ac contemplativos (Sion quippe speculatio interpretatur), *abominata est anima tua?* Non utique, quantum ad ea quæ habent a te : imo animam tuam, o Christe, posuisti pro eis ; et diligit Dominus portas Ps. LXXXV, 2.
Sion super omnia tabernacula Jacob. Qualiter autem anima Deo, secundum propriam ejus naturam, metaphorice convenire dicatur, dictum est ante. Verum tempore gratiæ Verbo Dei incarnato, Deus verus animam vere habet. *Quare ergo percussisti nos ita,* id est, cur nos quos eatenus dilexisti, tam graviter ab invisibilibus et visibilibus hostibus, a mundo, carne, diabolo impugnari ac lædi permisisti, *ut nulla sit sanitas?* Quia in anima et corpore vitiis nostris sumus fœdati ac vulnerati ; sed et vires animæ infectæ sunt nimis, ratio ignorantia, voluntas malitia, vis concupiscibilis concupiscentia, irascibilis infirmitate ; omnia insuper membra nostra Rom. VI, 13
exhibuimus arma peccato : idcirco a plan- Is. I, 6.
ta pedis usque ad verticem capitis, non est in nobis sanitas pura et integra. *Exspectavimus pacem,* id est mentis tranquillitatem in te, *et non est bonum* pacis istius in nobis ; *et tempus curationis* a nostris piaculis, *et ecce turbatio,* id est, inquietudo, impugnatio, tentatio nos molestat. Tales sunt multi, qui intuentes quod ait Salvator, Venite ad me, omnes qui labora- Matth. XI, 28, 30.
tis et onerati estis, et ego reficiam vos, jugum enim meum suave est, et onus meum leve ; quum se ad Deum convertunt, mundum contemnere inchoant, aut claustrum introeunt, mox sibi grandem spondent

quietem, putantes quod amplius non oc- A
curret turbatio atque tentatio. Sed adver-
Act. XIV, 21. tant quod ait Apostolus : Quia per multas
tribulationes oportet nos intrare in re-
Eccli. II, 1. gnum Dei; illud quoque Ecclesiastici, Fili,
accedens ad servitutem Dei, sta in justitia
et in timore, et præpara animam tuam ad
tentationem.

Verum præmemorata mala non in Deum
declinemus, sed nostris perversitatibus im-
20 putemus, dicentes : *Cognovimus, Domine,*
id est, humiliter confitemur, *impietates*
nostras, iniquitates patrum nostrorum, B
quia peccavimus tibi : qui peccatis patrum
nostrorum contenti non fuimus, sed pejo-
21 ra agentes, plura adjecimus. *Ne des nos*
in opprobrium propter nomen tuum, id
est, hostibus nostræ salutis non tradas
nos, sed propter tuam nos eripe benigni-
tatem; *neque facias nobis contumeliam,* id
est, ab æterna confusione nos libera, ne
cadat super nos illa formidanda sententia,
Matth. XXV, 41. Ite, maledicti, in ignem æternum. *Solii*
gloriæ tuæ recordare, id est sanctorum
Apostolorum ac martyrum, ceterorumque C
electorum, in quibus sedem habitationis
habere dignatus es, et per illorum nos me-
rita salva; *ne irritum facias fœdus tuum*
nobiscum, id est, ne verbum quo pœniten-
tibus misericordiam* spopondisti, cassetur * veniam
in nobis.

Numquid sunt in sculptilibus gentium 22
qui pluant? id est, non utique gentilium
dii, gratiam salutis et aquam sapientiæ
salutaris influere possunt. *Aut cœli pos-*
sunt dare imbres? id est, nec cives cœle-
stes pluviam istam queunt propria pote-
state conferre. *Nonne tu es Dominus Deus*
noster, quem exspectavimus, qui solus va-
les tua virtute salvare? Nec enim aliud Act. IV, 12.
nomen est sub cœlo datum hominibus, in
quo oporteat nos salvari, nisi nomen Do-
mini Jesu Christi.

Merito plane canticum istud, secundum
hunc mysticum ejus intellectum, tem-
pore quadragesimali cantamus, quo vi-
tia nostra singulariter deplorare cum ple-
na humilitate debemus. Tuncque, imo et
semper, cum Isaia voce gratulabunda de
unigenito Dei Filio Jesu Christo dicamus :
Ecce Deus noster iste, exspectavimus eum, Is. XXV, 9.
et salvabit nos; iste Dominus, sustinuimus
eum, exsultabimus et lætabimur in salu-
tari ejus.

ARTICULUS XXVIII

EXPOSITIO CAPITULI QUINTIDECIMI : ET DIXIT DOMINUS AD ME : SI STETERINT, ETC.

RURSUS inexcusabilem gravitatem sce- D
1 lerum Judæorum ostendit Deus. *Et*
dixit Dominus ad me : Si steterint Moy-
ses et Samuel coram me, id est mente ere-
cta ad me, ad deprecandum pro ereptione
Judæorum, *non est anima,* id est voluntas
seu mens, *mea ad populum istum,* ad par-
cendum eis. Quasi dicat : Tu quidem, o Je-
remia, jam affectuose precatus es pieta-
tem meam pro plebe hac pessima; sed ne
graviter feras, vel ob tuam indignitatem
accidere putes, quod te non exaudio, ecce
perhibeo tibi atque protestor, quod quam-
vis Moyses et Samuel orarent pro eis, non
exaudirentur.

Cur autem Moyses et Samuel præ ceteris
exprimuntur, asserit quidam quod ideo,
quia hi duo dumtaxat in veteri Testamento
leguntur pro suis adversariis exorasse.
Unus quippe a populo lapidibus impeti- Exod. XVII, 4.
tur, et tamen orans ait : Dimitte populo Ibid. XXXII, 31.
hanc noxam. Alter ex principatu ejicitur,
et nihilo minus dicit : Absit a me hoc I Reg. VIII, 5. Ibid. XII, 23.
peccatum in Domino, quominus cessem

orare pro vobis. Circa quæ verba potest
quis dubitare. Quamvis enim Moyses dixit
ad Dominum, Adhuc pauxillum, et lapidabunt me, non tamen leguntur filii Israel
id attentasse. Denique dum Samuel dixit verba nunc introducta, non habuerunt
contra eum filii Israel odium, imo tunc
I *Reg.* xi, 14, 15. concorditer venerunt de cæde filiorum
Ammon, quemadmodum primo libro Regum legitur. Rursus, quod filii Israel Samuelem ejecerint de principatu, regem
Ibid. viii, 3-5. petendo, non ex odio Samuelis, sed occasione injustitiæ et avaritiæ filiorum ejus,
quos constituit judices populi, fecisse scribuntur. Insuper non tantum Moyses et
Samuel, sed et Aaron quoque pro adversariis suis legitur Dominum deprecatus in
Num. xvi, 41. Numeris, ubi habetur : Murmuravit autem
omnis multitudo filiorum Israel contra
Moysen et Aaron, dicens : Vos interfecistis
populum Dei. Et post pauca dixit Moyses
Ibid. 46. ad Aaron : Tolle thuribulum, pergens cito
Ibid. 47, 48. ad populum, ut roges pro eis. Obtulitque
Aaron thymiama, et stans inter vivos et
mortuos, pro populo deprecatus est, et
II *Reg.* xviii, 5. plaga cessavit. Denique David jussit principibus militiæ, ut servarent sibi puerum
Absalon, inimicissimum ipsi David. Nec
dubium quin sicut præcepit ipsum servari a corporis læsione, sic Deum oravit pro
IV *Reg.* vi, 20-23. animæ ejus salute : sicut et Eliseus oravit
pro Syris hostibus suis, ut aperirentur eorum oculi, liberavitque eos de morte. Ista
Gregorium tacite carpit. inquisitive sint dicta, non quod præmemoratam responsionem reprobare præsumam, quum talis ac tantus sit qui eam
assignat. Unde hoc ipso quod Dominus asserit se nec illos in casu proposito exauditurum, ostenduntur ad orandum valde
idonei ; et tempore magnæ angustiæ fuerant exauditi. Hinc ait Hieronymus : Hos
legimus iræ Dei pro populo restitisse, et
jam impendentem avertisse sententiam.

Ejice illos a facie mea, id est, ejiciendos a terra et templo Judææ, ubi specialiter habitavi, prænuntia; vel, A facie mea,
id est a mea protectione ac pio respectu,
ita quod eos perire permittam; *et egredian-*

A *tur* ad debitas pœnas. *Quod si dixerint* 2
ad te, Quo egrediemur? dices : Qui ad
mortem, ad mortem; et qui ad gladium,
ad gladium; et qui ad famem, ad famem;
et qui ad captivitatem, ad captivitatem :
id est, quidam vestrum sustinebunt mortem, quidam gladium, quidam famem, quidam captivitatem. Verum quum mors sit
genus ad mortem gladii ac famis, potest
hoc loco intelligi per mortem, pestis seu
pestilentialis interitus.

Et visitabo, id est, visitando inducam, 3
B *super eos quatuor species* plagationum, seu
quatuor modos puniendi, *dicit Dominus,*
utpote : *gladium ad occisionem, et canes*
ad lacerandum cadavera occisorum, vel
viventes pene mortuos, *et volatilia cœli,*
et bestias terræ, ad devorandum et dissipandum occisos. Denique in Ezechiele
ponuntur hæ plagæ : gladius, fames et *Ezech.* v, 12; vi, 11; vii, 15.
pestis : quibus vicissim annumeratur captivitas, interdum autem et bestiarum la- *Ibid.* v, 12.
niatus. *Et dabo eos in fervorem,* id est *Ibid.* 17; xiv, 21.
commotionem et angustias, *universis re-* 4
C *gnis terræ :* quoniam omnes qui tantam
Judæorum calamitatem perceperunt, contremuerunt, et multi angustiabantur timore, ne et eis similia fierent a Chaldæis;
propter Manassen filium Ezechiæ regis
Juda, super omnibus, id est ob universa
scelera, *quæ fecit in Jerusalem :* quæ ultra
modum enormia erant, et quarto Regum IV *Reg.* xxi;
et secundo Paralipomenon scripta sunt. II *Par.* xxxiii.
Huic autem verbo concordat illud, quarto
Regum libro : Verumtamen non est aver- IV *Reg.* xxiii, 26.
sus Dominus ab ira furoris sui magni, quo
D iratus est furor ejus contra Judam, propter
irritationes quibus provocaverat eum Manasses. Sed quomodo hæc stare possunt,
quum et ipse Manasses pœnituerit, mise- II *Par.* xxxiii, 12, 13.
ricordiamque sortitus sit? Et per Ezechielem Dominus contestatur : Filius non *Ezech.* xviii, 20, 24.
portabit iniquitatem patris, et unusquisque in peccato suo morietur. Denique in
hoc ipso Jeremia Dominus ait, quod si *Jer.* vii, 3-7.
Judæi veraciter pœnituissent, mansisset
habitans inter eos. Et respondendum, quod
Judæi propter peccata Manassæ dicuntur

puniti, in quantum peccata illius fecerunt
esse sua, quia eadem atque similia perpe-
trarunt. Unde ait Hieronymus : Sicut San-
ctorum merita descendunt ad posteros, sic
impiorum flagitia, si liberi nepotesque
similia gesserint, ad posteros perveniunt.
5 *Quis enim miserebitur tui, Jerusalem?
aut quis contristabitur pro te? aut quis
ibit ad rogandum pro pace tua?* tanquam
dicat : Non es digna ut aliquis tui mise-
reatur, vel propter tuam ruinam triste-
tur, vel Dominum pro te oret. Cujus ratio
6 subditur : *Tu reliquisti me, dicit Domi-
nus,* per cordis tui aversionem a me, *re-
trorsum abiisti* per inobedientiam ; *et ex-
tendam manum,* id est potestatem, *meam
super te, et interficiam te,* inducendo vin-
dictam. *Laboravi rogans,* id est, toties et
tam diu per Prophetas ad emendationem
te invitavi atque rogavi, ut jam quasi las-
satus appaream, nec ultra sic faciam. Lo-
quitur Deus affectu ac more humano.
Is. I, 14. Simili sensu testatur in Isaia : Laboravi
Malach. II, 7. sustinens. Et Malachias : Laborare fecistis
Dominum in sermonibus vestris, in eo
quod dicitis, Omnis qui facit malum, bo-
7 nus est; aut certe, Ubi est Deus judicii? *Et
dispergam eos ventilabro,* id est examina-
tione seu exercitatione justitiæ meæ, qua
Matth. III, 2. aream meam purgo, et bonos a malis se-
jungo, *in portis terræ,* id est per portas
alienarum terrarum, per quas ibunt capti-
vi. *Interfeci et disperdidi populum meum,*
id est Judæos, per manum Chaldæorum.
Quomodo autem injusti ac reprobi di-
cantur populus Dei, dictum est sæpe. *Et
tamen a viis suis non sunt reversi,* id est,
de peccatis suis non sunt per pœnitentiam
emendati.
8 *Multiplicatæ sunt mihi,* id est ad justi-
tiæ meæ ostensionem, *viduæ ejus,* scilicet
populi Judæorum, *super arenam maris,* id
est abundantissime, vehementer, occisis
earum maritis. Estque locutio ista hyper-
bolica, id est per excessum dicta, quemad-
Judic. XX, 16. modum in libro Judicum scribuntur filii
Benjamin potuisse fundis tangere pilum.
Et *induxi eis,* puta Judæis, *super matrem*

A *adolescentis,* id est adolescentium matri-
bus, *vastatorem meridie,* id est Chaldæos
vastantes aperte claraque luce. Vel, per
matrem adolescentis, designatur Jerusa-
lem, quæ fuit mater urbium Juda : quem-
admodum mulier sapiens clamavit ad Joab, II *Reg.* XX, 16, 19.
Quæris subvertere matrem in Israel (id
est Abela urbem)? *Misi super civitates
repente terrorem,* id est, habitatores civi-
tatum Judææ de adventu Chaldæorum su-
bito terrui. *Infirmata est quæ peperit* 9
septem, id est, mulieres filios quantumli-
B bet multos habentes, præ tribulatione elan-
guerunt. Aliqui libri habent, Septem filios.
Sed in textu Hieronymi non additur, Fi-
lios : ideo nec in Hebræo habetur. *Defecit
anima ejus,* filiis suis occisis. *Occidit ei
sol, quum adhuc esset dies,* id est, clara
luce, aliisque lætantibus, in maximo est
constituta mœrore. De isto modo loquen-
di, quo luminaria cœli dicuntur obtene-
brari, mœrere, sive occidere, dum homines
in grandi afflictione sunt positi, dictum
est supra. *Confusa est, et erubuit,* id est, *Jer.* IV, 23.
C intus et foris rubore perfusa est, tantam
ignominiam patiendo, ac sola manendo. *Et
residuos ejus,* videlicet populi Juda, id est
reliquam populi partem, *in gladium da-
bo in conspectu inimicorum eorum, ait
Dominus,* id est gladiis hostium suorum
Chaldæorum.
Præterea, propter abundantiam malo-
rum istorum culpabilium atque pœnali-
um, lamentatur Propheta, et ait : *Væ mi-* 10
hi, mater mea, id est, væ magni mœroris
ac variæ persecutionis imminet mihi, o ma-
D ter mea. *Quare genuisti me virum rixæ,
virum discordiæ,* id est, virum contra
quem Judæi injuste rixantur, et a quo pe-
ne omnes discordant, ita quod quasi om-
nibus factus sum onerosus et discors, *in
universa terra,* id est in tota regione Ju-
dææ? De hac nempe terra nunc sermo est.
Sicque in libro Josue dicitur filiis Israel :
Dominus Deus dedit vobis requiem et om- *Josue* I, 13.
nem terram. Hæc autem loquitur Jere-
mias, non quod se propter adversa doleat
natum, sed quod mala vitæ præsentis de-

ploret desiderio felicitatis futuræ, non ex A
defectu patientiæ. *Non fœneravi,* id est,
nulli quid commodavi, *nec fœneravit mi-*
hi quisquam, hoc est, cum temporalibus
rebus atque negotiis non me occupavi. Un-
de Theodotion transtulit : Non debui, nec
debuit mihi quisquam. Quasi dicat : Non
nocui eis, ideo injuste me persequuntur.
Omnes maledicunt mihi, id est quidam de
omnibus, et pene omnes, eo quod eorum
increpem vitia, atque imminentia suppli-
cia prædicem.

Ad hæc, consolatoria voce Dominus re- B
11 spondet : *Dicit Dominus : Si non reliquiæ*
tuæ in bonum, id est, imo novissima tua
erunt salubria, et adversitatum istarum
finis erit beatus. Deinde ponitur consola-
tio alia : *si non occurri,* id est, imo jam
ante subveni, et in futuro subveniam, *ti-*
bi in tempore afflictionis interioris, *et in*
tempore tribulationis exterioris et angu-
stiæ cujuscumque, *adversus inimicum,* id
est contra quoscumque tibi insidiantes.
Hoc est quod in libri hujus principio dixit
Jer. I, 8. Dominus ad Prophetam : Ne timeas a facie C
eorum, quia ego tecum sum ut eruam te.
Est autem hoc loco truncata locutio, sicut
Job I, 11. in Job, Nisi in faciem benedixerit tibi ;
Luc. XIII, 9. itemque in Evangelio, Et si quidem fe-
12 cerit fructum. *Numquid fœderabitur fer-*
rum ferro ab aquilone ? id est, populus
Judæorum instar ferri durus ad ea quæ
Dei sunt, non amicabiliter unietur nec pa-
cificabitur populo Chaldæorum durissimo ;
et æs ? id est, sermo tuus, o Jeremia, vel
Jer. I, 18. tu ipse dura denuntians, quem dedi in
murum æreum (ut dictum est primo ca- D
pitulo), non conveniet populo tuo duris-
simo. Quasi dicat : Noli tristari, quia ut
dicis, ita eveniet populo tuo. Ideo Domi-
13 nus ait ad populum : *Divitias tuas et the-*
sauros tuos in direptionem dabo gratis, id
est, omnes opes tuas sine pretio dabo Chal-
dæis, *in omnibus peccatis tuis,* id est pro-
pter universa scelera tua, *et in omnibus*
terminis tuis, id est ubique per totam Ju-
dæam. Omnia enim obtinuerunt Chaldæi.
14 *Et adducam inimicos tuos de terra quam*
nescis, scilicet de regione Babyloniorum,
quam ante non adspexisti ; *quia ignis suc-*
census est in furore meo, id est, ignis a
Chaldæis succendetur in te, mea dictante
justitia, *et super vos,* o Judæi, *ardebit,* id
est, urbes vestras comburet.

Consequenter sanctus Propheta videns
se inter lupos versari, petit auxilium gra-
tiæ Dei. *Tu scis, Domine,* id est, cordis 15
mei intima nosti ; *recordare mei,* me sem-
per paternaliter intuendo, *et visita me* gra-
tiose ac consolatorie, *et tuere me ab his*
qui persequuntur me, inconcussam patien-
tiam tribuendo, tribulationem relevando
ac terminando, ne vincar a malo, sed vin- *Rom.* XII,
cam in bono malum. *Noli in patientia tua* 21.
suscipere me, id est, preces meas non ita
accipias, ut persecutoribus meis parcas.
Si sic exponatur, intelligendum est Pro-
phetam hoc dicere zelo justitiæ, quo se
conformat voluntati ac æquitati mentis di-
vinæ, a qua novit decretum ut isti peri-
rent. Vel orat ut in præsenti puniantur, ne
æternaliter pereant, vel ut levius habeant
in futuro. Potest quoque ita exponi : Non
in tua longanimitate me suscipe, precum
mearum effectum differendo diutius, sed
statim exaudi. Unde, ut dicitur, in Hebræo
habetur : Noli in prolongatione tua susci-
pere me. *Scito,* id est, me exaudiendo os-
tende te scire, *quoniam,* id est quod, *sus-*
tinui propter te, id est pro tuo amore et
honore, pro veritate atque justitia, *oppro-*
brium a Judæis, qui me velut arrepticium
ac falsarium persequuntur.

Inventi sunt sermones tui, id est, verba 16
quæ per me locutus es, vera esse probata
sunt, quia impleta consistunt, *et comedi*
eos, id est, animam meam ex eis refeci et
confortavi. Sic quoque in Ezechiele legi-
tur : Fili hominis, comede volumen istud. *Ezech.* III,
Et aperui os meum, et cibavit me volu- 1-3.
mine ; et factum est in ore meo quasi mel
dulce. Unde nunc subditur : *et factum est*
mihi verbum tuum in gaudium et in læ-
titiam cordis mei : id est, de tua illumi-
natione gavisus sum, et quod toties me es
per angelum allocutus ; et item, quia spe-

ravi fructum magnum ex tuis sermonibus mox futurum. Rursus, gavisus sum de verbis tuis, eo quod illis humiliter obedivi. Contemplatio quoque seu consideratio veritatis, secundum se delectabilis est. Propter quod, juxta Prophetam, delectationi quæ est in considerando, non est tristitia contraria. Hinc ait Psalmista : Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ! *Quoniam invocatum est nomen tuum super me,* id est, ego ipse te fiducialiter invocavi, et alii boni qui oraverunt pro me (ut Baruch, etc.).

Ps. cxviii, 03.

17 *Domine Deus exercituum, non sedi in concilio ludentium,* id est, vanis atque ludentibus non me præbui socium : juxta illud in Psalmo, Non sedi in concilio vanitatis, etc., odivi ecclesiam malignantium, etc. *Et gloriatus sum* spirituali jucunditate in te. Qui enim carnalia oblectamenta contemnit propter Deum, consolationem meretur divinam, juxta illud : Renuit consolari anima mea ; memor fui Dei, et delectatus sum, etc. Vel, si illa negatio, Non, cadat super totum, sensus est, quod non sit carnaliter gloriatus. *A facie manus tuæ solus sedebam,* id est, consideratione tuæ potestatis, æquitatis ac ultionis, ab aliis me subtraxi, *quoniam amaritudine replesti me,* revelando mihi destructionem templi et civitatis ac populi, et permittendo me tot persecutionibus infestari, et quia peccata populi, tuamque deploravi injuriam. Simile est quod Ezechiel de se ipso scribit, quod septem diebus sederit tacens ac mœrens.

Ps. xxv, 4. *Ps.* lxxvi, 4. *Ezech.* iii, 5.

18 *Quare factus est dolor meus perpetuus?* id est, quasi nulla habeo intervalla tristitiæ, eo quod causæ istæ me contristantes non cessent ; *et plaga mea desperabilis renuit curari ?* id est, vulnus spirituale doloris animæ meæ tam dirum est, quod remedium non invenitur. Hoc ait Propheta, quoniam noverat certissime urbem ac templum Jerusalem destruenda, nec suo tempore reparanda ; et de hujusmodi destructione semper congruis horis dolebat. *Facta est mihi* plaga hæc *quasi menda-*

A *cium aquarum infidelium,* id est sicut deceptio quæ contingit ex aquis non opportunis, quæ scilicet adsunt, dum opus non est, et desunt, dum necessariæ sunt : sic enim et mihi nunc adest plaga tristitiæ, quando consolatio mihi necessaria esset propter diversa me affligentia. Jam dixit Propheta, Factum est mihi verbum tuum in gaudium et lætitiam : quomodo ergo nunc asserit, Factus est dolor meus perpetuus, etc. ? Et respondendum, quod dolor ejus non fuit sic jugis sive perpe-

B tuus, quasi semper in actuali tristitia fuerit, vel quod contristationi ejus non fuerit consolatio mixta, sed quia sæpius renovabatur in eo, ita quod actu vel habitu seu in dispositione propinqua semper inerat sibi, vicissim vero consolabatur divinitus. Imo, quum omnis actus virtuosus habeat suam delectationem sibi annexam, et tristitia ista Prophetæ exstiterit virtuosa, certum quod ei erat delectatio quædam adjuncta. Juxta hunc modum testatur Apostolus ad Romanos : Tristitia mihi magna *Rom.* ix, 2.

C est et dolor continuus, etc., scilicet propter excæcationem Judæorum. Nihilo minus alibi loquitur : Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. II *Cor.* vii, 4.

Postremo commemoratæ desolationi Jeremiæ offert clementissimus Deus maximam consolationem. *Si converteris, con-* 19
vertam te : id est, si tu aliquos Judæorum a peccatis converteris, ego te a mœrore ad exsultationem convertam, atque in te gratiam contemplationisque lucem auge-

D bo ; *et ante faciem meam stabis,* id est, in regno majestatis et gloriæ mihi æternaliter aderis, et vultum meum beatifica visione conspicies. Hinc scriptum est : Qui converterit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operit multitudinem peccatorum ; et in Psalmo, Habitabunt recti cum vultu tuo. *Et si separaveris pretiosum a vili,* id est justos ab impiis, virtutes a vitiis, vera a falsis, inter hæc idonee discernendo, et bonos a malorum consortio abstrahendo, *quasi os*

Jacob. v, 20. *Ps.* cxxxix, 14.

meum eris, id est mihi carissimus, et in
hoc, quasi prolocutor meus : sicut qui pro
alio loquitur, os ejus vocatur. Unde Ber-
nardus nominat Augustinum linguam Ec-
clesiæ. *Convertentur ipsi ad te,* id est, hi
quos converteris, tuas imitabuntur vir-
tutes : sicut discipulos suos hortatur Apo-
I *Cor.* IV, 16. stolus, Imitatores mei estote, sicut et ego
Christi ; *et tu non converteris ad eos,* eo-
Ps. XVII, 27. rum sequendo vitia et errores, nec cum
perversis perverteris.
20 *Et dabo te populo huic in murum ære-*
um fortem, id est, constantem ac insupe-
rabilem te faciam in omni impugnatione
Judæorum adversum te ; *et bellabunt ad-*
versum te, id est, te persequentur et oc-
cidere conabuntur, *et non prævalebunt,*
quia ego tecum sum, ut salvem te et eru-
am, dicit Dominus. Et liberabo te de manu 21
pessimorum, videlicet pseudo ac sacerdo-
tum, *et redimam te de manu fortium,* sci-
licet regum Juda ac principum. Nam et Joa-
kim et Sedecias persecuti sunt Jeremiam.
Ista primo capitulo dicta sunt plenius. *Jer.* I, 18, 19.

ARTICULUS XXIX

EJUSDEM CAPITULI QUINTIDECIMI SPIRITUALIS EXPLANATIO.

1 DIXIT *Dominus ad me : Si steterint*
Moyses et Samuel coram me, non est
anima mea ad populum istum. Quædam
ergo sunt peccata prorsus enormia, pro
quibus Deus vel non, vel difficile, audit
orantes pro remissione illorum, quamvis
qui orant, sint sancti. Nam et Joannes in
I *Joann.* V, 16. prima sua scribit epistola : Est peccatum
ad mortem ; non dico ut pro illo quis ro-
I *Reg.* II, 25. get. Primo quoque Regum habetur : Si
peccaverit vir in virum, placari ei potest
Dominus ; si autem in Deum peccaverit,
quis orabit pro eo ? Itemque in Ecclesiasti-
Eccli. XXVIII, 3, 5. co : Homo homini servat iram, et a Deo
quærit medelam ? Quis orabit pro delictis
illius ? Ista dicuntur, ne quis peccata in
Deum commissa, reputet parva, et ne in
aliorum orationibus insipienter confidat,
quum ipse ad Dei gratiam se ipsum non
disponit. *Ejice illos a facie mea,* id est,
impœnitentes ac duros a divinæ pietatis
adspectu abjiciendos denuntia. Hoc præla-
tis ac prædicatoribus imperat Dominus,
quatenus taliter comminando, ad pœni-
tentiam inducant perversos. Istud etiam
eis fit, qui in Ecclesia excommunicantur,
et a fidelium communione tolluntur : quo-
rum alii pereunt peste, id est malo alio- 2
rum exemplo, persuasione seu scandalo ;
alii gladio tentationis diaboli, alii fame ex
inopia verbi Dei, alii captivitate propriæ
iniquitatis.
Et visitabo super eos quatuor species, 3
dicit Dominus : gladium, jam præfatum,
ad occisionem : quia per eum anima spi-
ritualiter moritur, si tentationi consentiat
contra caritatem Dei, quæ vita est animæ.
Et canes ad lacerandum, id est spiritus
iræ ac impatientiæ. Dæmones namque a
peccatis ad quæ homines conantur in-
ducere, nomen accipiunt. Et congruenter
canes vocantur, quia in eis, secundum
divinum Dionysium, est amens furor ac
phantasia proterva, isti lacerant mentem.
Et volatilia cœli, id est spiritus superbiæ,
de quibus in Evangelio dicitur : Volucres *Matth.* XIII, 4, 19.
cœli comederunt semen Dei ; *et bestias ter-*
ræ, id est spiritus cupiditatis terrenæ, *ad*
devorandum. Hi etenim spiritus maligni,
justo Dei judicio permittuntur tentare, su-
perare, ac devorare iniquos, qui Creato-
rem suum indesinenter offendere non ve-
rentur. *Et dabo eos in fervorem,* id est 4
animi commotionem, in *universis regnis,*

id est in cunctis ecclesiis virtuosorum, A
qui impiorum spirituali dejectione audi-
ta, tremunt ac condolent; *propter Manas-
sen filium Ezechiæ regis Juda.* Per Manas-
sen, qui interpretatur oblivio, intelliguntur
prælati ac principes negligentes, qui Deum
suum non intuentes, sunt causa perditio-
nis subditorum : qui superiores, quamvis
iniqui, filii tamen Ezechiæ regis Juda, id
est Christi dominatoris Ecclesiæ, nuncu-
pantur, quoniam ejus vicem gerunt, et
nihilo minus abominabilia mala in Jerusa-
lem, id est in Ecclesia, operantur. Quibus B
Esdr. IX, competit illud Esdræ : Manus principum
et magistratuum fuit in transgressione hac
prima.
5 *Quis miserebitur tui, Jerusalem,* id est,
o ecclesia ista malignorum? *aut quis con-
tristabitur pro te,* tuam iniquitatem digne
deflendo? *aut quis ibit ad rogandum pro
pace tua?* Audiant hæc, qui spiritualibus
ac devotis dicere solent, Orate pro me;
nec tamen verecundantur quotidie præ-
teritis vitiis æqualia aut majora adjicere.
6 *Tu reliquisti me, dicit Dominus.* Deum C
potissime deserunt, qui non ex passione
dumtaxat, sed ex certa scientia delibera-
tioneque peccant. Quibus ait Archiaposto-
I Petr. II, lus : Melius erat illis non cognoscere viam
justitiæ, quam post agnitionem retrorsum
reverti. *Retrorsum abiisti.* Retrorsum abit,
qui in spiritualibus bonis decrescit, et in-
star cancri per scelera sua quotidie magis
ac magis a Deo et patria elongatur. Quo-
Philipp. III, contra dicit Apostolus : Quæ retro sunt
obliviscens, ad priora extendo me ipsum.
Simus igitur diligentes, præsertim quum D
in via salutis non procedere, sit retrorsum
abire. *Laboravi rogans.* Istud, juxta expo-
sitionem præhabitam, dicit Dominus de
quolibet nostrum, dum nec admonitioni-
bus, nec jussionibus sæpius iteratis corri-
gimur. Pro quo alia translatio habet, La-
boravi rogatus. Rogatus quippe Deus quasi
laborat, dum peccantibus nobis veniam-
que petentibus, crebro ignovit, nec tamen
recidivare confundimur, sed confessione
peracta, ad pristinas levitates ac vanitates
revertimur. Præterea Christo secundum
naturam assumptam competit proprie di-
cere : Laboravi rogans. Nam ipse prædi-
cando, atque ad pœnitentiam invitando,
non parum laboravit in mundo. Propter
quod scriptum est : Jesus fatigatus ex iti- *Joann.* IV, 6.
nere. Unde et illud Isaiæ ei veraciter con-
venit dicere : Servire me fecisti in peccatis *Is.* XLIII, 24.
tuis, præbuisti mihi laborem in iniquita-
tibus tuis.
Et dispergam eos, qui vitam non corri- 7
gunt, *ventilabro,* id est judiciariæ meæ
potestatis sententia, qua triticum a paleis
separo. Unde Joannes Baptista de Christo
fatetur : Cujus ventilabrum in manu ejus. *Matth.* III, 12.
In portis terræ, id est in aditu inferni, in
medio terræ siti. De quibus portis loquitur
Ezechias, quantum ad limbum patrum :
Ego dixi : In dimidio dierum meorum va- *Is.* XXXVIII, 10.
dam ad portas inferi. *Interfeci et disper-
didi populum meum, et tamen a viis suis
non sunt reversi.* Hoc de illis asserit Chri-
stus, qui pro suis sceleribus corporaliter
occiduntur, vel gravi languore vel pesti-
lentia consumuntur, ita quod pœnitentiæ
habent tempus, nec tamen veraciter pœni-
tent. Quocontra de quibusdam ait Psalmi-
sta : Quum occideret eos, quærebant eum. *Ps.* LXXVII, 34.
Tamen ibidem non de eisdem fit sermo.
Christianis, aut turbis occisis seu mortuis,
viduæ super numerum multiplicantur. Et
induxi super matrem adolescentis, id est 8
super Ecclesiam, quæ mater est fidelium,
piaque genitrix et instructrix adolescen-
tium, *vastatorem,* id est visibiles sive invi-
sibiles hostes, *meridie :* de quorum adven-
tu atque hostili incursu terrentur urbes,
claustra seu collegia devotorum. *Infirmata* 9
est quæ peperit septem : id est, Ecclesia
omnium Christianorum parens, in mem-
bris suis imperfectis defectum perpessa
est, ita quod tales quamplurimi ab invisi-
bilibus hostibus dejiciuntur, de quorum
ruina confunditur pia mater Ecclesia.
Væ mihi, mater mea. Quare genuisti me 10
virum rixæ, virum discordiæ? Hoc, juxta
expositionem præhabitam, quilibet justus
propter justitiam aliorum rixas ac discor-

dias patiens, dicere potest. Sed, secundum
Hieronymum, istud per allegoriam potissi-
me competit Christo : sicque quod dicitur,
Væ, non maledictionem aut damnationem,
sed temporalem significat pœnam, quam
Christus naturali appetitu formidavit : qui
fuit vir rixæ atque discordiæ aliorum in
Luc. II, 34. eum, sicut Simeon sanctus prædixit : Ecce
positus est hic in signum cui contradi-
cetur. Nec mirum si ista exponantur de
Christo, quum de ipso in Isaia ad litteram
Is. XLIX, 4. scriptum sit : Et ego dixi : In vacuum la-
boravi, sine causa et vane fortitudinem
meam consumpsi. Hoc nempe ait Sal-
vator, propter paucitatem Judæorum ejus
prædicationibus conversorum. *Non fœne-
ravi,* quia de spiritualibus bonis plus dare
optavi, quam aliquis recipere satagebat.
Temporales quoque divitias non habuit
Christus, nec cum exterioribus se occupa-
vit negotiis. *Omnes maledicunt mihi,* vi-
delicet hæretici, pagani, Judæi, et universi
Ibid. XLV, 25. increduli, de quibus Isaias inducit : Ad
eum venient, et confundentur omnes qui
repugnant ei.

11 Porro quod subditur, *Si non reliquiæ
tuæ in bonum,* tam Christo, quam ejus
electis, aptatur ac competit. Christus nam-
que per temporalia mala quæ pertulit, ac-
cidentale sibi ipsi promeruit præmium,
scilicet corporis glorificationem : sicque
persecutiones suæ venerunt sibi ad bo-
num finem. De reliquis vero scribit Apo-
Rom. VIII, 28. stolus : Scimus quoniam diligentibus Deum
omnia cooperantur in bonum. Quorum no-
vissima sunt tanto feliciora, quanto plura
et graviora propter Deum fuerint perpes-
I Petr. IV, 14. si. Ideo Petrus ait : Si exprobramini in
nomine Christi, beati eritis ; et rursus,
Ibid. 13. Communicantes, inquit, Christi passioni-
bus gaudete, ut et in revelatione gloriæ
ejus gaudeatis. *Si non occurri tibi in tem-
pore afflictionis.* Christo adhuc mortali
occurrit Pater in omni adversitate, ani-
mam ejus in immobili patientia atque
constantia servans. Propter quod Christus
Joann. VIII, 29. testatur : Pater non reliquit me solum ;
Is. L, 8, 9. et in Isaia : Quis est adversarius meus ?

A accedat ad me. Ecce Dominus Deus auxi-
liator meus. Similiter cunctis propter se
patientibus adest benignitas Dei, juxta il-
lud Nahum : Bonus Dominus, et confortans *Nahu*[m]
in die tribulationis, et sciens sperantes in 7.
se. *Numquid fœderabitur ferrum ferro?* 12
Unus enim durus alium durum susti-
nere non potest. Duritia quoque injusti-
tiæ Judæorum, duritiæ seu rigori justitiæ
Christi non concordabat. Ferrum vero *ab
aquilone* sunt, qui in malis pertinaces ex-
sistunt : quos constat esse ex parte diaboli.

B *Divitias tuas et thesauros tuos in dire-* 13
*ptionem dabo gratis in omnibus peccatis
tuis.* Hoc contingit Ecclesiæ, et omni Chri-
stiano quantumlibet virtuoso, dum peccat
mortaliter, quia tunc omni virtute, carita-
te et gratia spoliatur, ita quod nulla manet
in eo virtus spiritualiter viva, quemadmo-
dum in Ezechiele Dominus ait : Si aver- *Ezech.*
terit se justus a justitia sua, et fecerit XVIII, 24.
iniquitatem, omnes justitiæ ejus non re-
cordabuntur. Itaque, qui stat, videat ne *I Cor.*
cadat. Nec aliquis vana securitate a cordis 12.
C timorata resolvatur custodia, sed cum ti- *Philipp.*
more ac tremore nostram operemur salu- 12.
tem. De præfatis autem divitiis loquitur
Isaias : Divitiæ salutis, sapientia et scien- *Is.* XXXIII
tia ; timor Domini, ipse thesaurus ejus. *Et* 14
*adducam inimicos tuos de terra quam
nescis.* Non enim scimus e quibus latibulis
contra nos insurgant ac veniant dæmones.

Tu scis, Domine; recordare mei, etc. 15
Istud quilibet justus potest pro se ipso
orare, secundum intellectum præscriptum.
Inventi sunt sermones tui : id est, post 16
D diligentem inquisitionem verba tua sus-
cepi, eademque plena veritate esse con-
spexi ; *et comedi eos.* Cibus enim mentis,
est verbum Dei. Et sicut illius vita natu-
ralis desperatur, qui corporalem cibum
non retinet; sic animæ illius vita spiri-
tualis desperatur, quæ verbum Dei non
servat. Propterea verba Dei avide susci-
piamus, stomacho mentis digeramus, at-
que memoriter conservemus ac implea-
mus. *Et factum est mihi verbum tuum in
gaudium et in lætitiam cordis mei.* Pri-

mum omnium corde lætemur, quod Spiri- A
tus Sanctus dignatus est nos supernatu-
raliter illustrare, sacræ Scripturæ verba
infundere, intellectum eorum præstare. Et
de verbis Dei nonne vehementer gauden-
dum est, in quibus Deum agnoscimus, et
quidquid ad salutem nostram exigitur,
om. xv, 4. discimus? Hinc ad Romanos dicitur : Per
consolationem Scripturarum, spem habea-
mus. Et primo libro Machabæorum, Jona-
Mach. xii, thas cum suis dicunt se solatio habere
libros sanctos. Qui autem veritates divino-
rum eloquiorum contemplatur, totius san-
ctæ jucunditatis in eis materiam invenit.

17 *Non sedi in concilio ludentium.* Vanita-
tes enim admittere, non est animæ chri-
uc. vi, 25. stianæ. Ideo ait Salvator : Væ vobis qui
bid. 24. ridetis nunc; et, Væ vobis divitibus, qui
habetis consolationem vestram. Quibus Ja-
Iacob. iv, cobus dicit : Risus vester convertatur in
luctum, et gaudium in mœrorem. Hinc
ob. iii, 17. Sara Tobiæ uxor protestatur : Nunquam
cum ludentibus miscui me, neque cum
his qui in levitate ambulant, participem
me præbui. *A facie manus tuæ solus se-*
debam, quoniam amaritudine replesti me.
Electis suis dat Deus multiplices bonæ
amaritudinis seu doloris laudabilis cau-
sas : primo, de Dei magna ac incessabi-
li omni hora inhonoratione; secundo, de
propria transgressione et imperfectione;
tertio, de Christi acerbissima propter nos
passione; quarto, de proximorum nostro-
rum iniquitate; quinto, de futuræ gloriæ
dilatione; sexto, de boni communis jactu-
ra, præsertim quantum ad spiritualem pro-
fectum Ecclesiæ. Qui ista profunde per-
pendit, hominum confabulationes vitabit,
et coram Deo cor suum in secreto effundet.

18 *Quare factus est dolor meus perpetuus?* Si
hæc protulit de se Jeremias propter mate-
rialis templi ruinam, et corporalem sui
populi necem : quanto magis propter cau-
sas prætactas, et propter magnum istud
schisma Ecclesiæ, ceterasque abusiones in
ea, ita dolere et ista proferre debemus, si
tamen sincere diligimus Deum, et bonum
proximorum commune?

Si converteris peccatorem, *convertam te* 19
ad meam beatificam visionem, *et ante fa-*
ciem meam stabis. Ecce quam meritorium
ac salubre est, iniquos convertere. Imo,
secundum Dionysium, divinissimum pror-
sus est, Deo cooperari in animarum redu-
ctione ad suæ beatitudinis fontem. Secun-
B dum Gregorium quoque, acceptissimum
Deo sacrificium est zelus animarum. Hinc
pastoribus loquitur Petrus in prima sua
Canonica : Pascite qui in vobis est gregem I Petr. v,
Dei, etc., forma gregis facti et ex animo, ut 2-4.
quum apparuerit princeps pastorum, per-
cipiatis immarcescibilem gloriæ coronam.
Si separaveris pretiosum a vili, id est
animam tuam Dei imagine insignitam, et
Christi sanguine liberatam, a carnis impu-
ritate, et si inter virtutes ac vitia, inter
lepram et non lepram, discrete distinxeris Deut. xvii,
C (quod ad confessores et prædicatores po- 8.
tissime spectat), *quasi os meum eris,* qui
loquar per te loquentem pro me. *Conver-*
tentur ipsi ad te, tuam justitiam imitan-
tes; *et tu non converteris ad eos,* videlicet
ad pravitatem eorum : quod est contra
nonnullos, qui animarum curam assumen-
tes, ab eis ad quos ibant convertendos,
paulatim subvertuntur.

Et dabo te populo huic in murum ære- 20
um. Indiget nempe magnæ constantiæ gra-
tia, qui alios regere atque convertere debet
D iniquos. *Et bellabunt adversum te,* mur-
murando, detrahendo, contradicendo et
persequendo. Qui enim veritatem atque
justitiam prosequi curat, multos utique
sibi adversarios procurat. *Et non præva-*
lebunt, quia ego tecum sum. Si enim Deus Rom. viii,
pro nobis, quis contra nos? 31.

ARTICULUS XXX

ELUCIDATIO CAPITULI SEXTIDECIMI : ET FACTUM EST VERBUM DOMINI AD ME, DICENS : NON ACCIPIES, ETC.

RURSUS præsenti capitulo Judæorum
calamitas, culpa et pœna describun-
1 tur. *Et factum est verbum Domini ad me,*
2 *dicens : Non accipies uxorem, et non erunt*
tibi filii et filiæ in loco isto. Unde, secun-
dum Hieronymum, Jeremias virgo per-
mansit, et sua virginitate evangelicæ per-
3 fectionis virum se præbuit. *Quia hæc dicit*
Dominus super filios et filias qui gene-
rantur in loco isto, scilicet in Jerusalem
et in tota Judæa, *et super matres eorum*
quæ genuerunt eos, et super patres eorum
de quorum stirpe nati sunt in terra hac :
4 *Mortibus ægrotationum,* scilicet famis et
pestilentiæ, *morientur ; non plangentur*
tantum ut tempore securitatis solitum fu-
it, quoniam viventium unusquisque sa-
tis habuit agere cum se ipso, *et non sepe-*
lientur, saltem omnes, eo quod propter
multitudinem mortuorum, viventes non
suffecerant ad sepulturæ officium; *in ster-*
quilinium super faciem terræ erunt, id
est, in cœno terræ jacebunt; *et gladio et*
fame consumentur, et erit cadaver, id est
cadavera, *eorum in escam volatilibus cœli*
et bestiis terræ.
5 *Hæc enim dicit Dominus : Non ingre-*
diaris domum convivii, id est, istis sacri-
legis te non commisceas in epulando, *ne-*
que vadas ad plangendum defunctos, *neque*
consoleris eos, quorum propinqui mortui
sunt. Per quod insinuatur, quod non erat
tempus convivii, sed mœroris, et tanti
mœroris, ut nec mortui plangerentur, nec
viventibus consolatio adhiberetur : tantum
quivis circa se ipsum angustiabatur, et
mortui feliciores viventibus quodammodo
reputabantur. *Quia abstuli pacem meam,*
id est veram tranquillitatem, atque ab ho-
A stium impugnatione securitatem, *a populo*
isto, dicit Dominus, propter ejus peccata.
Abstuli quoque ab eis *misericordiam,* non
dimittendo eorum peccata, *et miseratio-*
nes, non liberando a pœnis. Verumtamen
Deus in omni actu justitiæ misericordi-
am suam admiscet; sed in quibusdam Dei
operibus justitia clarius manifestatur, et
ab illis dicitur misericordia Dei auferri.
Secundum quem modum Jacobus scribit :
Judicium sine misericordia fiet ei qui non *Jacob.* i,
fecerit misericordiam. *Et morientur gran-* 13. 6
B *des et parvi,* id est magni atque pusilli,
superiores et subditi, *in terra ista; non*
sepelientur neque plangentur, et non se
incident, id est, viventes non incident la-
certos. Unde (ut dicitur) in Hebræo habe-
tur : Non se lacerabunt unguibus. *Neque*
calvitium fiet pro eis, id est evulsio ca-
pillorum seu tonsio capitis. Hæc quippe
apud veteres fiebant pro mortuis. Nam et
Job in signum doloris tonso capite ruit in *Job* i, 20
terram.
Et non frangent inter eos lugenti pa- 7
C *nem ad consolandum super mortuo :* id
est, amici defuncti non convenient more
consueto ad manducandum cum eo cujus
propinquus defunctus est; nec erunt qui
lugenti huic præparent cibum pro conso-
latione sua de morte sui propinqui ; *et*
non dabunt eis, videlicet filiis ac filiabus
mortem parentum dolentibus, illi qui ad-
erunt, *potum calicis,* id est haustum vini
aut siceram, *ad consolandum super patre*
suo et matre defunctis. Talia enim in re-
levamen doloris fieri consueverunt, juxta
D illud Proverbiorum : Date siceram mœren- *Prov.* xxxi,
tibus, et vinum his qui amaro sunt ani- 6, 7.
mo ; bibant, et obliviscantur doloris sui.

8 [*Et domum convivii non ingrediaris, ut*
9 *sedeas cum eis, et comedas, et bibas.*] *Quia*
hæc dicit Dominus exercituum, Deus Is-
rael : Ecce ego auferam per Chaldæos, *de*
loco isto in oculis vestris et in diebus ve-
stris vocem gaudii, et vocem lætitiæ, et
vocem sponsi, et vocem sponsæ : id est,
carmina jucunditatis ac nuptiæ jam ces-
sabunt.

Consequenter Dominus loquitur Jere-
10 miæ : *Et quum annuntiaveris populo huic*
verba hæc *omnia verba*, et dixerint tibi : Quare lo-*
cutus est Dominus super nos omne malum
grande istud, id est tam magnam vindictam
atque miseriam? *Quæ* est *iniquitas nostra*
contra Deum? *aut quod peccatum nostrum,*
quod peccavimus Domino Deo nostro in
11 proximum? *Dices ad eos : Quia dereli-*
querunt me patres vestri, ait Dominus, et
12 *abierunt post deos alienos,* etc. *Sed et vos*
pejus operati estis quam patres vestri. Ec-
ce enim ambulat unusquisque vestrum
post pravitatem cordis sui mali, etc., im-
pia desideria operibus adimplendo. Cujus
13 subjungitur pœna : *Et ejiciam vos de ter-*
ra hac, in terram quam ignoratis vos et
patres vestri, id est, per captivitatem du-
cemini in Chaldæam, quam antea non vi-
distis ; *et servietis ibi diis alienis die ac*
nocte, id est aliquibus horis diei et noctis,
qui non dabunt vobis requiem, id est, a
vestra calamitate non eripient vos. Ex quo
innotescit, aliquos Judæorum in Babylonia
positos servisse ibidem idolis Chaldæo-
rum. Circa hunc locum ait Hieronymus :
Quidquid peccamus, quidquid malorum
operum die ac nocte facimus, imperium
est dæmonum, qui nunquam nobis dant
requiem, sed semper impellunt delictis
augere delicta, et cumulum facere pecca-
torum.

Denique quæ sequuntur, dupliciter ac-
14 cipiuntur. *Propterea ecce dies veniunt, di-*
cit Dominus, et non dicetur ultra, Vivit
Dominus qui eduxit filios Israel de terra
15 *Ægypti ; sed, Vivit Dominus qui eduxit*
filios Israel de terra aquilonis, id est de
Babylonica captivitate, *et de universis ter-*
A *ris ad quas ejeci eos* per captivitatem et
fugam, seu alio modo ; *et reducam eos in*
terram suam, id est in Judæam : siquidem
de terra regni Juda nunc sermo est; *quam*
dedi patribus eorum, tempore Josue. Hie-
ronymus et eum sequentes, istam prophe-
tiam quasi consolatorium verbum expo-
nunt, ita quod post comminationem subdit
Dominus consolationem, promittens redu-
ctionem Judæorum a Babylonica captivita-
te. Alii vero opposito modo accipiunt, sci-
licet ad majorem mali exaggerationem, ita
B quod verbis his insinuatur Babylonica ca-
ptivitas durior Ægyptia calamitate, seu ca-
ptivitate vel servitute, eo quod Babyloni-
ca captivitas oblivionem inducet Ægyptiæ
servitutis, secundum quod motus vehe-
mentiores expellunt remissiores. Verum
secundum utramque expositionem, istud
impletum est tempore Cyri regis, quan- I *Esdr.* I, II.
tum ad reditum de Babylone. Sed quod
dicitur, De universis terris, etc., secundum
Hieronymum implebitur in fine mundi,
quando, juxta Apostolum, gentium pleni- *Rom.* XI, 25,
C tudine ingressa, omnis Israel salvus fiet. 26.
De hac quoque reductione ceteri Prophe-
tæ, præsertim Isaias atque Ezechiel, dif-
fuse prophetarunt.

Ecce ego mittam piscatores multos, dicit 16
Dominus. Locus iste multipliciter expla-
natur. Quidam enim per piscatores intelli-
gunt Chaldæos, qui instar piscatorum ce-
perunt Judæos infra suæ retia potestatis.
Et piscabuntur eos, puta Judæos, sicut
a piscatoribus capiuntur pisces. Unde in
Ezechiele Dominus ait : Extendam super *Ezech.* XII,
D eum (scilicet Sedeciam regem Juda) rete 13.
meum, et capietur in sagena mea. *Et post*
hæc mittam eis, scilicet Judæis, *venatores*
multos, et venabuntur eos de omni monte,
et de omni colle, et de cavernis petrarum.
Quidam per venatores hos, intelligunt mi-
nistros regis Babylonis, qui insecuti sunt
Sedeciam regem fugientem, eumque ce- IV *Reg.* XXV,
perunt, et multos qui cum eo fugerunt in 5.
diversis latibulis comprehenderunt. Judæi
vero, ut refert Hieronymus, per venatores
intelligi volunt Romanos, qui in omni loco

Judææ comprehenderunt Judæos. Quidam A
autem per piscatores intelligunt Aposto-
Matth. IV, 19. los, quibus ait Salvator, Faciam vos fieri
piscatores hominum ; per quorum prædi-
cationem multi Judæorum conversi sunt.
Per venatores quoque intelligunt ecclesia-
sticos viros, vel angelos qui in fine sæculi
Ibid. XXIV, 31. colligent electos de montibus, id est ex-
celsis dogmatibus, et collibus, id est bonis
[operibus], et cavernis petrarum, id est
Apostolis et apostolicis viris. Hæc expositio
spiritualis et mystica magis quam litteralis
17 videtur, potissime quum subdatur : *Quia* B
*oculi mei super omnes vias eorum. Non
sunt abscondita* ea *a facie mea,* id est,
cuncta eorum opera prava cognosco, et
latibula quibus se absconderunt, inspicio.
Quasi dicat : Me ordinante, a suis hostibus
invenientur. *Et non fuit occultata iniqui-
tas eorum ab oculis meis :* juxta illud Ec-
Eccli. XXIII, 28. clesiastici, Oculi Domini multo plus luci-
diores sunt sole, circumspicientes omnes
vias hominum.
18 *Et reddam primum duplices iniquita-
tes et peccata eorum,* id est, antequam de C
Babylonica captivitate eos reducam, pu-
niam iniquitates eorum duplices, scilicet
interiores et exteriores, et peccata in pro-
ximum. Vel, iniquitates Judæorum dupli-
ces appellantur, quia eodem genere pecca-
ti gravius peccaverunt quam gentes, quæ
legem divinam non receperunt, nec audi-
Luc. XII, 47. erunt Prophetas. Etenim servus qui scit
voluntatem domini sui, et non facit, mul-
* *Quia* to gravius peccat. *Quibus* contaminave-
runt terram meam,* id est Judæam, *in
morticinis idolorum suorum,* id est per D
sacrificia animalium idolis oblatorum, *et
abominationibus suis,* id est idololatriis ac
ceteris abominationibus et vitiis, *impleve-
runt hereditatem meam,* id est terram ac
populum Juda, imo se ipsos, qui vocati
sunt et esse debuerunt hereditas mea, tan-
quam ad meum cultum specialiter depu-
tati atque vocati.
19 *Domine, fortitudo mea et robur meum,*
id est causa totius virtutis et efficaciæ
meæ in anima atque in corpore, in natura

et gratia, de quo ait Psalmista : Diligam *Ps.* XVII, 2.
te, Domine, fortitudo mea ; et Isaias, Do- *Is.* L, 7.
minus Deus auxiliator meus. *Et refugium
meum in die tribulationis,* id est tempore
omnis adversitatis et persecutionis, secun-
dum illud Psalmi : Deduxisti me, quia fa- *Ps.* LX, 3, 4.
ctus es spes mea, turris fortitudinis a
facie inimici. Propter quod in Proverbiis
inducitur : Turris fortissima nomen Do- *Prov.* XVIII, 10.
mini ; ad ipsum currit justus, et exalta-
bitur. *Ad te gentes venient ab extremis
terræ.* Istud cum passu sequenti, quidam
exponunt de conversione gentilium ad fi-
dem Christi in omnibus finibus mundi
per prædicationem Apostolorum : siqui-
dem in omnem terram exivit sonus eo- *Ps.* XVIII, 5.
rum. Unde et Isaias prædixit : A finibus *Is.* XXIV, 16.
terræ audivimus laudes, gloriam justi. *Et
dicent,* post conversionem, de pristinis do-
lendo erroribus : *Vere mendacium,* id est
errores falsissimos in cultibus idolorum,
possederunt patres nostri gentiles, *vanita-
temque quæ eis non profuit,* imo maxime
nocuit, scilicet aversionem mentis a sum-
mo veroque Deo. Ideo addunt : *Numquid* 20
faciet sibi homo deos? id est, quum homo
sit mortalis, atque a Deo formatus, non
potest facere deos. Ex quo innotescit, quod
nihil vitæ aut numinis sit in diis. Hinc in
libro Sapientiæ legitur : Quum sit ipse *Sap.* XV, 17.
mortalis (videlicet homo idolorum artifex),
mortuum fingit manibus iniquis. Hinc sub-
ditur : *et ipsi non sunt dii,* secundum
veritatem, sed a suis cultoribus esse pu-
tantur.
Porro huic tam humili confessioni vi-
cissitudinem Dominus reddens, ait : *Idcir-* 21
co ego ostendam eis per vicem hanc,* id * *ecce ego*
est tempore isto, per Apostolorum prædi-
cationem. Quid autem ostensurus sit eis,
adjecit : *ostendam eis manum meam,* id est
opera mea mirifica, *et virtutem meam,* id
est omnipotentiam, qualiter scilicet per
Christi passionem mundum redemi, dæ-
monesque prostravi. Unde in Isaia habe-
tur : Paravit Dominus brachium sanctum *Is.* LII, 10.
suum in oculis omnium gentium. *Et scient
quia nomen mihi Dominus.* Hoc nempe

conversi noverunt, quod solus verus atque A
omnipotens Deus, sit universalis omnium
Dominus independens, propria auctoritate
Esther XIII, 9. gloriosissime præsidens, in cujus ditio-
ne universa sunt posita. Præterea quidam
passum istum exponunt de Judæis ac gen-
tibus ad Judaismum conversis, qui a Ba-
bylonica captivitate redierunt in Judæam,
omnique idololatria spreta, Deum verum
coluerunt : quibus Deus virtutem suam os-
tendit, multipliciter eis succurrens, quem-
admodum in libro Esdræ scriptum est.

Expositio tropologica. INSUPER tropologia hujus capituli ex su-
perioribus clarissime innotescit. Quod vero
in principio capituli hujus Dominus præ-
cipit Jeremiæ, ne sumat uxorem, nec fi-
lios in Jerusalem habeat, eo quod filii lo-
ci illius sint perituri, applicari posset ad
homines spirituales devotos : ut scilicet
nullum spiritualem pariant filium, indu-
cendo quempiam ad ingrediendum clau-
strum, congregationem sive collegium, ubi
non est observantia regularis, monastica
seu devotionalis, eo quod hi qui ibi ad-
mittuntur in filios aut filias, spiritualiter
pereant, si se communitati conforment.
5 *Hæc dicit Dominus : Non ingrediaris
domum convivii,* etc. Sicut hoc dictum est
Jeremiæ propter multitudinem corporali-
ter occisorum, vel occidentium in Judæa :
sic, imo et multo amplius, dici id potest
cuilibet Christiano. Nunc enim quotidie
tot Christiani in anima pereunt, dæmo-
num manus incidunt, in mortalibus vitiis
moriuntur, æternaliterque damnantur, ut
veraciter non sit jam tempus convivii, sed
mœroris : et eum qui hæc rite atque con-
digne perpenderit, non utique epulari aut
sæculariter delectari, sed contristari ac
flere libebit. Denique tam innumerabiles
pereunt, ut sigillatim defleri non queant.
Ad litteram quoque, palam quod frequen-
tare convivia, maximum impedimentum
est veræ devotionis, et mentem a timorata
sui resolvit custodia, sobrietatemque læ-
dit. Idcirco ait Scriptura : Qui amat vi- *Prov.* XXI, 17.
num et pinguia, non ditabitur. In Eccle-
siaste quoque legitur : Melius est ire ad *Eccle.* VII, 3.
domum luctus quam ad domum convivii ;
in illa enim (videlicet in domo luctus) fi-
nis cunctorum admonetur hominum, et vi-
vens cogitat quid futurum sit. Ideo loqui-
tur Christus : Beati qui lugent ; et rursus : *Matth.* V, 5.
Quum facis convivium, noli vocare amicos *Luc.* XIV, 12-14.
et divites qui possunt retribuere tibi, sed
pauperes, debiles, claudos et cæcos, qui
B non possunt retribuere tibi ; et fiet tibi
retributio in resurrectione justorum.
Domine, fortitudo mea et robur meum, 19
et refugium meum in die tribulationis,
etc. Hunc præclarum dulcissimumque ver-
siculum animo reponamus, atque in omni
tentatione ac persecutione præ oculis ha-
beamus. Si ergo cogitatio detestanda sug-
gesserit nobis quod aliquid simus, vel pro-
prio profectu ac perfectione quidquam
poterimus, aut aliis spiritualiter robusti-
ores consistamus, mox cum omni humi-
C litate et propriæ parvitatis contemptu di-
camus : Domine, fortitudo mea et robur
meum. Nam et Christus contestatur : Sine *Joann.* XV, 5.
me nihil potestis facere. Et Apostolus scri-
bit : Quid habes quod non accepisti ? Si I *Cor.* IV, 7.
autem accepisti, quid gloriaris quasi non
acceperis ? Similiter in omni adversitate
ac persecutione, ad Deum sicut ad clemen-
tissimum patrem, ad fidelissimum ama-
torem, ad omnipotentem adjutorem, cum
plena ac timorata confugiamus fiducia,
nec aliquo modo frangamur adversis, at-
D tendentes illud secundi Paralipomenon :
In nobis non est tanta fortitudo, ut possi- II *Par.* XX, 12.
mus resistere ; sed quum ignoremus quid
agere debeamus, hoc solum habemus re-
sidui, ut oculos nostros dirigamus ad te.
Dicamus igitur mente grata ac humili :
Domine, refugium factus es nobis ; et *Ps.* LXXXIX, 1.
item, Quoniam in te eripiar a tentatione, *Ps.* XVII, 30.
et in Deo meo transgrediar murum.

ARTICULUS XXXI

DECLARATIO LITTERALIS CAPITULI SEPTIMIDECIMI : PECCATUM JUDA SCRIPTUM EST STILO FERREO.

QUAM indelebilia fuerint scelera Judæo- A
rum, in præsentis capituli monstratur
1 exordio. *Peccatum Juda scriptum est stilo ferreo in ungue adamantino,* id est tam ineradicabiliter impressum cordi eorum, ut litteræ scriptæ in lapide adamante : qui lapis nomine adamas, instar unguis nitorem habet ac lenitatem, ita quod omnino politus, non asper est. Sicque in eo scribi potest stilo ferreo per sculpturam, et litteræ ibi formatæ deleri non valent : quoniam lapis iste durissimus est, infrangibilis atque
indomitus, ferroque durior. Quod autem B
per unguem adamantinum intelligatur cor Judæorum, verba pandunt sequentia. *Exaratum super latitudinem cordis eorum,* id est in tabulis mentis, videlicet in intellectu, qui in principio sui est quasi tabula rasa, depingibilis, non depicta, cui species intelligibilium imprimuntur, et in ipso peccata aliqua subjectantur, ac per rationis consensum consummantur, atque in voluntate, quæ est principale subjectum peccati, quemadmodum et virtutis, quum
peccatum sit adeo voluntarium, quod si C
non esset voluntarium, non esset peccatum; *et in cornibus ararum eorum,* id est in cornibus altarium super quæ idolis sacrificabant : in quibus peccata istorum exarata dicuntur, vel quia opera eorum sacrilega fuerunt ibidem ad perpetuam rei memoriam scripta, vel quia illic potissime exercuerunt sua facinora, et in altaribus illis quasi in signo certissimo manifestabatur impietas Judæorum. Per quæ omnia demonstratur, quod noluerunt verba salu-
tis recipere, nec vitam corrigere. Propter D
Ezech. II, 4. quod Ezechieli Dominus loquitur : Filii dura facie et indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te. In Zacharia quoque legitur : Cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem. Zach. VII, 12.

2 *Quum recordati fuerint filii eorum ararum suarum,* id est sacrilegorum altarium, *et lucorum suorum,* id est locorum arboribus consitorum in quibus idola coluerunt, *lignorumque frondentium,* quæ erant *in montibus excelsis :* loca etenim alta et arbores pulchras quærebant, ut illic idololatriam exercerent propter amœ-
3 nitatem locorum; *sacrificantes in agro :* quia vicissim in locis planis idem fecerunt. Vel, sacrificando in montibus sitis in agro, dicuntur sacrificasse in agro. *Fortitudinem tuam,* id est robur exercitus, *et omnes thesauros tuos in direptionem dabo,* id est, Chaldæis diripienda donabo, o popule Juda, *excelsa tua,* id est, loca idololatriæ tuæ diripienda tradam præfatis, *propter peccata in universis finibus tuis,* id est peccata per totam Judæam commissa.

4 *Et relinqueris sola,* id est deleta, abstracta seu privata, *ab hereditate tua, quam dedi tibi,* id est a terra Judææ. *Et servire te faciam inimicis tuis,* puta Chaldæis, *in terra quam ignoras,* id est in regione Babyloniorum; *quoniam ignem succendisti in furore meo,* id est, causam tuæ punitionis præbuisti justitiæ meæ, et zelum æquitatis meæ ad ultionem tuis sceleribus incitasti, *usque in æternum ardebit,* id est, ultio seu punitio ista sine fine durabit. Ex hoc verbo aliqui putant, præhabita exponenda de gravitate peccati Judæorum pro tempore Christi, contra quem clamaverunt : Sanguis ejus super nos, et super filios nostros. Unde peccata eorum indele- Matth. XXVII, 25.

bilia facta sunt, et durabit ista captivitas Judæorum usque in finem mundi, juxta illud Danielis (Dan. IX, 27.) : Usque in finem perseverabit desolatio. Sed Judæi pro tempore illo non inveniuntur idololatriæ dediti : propterea, quod Dominus ait, Usque in æternum ardebit, referri potest ad eos qui sine vera contritione defuncti, post temporalem punitionem, damnationem inciderunt æternam.

Præterea, quia Judæi et principes, eorumque rex Sedecias, Dei relicto subsidio, in auxilio regis Ægypti confisi sunt, sub-
5 ditur : *Hæc dicit Dominus : Maledictus homo qui confidit in homine* puro, tanquam in principali adjutore, ac ultimato spei suæ objecto. Hinc sperare in Christo, injustum non est, sed salubre : quum ipse sit Deus et homo, et in quantum est Deus, speramus in eo, sicut in principali, summo omnipotentique adjutore, et tanquam in ultimato spei nostræ objecto; in quantum vero est homo ille, Dei ac hominum mediator, speramus in eo sicut in adjutore instrumentali præcipuo, et sicut in secundario spei nostræ objecto. Sic quoque speramus seu confidimus in Sanctis, precibusque Sanctorum, præsertim in Virgine benedicta, cui cantamus : Salve, Regina misericordiæ, vita, dulcedo, et spes nostra. Denique, quum benedictio Dei, sit collatio munerum ejus et multiplicatio eorumdem ; econtrario maledictio ejus, est subtractio donorum gratiæ ejus, ita ut maledictus vocetur, qui a Deo relictus est, miser atque damnabilis factus. Et talis est, qui in homine aut in aliqua pura creatura spem suam defigit. Creatura etenim ex se et in se defectuosa consistens, salutem conferre non valet, nec propria auxiliari virtute; nec aliquo modo magis ad eam quam ad Creatorem est confugiendum. Ideo ait Psalmista (Ps. XXXII, 16.) : Non salvatur rex per multam virtutem. Et in libro Sapientiæ habetur (Sap. V, 15.) : Spes impii tanquam lanugo est quæ a vento tollitur, et tanquam spuma. *Et ponit carnem brachium suum,* id est, fortitudinem suam constituit in robore corporis potius quam in auxilio gratiæ. Ideo Judas ille fortissimus dixit (I Mach. III, 19.) : Non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est. *Et a Domino recedit cor ejus :* quia de creaturæ auxilio inordinate confidit, nec mentem per ancoram spei in Deo constabilit, sed eam ab illo avertit. Confidere autem de homine, quantum ad aliquem determinatum effectum ordinate sub Deo, ita quod confidentia principaliter sit in Deo, laudabile est. Sed filii Israel inordinate sperabant in auxilio hominum. Idcirco per Osee dicitur eis (Osee XIV, 3, 4.) : Convertimini ad Dominum Deum, et dicite ei : Omnem aufer iniquitatem; Assur non salvabit nos, super equum non ascendemus.

Erit enim quasi myricæ in deserto, id 6
est, infructuosus atque inutilis erit, ad nihil aptus nisi ad ignem damnationis æternæ : sicut myrica deserti est frutetum inutile, non aptum nisi ad ignem. *Et non videbit quum venerit bonum,* id est, dona pacis et gratiæ non sortietur a Deo, nec particeps erit bonorum quæ dantur confidentibus in Domino : quod etiam Judæis in rege Pharaone sperantibus, certum est contigisse. *Sed habitabit in siccitate,* id est, in carentia roris gratiæ et consolationis supernæ, *in deserto,* id est inter eos qui a Deo relicti sunt, ita quod de eorum erit catalogo, quos Deus deserit sua præsentia destitutos, *in terra salsuginis,* id est in societate eorum qui amaritudine vitiorum replentur, indignatione, ira, invidia : impii namque terrenique homines, merito desertum et terra salsuginis nuncupantur; *et inhabitabili :* quoniam tale consortium aptum non est Deum habere hospitem, nec cohabitatione condignum est angelorum, neque a Spiritu Sancto inhabitatur.

Præterea, quum opposita juxta se posita, evidentius agnoscuntur, nunc subditur:
Benedictus vir qui confidit in Domino, id 7
est tanquam in omnium providentissimo provisore, misericordissimo patre, optimo Domino, omnipotenti creatore, ac proprio

Salvatore, sperans ejus bonitate ac pietate A
juvari ac salvari, defendi et exaudiri. Ideo
Is. xxx, 18. loquitur Propheta : Deus judicii Dominus,
beati omnes qui exspectant eum. Et Psal-
Ps. LXXXIII, 13. mista : Domine virtutum, beatus homo
Ps. LXXII, 28. qui sperat in te; et item, Mihi adhærere
Deo bonum est, ponere in Domino Deo
spem meam. *Et erit Dominus fiducia ejus,*
id est principale ac immediatum obje-
ctum et propria causa suæ spei sive fidu-
ciæ, ita quod semper ad Deum se eriget,
atque in ipso respirabit, fiduciamque as-
sumet. Spes autem, quæ est theologica B
virtus, non nisi a Deo infunditur, et bonis
operibus decoratur. Idcirco spes nostra
non debet esse informis, sed formata. Non
enim sic in Deo sperare debemus, ut ne-
gligamus facere quod in nobis est, et quod
Deus a nobis requirit. Nihilo minus tota
spes debet esse in Deo finaliter, quia et
merita nostra ejus esse dona fatemur, nec
propriis viribus aliquid boni largimur.
Osee XII, 6. Propter quod in Osee legitur : Misericor-
diam et judicium custodi, et spera in Deo
tuo semper. C

8 *Et erit quasi lignum quod transplan-
tatur super aquas :* id est, quemadmodum
arbor stans in loco sicco ac sterili, dum a
loco illo circa aquas plantatur, fructificat;
sic homo iste a propria infirmitate ad Dei
invocationem erectus, et aquis seu donis
Sancti Spiritus irrigatus, mox bonis ope-
ribus abundabit. *Quod ad humorem mittit
radices suas.* Nam sicut arbor aquarum
humore sufficienter rigata, radices dilatat
ac figit sub terra; sic iste in Deo confi-
dens, et Spiritus Sancti rivulis fecundatus, D
intimas cordis sui vires, virtutes ac dona
figet et conservabit in Deo, ut impleat
I Cor. XV, 58. illud Apostoli ad Corinthios : Stabiles esto-
te et immobiles, abundantes in omni opere
Domini semper. *Et non timebit quum ve-
nerit æstus,* id est fervor seu impetus ad-
versitatis. Quemadmodum enim arbor cir-
ca aquas plantata, æstu percussa, virorem
non perdit; sic justus in Deo confidens,
tribulatione concussus, æquitatem gratiæ-
que decorem non deserit. Unde in Psalmo
de ipso inducitur : Et erit tanquam lignum Ps. I, 3.
quod plantatum est secus decursus aqua-
rum, quod fructum suum dabit in tempo-
re suo. Hinc et in Ecclesiastico habetur :
Obaudite me, divini fructus, et quasi rosa Eccli. XXXIX, 17.
plantata super rivos aquarum fructificate.

Et erit folium ejus viride, id est, sermo
ejus utilis erit et fructuosus, sicut Aposto-
lus monet : Sermo vester semper in gra- Coloss. IV, 6.
tia sale sit conditus. Et rursus : Adhor- Hebr. III, 13.
tamini, inquit, vosmetipsos per singulos
dies, ut non obduretur quis ex vobis fal-
lacia peccati. Vana igitur et infructuosa,
imo et nociva verba vitemus : quoniam,
teste Apostolo, Corrumpunt mores bonos I Cor. XV, 33.
colloquia mala. Et de omni verbo otioso Matth. XII, 36.
reddenda est ratio. *Et in tempore siccita-
tis,* id est, tempore quo aliis propter eo-
rum peccata subtrahetur verbum Dei, et
gratia Spiritus Sancti, *non erit sollicitum,*
id est formidolosum et anxiatum præ spi-
ritualium inopia divitiarum : imo et nunc
gratia abundabit. Vel, Non erit tunc solli-
citum pro temporalibus rebus, aut de fu-
turis incertis. De hac mala sollicitudine
loquitur Dominus : Nolite solliciti esse in Ibid. VI, 34.
crastinum; et Apostolus, Nihil solliciti si- Philipp. IV, 6.
tis; Salomon quoque in Proverbiis, Ex- Prov. XI, 7.
spectatio sollicitorum peribit. *Nec ali-
quando desinet facere fructum :* non quod
aliquis viator nunc incessabiliter semper
in actu possit bene agere ac mereri, sed
quod omni tempore debito faciat opus
Dei. Juxta quem modum ait Salvator :
Oportet semper orare, et nunquam defi- Luc. XVIII, 1.
cere.

Pravum est cor hominis, id est defe- 9
ctuosum ac fragile, pronum ad omne ma-
lum : juxta illud in Ecclesiaste, Corda Eccle. IX, 3.
filiorum hominum implentur malitia et
contemptu in vita sua; et in Genesi, Sen- Gen. VIII, 21.
sus et cogitatio cordis humani prona sunt
in malum ab adolescentia sua. *Et inscru-
tabile* ab alio homine, juxta illud primi
libri Regum : Homo videt ea quæ parent, I Reg. XVI, 7.
Deus autem intuetur cor. Unde ait Aposto-
lus : Quis scit quid agatur in homine, nisi I Cor. II, 11.
spiritus ejus? *Quis cognoscet illud?* Quid

sit homo, et quid cor ejus seu mens, defi- A
nitive sciri potest per philosophicam ra-
tionem; sed quale sit cor hominis, quan-
tum ad meritum vel demeritum, et quæ
sint cogitationes et affectiones ipsius, sciri
non potest certitudinaliter, præsertim ab
alio homine, nisi per revelationem divi-
10 nam. Ideo sequitur : *Ego Dominus scru-*
tans cor, id est, intima ejus inspiciens,
non dubitando inquirens, *et probans renes,*
id est, affectiones etiam sensitivæ partis
Ps. VII, 10. discutiens : sicut in Psalmo habetur, Diri-
ges justum, scrutans corda et renes, Deus. B
Job XLII, 2. Ad quem sanctus Job fassus est : Scio,
Domine, quia nulla te latet cogitatio. *Qui*
do unicuique juxta viam suam, et juxta
fructum adinventionum suarum, id est,
secundum quod meruit cogitando aut ope-
rando, propriisque adinventionibus acquie-
scendo vel resistendo. Hoc nempe requirit
divinæ providentiæ atque justitiæ summa
perfectio, ut nullum sit malum impuni-
tum, nullum bonum irremuneratum, et
quidquid inordinatum est per culpam, or-
dinetur a Deo per pœnam. Hinc in Job ait C
Ibid. XXXIV, 10, 11. Scriptura : Absit a Deo impietas, et ab
Omnipotente iniquitas; opus enim homi-
nis reddet ei, et juxta vias singulorum
restituet.
11 *Perdix fovit quæ non peperit.* Circa
hoc scribit Hieronymus : Dicunt scriptores
naturalium proprietatum et actuum tam
bestiarum quam volucrum, arborum et
herbarum, quorum principes sunt apud
Græcos, Aristoteles et Theophrastus, hanc
perdicis esse naturam, ut alterius perdicis
ova furetur et foveat ; quumque pulli nati D
fuerint, et volare potuerint, avolant, et re-
linquunt non verum parentem. Imo, ut
alii dicunt, audientes vocem propriæ ma-
tris, quæ scilicet ova produxit, naturali
industria festinant ad eam. Huic avi com-
paratur avarus populus Judæorum, de quo
subditur : *fecit divitias suas,* id est, alie-
nas divitias injuste collegit, et *non in ju-*
dicio : quia contra rationis judicium fecit
hoc, et contra prudentiam, cujus actus est
judicium sive discretio. *In dimidio die-*
rum suorum derelinquet eas subita mor-
te, vel Chaldæorum spoliatione, *et in novis-*
simo suo erit insipiens : quia hora judicii
fatue fecisse monstrabitur. Item in morte
insipiens apparebit, et suam sero fatuita-
tem agnoscet. Hoc quoque cunctis diviti-
bus, rapacibus et avaris poterit applica-
ri, quorum quamplurimi imparata morte
decedentes, omnia sua in hoc mundo re-
linquunt, atque a Deo stultissimi judica-
buntur, quod æternis prætulerint transi-
toria ista. Ideo ait Psalmista : Ne timueris *Ps.* XLVIII, 17, 18.
quum dives factus fuerit homo, et quum
multiplicata fuerit gloria ejus : quoniam
quum interierit, non sumet omnia. Et rur-
sus : Nihil invenerunt omnes viri divitia- *Ps.* LXXV, 6.
rum in manibus suis.
Solium gloriæ altitudinis, id est cœlum 12
altissimum atque empyreum : quod dici-
tur sedes majestatis divinæ, non quod in
eo circumscribatur, aut definitive locetur,
sed quoniam illic evidentius operatur, cla-
riusque videtur, et incessanter laudatur ;
a principio, quia in initio temporis fa-
ctum est, quum sit unum de quatuor co-
æquævis ; *locus sanctificationis nostræ,* id
est patria ad quam ordinatur ac tendit
sanctificatio nostra in vita præsenti. Ideo
sequitur : *exspectatio Israel,* id est, locus 13
iste est bonum quoddam a veris Israelitis
affectuosissime exspectatum, juxta illud
ad Hebræos : Exspectabat Abraham fun- *Hebr.* XI, 10.
damenta habentem civitatem, cujus arti-
fex et conditor Deus ; itemque : Juxta *Ibid.* 13.
fidem defuncti sunt omnes isti, non acce-
ptis repromissionibus, sed a longe eas ad-
spicientes ac salutantes, et confitentes quia
peregrini et hospites sunt super terram.
Porro quid impiis accidet, adjecit Pro-
pheta : *Domine, omnes qui te derelinquunt*
per aversionem et inobedientiam mentis
suæ, inhærentes creaturæ magis quam Cre-
atori, *confundentur :* quia æternaliter dam-
nabuntur ; *recedentes* a te per liberam vo-
luntatem, *in terra scribentur,* id est, inter
terrenos atque carnales in inferno deputa-
buntur, juxta illud in Psalmo, Introibunt *Ps.* LXII, 10.
in inferiora terræ ; in Apocalypsi quoque,

Apoc. xxi, 8. Pars illorum erit in stagno ardenti igne et A
sulfure; *quoniam dereliquerunt venam*
aquarum viventium Dominum, id est te
Deum fontem aquæ sapientiæ salutaris,
aquæ supernæ refectionis. Unde ait Salva-
Joann. vii, 38. tor : Qui credit in me, flumina de ventre
Ps. xxxv, 9, 10. ejus fluent aquæ vivæ; et Psalmista, Tor-
rente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam
apud te est fons vitæ. De his insuper
aquis, quibus reficiuntur electi, quas ne-
gligunt reprobi, scriptum est in Isaia :
Is. xlix, 10. Non esurient, neque sitient, quia misera-
tor eorum reget eos, et ad fontes aquarum B
potabit eos.

Præterea ad præfatum beatitudinis lo-
cum cupiens Jeremias perduci, precatur :
14 *Sana me, Domine,* a læsione peccati, *et*
sanabor, quia tu verus es animæ medi-
cus; *salvum me fac,* dona gratiæ et glo-
riæ conferendo, *et salvus ero,* quia tu
solus es Deus salutis meæ; *quoniam laus*
mea tu es, id est bonum quod jugiter lau-
do, et æternaliter laudare desidero, utpote
materia seu objectum laudis meæ. Ecce
devota et industriosa oratio, quia ut exau- C
diatur celerius, laudatio ei miscetur. Hæc
igitur frequenter toto dicamus affectu cum
Jacob. iii, 2. debita humilitate. In multis enim offen-
dimus omnes, nec ipse Jeremias sine ve-
nialibus vixit. Id quoque notandum, quanta
contritione nos ita orare oporteat, quum
vates sacer in utero sanctificatus, tam de-
vote hæc proferat. Igitur cum Psalmista
Ps. vi, 3. dicamus : Miserere mei, Domine, quoniam
infirmus sum; sana me, Domine, quoniam
conturbata sunt ossa mea.

15 *Ecce ipsi* increduli Judæi, *dicunt ad* D
me : Ubi est verbum Domini? id est, ubi
sunt quæ dixisti nobis ventura? *Veniat.*
Quasi dicant : Patet quod falsa locutus sis,
nec timemus ea implenda. Talia enim di-
cebant deridendo Prophetas, juxta illud in
Is. xxviii, 10. Isaia : Manda, remanda; manda, remanda;
exspecta, reexspecta, etc. Ad Ezechielem
Ezech. xxxiii, 30-32. quoque Dominus ait : Filii populi tui di-
cunt : Eamus et videamus quis sit sermo
egrediens ex ore Domini, etc., et factus
16 es eis quasi carmen musicum. *Et ego non*
sum turbatus, turbatione culpabili, de hac
illorum derisione, sed æquanimiter tole-
ravi, *te pastorem sequens,* id est, tuæ vo-
luntati me subdens, o omnium pastor, qui
tua beatifica visione pascis Ecclesiam tri-
umphantem, donisque gratiæ Ecclesiam
militantem; *et diem hominis,* id est vitæ
prolongationem, vel consolationes huma-
nas, et vitam deliciosam, *non desideravi,*
tu scis, qui es judex ac testis. *Quod egres-* *Jer.* xxix, 23.
sum est de labiis meis, rectum in con-
spectu tuo fuit : id est, verba mea justa
ac vera fuerunt, et quæ dixi ad populum,
te inspirante locutus sum. His verbis de-
scribit suam perfectionem Propheta, non
ad jactantiam, sed ad Dei honorem et no-
stram ædificationem, ut ejus exemplo si-
mus in adversis imperturbati, nec mun-
danas vanitates aut carnales delicias affe-
ctemus, neque a veritate sermo noster
unquam discordet, præsertim quum ipse-
met Deus sit veritas.

Non sis tu mihi formidini, id est, ab 17
inordinato pavore me eripe, atque ab in-
stanti terribili Chaldæorum invasione; *spes*
mea tu in die afflictionis, id est omni
tempore meæ persecutionis. *Confundan-* 18
tur qui me persequuntur, et non confun-
dar ego, id est, Judæi me impie perse-
quentes, a Chaldæis comprehendantur, et
liberer ego; *paveant illi, et non paveam*
ego, obsessa Jerusalem. *Induc super eos*
diem afflictionis, id est Babylonicæ va-
stitatis, *et duplici contritione contere eos,*
id est, fame et gladio eos occide. Ista, sic-
ut præhabitum est, profert Jeremias, vel
prophetice denuntiando quia sic erit; vel
imprecando ut fiat, non zelo ultionis, sed
æquitatis, et ut per præsentem calamita-
tem a futuris suppliciis eruantur. Possunt
quoque ista exponi in persona Christi, cu-
jus figura fuit Jeremias verbis, rebus ac
persecutionibus. Eodem etenim modo com-
petit Christo hæc loqui de Judæis ipsum
persequentibus, ut Jeremiæ. Nos quoque
hæc dicere possumus pro loco et causa et
tempore, et præsertim contra invisibiles
hostes.

19 *Hæc dicit Dominus ad me : Vade, et sta* A
in porta filiorum populi tui, per quam
ingrediuntur reges Juda et egrediuntur,
id est in porta templi, *et in cunctis portis*
20 *Jerusalem ; et dices ad eos : Audite ver-*
bum Domini, reges Juda, et omnis Ju-
da, cunctique habitatores Jerusalem, qui
21 *ingredimini per portas istas. Hæc dicit*
Dominus : Custodite animas vestras a rui-
na peccati, *et nolite pondera portare in*
die sabbati, nec inferatis ea *per portas Je-*
22 *rusalem ; et nolite ejicere onera de domi-*
bus vestris in die sabbati, et omne opus B
non facietis, id est opera corporalia atque
servilia, cultum Dei impedientia, et quæ
possunt ante diem sabbati vel postea fie-
ri : quæ autem differri vel præveniri con-
gruenter non poterant, in sabbatis fiebant,
sicut brutis dare necessaria vitæ, et contra
hostes invadentes pugnare. *Sanctificate*
diem sabbati, id est, actus divini cultus in
ea peragite, et Deo cum quiete mentis cor-
Exod. xx, 8. porisque vacate, *sicut præcepi patribus ve-*
23 *stris* per Moysen. *Et non audierunt, nec*
inclinaverunt aurem suam, sed indurave- C
runt cervicem suam, etc., id est, inobe-
dientes fuerunt patres vestri, sabbatum
Ibid. xvi, 27. violando, quia in eo collegerunt manna
contra Dei præceptum.
24 *Et erit : Si audieritis me, dicit Domi-*
nus, ut non inferatis onera per portas
25 *civitatis hujus in die sabbati,* etc. ; *ingre-*
dientur per portas civitatis hujus reges et
principes sedentes super solium David,
etc., id est successores regis David, simi-
les ei in potestate et throno regali ; *et ha-*
bitabitur civitas hæc in sempiternum, ita D
quod Chaldæi eam non destruent. Sempi-
ternum autem non dicit hic durationem
nunquam finiendam, sed plurimum lon-
gam. Et forte, si Judæi semper Deo obedi-
vissent, atque in Christum credidissent,
26 usque in præsens habitarent in ea. *Et ve-*
nient de civitatibus Juda, et de circuitu
Jerusalem, et de terra Benjamin, etc., *por-*
tantes holocaustum, et victimam, et sacri-
ficium, et thus ; et inferent oblationem in
domum Domini. Ista, quum sint planissi-
ma, expositionem non exigunt. Sed dubi-
tare quis potest, quomodo nunc promitti-
tur Judæis, si vitam corrigerent, liberatio
a Chaldæis, quum superius dictum sit, *Jer.* xiv-xvi.
Deum definitive pronuntiasse captivitatem
ac destructionem eorum. Et responden-
dum, quod Deus hoc dixit, quoniam vi-
dit eos non emendaturos propriam vitam ;
per hoc tamen non abstulit eis libertatem
agendi quod bonum est. De hac quæstione
pertranseo, ne majore difficultate invol-
var. *Si autem non audieritis me, ut san-* 27
ctificetis diem sabbati, etc., *succendam*
ignem in portis ejus, puta Jerusalem, *et*
devorabit domos Jerusalem. Hoc factum
est per Chaldæos. *Et non exstinguetur*
ignis ille ab homine, vel donec combusse-
rit urbem hanc ; sed materia ignis con-
sumpta, in se ipso ignis defecit.

Porro, juxta intelligentiam spiritualem, Sensus spiritualis.
quod in principio hujus capituli dictum
est de duritia et indelebilitate iniquitatis * * peccati
Judæorum, quod scilicet scriptum sit in
ungue adamantino stilo ferreo, de omni-
bus incorrigibilibus gravissimisque pec-
catoribus, qui quotidie sine freno ac nu-
mero peccant sine omni timore Dei, accipi
potest : quorum corda exaratione vitiorum
sunt plena, per ferreum stilum, id est ve-
hementem peccandi delectationem, inscri-
pta, vel per consensum intensum. Verum-
tamen absolute loquendo, nullus viator in
tantum gravatur peccatis, quin per omni-
potentis medici gratiosam subventionem
queat curari. Idcirco de nullo est despe-
randum.

Hæc dicit Dominus ad me : Vade, et 19
sta in porta, etc. Per hoc, sicut superius
dictum est, insinuatur quod prædicator ac
pastor verbum salutis omnibus publice
proponere debet, ac proficisci ad locum
quo cuncti conveniunt, imo etiam ire ad
eos qui audire refugiunt, atque industrio-
se excogitare quomodo eos convenientius
invenire et alloqui possit. Quod si hoc ita
est, quid damnationis imminet his qui
gregi sibi commisso, quamvis audire pa-

rato, avido et cupienti, negligunt prædi- A
21 care? *Custodite animas vestras, et nolite*
pondera portare in die sabbati. Per sabba-
tum, uno modo intelliguntur dies Ecclesiæ
festivi, quibus præcipue vacandum est
Deo. Alio modo omne opus vitæ præsentis
dicitur sabbatum, quia semper sabbatiza-
re, id est a peccatis cessare, atque in Deo
quiescere nos oportet. Itaque onera, id est
vitiorum pravitates deorsum trahentes, et
in profunda tartari demergentes, portare
nunquam debemus, præsertimque diebus
festis ea abjicere. Propter quod ad He- B
Hebr. XII, 1. bræos ait Apostolus : Deponamus omne
pondus, et circumstans nos peccatum. Et
Is. LVIII, 6. in Isaia habetur : Dissolve colligationes im-
pietatis, solve fasciculos deprimentes, et
omne onus dirumpe. Sunt autem et alia
onera seu pondera bona, videlicet lex Chri-
sti, et ejus mandata atque consilia, quibus
reddimur graves contra levitatem peccati
ac facilitatem peccandi. De quibus ait Sal-
Matth. XI, 29. vator : Tollite jugum meum super vos ;
Galat. VI, 2. et Apostolus, Alter alterius onera por-
tate, id est, defectus vestros mutuo et ca- C
ritative et æquanimiter supportate. One-
ra autem vitiosa non sunt inferenda per
portas Jerusalem, id est per sensus ex-
teriores.

Si igitur taliter observemus sabbatum
spirituale, *ingredientur per portas civi-* 25
tatis hujus, id est per virtutes ac valvas
Ecclesiæ, *reges et principes* cum subditis ;
et habitabitur civitas hæc, id est Ecclesia,
in sempiternum a Spiritu Sancto, cujus
est templum. *Et venient de civitatibus Ju-* 26
da, et de circuitu Jerusalem, id est de par-
ticularibus Ecclesiis ac locis fidelium, *et*
de terra Benjamin, id est de congregatio-
ne eorum qui sunt filii gratiæ. Benjamin
namque filius dexteræ interpretatur : et
dexterum appellamus, quod prosperum ac
favorabile nobis est. *Portantes holocau-*
stum et victimam, id est spiritualia sacri-
ficia, imo et se ipsos, *in domum Domini.*
Dum enim Ecclesia in aliquo loco, singu-
lari ac maxima Dei gratia decoratur ac
fulget, ceteri Christiani ad tam devotos ac
divinos accedunt, et eorum exemplo vitam
emendant.

De moralitate me expedire compellor,
ne prolixitate operis tædio afficiantur le-
gentes, potissime quum jam superius ha-
bita sint quæ omitto.

ARTICULUS XXXII

EXPOSITIO CAPITULI OCTAVIDECIMI : VERBUM QUOD FACTUM EST AD JEREMIAM A DOMINO.

MISERICORDIAM suam circa populum D suum Deus sublimis et benedictus multifarie multisque modis ostendit. Et quo gravior est ultio atque adversitas imminens, eo multiplicius eam prænuntiat, ad pœnitentiamque invitat, quia ut ait Gregorius, non vult invenire quos puniat. Unde et nunc pietatem suam circa Judæos ostendens, asserit sibi esse in promptu reparare destructa, et a comminatione sua velle cessare, nec mala comminata inferre, dummodo transgressores pœniteant : quod utique est ineffabilis prorsus clementiæ.

Verbum quod factum est ad Jeremiam 1
a Domino, dicens : Surge, et descende in 2
domum figuli, et ibi audies verba mea.
Forte figulus iste in Jerusalem moraba-
tur, vel prope. Voluit autem Dominus lo-
qui Jeremiæ in domo hac figuli, quatenus
per ea quæ corporaliter illico cerneret,
cordi suo tenacius quæ a Deo audiret,
imprimeret, clariusque intelligeret ea per
exemplum sensibile. Ezechieli quoque Do-

Ezech. III, 22. minus jussit, Egredere in campum, et ibi A
loquar tecum : quia videlicet solitarius lo-
cus convenientior est ad suscipiendum il-
luminationes divinas. Itaque diversis ex
causis mittit vicissim Deus suos electos
ad loca determinata, ut Deum audiant sibi
loquentem : vel ob convenientiam loci,
vel propter ea quæ fiunt aut sunt in loco,
per quæ juvatur homo ad cognoscenda di-
Exod. XIX, 20; *Num.* XVII, 12. vina. Unde et Moysi jussit ascendere mon-
tem. *Et descendi in domum figuli, et ecce*
3 *ipse faciebat opus,* videlicet luteam ollam
4 vel simile aliquid, *super rotam. Et dissi-* B
patum est vas quod ipse faciebat e luto
manibus suis, id est, divina ordinatione
frangebatur, ut Dominus ex hoc sumeret
occasionem loquendi propositum ad Pro-
phetam. Est autem consuetudo idiomatis
Hebræorum, ut omne instrumentum seu
receptaculum, vas vocetur. Unde de Paulo
Act. IX, 15. dictum est : Vas electionis mihi est iste.
Ps. LXX, 22. Et Psalmista : Nam et ego, inquit, confite-
bor tibi in vasis psalmi veritatem tuam,
Deus. *Conversusque* figulus de uno actu
ad alium, *fecit illud vas alterum,* id est, C
de luto vasis confracti formavit vas alte-
rum, *sicut placuerat in oculis ejus ut fa-*
ceret, scilicet pulchrum ac integrum.
5 *Et factum est verbum Domini ad me,*
6 *dicens : Numquid sicut* fecit *figulus iste,*
non potero vobis facere, domus Israel? ait
Dominus. Quasi dicat : Imo, quia læsos et
pene destructos possum facile reparare
atque sanare. Ideo subditur : *Ecce sicut*
lutum in manu figuli, sic vos in manu, id
est in potestate *mea,* quæ quum sit im-
mensa, nihil ei resistere potest, et in in- D
stanti quidquid placuerit potest agere et
implere. Verumtamen, quum omne simile
sit dissimile, idcirco de luto ad figulum,
et homine ad Deum, quantum ad hoc est
dissimilitudo, quod in luto non est ratio
neque voluntas, quibus a figuli ordinatio-
ne se possit subtrahere, sicut homo libero
arbitrio declinare potest a lege divina :
quod tamen ita non potest, quin Deus om-
nipotens possit cor hominis inclinare in
omne quod sibi placuerit, sic quod homo
resistere non valeret, nec tamen proprie
cogeretur. Deus namque, et ipse solus,
immediate agit ac imprimit in hominis
voluntatem, et sine ejus coactione vertit
eam quo vult, juxta illud Proverbiorum :
Cor regis in manu Domini ; quocumque *Prov.* XXI, 1.
voluerit, inclinabit illud. Denique ex hoc
loco sumpsit Apostolus illud ad Romanos :
Annon habet potestatem figulus luti, ex ea- *Rom.* IX, 21.
dem massa facere aliud quidem vas in ho-
norem, aliud vero in contumeliam? Sic ita-
que Deus de omni homine facit quod suæ
infinitæ sapientiæ placet : et cujus vult *Ibid.* 18.
miseretur, et quem vult indurat : et aliquos
sanat, alios frangi ac perire permittit.

Consequenter ostendit Dominus, quod
propter prænuntiationem pœnarum immi-
nentium, non debemus a bono cessare :
perhibens se malle verba comminationis
suæ non adimplere, quam homines perde-
re. *Repente loquar* per Prophetas et ange- 7
los, *adversum gentem et adversus regnum,*
vel adversus determinatam personam, *ut*
eradicem, et destruam, et disperdam il-
lud, id est, peccatores hujusmodi puniam,
occidam, condemnem propter eorum pec-
cata. *Si pœnitentiam egerit gens illa a* 8
malo suo quod locutus sum adversus eam,
id est, de peccatis quæ ei imputo, pœnitu-
erit vere ; *agam et ego pœnitentiam,* id
est, per modum pœnitentis habebo me,
super malo quod cogitavi ut facerem ei, id
est de supplicio quod illis infligere cogi-
tavi. Loquitur enim de malo pœnæ, quod
non est simpliciter malum, sed malum
videtur ei qui patitur, et aliquod nocu-
mentum inducit. *Et subito loquar de gente* 9
et de regno, ut ædificem et plantem illud,
id est, homines illos bonos in spirituali-
bus et temporalibus bonis confirmem. *Si* 10
fecerit malum in oculis meis, præcepta
transgrediendo, *ut non audiat vocem me-*
am, pœnitentiam agam super bono quod
locutus sum ut facerem ei, id est, bona
ei promissa non adimplebo.

Præterea agnoscendum quod quum Deus
sit immutabilis, juxta illud Malachiæ, Ego
Dominus, et non mutor ; cogitatio qu

ejus non variatur, secundum illud in Psal-
Ps. xxxii, 11. mo, Cogitationes cordis ejus in generati-
one et generationem. Idcirco pœnitentia
proprie non cadit in Deo, sicut nec ceteræ
passiones ; sed per similitudinem operis
dicitur pœnitere, dum non agit quod se
acturum prædixit, vel quod fecit, destruit :
Gen. vi, 7. sicut in Genesi homines occisurus, Pœni-
tet, inquit, me fecisse hominem ; et primo
I *Reg.* xv, 11. Regum, Pœnitet me quod constituerim
Saul regem. Verum tunc quæritur, quo-
modo istud, videlicet non fieri quod dixit
futurum, non repugnet veritati et immu-
tabilitati mentis ac voluntatis divinæ. Ad
quod respondendum, quod Deus dupliciter
pronuntiat quid futurum, videlicet per
comminationem malorum et promissio-
nem bonorum. Primo, ut est in consilio
ac dispositione æternæ suæ providentiæ,
sicque infallibiliter venit : et in talibus
Deus nullatenus pœnitet, in quibus etiam
Ibid. 29. locum habet illud Samuelis : Porro Tri-
umphator in Israel non parcet, et pœnitu-
dine non flectetur; neque enim homo est
ut agat pœnitentiam. Secundo, aliquid a
Deo prædicitur secundum comparationem
ejus ad causas naturales proprias, secundas
seu proximas, quæ subjacent mutationi,
potissime humana voluntas. Taliter igitur
prænuntiata, non semper eveniunt, quia
causæ mutantur : nec tamen Deus menti-
tur, quia non absolute, sed conditionaliter
intelligenda est prænuntiatio talis. Unde,
secundum doctores, prophetia prædestinati-
onis semper impletur, non autem prophetia
comminationis. Et Gregorius ait, quod Deus
mutat sententiam, non autem consilium.

Quum ergo hæc ita se habeant, præcipit
11 Dominus Jeremiæ : *Nunc ergo dic viro*
Juda, et habitatori * *Jerusalem,* id est vi-
ris ac civibus istis, *dicens : Hæc dicit Do-*
minus : Ecce ego fingo, id est, instar figuli
formo ac præparo, *contra vos,* id est ad
vestram punitionem, *malum* pœnæ (de
Is. xlv, 7. quo in Isaia habetur : Ego Dominus fa-
ciens pacem, et creans malum), *et cogito*
contra vos cogitationem de ultione, nisi
re[illegible]itueritis : juxta illud Michææ, Ecce
ego cogito malum super familiam istam.
Revertatur unusquisque a via sua mala,
id est actione iniqua, qua pergitur ad in-
fernum, qua justitiæ derogatur, qua Deus
sanctus offenditur ; *et dirigite vias vestras*
et studia vestra, id est actiones, affectio-
nes atque conatus vestros, secundum di-
vinam legem rectamque rationem ordinate
in ultimum finem veramque felicitatem.
Qui dixerunt : Desperavimus de nostra 12
salute et divino auxilio, vel de veritate eo-
rum quæ nobis prænuntiantur ; *post cogi-*
tationes enim nostras ibimus, etc., illis
consentiendo et eas opere exsequendo. Un-
de in Isaia hujusmodi dixisse scribuntur :
Comedamus et bibamus, cras enim morie- *Is.* xxii, 13.
mur, etc.

Ideo hæc dicit Dominus : Interrogate 13
gentes, id est, a gentilibus quærite : *Quis*
audivit talia horribilia, id est tam dete-
standissima vitia, *quæ fecit nimis,* id est,
excessive commisit, *virgo Israel,* id est po-
pulus Judæorum, videlicet Synagoga, quæ
fuit aliquando sponsa Dei ? Unde nunc
quasi derisorie virgo vocatur, cui alibi a
Deo seriose denuntiatur : Meretrix, audi *Ezech.* xvi, 35.
verbum Domini ; et in Isaia, Quomodo fa- *Is.* i, 21.
cta est meretrix civitas fidelis ? Quasi di-
cat : In nationibus paganorum non sunt
audita tam enormia peccata, ut fecit po-
pulus iste.

Numquid de petra agri deficiet nix 14
Libani ? id est, nix in Libanum montem
descendens, non deficiet, sed illic tam
abundanter descendet, ut petra agri, id
est ager petrosus juxta Libanum situs, in-
de rigetur. *Aut evelli possunt aquæ erum-*
pentes frigidæ et defluentes ? id est, aquæ
frigidæ ex nivis resolutione erumpentes
ad agros, non cessant ad eos defluere. *Quia* 15
oblitus est mei populus meus. Per modum
admirantis loquitur Deus. Quasi dicat : Mi-
nus videretur mirabile, si aqua, quæ est
res inanimata, naturalem cursum relin-
queret, quam quod populus meus divina
lege instructus, ratione utens, legem sibi
præfixam abjecit. Et tamen oppositum ac-
cidit, quia Judæi me reliquerunt. *Frustra*

* habitatoribus

libantes, id est, idolis sacrificantes, *et im-*
pingentes in viis suis, id est, in suis ope-
ribus contra justitiam offendentes, ac pe-
dem cordis, puta affectum, in id quod
vere nocet ac lædit, tendentes, *et in semi-*
tis sæculi, id est in vitiosis ac latis tra-
mitibus hominum mundanorum, qui du-
cunt ad mortem æternam, *ut ambularent*
per eas in itinere non trito, id est in calle
sanctorum patrum vestigiis non præosten-
so, nec transito. Unde habetur in Psalmo :
s. xxxiv, Fiat via illorum tenebræ et lubricum. *Ut*
16 *fieret terra eorum in desolationem,* id est,
Judæa habitatoribus privaretur, *et in sibi-*
lum, id est in derisionem, *sempiternum,* id
est valde longum, vel certe perpetuum
quantum ad memoriam eorum qui impie-
tatis ac dejectionis Judæorum nunquam
obliviscuntur. Conjunctio illa, *ut,* tenetur
hic concomitanter, non directe causaliter.
Omnis qui præterierit per eam, id est per
terram Judææ tempore suæ desolationis,
obstupescet, id est, de tanta ejus destru-
ctione multum mirabitur, *et movebit caput*
suum, id est, exteriori signo mentis ad-
mirationem monstrabit : quasi dicat, O qua-
liter accidit istis !
17 *Sicut ventus urens, dispergam eos co-*
ram inimico, id est, coram Chaldæis cum
impetu et tormento multipliciter eos per-
dam, fugabo et perimam. *Dorsum, et non*
faciem, ostendam eis in die perditionis
eorum, id est, tempore destructionis et
occisionis preces eorum non exaudiam,
nec clementer eos adspiciam. Unde per
ev. xxvi, 24. Moysen Dominus ait : Si ambulaveritis ex
adverso contra me, ambulabo et ego ex
adverso contra vos.

Insuper subditur ingratitudo, et indo-
cilitas, atque incorrigibilitas Judæorum,
18 pium instructorem persequentium. *Et di-*
xerunt : Venite, et cogitemus contra Jeremi-
am cogitationes, id est, inter nos consula-
mus qualiter Jeremiam possimus occidere
quasi falsum prophetam. *Non enim peri-*
bit lex a sacerdote, id est, in sacerdotibus
alach. ii, nostris manet scientia et observantia le-
gis : juxta illud Malachiæ, Labia sacerdotis
A custodiunt scientiam, et legem ex ore ejus
requirent; *neque consilium a sapiente,* id
est, a senioribus nostris sapientia non tol-
letur, qui sunt judices ordinarii ; *nec ser-*
mo a propheta, id est, de prophetis nostris
non auferetur verbum veritatis. Quasi di-
cant : Quum hæc ita se habeant, occiden-
dus est Jeremias, qui contra sacerdotes et
sapientes prophetasque nostros vaticina-
tur, et omnium horum judicio reprobatur.
Venite, et percutiamus eum in lingua, id
est, graves accusationes et causas mortis
B ei objiciamus, *et non attendamus ad uni-*
versos sermones ejus. In quo patet eorum
deliberata perversitas.

Contra quos orat Propheta : *Attende,* 19
Domine, ad me, vota mea benigne susci-
piendo, *et audi vocem adversariorum meo-*
rum, eos juste castigando. Ista, sicut et
verba sequentia, intelligi possunt triplici-
ter : primo, per modum propheticæ de-
nuntiationis; secundo, per modum justæ
imprecationis, ut divinæ æquitati satisfiat,
et honor Dei recuperetur in punitione pra-
C vorum; tertio, per modum caritativæ pre-
cis, ut in præsenti corrigantur, quatenus
postea melius habeant. *Numquid redditur* 20
pro bono malum mihi? quasi dicat, Uti-
que; *quia foderunt foveam animæ meæ,*
id est, vitæ meæ paraverunt insidias ac
laqueum mortis. *Recordare quod steterim*
in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bo-
num, orationes et laudes tibi pro eis fun-
dendo, eosque quantum valui excusando,
dicens : Non est hominis via ejus, etc.; *et* Jer. x, 23.
averterem indignationem tuam, id est ju-
D stitiæ tuæ ultionem, *ab eis.*

Omnia ista adversa Jeremias in typo
Christi perpessus est; et verba nunc in-
troducta, in Christi persona accipi pos-
sunt, qui ait in Psalmo : Locuti sunt ad- Ps. cviii, 3-5.
versum me lingua dolosa. Pro eo ut me
diligerent, detrahebant mihi, ego autem
orabam; et posuerunt adversum me mala
pro bonis, et odium pro dilectione mea.
Denique pœnas sequentes Judæi potius
perpessi sunt propter iniquitatem eorum
in Christum, quam in Jeremiam.

21 *Propterea da filios eorum in famem, et deduc eos in manus gladii,* id est, fame et gladio Chaldæorum interfice parentes cum filiis, patrum peccata sequentibus. *Fiant uxores eorum absque liberis et viduæ; et viri earum interficiantur morte; juvenes eorum confodiantur gladio in prælio,
22 et audiatur clamor de domibus eorum,* ingredientibus hostibus, et occidentibus eos in propriis domibus. *Adduces enim super eos latronem repente,* id est latrunculos Chaldæorum, vel Nabuchodonosor crudelissimum regem eorum. Rex enim B sine justitia, quid est nisi latro magnus? *Quia foderunt foveam,* id est, deceptiones excogitaverunt, *ut caperent me, et laqueos absconderunt pedibus meis,* id est, processui vitæ meæ tetenderunt nocendi astutias. Ista, secundum Hieronymum, verius exponuntur de Christo, quam de Jeremia.

23 *Tu autem, Domine, scis omne consilium eorum adversum me in mortem,* id est, causam meam tibi commendo, cui omnia constant. *Ne propitieris iniquitati eorum, et peccatum eorum a facie tua* C *non deleatur.* Si in propria persona hæc dixit Propheta et ex zelo vindictæ, cur post destructionem Jerusalem populique ruinam eatenus deploravit? Idcirco ista petuntur, ne divina justitia peccatum relinquat inultum, et ut in obstinatis ac reprobis voluntas Dei sanctissima compleatur. *Fiant corruentes in conspectu tuo,* id est, ab hostibus te cernente superentur; *in tempore furoris tui,* id est tempore diræ ultionis per Chaldæos sive Romanos, D *abutere eis,* id est, ad pœnam atque damnationem applica eos, quos ad gratiam beatitudinemque creasti. Abuti equidem aliqua re, est uti ea ad contrarium ejus ad quod directe ordinatur. Quum ergo homo sit ad felicitatem creatus, dicitur Deus abuti eo, dum ad pœnas damnationis eum impellit, potissime si consideretur homo secundum ea quæ habet a Deo; si vero consideretur secundum ea quæ habet a se ipso, videlicet secundum malitias suas, A quibus disponitur ad infernum, non abutitur eo Deus dum eum condemnat.

Præterea, juxta mysticum intellectum, per domum figuli quam ingressus est Jeremias, designatur Ecclesia, in qua verbum Dei audimus. Illic Christus est figulus, qui ex eadem massa facit vasa quædam in honorem, quædam in contumeliam, scilicet vasa iræ et vasa misericordiæ. Frequenter autem opus in manu Christi confringitur, dum scilicet regeneratus in Christo, vel per pœnitentiam reformatus, denuo labitur in peccata. Estque confractio ista non ex defectu sapientiæ aut potentiæ Salvatoris, sed ejus qui cadit. Verum in manu Christi est, ipsum continuo reparare et facere de eo vas pulchrius quam antea fuit: ut ubi abundavit delictum, abundet et gratia. Nunquam igitur desperemus, nec sic nostra scelera aggravemus, ut pusillanimitate aut alio modo a pœnitentia retrahamur. Imo quo gravius lapsi fuerimus, eo celerius ad summum artificem, reparatoremque omnipotentem ac superclementissimum properemus, quoniam ipse universæ ait Ecclesiæ: *Ecce sicut lutum* 6
in manu figuli, sic vos in manu mea. Nempe in manu ejus sunt omnes fines terræ. Et de ipso scriptum est: Et nunc pater noster es tu, nos vero lutum; et fictor noster es tu, et opera manuum tuarum omnes nos. Et ecce Deus iste omnipotens et æternus, nequaquam se implacabilem exhibet: sed quidquid minarum protulerit, libenter minas remittit; et propria verba quasi retractat, ac parcit, dummodo nos de nostris excessibus veraciter pœniteamus. Imo tunc in pristinam amicitiam nos recipit, et tantam pietatem ostendit, gratiamque infundit, quasi nunquam offendissemus eum: quod utique est misericordiæ penitus incomprehensibilis et immensæ. Unde per Ezechielem ait: Si dixero impio, Morte morieris, et ille egerit pœnitentiam: vita vivet, et non morietur; omnium iniquitatum ejus non recordabor. Hoc est igitur quod nunc ait:

Exposi[tio] mystica. — Rom. IX, [21]. — Ibid. 22, [23]. — Ibid. V, [20]. — Ps. XCIV, [4]. — Is. LXIV, [8]. — Ezech. XXXIII, 1[4]-16; XVIII, [21]-22.

7 *Repente loquar adversum gentem et re-* A
gnum, ut eradicem, etc. Quibus verbis quid
dulcius? Quæ etiam specialiter perpenden-
da sunt his qui de desperatione tentantur.
Insuper, sicut Judæi responderunt Je-
12 remiæ, *Desperavimus, post cogitationes*
enim nostras ibimus, etc.; ita nunc plures
a viris devotis admoniti, vel verbo vel
facto respondent quod a suis perversita-
tibus non desistent. Quibus improperat
Dominus, quod nix et aqua fluens Creatori
suo obediunt, et miser ingratusque ho-
mo ei recalcitrat, impingens in viis suis, B
id est, scandalizans et scandala patiens,
offendens ac ruens. Quia, ut Isaias testatur,
Is. xxvi, 7. Semita justi recta est, et rectus callis justi
Prov. iv, 19. ad ambulandum. Via autem impiorum,
juxta Salomonem, est tenebrosa; nesciunt
14 ubi corruunt. *Numquid de petra agri de-*
ficiet nix Libani? Per petram agri, intel-
ligitur mens viatoris firma solidaque in
Deo; per nivem vero, gratia Spiritus San-
cti. Nix nempe alba et frigida est : sic
gratia a peccati purgat nigredine, juxta
Ps. l, 9. illud in Psalmo : Lavabis me, et super C
Is. i, 18. nivem dealbabor; et in Isaia, Si fuerint
peccata vestra ut coccinum, quasi nix alba
erunt. Gratia quoque, concupiscentiæ tem-
perat ac frigefacit calorem. Libanus autem
candidatio interpretatur. Itaque nix Liba-
ni, id est gratia Christi, qui est candor
lucis æternæ, non deficiet de petra agri,
id est de corde firmo ac stabili. *Aut evelli*
possunt aquæ erumpentes frigidæ et de-
fluentes? Aquæ istæ sunt fluenta sapien-
tiæ et scientiæ, ceterorumque donorum
Sancti Spiritus, quas tentator avellere ne- D
quit, quin ex fonte æterno Paracleto ado-
rando descendant in animas electorum.
18 *Et dixerunt : Venite, et cogitemus*
contra Jeremiam cogitationes; non enim
peribit lex a sacerdote, neque consilium a
sapiente. Istis nunc multi sunt similes :
qui a viris spiritualibus redarguti, indi-
gnantur et obloquuntur, atque insidias
moliuntur, vel saltem non acquiescunt,
allegantes quod in suis sacerdotibus, sa-
pientibus, atque doctoribus, sana consilia

et legis divinæ scientia inveniantur; et
tamen agunt et approbant ea quæ isti de-
votarii damnabilia asserunt, ut est plura-
litas beneficiorum, etc. Unde nonnulli de
hac pluralitate pie increpati, statim re-
spondent : Ecce ille et illi doctores ac sa-
pientes multa beneficia habent : quasi non
quotidie videamus quamplures contra vi-
tia prædicantes, loquentes, scribentes, qui
tamen impie, imo et sceleratissime vivunt;
quod item excæcant eos malitia, cupiditas,
ambitio, carnalitasque ipsorum, quum et
Isaias de talibus protestetur : Sapientia Is. xlvii,
tua et scientia tua deceperunt te. Præterea, 10.
quam damnabile et enorme sit, justum
propter justitiam veritatemque persequi,
innotescit ex eo quod Jeremias contra per-
secutores tam horribiliter loquitur, tanta-
que mala eis infligenda effatur.
In tempore furoris tui abutere eis. Ele- 23
ctis, qui sunt vasa misericordiæ, utitur
Deus tanquam instrumentis ad omne opus
bonum, et ad finem beatum, ad quem
condidit eos; misericordiamque suam in
eis declarat, quia ad hoc creati sunt, ut
Creatoris benignitas in eis sempiterne re-
luceat. Reprobis vero abutitur Deus secun-
dum unam considerationem, quæ dicta est.
Sed considerando eos ut præscitos et repro-
bos atque injustos, non eis abutitur, sed
utitur valde bene, ex eorum malitia plura
eliciens bona, et ex eorum damnatione si-
militer bona multa ac magna eliciens :
sicut ex tyrannorum et persecutorum cru-
delitate consecuta est justorum exercitatio
fructuosa, ac martyrum coronatio gloriosa.
Denique in damnatione pravorum divina
declaratur justitia, et electorum lætitia ex
illorum augetur miseria. Lætabitur etenim Ps. lvii, 11.
justus quum viderit vindictam. Hinc, se-
cundum Augustinum, tam bonus et sapi-
ens est Deus, quod non sineret esse malos
aut mala, nisi sciret, posset, ac vellet inde
elicere bona. — Cetera, quomodo scilicet
Deus impios disperdet quasi ventus urens, 17
et qualiter dorsum, non faciem, eis tempo-
re damnationis, vel etiam præsentis neces-
sitatis ostendet, patent ex præinductis.

ARTICULUS XXXIII

EXPLANATIO CAPITULI NONIDECIMI : HÆC DICIT DOMINUS : VADE, ET ACCIPE LAGUNCULAM.

HOC capitulo prænuntiat Dominus de-
structionem Jerusalem facto visibili,
quia (ut ait Hieronymus) Scriptura divina
non solum vult auribus docere populum,
sed etiam oculis : magis enim mente re-
tinetur quod visu, quam quod auditu ad
1 animum pervenit. *Hæc dicit Dominus :
Vade, et accipe lagunculam figuli testeam,*
* a *et de* senioribus populi, et de* senioribus
sacerdotum,* id est, lagunculam istam su-
me tam de senioribus populi, quam de
senioribus sacerdotum. Vel sensus est,
quod accipiat lagunculam luteam, et quos-
dam de senioribus istis secum. Isti namque
specialiter debuerunt audire verbum Dei,
2 atque ad hoc vulgum inducere. *Et egrede-
re* de civitate Jerusalem *ad vallem filio-*
* filii *rum* Ennom :* de quo loco dictum est
Jer. vii, 31. capitulo septimo; *quæ est juxta introitum
portæ Fictilis,* id est extra muros Jerusa-
lem non remote, sed prope portam Ficti-
lem, de qua (non eadem numero, sed ali-
qua ejusdem nominis) mentio fit in Esdra :
quæ porta dicta est fictilis, quoniam prope
eam (ut dicitur) figuli morabantur. *Et
prædicabis ibi verba quæ ego loquor ad
te.* Ad hunc locum mittitur Jeremias, ut
ibi redarguantur Judæi, ubi peccaverunt.
Sap. xi, 17. Siquidem per quæ quis peccat, per hæc
et punitur, sicut in libro Sapientiæ le-
gitur.
3 *Et dices : Audite verbum Domini, reges
Juda :* non quod simul et semel fuerint
plures reges Juda, sed successive, præser-
tim sub Jeremia; *et habitatores Jerusa-
lem. Hæc dicit Dominus : Ecce ego indu-
cam afflictionem super locum istum,* id
est super Jerusalem, vel super hanc val-
lem, utpote super exsistentes in eis, *ita ut
omnis qui audierit illam* afflictionem, *tin-*

A *niant* ambæ *aures ejus,* id est, vehementer
miretur, terreatur, sive condoleat : quod
per aurium designatur tinnitum, qui ex
magno sono causatur. Estque istud quidam
modus loquendi. *Eo quod dereliquerunt* 4
me per idololatriam aliaque peccata, *et
alienum fecerunt locum istum,* etc., a me,
eum idolorum cultui deputando : quod fe-
cerunt Judæi in templo et plateis Jerusa-
lem, atque in valle præfata, sicut frequen-
ter prædictum est; *et repleverunt locum
istum sanguine innocentium,* id est pue-
B rorum quos idolis sacrificaverunt, et justo-
rum quos occiderunt, potissime in diebus
Manassæ regis Juda, qui replevit Jeru- IV Reg. xxi,
salem sanguine innocentium usque ad os, 16.
ut scribitur quarto Regum. *Et ædificave-* 5
runt excelsa Baalim, id est aras et lucos,
altaque loca idolis Baal, *ad comburendos
filios suos igni in holocaustum Baalim :*
quod capitulo septimo diligenter exposi- Jer. vii, 31.
tum est. *Quæ non præcepi,* imo prohibui,
neque locutus sum, ut facerent talia, *nec
ascenderunt in cor meum* per complacen-
C tiam vel consensum.

Propterea ecce dies venient, dicit Do- 6
*minus, et non vocabitur amplius locus iste
Topheth, et vallis filii Ennom, sed vallis
Occisionis,* propter multitudinem Judæo-
rum qui ibidem a Chaldæis occidentur.
Totum istud supra præhabitum atque ex- Ibid. 32.
positum est, et de multiplici acceptione
nominis Topheth, dictum est ibi. *Et dissi-* 7
*pabo consilium Juda et Jerusalem in loco
isto,* id est, effectum consiliorum quibus
inter se tractaverunt quomodo resistere
D possent Chaldæis, impediam, eosque ad-
versariis tradam ; *et subvertam,* id est oc-
cidam, *eos gladio,* etc. *Et ponam civitatem* 8
hanc in stuporem et in sibilum, id est, ita

eam per Chaldæos demoliar et comburam,
quod erit hominibus materia sive occasio
maximæ admirationis, aspernationisque Ju-
dæorum. *Omnis qui præterierit per eam,*
Jer. XVIII, *obstupescet,* etc. Istud præcedenti capitulo
16. 9 constat expositum. *Et cibabo eos carnibus*
filiorum suorum et filiarum suarum; et
unusquisque carnem amici sui, id est ca-
daver seu corpus amici sui occisi, aut fa-
me aut peste defuncti, *comedet in obsi-*
dione et angustia, in qua concludent eos
inimici eorum, puta Chaldæi, *et qui quæ-*
runt animas eorum, id est præfati Chal-
dæi vitam Judæorum quærentes exstin-
guere. Ex quo patet durissima fames,
quæ fuit tempore obsidionis Jerusalem a
Chaldæis. Verum quod ait, Unusquisque,
intelligendum est per distributionem ac-
commodam.

Consequenter subditur, cur lagunculam
10 tulerit secum Propheta. *Et conteres,* id est,
frustatim confringes, *lagunculam in ocu-*
lis virorum qui ibunt tecum, ut signo vi-
sibili configuretur destructio quam verbis
11 pronuntias. *Et dices ad eos : Hæc dicit*
Dominus exercituum : Sic conteram po-
pulum istum, id est, per Chaldæos occi-
dam, *et civitatem istam* Jerusalem, *sicut*
conteritur vas figuli, quod non potest ul-
tra instaurari, id est reintegrari. Ex quo
aliqui dicunt, quod istud de vastitate Ju-
dæorum per Romanos facta, intelligendum
sit, quia post Babylonicam illam demoli-
tionem, rursum ædificata fuit Jerusalem,
et Judæi ad eam reducti; præsens autem
captivitas eorum durat in finem. Et forte
ad utramque destructionem Jeremias ocu-
lum mentis direxit. *Et in Topheth,* scilicet
in valle prædicta, *sepelientur* Judæi occisi,
non omnes, sed quidam, *eo quod non sit*
alius locus ad sepeliendum : non quod
terra Judææ fuerit tam angusta, sed metu
Chaldæorum alibi istos sepelire non aude-
12 bant. *Sic faciam loco huic,* puta Jerusa-
lem, *ait Dominus, et habitatoribus ejus, et*
ponam civitatem istam sicut Topheth, id
est, in planum eam dejiciam, ita quod ha-
13 bitacula comburentur. Ideo subditur : *Et*
A *erunt domus Jerusalem, et domus regum*
Juda, id est palatium, *sicut locus Topheth,*
immundæ, id est, funditus destruentur,
nec inhabitabuntur, *omnes domus in qua-*
rum domatibus, id est tectis ac ceteris
eorum partialibus locis, *sacrificaverunt*
omni militiæ cœli, etc., id est planetis ac
stellis. Erant enim tecta domorum illarum
desuper plana.

Venit autem Jeremias de Topheth, etc., 14
et stetit in atrio domus Domini, scilicet in
atrio templi, ut ibi omnibus prædicaret
B quod in Topheth coram paucis prædixit.
Et dixit ad omnem populum illic præsen-
tem : *Ecce ego inducam super civitatem* 15
hanc, et super omnes urbes ejus, id est
reliquas civitates Juda, quarum Jerusalem
fuit metropolis, *universa mala* pœnalia,
quæ locutus sum adversum eam, quoniam
induraverunt cervicem suam, ut non au-
dirent sermones meos, id est, habitatores
ejus superbi, duri, atque mihi rebelles
fuerunt.

C PRÆTEREA, sicut intelligentia litteralis Expositio
hujus capituli ex superioribus innotescit, mystica.
ita et mysticus intellectus, qui præcipue
patet ex his quæ spiritualiter in exposi-
tione capituli septimi dicta sunt. Modice
tamen tangendo, per hoc quod Jeremias
jussus est secum ferre lagunculam teste- 1
am, designatur quod pastor ac prædicator
verbi Dei, locuturus ad populum, secum
in corde suo assumere debet consideratio-
nem fragilitatis ac corruptibilitatis huma-
næ, quæ per lagunculam luteam significa-
D tur. Propter quod ait Apostolus : Habemus II Cor. IV, 7.
thesaurum istum in vasis fictilibus. Hanc
itaque vitæ nostræ labilitatem ac brevi-
tatem proponat populo prædicator ac pa-
stor, allegans illud primi libri Paralipo-
menon : Dies nostri sicut umbra super I Par. XXIX,
terram, et nulla est mora. Denique la- 15.
gunculam istam a senioribus populi sa-
cerdotumque sumere, est propriæ vitæ
instabilitatem atque humanæ conditionis
miserias, ex brevitate vitæ ac morte majo-
rum, scilicet prælatorum ac principum,

Baruch III, 16-19. considerare, juxta illud Baruch : Ubi sunt
principes gentium qui in avibus cœli lu-
dunt, qui argentum thesaurizant et au-
rum? Et tamen exterminati sunt, et ad
inferos descenderunt.
2 Insuper prædicator atque prælatus egre-
di debet ad vallem filiorum Ennom, id
est ad considerationem nostræ dejectionis,
multiplicisque mœroris. Vallis namque de-
pressionem designat, et Ennom fons tri-
stitiæ interpretatur. Quæ vallis est juxta
introitum portæ Fictilis, id est ingressum
vitæ hominis in hunc mundum. Nam ab
exordio nostræ nativitatis, nostra inchoa-
tur miseria. Unde infans natus, mox quasi
propheta et præco est miseriæ sibi instan-
tis, lugubri clamans voce. Hinc in Eccle-
Eccli. XL, 1. siastico scriptum est : Occupatio magna
creata est omnibus hominibus, et grave
jugum super omnes filios Adam, a die
exitus de ventre matris eorum, usque in
A diem sepulturæ in matrem omnium. De
his itaque prædicandum est populo, et ad-
jiciendum quanta supplicia inferat Deus
impœnitentibus ac mundanis. Insuper, sic-
ut conteritur laguncula, sic iniquos subito
conteret Deus, juxta illud in Psalmo : De- *Ps.* LXX 18, 20.
jecisti eos dum allevarentur; velut som-
nium surgentium, Domine, in civitate tua
imaginem ipsorum ad nihilum rediges. In
Job quoque de impio legitur : Si ascende- *Job* XX, 8.
rit usque ad cœlum superbia ejus, et ca-
put ejus nubes tetigerit, quasi sterquili-
B nium in fine perdetur, transiet quasi visio
nocturna.

Quidquid autem in isto capitulo atque
in ceteris contra Jerusalem et populum
Judæorum ad litteram dicitur, et ad Chal-
dæos refertur, de Ecclesia ac populo chri-
stiano similia vitia perpetranti, spirituali-
ter accipi debet, et de punitione eorum
per visibiles aut invisibiles hostes.

ARTICULUS XXXIV

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI VICESIMI : ET AUDIVIT PHASSUR FILIUS EMMER SACERDOS.

DEINCEPS describitur disceptatio Je-
remiæ contra adversarios veritatis :
1 *Et audivit Phassur filius Emmer sacer-*
dos, qui constitutus erat princeps in domo
Domini, id est pontifex templi, secundum
Hieronymum, *Jeremiam prophetantem ser-*
mones istos de destructione Jerusalem, in
2 præcedenti capitulo scriptos. *Et percussit*
Phassur Jeremiam prophetam, vel per se
ipsum, vel per aliquem ministrorum, quem-
Act. XXIII, 2. admodum in Actibus legitur Ananias prin-
ceps sacerdotum jussisse cædi os Pauli; *et*
misit eum in nervum, id est cippum, *quod*
erat in porta Benjamin superiori. Fuit
equidem ibi duplex porta, videlicet supe-
rior atque inferior. *In domo Domini,* id
est infra eorum ambitum quæ ad tem-
3 plum spectabant. *Quumque illuxisset in*
C *crastinum,* id est sequenti die, *eduxit Phas-*
sur Jeremiam de nervo per suos ministros.
Ex prædictis ostenditur patientia Jere-
miæ, qui propter justitiam cæsus, æqua-
nimiter tulit ac tacuit. Porro ex verbis
sequentibus fortitudo itemque constantia
ejus insinuatur. *Et dixit ad eum Jeremias :*
Non Phassur vocavit Dominus nomen tu-
um, sed pavorem undique : id est, quum
nomen a proprietate imponatur, pristinum
nomen amittes, quod oris nigredo inter-
pretatur. Per os autem, jubendi auctori-
D tas, per nigredinem vero, potestatis abusio
designatur. Quoniam ergo mox potestatem
et auctoritatem sua abusione erat amissu-
rus, non amplius Phassur vocatur a Deo,
sed pavor undique. Cujus nominis subdi-
tur ratio : *quia hæc dicit Dominus : Ecce* 4

ego dabo te in pavorem, te et omnes ami- A
cos tuos : id est, tanto timore atque angu-
stia te ac tuos implebo, ut merito pavor
undique nomineris, quia ex omni parte
miseriæ tibi instabunt, et huc illucque pro
refugio circumspicies; *et corruent gladio*
inimicorum suorum, id est, a Chaldæis
amici tui interficientur, *et oculi tui vide-*
bunt hoc, ut non solum in propria per-
sona, sed et in personis amicorum tuorum
affligaris, quos seduxisti. *Et omnem Ju-*
dam, id est totum populum Judæorum,
dabo in manus regis Babylonis, etc., non B
absolute omnes, nam aliqui evaserunt, ut
infra patebit; sed omnes dandi dicuntur,
quia tam pauci evaserunt, quod compara-
5 tione aliorum quasi nulli videbantur. *Et*
dabo universam substantiam, id est facul-
tates, *civitatis hujus, et omnem laborem*
ejus, omneque pretium, id est divitias la-
boribus acquisitas, et cetera quæ laboran-
do fecerunt, *et cunctos thesauros regum*
Juda, id est adhuc in Jerusalem exsisten-
tes, *in manu inimicorum eorum,* scilicet
Chaldæorum; *et diripient eos, et tollent,* C
et ducent in Babylonem. Ista expositione
6 non egent. *Tu autem, Phassur, et omnes*
habitatores domus tuæ, ibitis in captivi-
tatem; et in Babylonem venies, et ibi
morieris, ibique sepelieris tu, et omnes
amici tui, illi videlicet qui in terra hac
non fuerint interfecti, *quibus prophetasti*
mendacium, utpote civitatem Jerusalem
a Chaldæis non capiendam.

Insuper Jeremias sermonem suum diri-
git ad Deum, afflictiones suas illi humili-
ter confitens ac fiducialiter conquerens, D
non quasi ultionem affectans, sed conso-
7 lationem divinam efflagitans. *Seduxisti*
me, Domine, et seductus sum. Hunc locum
sic exponit S. Hieronymus : Dicit se Pro-
pheta a Domino esse seductum, quia in
principio suæ illuminationis prophetalis
Jer. i, 5. audiens a Deo, Prophetam in gentibus de-
Ibid. 10. di te; et iterum, Ecce constitui te hodie
super gentes et regna, ut evellas et de-
struas, et ædifices et plantes : arbitratus
est nihil se contra Judæos esse dictu-
rum, sed contra diversas in circuitu natio-
nes : unde et prophetandi officium liben-
ter assumpsit. Nunc vero testatur evenisse
contrarium, ita ut captivitatem Jerusalem
prænuntians, persecutiones et angustias
sustineret. Sed quum Deus sit veritas ip- Joann. xiv,
sa, quomodo ad eum pertinet seducere 6.
quemquam? Et respondendum, quod di-
recte et per se seu effective neminem fal-
lit, errareve facit, sed permissive dum-
taxat, juxta illud Ezechielis : Propheta Ezech. xiv,
quum erraverit, ego Dominus decepi pro- 9.
phetam illum. Hoc tamen de pseudo pro-
phetis exponitur, qui erraverunt errore
culpabili. Prætactus autem error Jeremiæ,
quo se putavit contra Judæos nil locutu-
rum, non habuit rationem peccati, nec
fuit culpabilis, sed quidam defectus ple-
nioris cognitionis. Denique est quædam
bona et fructuosa seductio, tam activa
quam passiva. Seductio activa laudabilis,
est dum quis industriose per verba aut
facta non falsa neque injusta, sed pruden-
ter proposita, inducit aliquem ad id quod
expedit sibi, ad quod non induceretur tam
prompte, si alter totum quod habet in
mente sua, ei manifestaret. Seductio vero
passiva fructuosa, est qua aliquis per ta-
lem processum ad bona inducitur, cum
æstimatione actuali aut virtuali quod al-
ter non induceret eum ad talia. Sicque, se-
cundum Hieronymum, videtur contigisse
Jeremiæ. Nam quia in principio, quum lo-
qui cœpit ad eum Dominus, adhuc puer Jer. i, 6.
fuit, Dominus non statim ei revelavit qua-
liter contra Judæos locuturus, atque ab eis
passurus esset.

Alii dicunt, quod Jeremias verba hæc
profert secundum inferiorem animæ par-
tem, appetitumque sensitivum seu sensua-
lem, quo naturaliter tantas persecutiones
refugiebat atque abhorruit, quamvis se-
cundum superiorem animæ portionem eas
propter Deum acceptavit : quemadmodum
et Christus oravit calicem passionis aufer- Matth.
ri a se. Unde textum ita exponunt : Sedu- xxvi, 39, 42,
xisti me, Domine, et seductus sum, id est, 44.
per hoc quod me ad prophetandum desti-

nasti, incidi in tanta mala pœnalia, quod secundum partem sensitivam supra modum abhorreo. Sed non apparet quod propter istum horrorem assereret se seductum, nisi forte in quantum hic horror fuit ei occasio proferendi hæc verba. Idcirco prima expositio aptior est, ita quod Jeremias dicit se quasi circumventum a Deo, qui ei veluti magna ac prospera prænuntiavit atque spopondit, et nunc eum tot adversitatibus addicit et exercet.

Fortior me fuisti, quia omnipotens es, *et invaluisti,* id est, per omnipotentiam tuam gratiamque mirabilem, inclinasti me ad loquendum, agendum, ac patiendum secundum beneplacitum tuum, seu tibi placentia, ad quæ ex me ipso nequaquam
Prov. XXI, 1. afficiebar, imo potius abhorrebam. Corda siquidem hominum in manu Dei sunt, et quocumque voluerit vertit ea, etiam absque eorum violentia. Immutat enim voluntatem immediate, et afficit eam ut vult,
Job XII, 24. juxta illud Job : Qui immutat cor principum terræ. Quibus verbis sanctus Job
Ibidem. addit, Et decipit eos ut frustra incedant per invium : quod Deum facere permissive, intelligendum est. *Factus sum in derisum tota die,* id est, incessanter a Judæis derideor, tanquam arrepticius atque phantasticus. Unde ad Ezechielem Dominus ait :
Ezech. XII, 6. Portentum te dedi domui Israel. *Omnes,* isti scilicet qui sunt de parte Phassur pontificis, *subsannant me,* derisum et aspernationem mentalem cum exteriori indicio,
8 utpote nasi rugatione, monstrantes; *quia jam olim loquor,* id est, multis jam diebus denuntiavi destructionem Jerusalem, *vociferans iniquitatem,* id est Chaldæorum crudelitatem, vel Judæorum iniquitatem, qua vastari meruerunt, *et vastitatem clamito,* id est, Judæorum oppressionem indesinenter prænuntio. *Et factus est mihi sermo Domini in opprobrium et in derisum tota die :* id est, quia ea quæ divinitus sum locutus, non statim impleta sunt, neque adhuc implentur, reputant me mendacem ac seductorem.
9 *Et dixi : Non recordabor ejus,* id est,

A verba Domini ultra in animo non revolvam, *neque loquar ultra in nomine ejus,* id est, de cetero non prophetabo ad populum in nomine Domini. Hoc dixit Propheta humanum aliquid passus, videlicet secundum inferioris partis impulsum, non secundum deliberatam rationem. Unde, secundum Hieronymum, dixit seu cogitavit hoc stulte, tactus pudore. Quumque hæc dicerem, *factus est in corde meo quasi ignis excæstuans,* id est, sermo Dei intra conceptus, mentem meam vehe-
B menter accendit atque percussit, ita quod erumpere conabatur : hoc est, Deus inflammavit me ad loquendum, ita quod gratia dominabatur naturæ, et ad id quod propria infirmitate abhorrui, divino adjutus subsidio, æstuabam ac plurimum afficiebar : sicut de Joseph habetur in Psalmo, Verbum Domini inflammavit eum; *claususque in ossibus meis,* id est intra me quasi *Ps.* CIV, 1 violenter arctatus, instar aquæ bullientis quæ prohibetur ascendere. Fervor autem atque affectio superioris animæ partis, in
C sensitivam partem et corpus redundat. Sunt quoque spiritualia animæ ossa, puta virtutes, intra quas custoditur et clauditur sermo Dei, ut opportuno tempore effundatur. Tempus enim tacendi, et tem- *Eccle.* III pus loquendi, secundum quod prudentia docet, caritasque requirit. *Et defeci,* id est, spiritualiter quasi resolutus sum calore verbi infusi, *ferre non sustinens* tantum Spiritus Sancti impulsum, quin sequerer eum, divinæ nequiens inspirationi reluctari. Unde alia translatio habet : Un-
D dique dissolutus sum. Denique tam intentissimæ illuminationes et affectiones ad Deum, corporalem naturam non parum debilitant et affligunt, ita ut homo exuberantiam illuminationis inflammationisque Spiritus Sancti ferre non valeat, juxta illud Danielis : Ego Daniel langui et ægro- *Dan.* VI 27. tavi (post visionem) per dies.

Porro quod Jeremias taliter victus sit a Spiritu Sancto ad proferendum quæ horruit, sequentia verba testantur. *Audivi* 10
enim ego Jeremias *contumelias multorum,*

scilicet Judæorum mihi injuriantium, *et terrorem,* id est verba terrifica, *in circuitu,* id est ex omni parte adversum me. Et quæ fuerint verba hæc, subditur : *Persequimini, et persequamur eum.* Ita namque dixerunt adversarii Jeremiæ, se mutuo cohortantes ad ejus persecutionem, una parte dicente ad aliam, Persequimini eum; et omnibus concorditer colloquentibus, Persequamur eum. Ista audivi *ab omnibus viris qui erant pacifici mei,* id est, qui ante vaticinia mea fuerunt amici mei, vel adhuc pacificos se mihi fingebant, *et custodientes latus meum,* id est, mihi se familiariter applicantes, quamvis conficte; vel, Custodientes latus meum, id est, me undique observantes, et ubilibet insidiantes. Qui inter se dixerunt : *Si quo modo decipiatur,* id est, si aliqua via, sive per simulationem, sive per territionem, eum fallamus, *et prævaleamus adversus eum,* id est, taliter eum accusemus, quod se nequeat excusare, *et consequamur ultionem ex eo,* id est, morti eum faciamus adjudicari, sicque quasi secundum legem eum interficiamus. Hoc dixerunt, quamvis Jeremias secundum veritatem nihil forefecerit eis; sed superbi irrationabilesque effecti, reputabant sibi ab eo illatam injuriam, quod eos reprehendit tam strenue, et tot pœnis mox puniendos asseruit.

Deinceps Jeremias secundum rationem divinitus illustratam loquens, consolatur
11 se ipsum. *Dominus autem mecum est* per
gratiam adjutricem, *quasi bellator fortis,* id est pugnans potenter pro me, adversariorumque dejector : de quo Moyses fatur, (*Exod.* xv, 3.) Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen ejus. *Idcirco qui persequuntur me, cadent :* quia a Chaldæis occisi fuerunt, et ipsa sua impietate spiritualiter corruerunt, juxta illud Proverbiorum (*Prov.* xi, 5.) : In impietate sua corruet impius. *Et infirmi erunt:* quoniam adversariis resistere non valebunt ; et *confundentur vehementer,* tam in præsenti coram Chaldæis, quam in die judicii, *quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod nunquam delebitur,* id est, damnationem æternam non consideraverunt, vel diffamiam quam incurrunt in cordibus justorum ac sapientium, qui persequuntur Dei ministros ac Sanctos.

Et tu, Domine exercituum, probator 12
justi, id est justitiæ approbator, et justorum examinator atque probator, qui sicut solus cordis intima conspicis, sic solus justitiam probas : de quo fertur in Psalmo, Sedisti super thronum, qui judicas justitiam (*Ps.* ix, 5.). Est quoque Deus probator justorum, quoniam per adversa eos exercet et probat, ut pateat aliis an veraciter justi sint. Ideo per Zachariam loquitur (*Zach.* xiii, 9.) : Ducam eos per ignem, et uram eos sicut uritur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum. *Qui vides renes et cor,* id est, intellectivam ac sensitivam animæ partem cognoscis : de quibus ait Psalmista (*Ps.* lxxxiii, 3.), Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum ; et item (*Ps.* xxv, 2.), Ure renes meos et cor meum. *Videam, quæso, ultionem tuam ex eis.* Zelo æquitatis, non impatientia, id precatur. Ideo nempe ait, Ultionem tuam, non, meam : ut satisfiat divinæ majestatis honori, nec sapientiæ Dei, quæ nihil inordinatum deserit, derogetur, atque ut impii in præsenti ad suam utilitatem corrigantur. *Tibi enim,* non quasi ignoranti, sed nostram veram ac humilem confessionem amanti ac requirenti, *revelavi causam meam,* id est negotium meum, quod cum persecutoribus habeo, illius decisionem tibi committens, qui infallibiliter judicas : juxta illud Apostoli ad Romanos (*Rom.* ii, 2.), Scimus quoniam judicium Dei secundum veritatem est. Ipse etenim ait (*Ibid.* xii, 19.) : Mihi vindictam, et ego retribuam.

Cantate Domino, gratias referendo ; *lau-* 13
date Dominum, ejus bonitatem, æquitatem, virtuosaque opera extollendo, *quia liberavit animam pauperis,* utpote Jeremiæ humilis ac egeni, *de manu malorum,* utpote infidelium Judæorum. Invitat Jeremias universos ut gratias referant Deo, eo quod se jam vicissim eripuit, et post sæpius erepturus fuit de suppliciis persecutorum suorum, secundum quod Deus re-

velavit eidem. Denique Deus piissimus A
specialiter pauperum est adjutor, et inju-
riarum eorum terribilis ultor, juxta illud
Ps. x, 14, sec. Hebr. in Psalmo : Tibi derelictus est pauper : et
Ps. xxxiii, 7. rursus, Iste pauper clamavit, et Dominus
exaudivit eum. De quo beatissimus Isaias
gratias referens Deo sublimi et benedicto,
Is. xxv, 1, 4. ait : Exaltabo te, Domine, et confitebor
nomini tuo, quia factus es fortitudo pau-
peri et egeno in tribulatione sua.

Quæ autem sequuntur, eo majorem ex-
positionem requirunt, quo prima facie
14 mirabilius sonant. *Maledicta dies in qua* B
natus sum; dies in qua peperit me mater
15 *mea, non sit benedicta. Maledictus vir qui*
annuntiavit patri meo, dicens : Natus est
tibi puer masculus, etc. His simile est,
Job iii, 1-4, 8, 10, 11. quod in Job scriptum est : Aperuit Job os
suum, et maledixit diei suo, et dixit : Per-
eat dies in qua natus sum, et nox in qua
dictum est, Conceptus est homo. Dies illa
vertatur in tenebras. Maledicant ei qui ma-
ledicunt diei, qui parati sunt suscitare Le-
viathan, quia non conclusit ostia ventris
qui portavit me. Quare non in vulva mor- C
tuus sum? egressus ex utero non statim
perii? Hæc et cetera verba Job, dicit B. Gre-
gorius non posse ad litteram accipi : pri-
mo, quoniam videntur verba hominis pe-
nitus impatientis ac desperantis; secundo,
quoniam irrationabiliter sonant, impossibi-
litatemque continent. Quomodo enim dies
nativitatis jam diu elapsa, posset perire,
aut verti in tenebras, quum eadem redire
non possit, præsertim quum sit de genere
successivorum? Hinc, secundum Grego-
rium, sanctus Job parabolice et ænigma- D
tice loquitur. Unde quarto Moralium ait
Gregorius : Quid enim debet per diem na-
tivitatis, nisi omne hoc tempus nostræ
mortalitatis intelligi? quod quamdiu nos
in hac nostræ mortalitatis corruptione reti-
net, æternitatis nobis incommutabilitas non
apparet. Qui igitur diem æternitatis jam
fideliter videt, ægre diem suæ mortalitatis
sustinet. Quid est ergo diei nativitatis ma-
ledicere, nisi aperte dicere, Dies mutabili-
tatis pereat, et lumen æternitatis erumpat?

Porro, si verba Job ad litteram stare non
possunt, ergo nec Jeremiæ, imo et verba
Jeremiæ minus quam verba Job. Job enim
non maledixit nisi diei et nocti; Jeremias
etiam homini qui beatitudinis capax est,
maledicit, et ut apparet, sine causa. Quid
enim homo ille peccavit, nativitatem Je-
remiæ suo patri narrando?

Insuper, quod mirabilius sonat, adjecit :
Sit homo ille ut sunt civitates quas sub- 16
vertit Dominus, etc., *qui non me interfecit* 17
a vulva, ut fieret mihi mater mea sepul-
crum, et vulva ejus conceptus æternus.
Quare de vulva egressus sum, ut viderem 18
laborem et dolorem, et consumerentur in
confusione dies mei? Quid prima facie mi-
rabilius sonat? Quis namque potuit in-
fantem sine peccato mortali occidere? Et
cur quis maledicitur, eo quod prætermisit
quod sine gravissimo scelere perpetrare
non potuit? Postremo, quæ est ista pati-
entia, malle non esse natum, quam mala
hujus sæculi sustinere?

Itaque pro explanatione horum verbo-
rum, primo videndum quid circa hunc
locum sanctus scribat Hieronymus. Ait
enim : Verba Job huic Jeremiæ testimonio
coaptamus, quod scilicet melius sit non
esse, quam vivere in suppliciis, juxta illud
quod scriptum est in Job : Quare data est Job iii, 2
misero lux, et vita his qui in amaritudine
animæ sunt? Et in Evangelio : Melius fu- Marc. xi
erat illi, si natus non esset homo ille. Non 21.
quod sit qui natus non fuerit, sed quod
melius sit non esse, quam male esse. Unde
et Jacob eo quod vixerat in labore et an-
gustia, dies suos parvos et malos appel- Gen. xlv
lat. Verum his verbis objici posset, quod 9.
quum mala pœnæ, scilicet tribulationes
vitæ præsentis, cooperentur electis ad ma- Rom. vi
xima bona, videlicet ad incrementum gra- 28.
tiæ in via, atque ad incrementum gloriæ
in patria, ad præteritorum quoque pecca-
torum emundationem : non est absolute
loquendo, melius non esse, quam esse in
suppliciis vitæ præsentis, aut etiam pur-
gatorii. Præterea, quum patientia sit vir-
tus moralis passionem tristitiæ moderans

ac refrenans, ad virtuosum pertinet propter adversa non immoderanter contristari (præsertim quum Salomon dicat, Non contristabit justum quidquid ei acciderit), imo potius de eis gaudere, quemadmodum Jacobus loquitur, Omne gaudium existimate, fratres, quum in diversas tentationes incideritis; Christusque in Evangelio, Gaudete in illa die et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

Prov. XII, 21. *Jacob.* I, 2. *Matth.* V, 12; *Luc.* VI, 23.

Hinc ergo S. Thomas super Job, expositionem S. Hieronymi quasi resolvens atque perficiens, ait quod aliquid sit contristabile ac fugibile, consideratum secundum se, quod tamen acceptabile est et amabile, relatum ad finem : sicut medicina amara, et secari et uri. Referre autem aliquid ad finem, non est sensitivæ partis, sed rationis. Unde si quis de potione amara vel secatione loqueretur secundum sensitivam partem, diceret eam duram ac fugiendam; si vero secundum rationem, diceret eam bonam et appetendam. Similiter ipsum esse et vivere, quamvis sit secundum se amabile ac delectabile, si tamen subditum sit variis afflictionibus, redditur contristabile atque odibile : et hoc, secundum sensitivam animæ portionem, non autem secundum rationem, cujus est cuncta adversa pro Dei honore futuræque felicitatis amore æquanimiter ferre. Beatus itaque Job volens simpliciter enuntiare dispositionem suæ sensitivæ partis, miserias in quibus erat abhorrescentis, principio suæ vitæ ejusque continuationi maledixit, quamvis secundum rationem, per virtutem patientiæ illas acceptarat miserias. Quemadmodum Christus apud Matthæum dixit, Tristis est anima mea usque ad mortem; et, Transeat a me calix iste : volens exprimere dispositionem suæ animæ secundum partem ipsius sensitivam. Eodem modo nunc dicendum de Jeremia, quod scilicet omnia verba hic posita, dicit ad insinuandum magnitudinem suæ afflictionis, et quantum pars sensitiva infestationes illas abhorruit.

Matth. XVI, 38. *Ibid.* 39.

Hanc quoque Thomæ explanationem sequitur Lyra hoc loco, quamvis eamdem A super Job notet * insufficienter. Scribit namque hoc passu : Verba Jeremiæ non sunt impatientis, sed exprimentis horrorem sensualitatis respectu mali imminentis, quod tamen secundum rationem patienter portavit.

* *alias* insufficientiæ notet

Eritque sensus : *Maledicta dies in qua natus sum,* id est, si sensualitatis imitarer horrorem, maledicerem diei ortus mei, sicut et hi qui se ipsos propter adversa illata aut imminentia perimunt. Pari modo adjecit : *Maledictus vir qui annuntiavit patri meo, dicens, Natus est tibi puer;* et maledictus *qui non me interfecit a vulva,* id est ante egressum de ea, *ut fieret mihi mater mea sepulcrum,* ita quod de ejus utero nunquam exirem, *et vulva ejus, conceptus æternus,* id est, sic essem per genitale maternum conceptus, quod nunquam prodissem ad ortum. *Sit homo ille ut sunt civitates quas subvertit Dominus, et non pœnituit eum,* id est, irreparabiliter pereat, quemadmodum Sodoma et Gomorrha, de quarum subversione Deus nunquam pœnitere se ostendit, quoniam eas non reparavit. *Audiat clamorem mane, et ululatum in tempore meridiano,* id est, etiam in præsenti continuis terroribus affligatur ululatu ac strepitu. Hoc est, tantis calamitatibus premor, quod si sensualitatem sectarer, et mala quibus circumdor, secundum se considerarem, præfato modo maledicerem istis. Pariformiter intelligendum quod subditur : *Quare de vulva egressus sum, ut viderem,* id est, sentirem atque pœnaliter experirer, *laborem et dolorem,* *et consumerentur in confusione dies mei,* id est, tempus vitæ meæ in præmemoratis irrisionibus, subsannationibus, confusionibus mihi ab adversariis meis illatis, expenderem? Quibus verbis pandit Propheta, quanta sustinuerit mala. Secundum hunc modum etiam Salomon ait in Ecclesiaste : Vidi calumnias quæ fiunt sub sole, et laudavi magis mortuos quam viventes, et feliciorem utroque judicavi qui necdum natus est, nec vidit mala quæ fiunt sub sole.

Eccle. IV, 1-3.

Præterea aliqui asserunt, quod Jeremias dixit hæc verba ex subita mentis turbatione, scripsit tamen ea ex deliberatione, ne desperemus, si vicissim gravi turbatione, aut irrefrenata locutione lapsi fuerimus. Postremo, mihi apparet quod totus hic locus exponi potest per modum hyperbolicæ locutionis, qua aliquid dicitur per excessum, non quod loquens sic asserat vel intendat, sicut verba ejus prima facie sonant, sed quoniam magnitudinem rei vel suæ affectionis aliter nequit tam convenienter exprimere : ut in Joanne legitur :
Joann. XXI, 25. Multa alia fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum mundum arbitror posse capere eos qui scribendi sunt libros. Quo enim viri virtutum præsentis vitæ mala vitiosa atque pœnalia profundius pensant, futuræque vitæ pacem et gloriam magis perpendunt, eo plus attædiantur de vita præsenti.

Potest autem circa prædicta moveri hæc quæstio. Nam, teste Apostolo, Quæcumque *Rom.* XV, 4.
scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Quomodo ergo viri sancti verba ista maledictoria protulerunt, in quibus potius scandalizari quam doceri videmur? Et respondendum, quod utique ex verbis præfatis documenta saluberrima sumere possumus : primo scilicet, quanta electi Dei in sæculo isto perpessi sunt ; secundo, quod vita sæculi hujus non sit immoderantius appetenda, in qua tot calamitates occurrunt, totque peccata commaculant ; tertio, quod hominibus virtuosis non semper æqualiter adest consolatio illa exuberans Spiritus Sancti, sed sæpe dispensative subtrahitur.

ARTICULUS XXXV

DE MYSTICO EJUSDEM CAPITULI VICESIMI INTELLECTU.

PER Phassur pontificem Judæorum, qui Phassur os nigredinis interpretatur, intelliguntur principes et prælati Ecclesiæ sua potestate abutentes, in quibus est os per auctoritatem loquendi, et nigredo per libertatem, consuetudinem, audaciamque peccandi. Eo quippe licentius sive audacius peccant, quanto magis impune. Qui tanto horribiliori ac duriori judicio judicabuntur a Deo, quanto nunc minus judicantur, reprehenduntur, ac puniuntur ab homine. Quemadmodum igitur Phassur percussit, in imoque posuit Jeremiam, quia verbum Dei sine alicujus palpatione prædicavit, corripiens impios, et tormenta eorum prædicens ; ita nunc multi superiores cædunt aut persequuntur hos qui eis verbum veritatis liquido prædicant. Ideo in
Prov. XV, 12; XXIX, 27. Proverbiis Salomon protestatur : Non amat pestilens eum qui se corripit, et abominantur impii justum. Denique istis justorum persecutoribus tanta imminet clades, pœna ac vastitas, saltem in morte et post mortem, quod pristinum nomen recte dicuntur amittere, et pavor undique appellantur. Quibus eveniet illud in libro Job :
Propter iniquitatem tuam circumdatus es *Job* XXII, 10.
laqueis, et conturbat te formido subita.

Unde Dominus ait ad eos : *Ecce dabo te* 4
in pavorem, te et omnes amicos tuos, id
est, horribiliter vos damnabo ; *et corruent*
gladio inimicorum suorum. Nunc enim
quotidie ruunt peccando, et spiritualiter
occiduntur gladio diabolicæ tentationis, de-
inde torquebuntur ab eis in inferis. *Et*
omnem Judam dabo in manus regis Ba-
bylonis, id est principis totius confusio-
nis, puta diaboli, cui traduntur qui inju-
stis principibus et prælatis conformantur
in vitiis. *Tu autem, Phassur, et omnes ha-* 6

bitatores domus tuæ, id est tu, prælate et A
princeps injuste, cum universis tibi mi-
nistrantibus, cohabitantibus, consentienti-
busque in malo, *ibitis in captivitatem :*
quia nunc vinculis dæmonum constrin-
guntur, et servi sunt impietatis, dicente
I *Tim.* II, Apostolo ad Timotheum : Resipiscant a
laqueis diaboli, a quo captivi tenentur ad
ipsius voluntatem. Deinde in tartarei car-
ceris captivitatem trahentur, secundum il-
Is. XXIV, lud Isaiæ : Visitabit Dominus super mili-
, 22. tiam cœli in excelso, et super reges terræ,
et congregabuntur in congregatione unius B
fascis in lacum, et claudentur ibi in car-
cere. *Et in Babylonem,* id est in confu-
ob X, 22. sionem vitiorum, et in infernum, ubi um-
bra mortis et nullus ordo, *venies, et ibi*
morieris morte miseriæ æternalis, quæ est
mors secunda, juxta illud Apocalypsis :
poc. XXI, Pars illorum erit in stagno ardenti igne et
sulfure, quod est mors secunda : cui oppo-
nitur vita gloriæ. *Ibique sepelieris :* sicut
uc. XVI, 22. mortuus est dives, et sepultus est in infer-
no; *et omnes amici tui, quibus prophetasti*
mendacium. Prophetant nempe mendaci- C
um, qui subditis suis seu proximis ni-
mium de divina misericordia blandiuntur,
et vana securitate eos resolvunt ac fallunt.

7 *Seduxisti me, Domine, et seductus sum.*
Beati qui bona seductione seducuntur a
Deo, et quasi contra proprium velle indu-
cuntur ad opera virtuosa : qui etiam dicere
habent : *Fortior fuisti, et invaluisti.* Non
enim ignoramus qualiter interdum non-
nulli quasi reluctari nituntur contra Spi-
ritus Sancti instinctum, quo inclinantur ad
mundi contemptum, vel religionis ingres- D
sum ; sed prævalet Spiritus Sanctus, et
ipsi salubriter superantur.

Factus sum in derisum tota die. Sic-
ut frequenter jam patuit, Jeremias verbis
suis, factis, ac persecutionibus præfigura-
vit apertissime Christum. Hinc multa eo-
rum quæ nunc dicit, competunt Christo,
s. XXI, 8. qui ait in Psalmo : Omnes videntes me,
deriserunt me. *Omnes subsannant me :*
s. LXVIII, juxta illud, In me psallebant qui bibebant
. LII, 14. vinum. Isaias quoque ait : Inglorius erit

inter viros adspectus ejus. *Quia jam lo-* 8
quor vociferans iniquitatem, id est, Judæ-
orum peccata redarguens, sicut in Evan-
gelio recitatur ; *et vastitatem clamito,*
dicens Judæis, Relinquetur vobis domus *Matth.*
vestra deserta; et iterum dicens cum fletu, XXIII, 38.
Circumdabunt te inimici tui undique. Hinc *Luc.* XIX,
enim persecuti sunt Christum, quemadmo- 43.
dum in libro Sapientiæ habetur : Dixerunt *Sap.* II, 1,
impii : Circumveniamus justum, quoniam 12. 13.
contrarius est operibus nostris, et impro-
perat nobis peccata legis. Promittit se sci-
entiam Dei habere, et Filium Dei se no-
minat. *Et factus est mihi sermo Domini*
in opprobrium et in derisum tota die. Hoc
est quod loquitur Christus ad Patrem in
Psalmo : Quoniam propter te sustinui op- *Ps.* LXVIII, 8.
probrium.

Et dixi : Non recordabor ejus, neque lo- 9
quar ultra in nomine ejus. Istud non com-
petit proprie Christo ; sed membris ejus
interdum contingit hæc dicere, quando vi-
delicet viri spirituales vident se prædi-
cando nihil proficere, imo econtrario ab
auditoribus minas, irrisiones aut oblocu-
tiones, vel ictus recipere : tunc enim quan-
doque proponunt a prædicatione cessare,
hoc est non recordari nominis Dei ad ali-
os, neque in nomine Dei ipsis sermocinari.
Sed nonnunquam subito accenduntur a
Spiritu Sancto ad prædicandum, ita quod
zelo Dei caritateque proximorum succen-
si, tacere non queant. Et tunc dicere pos-
sunt quod subditur : *Et factus est in corde*
meo quasi ignis exæstuans, claususque in
ossibus meis; et defeci, ferre non susti-
nens. Hoc dicant, quibus et illud Psalmi
contingit : Concaluit cor meum intra me, *Ps.* XXXVIII,
et in meditatione mea exardescet ignis. 4.
Hinc in Proverbiis legitur : Omnis sermo *Prov.* XXX,
Dei ignitus ; et in Psalmo, Ignitum elo- 5. *Ps.* CXVIII,
quium tuum vehementer. Quid enim sunt 140.
verba Dei, nisi scintillæ Spiritus Sancti,
qui est ignis et ardentissimus amor? Væ
igitur his qui frigido corde verba Dei pro-
ferunt, cogitant sive suscipiunt. Nonne ser-
mo Dei in pectore S. Ephrem arsit ut
ignis, qui abundantiam gratiarum sibi de-

super influentium ferre non valens, clamavit ad Dominum, Contine undas gratiæ tuæ? O quoties talia contigerunt amantissimis Dei pueris, Bernardo, Francisco, multisque aliis, ita ut munificentiam cœlestis influxionis ferre nequaquam valentes, laberentur in ecstasim et stuporem, totiusque corporis obrigescentiam et defectum !

10 *Audivi enim contumelias multorum, et terrorem in circuitu, Persequimini, et persequamur eum : ab omnibus viris qui erant pacifici mei, et custodientes latus meum.* Hæc Christo multo plenius quam Jeremiæ conveniunt. Christus equidem ait in Psal-
Ps. xxx, 12-14. mo : Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis valde. Factus sum tanquam vas perditum, quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu ; in eo dum convenirent simul adversum me, accipere ani-
Ps. lxx, 10, 11. mam meam consiliati sunt. Itemque : Quia dixerunt inimici mei mihi, et qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum, dicentes : Deus dereliquit eum, persequimini et comprehendite eum, quia non est qui eripiat. *Si quo modo decipiatur, et prævaleamus adversus eum.* Voluerunt namque decipere Christum, dicen-
Matth. xxii, 16 do : Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo, etc. Unde in libro Sapien-
Sap. ii, 16-18. tiæ inter se dicunt : Gloriatur se Deum Patrem habere ; videamus ergo si sermones illius veri sint, et tentemus quæ ventura sunt illi. Si enim est verus filius Dei, suscipiet illum, et liberabit illum de manibus contrariorum.

11 *Dominus autem mecum est quasi bella-*
Joann. viii, 29. *tor fortis.* Hoc est quod ait in Joanne : Non reliquit me Pater solum, quia ego quæ placita sunt ei, facio semper; atque in
Ps. xxi, 20. Psalmo : Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me; ad defensionem meam conspice. *Idcirco qui persequuntur*

A *me, cadent, et infirmi erunt.* Hoc non oportet exponere, quum ineffabilem Judæorum miseriam ac ruinam, quam post Christi passionem inciderunt, et usque in præsens patiuntur, videamus ad oculum. *Confundentur vehementer,* quando videbunt in Joann. xix, 37.
quem transfixerunt, *quia non intellexerunt opprobrium sempiternum,* videlicet infernale supplicium, quod Christus eis frequenter prædixit. De quo opprobrio scriptum est : Multi de his qui dormiunt in Dan. xii, 2
terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam B æternam, alii in opprobrium, ut videant semper. *Et tu, Domine, videam, quæso,* 12
ultionem tuam ex eis. Hoc est quod ait in Psalmo : Tu autem, Domine, resuscita me, Ps. xl, 11
et retribuam eis; in Isaia quoque, Dies ul- Is. lxiii, 4
tionis in corde meo. Non ex ira et impatientia, sed ex vera justitia loquitur hæc Salvator : quod utique ei incumbit et competit, quum ipse constitutus sit omnium Act. x, 42
judex. *Cantate Domino, quia liberavit ani-* 13
mam pauperis de manu malorum. Hinc et in Psalmo loquitur Christus de se ipso : C Confitebor Domino nimis in ore meo, et in Ps. cviii, 30, 31.
medio multorum laudabo eum, quia adstitit a dextris pauperis, ut salvam faceret a persequentibus animam meam.

Postremo omnia ista ab illo loco, Factus vers. 7.
sum in derisum tota die, omnes subsannant me, exponi possunt de Christi discipulis, verbum Dei prædicantibus, et propter justitiam multa perpessis, quibus ipse prædixit : Eritis odio omnibus hominibus Luc. xxi, 17.
propter nomen meum; et denuo, Trade- Ibid. 16.
mini, inquit, a parentibus, et fratribus, et D cognatis, et amicis, et morte afficient ex vobis. Gravius autem est, a talibus tam propinquis et caris, quam ab extraneis, pati. Quum vero a fratribus et proximis nostris, diversis pulsamur injuriis, dicamus cum humili fiducia, menteque hilari, quod ait Propheta : Dominus mecum est quasi bellator fortis, etc.

ARTICULUS XXXVI

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI PRIMI : VERBUM QUOD FACTUM EST AD JEREMIAM A DOMINO.

1 VERBUM *quod factum est ad Jerem-* A
iam a Domino, quando misit ad eum
rex Sedecias Phassur filium Melchiæ :
unde iste est alius ab illo de quo in præ-
cedentis capituli dicebatur principio ; *et*
Sophoniam filium Maasiæ sacerdotem, di-
2 *cens : Interroga pro nobis Dominum, quia*
Nabuchodonosor rex Babylonis præliatur
adversum nos. Ex quo patet, quod tempo-
re hujus legationis, ipsa Jerusalem jam a
Chaldæis fuit obsessa. *Si forte faciat Do-*
minus nobiscum, merito orationum tua-
rum, *secundum omnia mirabilia sua,* id B
est gratiose atque magnifice, miraculose
V Reg. XIX, 5. nobis subveniendo : sicut subvenit Eze-
chiæ regi contra regem Assyriorum, et
Exod. VII-XII; *Josue* II. filiis Israel contra regem Ægypti, et contra
Sehon et Og, regesque Chanaan ; *et recedat*
a nobis, exeundo Judæam virtute divi-
V Reg XIX, 5. na, sicut rex Assyriorum, visa Dei plaga,
fugit a regione Judææ, ut habetur quarto
Regum.
3 *Et dixit Jeremias ad eos.* Ex quibus ap-
paret, quod jam sermo Dei super hac quæ-
stione factus fuit ad Jeremiam, antequam C
nuntii isti accederent ad eum, quemadmo-
dum aliis Prophetis sæpius palam est con-
4 tigisse. *Sic dicetis Sedeciæ : Hæc dicit Do-*
minus Deus Israel : Ecce ego convertam, id
est, a vobis ad vestros æmulos vertam,
vasa belli, id est bellica arma, *quæ in ma-*
nibus vestris sunt, et quibus vos pugna-
tis adversum regem Babylonis, et contra
Chaldæos qui obsident vos. Dictum est au-
tem, quod juxta morem Hebræi sermonis,
omnia alicujus rei instrumenta, vocantur
vasa : ideo arma dicuntur vasa belli. *Et* D
congregabo ea, videlicet arma hæc, vel,
eos, puta Chaldæos, *in medio civitatis hu-*
5 *jus* Jerusalem. *Et debellabo ego vos in ma-*
nu extenta, id est potestate mea ad actum
deducta, *et in brachio forti,* id est virtute
insuperabili, *et in furore, et in indigna-*
tione, et in ira grandi, id est cum terribi-
li ultione, et zelo æquitatis pavendo, non
solum gladio Chaldæorum, sed insuper fa-
me ac peste vos occidendo. Ideo sequitur :
Et percutiam habitatores civitatis hujus. 6
Homines et bestiæ pestilentia magna mo-
rientur.
Et post hæc, ait Dominus, dabo Se- 7
deciam regem Juda, et servos ejus, et
populum ejus, et qui derelicti sunt, id est,
qui relicti atque residui tunc adhuc fue-
rint, *in civitate hac a peste et gladio et*
fame, ita quod plagis istis non interierint,
in manu Nabuchodonosor regis Babylonis,
et in manu inimicorum, etc., scilicet Chal-
dæorum ; *et percutiet eos in ore gladii, et*
non flectetur a rigore ad pietatem, *neque*
parcet, neque miserebitur Judæorum isto-
rum ac regis eorum. Capta enim Jerusa-
lem, Sedecias cum suis militibus ac mini- IV *Reg.* XXV, 4-7.
stris fugit ab urbe per viam occultam ; sed
a Chaldæis comprehensus fuit, atque ad
regem Babylonis deductus, qui filios Sede-
ciæ et nobiles ejus occidit, et Sedeciam
oculis spoliatum duxit in Babylonem :
quod infra clarius scribitur.
Deinde Dominus præcipit Jeremiæ : *Et ad* 8
populum hunc, scilicet habitatores Jerusa-
lem, *dices : Hæc dicit Dominus : Ecce ego*
do coram vobis viam vitæ et viam mortis,
id est, medium conservandi vitam corpora-
lem, medium quoque seu modum perden-
di eam, vestræ libertati propono, ut eligatis
quod placeat, nec me postea crudelitatis
arguatis. Ecce in omnibus redolet dulce-
do divinæ clementiæ, quæ tot modis con-
sulit miseris. *Qui habitaverit,* id est man- 9

serit, *in urbe hac, morietur gladio, et* A
fame, et peste, id est aliqua harum plaga-
rum; *qui autem egressus fuerit, et trans-*
fugerit ad Chaldæos qui obsident vos,
vivet, et erit ei anima sua quasi spolium,
id est, a Chaldæis relinquetur in vita, et
de evasione animæ suæ lætabitur, sicut
qui rapuit prædam. Nam et animam suam
sic de pœna extrahet de numero occiden-
dorum, sicut extrahitur spolium de sorte
10 alienorum. *Posui enim faciem meam,* id
est æquitatis meæ adspectum, et sapientiæ
oculum, *super civitatem hanc in malum* B
pœnæ, *et non in bonum* veniæ, id est, ju-
stitiam meam exercebo in ea. *In manu*
regis Babylonis dabitur, et exuret eam
igni. His verbis ostenditur Jeremiæ for-
titudo atque constantia, quod non solum
regi dejectionem suam prædicit, sed et po-
pulo ejus consulit ad alium regem trans-
fugere contra proprii regis decretum.
11 [*Et domui regis Juda :*] *Audite verbum*
12 *Domini, domus David,* id est, regalis pro-
genies, scilicet rex et ejus cognati, qui
estis præcipua causa malorum ruinæque C
populi. *Hæc dicit Dominus : Judicate ma-*
ne judicium, id est, justum judicium fa-
cite manifeste et in luce veritatis atque
celeriter. Vel ad litteram, Mane, id est tem-
pore sobrietatis : quoniam ante cibum et
potum aptior est ratio ad judicandum.
Eccle. x, 16. Propter quod ait Scriptura : Væ tibi, terra
cujus rex puer est, et cujus principes ma-
ne comedunt. *Et eruite vi oppressum de*
manu calumniatoris, id est, eos qui a
potentioribus violentiam patiuntur, eripi-
te, et satisfieri eis jubete, *ne forte egre-* D
diatur ut ignis indignatio mea, id est,
effectus justitiæ meæ dire contra vos sæ-
viat, *et succendatur,* id est, actualiter in-
fligatur, *et non sit qui exstinguat,* ante
vestram afflictionem et consumptionem,
propter malitiam studiorum vestrorum.
Incredibilis hoc loco, secundum Hierony-
mum, Dei clementia demonstratur, ut de
quibus jam paulo ante dixit, Posui faciem
meam super civitatem hanc in malum, et
non in bonum; jam ingruente sententia,
eos provocet ad salutem : non quod igno-
ret urbem capiendam, sed quo proprium
homini servetur arbitrium, ut non igno-
rantia futuri, sed propria voluntate perire
videantur : quemadmodum et Salvator sci-
ebat Judæos ipsum negaturos ac crucifi-
xuros, nihilo minus ad pœnitentiam eos
commonebat, ut quidquid postea sustine-
rent, suo vitio, non duritia comminantis,
eis accideret.
Ecce ego ad te habitatricem vallis soli- 13
dæ atque campestris, ait Dominus, id est,
ad te puniendam, o plebs Judaica, venio,
quæ in Jerusalem habitas civitate, sita in
solida valle pro parte, et loco campestri ac
montuoso pro alia parte. Nam templum
regisque palatium erant in monte. Deinde
habitatricem istam pluraliter exprimit, ad
insinuandum quod per eam intelligantur
habitatores Jerusalem. *Qui dicitis : Quis*
percutiet nos ? et quis ingredietur domus
nostras ? Quia enim Jerusalem clausa fuit
triplici muro, putabant Chaldæos urbem
superare non posse, nec ingressuros do-
mus eorum. *Et visitabo,* id est, pœnam 14
inducam, *super vos juxta fructum studio-*
rum, id est merita desideriorum operum-
que *vestrorum, dicit Dominus; et succen-*
dam ignem in saltu ejus, id est, domum III *Reg.* vii, 2.
Saltus Libani a Salomone constructam, per
Chaldæos comburam, *et devorabit omnia*
in circuitu ejus, id est habitacula cetera
in ejus circuitu collocata. Vel, secundum
Hieronymum, saltum vocat Jerusalem, et
omnem Judææ regionem, in qua homines
infructuosi fuerunt, quemadmodum sal-
tus vocatur multitudo arborum infructuo-
sarum.

Insuper, quod Sedecias rex in angustiis Sensus moralis. 1
positus, hostibusque vallatus, mittit et
quærit a Propheta suffragium, quem ante
despexit, hoc signat quod multi insipien-
tes et intimorati, tempore securitatis ac
pacis carnalis despiciunt spiritualium vi-
rorum comminationes, nec adhibent curam
se emendandi, quidquid eis prænuntietur;
verum imminente jam clade, vastitate, aut

morte, quærunt consilium, petunt suffra- A
gium, emendationem promittunt, neces-
sitate potius quam caritate ac devotione.
Idcirco, sicut rex Juda dabatur cum suis
in manu regis Babylonis, sic isti traduntur
invisibilibus hostibus, et pereunt in æter-
13 num. *Ecce ego ad te habitatricem vallis so-*
lidæ, id est contra te, plebs christiana, in
Ecclesia peregrinante nunc habitans, quæ
in propriis viribus meritisve confidis, vel
de exterioribus bonis ac potestate terrena
te jactas, quasi superari non possis, nec
divinum formidas judicium. Ideo super te 14
visitabo, teque tanto terribilius condem-
nabo, quanto beneficiis meis magis abusa
es. *Et succendam ignem in saltu ejus,* id
est in congregatione hominum fructum
virtutum non habentium, igni damnationis
æternæ eam injiciens. Unde ait Baptista :
Jam securis ad radicem arboris posita est; *Matth.* III, 10.
omnis ergo arbor quæ non facit fructum
bonum, succidetur, et in ignem mittetur.

ARTICULUS XXXVII

ELUCIDATIO CAPITULI VICESIMI SECUNDI : HÆC DICIT DOMINUS :
DESCENDE IN DOMUM REGIS JUDA.

PRÆCEDENTI capitulo scripsit Jeremias B
nuntios regis missos ad se ad interro-
gandum Dominum; nunc perhibet se mis-
sum a Deo ad regem præfatum, ut plenius
eum instruat quomodo posset hostium
1 manus evadere. *Hæc dicit Dominus* ad
me Jeremiam : *Descende in domum regis*
Juda, scilicet Sedeciæ, secundum Hierony-
2 mum, *et loqueris ibi verbum hoc, et dices :*
Audi verbum Domini, rex Juda, qui sedes
super solium David, id est, ejus vice po-
testateque fungeris, *tu et servi tui et po-*
*pulus tuus, qui ingrediuntur** *per portas* C
istas palatii, vel templi prope palatium
siti.

* *ingrediemini*

3 *Hæc dicit Dominus : Facite judicium*
et justitiam, recte judicando et juste vi-
vendo, atque unicuique quod suum est
tribuendo, *et liberate vi oppressum,* id est
violentiam passum, *de manu calumniato-*
ris, calumniatorem etiam compellendo, ut
satisfaciat sic a se oppresso. Hæc potissime
spectant ad regem et judicem, qui esse
debet quasi animata justitia, et pauperum
indigentiumque refugium. *Et advenam et* D
pupillum et viduam nolite contristare, ni-
si justitia id exigeret propter eorum exces-
sum, juxta illud Levitici : Juste judicabis, *Lev.* XIX, 15.
nec consideres personam pauperis, neque
honores vultum potentis; *neque opprima-*
tis inique. Imo istis personis specialiter a
majoribus impendenda est consolatio, sub-
ventio atque protectio, quanto minus hu-
mano fulciuntur solatio. De his, quia su-
perius diffusius elucidata sunt, pertranseo.
Et sanguinem innocentem ne effundatis
in loco isto, scilicet in Jerusalem, imo ne-
que alicubi. *Si enim facientes feceritis* 4
verbum istud, id est, verba jam dicta im-
pleveritis (ponitur enim singulare pro plu-
rali), *ingredientur per portas domus hu-*
jus, puta palatii regis, *reges sedentes de*
genere David super thronum ejus, et as-
cendentes currus et equos, ipsi et servi et
populus eorum : id est, successio regia et
principatus stirpis Davidicæ non cessabit,
nec Jerusalem destruetur.

His verbis datur responsio rationabilis
valde regi Sedeciæ, qui in præcedentis ca-
pituli exordio misisse legitur ad Jerem- *Jer.* XXI, 1, 2.
iam, ut interrogaret Dominum an faceret
cum populo suo nunc secundum omnia
mirabilia sua : cui Dominus optimum con-
silium donat, ut scilicet ipse in primis et

sui palatii principes ac ministri, deinde A
populus, vitam corrigerent, et tunc divino
IV *Reg.* XIX. protegerentur auxilio, sicut Ezechias rex
sanctus.
5 *Quod si non audieritis verba hæc* auri-
bus corporis et animæ, *in memetipso jura-
vi,* id est, in me firmiter statui, nec alium
magis idoneum veritatis testem quam me
ipsum adhibere potui, *dicit Dominus, quia
in solitudinem erit domus hæc,* id est, a
6 Chaldæis funditus destruetur. *Quia hæc di-
* alias *domum* *cit Dominus super solium * regis Juda,* id
est de throno atque palatio regis præfati : B
Galaad, tu mihi caput Libani. Quia jam
præmissum est, Hæc dicit Dominus super
solium regis Juda; statimque subditur, Ga-
laad, tu mihi caput Libani : certum est
hoc loco per Galaad intelligi regiam di-
gnitatem ac stirpem, quæ dicitur caput
Libani, id est Judaici regni, instar montis
Libani in excelso locati, seu divinitus su-
blimati ac decorati; vel, Libani, id est
Zach. XI, 1. templi, de quo loquitur Zacharias : Aperi,
Libane, portas tuas. Galaad autem proprie
nomen est terræ quam possedit ultra Jor- C
danem media tribus Manasse, sicut in libro
Num. XXXII, 40. Numerorum Moyses scribit. Vel nomen est
Gen. XXXI, 23. montis, unde in Genesi legitur, quod La-
ban comprehendit Jacob in monte Galaad.
Libanus quoque mons est altus et pul-
cher, consitus cedris : quo nomine propter
similitudinem, templum vel urbs Jerusa-
lem, aut regnum Juda exprimi solet. Gala-
ad vero, secundum Hieronymum, est caput
seu principium Libani ; et aliqui asse-
runt quod sit monticulus in Libani montis
summitate exsistens, et per modum capitis D
se illico habens : propter quod nunc re-
giam domum significat. Denique supra per
Galaad, designatur templum vel Synago-
Jer. VIII, 22. ga, quum dicitur, Numquid resina non est
in Galaad? propter rationem ibi expres-
sam. *Si non posuero te* in *solitudinem,
urbes inhabitabiles,* id est, imo utique per
Chaldæos te destruam, tuasque urbes de-
moliar.
7 *Et sanctificabo,* id est, ad declarationem
et exsecutionem sanctitatis atque justitiæ
meæ ordinabo seu præparabo, *super te
interficientem,* id est regem Babylonis et
ejus exercitum, *currum *,* id est quadri- * alias vi*rum*
gas, *et arma ejus :* quæ sancta vel sancti-
ficata dicuntur, quia per ea divina sen-
tentia contra Judæos est consummata sive
impleta. *Et succident electas cedros tuas,*
id est, potentes ac nobiles instar cedro-
rum eminentes occident, *et præcipitabunt
in ignem,* id est, maximæ tribulationi eos
immittent. *Et pertransibunt gentes multæ* 8
per civitatem hanc, post ejus destructio-
nem, id est per spatium in quo civitas ste-
tit. *Et dicet unusquisque proximo suo :
Quare fecit Dominus sic civitati huic gran-
di,* id est, quæ magna fuit, et nunc tam di-
re destructa est? *Et respondebunt : Eo quod* 9
dereliquerint pactum Domini Dei sui, id
est, legem divinam transgressi sint, *et ad-
oraverint deos alienos, et servierint eis.*
Nolite flere mortuum, neque lugeatis 10
*super eum fletu. Plangite eum qui egre-
ditur, quia non revertetur ultra.* Quem-
admodum quarto Regum habetur, Josias
rex Juda tres habuit filios. Primus dictus IV *Reg.*
est Joachaz, qui Josiæ successit in regno; XXIII, 30, 31, 33, 34, 36.
quumque mensibus tribus regnasset, vi-
cit, cepit, vinxitque eum Nechao Pharao,
et secum duxit in Ægyptum : qui mortuus
est ibidem. Secundus filius Josiæ fuit Eli-
acim, quem rex præfatus constituit regem
in Jerusalem pro fratre suo in Ægyptum
translato. Et ipsum Eliacim vocavit Joa-
kim, qui undecim annis regnavit. Contra *Ibid.* XXIV, 1.
quem venit Nabuchodonosor, et vallavit
Jerusalem, factusque est ei Joakim tri-
butarius tribus annis. Sed anno quarto
rebellavit, favens regi Ægypti, a quo con-
stitutus est rex : quo cognito, missis Na-
buchodonosor servis suis, fecit eum occi-
di, et extra portas Jerusalem projici, nec
sepeliri. Posuitque filium ejus nomine Jo- *Ibid.* 6.
achin, pro patre suo regem. Verum post *Ibid.* 8, 10, 12, 15.
tres menses venit contra eum, et obsedit
Jerusalem. Propter quod territus iste Joa-
chin, tradidit se manibus regis Nabucho-
donosor, qui duxit eum secum in Babylo-
nem, et mortuus est ibidem. Tertius filius *Ibid.* 17.

Josiæ dictus est Mathathias, quem Nabu-
chodonosor rex posuit regem pro Joachin,
vocans eum Sedeciam. Itaque quod Prophe-
ta nunc ait, Nolite flere mortuum, quidam
exponunt de Joachaz rege in Ægyptum
ducto ac mortuo. Porro quod subditur,
Plangite eum qui egreditur, quidam expo-
nunt de Joachin ducto in Babylonem. Hie-
ronymus autem exponit de Sedecia, qui
tempore prophetiæ hujus cito fuerat ca-
piendus. Unde de futuro loquitur per mo-
Reg. xxv, dum præsentis. Hunc Sedeciam Nabucho-
donosor exoculatum duxit in Babylonem,
et obiit ibi in carcere. *Nec videbit terram*
nativitatis suæ, id est Judæam, quia cæ-
catus ductus est in Chaldæam.

11 *Quia hæc dicit Dominus ad Sellum fi-*
lium Josiæ, regem Juda, qui regnavit pro
Josia patre suo, qui egressus est de loco
isto : Non revertetur huc amplius. Per
Sellum Hieronymus intelligit Sedeciam,
qui regnavit pro Josia, non immediate, sed
mediate, ut patet ex dictis : quem Prophe-
ta dicit egressum de Jerusalem, loquens
de futuro per modum præteriti, juxta mo-
rem propheticum, propter certitudinem
prophetiæ. Alii per Sellum intelligunt Joa-
chin, qui in Babylonem tempore hujus
prophetiæ jam erat translatus. Sellum nam-
que interpretatur consummatio sive com-
pletio. Hinc, teste Hieronymo, Judæi quem-
libet filiorum Josiæ nominant Sellum, quia
in ipsis finitum est regnum Juda. Verum
Hieronymus dicit per Sellum intelligi Se-
deciam, in quo regnum Juda constat fini-
12 tum. *Sed in loco ad quem transtuli eum,*
scilicet in Babylonem, *ibi morietur, et*
terram istam non videbit amplius.

13 *Væ qui ædificat domum suam in in-*
justitia. Istud secundum Hieronymum di-
Ibid. xxiii, citur contra Joakim, quem rex Ægypti
constituit regem : qui Joakim erat cru-
delis, cupidus et superbus : unde ædificia
sumptuosa construxit, idque de bonis in-
juste adeptis, et violenter a populo suo
extortis. *Et cœnacula sua* ædificat *non in*
judicio, id est absque discretione, curiose
ac vitiose ; *amicum suum opprimit** *fru-*
* alias opprimet

A *stra,* id est, amicos suos et subditos irra-
tionabiliter aggravavit, exigendo multa ab
eis, *et mercedem ejus non reddit** *ei,* id
est, sibi servientibus ac operantibus mer-
cedem non dedit, non obstante quod Moy-
ses jussit : Non facies calumniam proximo Lev. xix, 13.
tuo, nec vi opprimes eum ; nec morabitur
opus mercenarii apud te usque mane. *Qui* 14
dicit : Ædificabo mihi domum latam et
cœnacula spatiosa, quasi volens familiam
magnam habere ; *qui aperit sibi fenestras,*
ut jacens in eis, hinc inde irrefrenate cir-
B cumspiciat, *et facit laquearia cedrina,* sci-
licet de lignis pretiosis, *pingitque sinopi-*
de, id est tali colore curioso ornando ea
superflue pro concupiscentia oculorum su-
orum.

* alias reddet

Numquid regnabis ? quasi dicat : Prin- 15
cipatus tuus diuturnus non erit ; *quoniam*
confers te cedro, id est, comparare te ni-
teris patri tuo Josiæ regi mitissimo, in
fama et gloria, vel, ut quidam exponunt,
Salomoni in ædificiorum qualitate. *Pater*
tuus, puta Josias, *numquid non comedit*
C *et bibit, et fecit judicium et justitiam,*
tunc quum bene erat ei ? id est, quum
temporalibus abundavit et prosperabatur,
mei non obliviscebatur, nec mihi displi-
cuit comedendo atque bibendo secundum
regiam dignitatem, quia a justitia non re-
cessit, cunctisque subditis suis justum fe-
cit judicium. *Judicavit causam pauperis* 16
et egeni, non deferens divitibus contra
egenos, *in bonum suum,* id est ad sui ip-
sius magnam salutem. *Numquid non id-*
eo, quia cognovit me ? dicit Dominus, no-
D titia formata et efficaci, quæ procedit ex
fide caritati unita, et sapientiæ dono : quæ
cognitio facit hominem detestari peccata,
et Deum vereri ac revereri. De qua Do-
minus ait in Psalmo : Protegam eum, quo- Ps. xc, 14.
niam cognovit nomen meum. Quam Dei
cognitionem, nemo in peccato exsistens
mortali habet. *Tui vero oculi* interiores, 17
vel etiam exteriores, *et cor,* id est volun-
tas seu affectio tua, diriguntur et tendunt
ad avaritiam, id est divitias temporales
contra justitiam, *et ad sanguinem innocen-*

tem fundendum, ut occisorum opes diri-
III *Reg.* xxi, 19. pias : sicut ad Achab dictum est, Occidisti,
et insuper possedisti ; *et ad calumniam,*
et ad cursum mali operis, id est ad celerem
vitiosorum operum exsecutionem.
Deinde describitur tantæ impietatis de-
18 bita pœna. *Propterea hæc dicit Dominus*
ad Joakim filium Josiæ, regem Juda : Non
plangent eum : Væ, frater, et væ, soror :
id est, a fratribus et sororibus non plan-
getur, dicentibus : Væ nobis quod frater
noster decessit. *Non increpabunt ei : Væ,*
domine, et væ, inclyte : id est, carmen lu-
gubre cum reverentia super ejus morte
non dicent, dicendo : Væ nobis de tua
19 morte, o rex, et vir illustrissime. *Sepultu-*
ra asini sepelietur, id est, more solito non
sepelietur, sed instar cadaveris asini pro-
jicietur in lutum et sterquilinium. Ideo
subditur : *putrefactus et projectus extra*
portas Jerusalem, ita quod inhumatus re-
mansit, et secundum Hieronymum, a be-
stiis avibusque est laceratus. Unde quarto
IV *Reg.* xxiv, 5. Regum legitur cum patribus suis dormis-
se, id est obiisse ; sed de ejus sepultura
ibi tacetur. Aliqui tamen dicunt, quod Ju-
dæi postea impetraverunt a rege Babylo-
nis licentiam sepeliendi eum. Verum circa
hoc oritur quæstio, cur secundo libro Pa-
II *Par.* xxxvi, 6. ralipomenon scriptum sit, quod Nabucho-
donosor rex hunc Joakim vinctum catenis
duxit in Babylonem. Ad quod respondetur,
quod cœpit eum perducere secum, sed in
via eum remisit.
20 Deinceps Dominus ait ad Joakim : *As-*
cende Libanum, et clama ; et in Basan da
vocem tuam, id est, in finibus terræ Israel
calamitatem tuam denuntia. Libanus enim
et Basan sunt loca in extremitatibus terræ
prædictæ. *Et clama ad transeuntes,* om-
nibus tuas propalando miserias, *quia con-*
triti sunt omnes amatores tui, id est, Ægy-
ptii, in quorum præsidio confidebas, a
21 Chaldæis devicti sunt. *Locutus sum ad te*
per Prophetas. Quod autem subjungitur,
in abundantia tua, id est tempore prospe-
ritatis et opulentiæ tuæ, referri potest ad
verbum, Locutus sum, item ad verbum

A quod subditur : *Dixisti, Non audiam,* id
est, non acquiescam. *Hæc est via tua,* id
est impietas et pessima consuetudo tua,
o Joakim, vel, Jerusalem, seu popule Ju-
da, *ab adolescentia tua, quia non audisti*
vocem meam, sed a tempore Moysis pro
majori parte rebellis fuisti. *Omnes pastores* 22
tuos, id est sacerdotes ac principes, *pascet*
ventus, id est, sua vanitate fallentur, atque
inani spe quam in Ægyptiis habent, ad
tempus recreabuntur, sed cito labentur ;
et amatores tui, præfati Ægyptii, *in capti-*
B *vitatem ibunt,* quia a Chaldæis vincentur
ac vincientur. *Et tunc confunderis, et eru-*
besces, id est, intus et foris rubore imple-
beris, *ab omni malitia tua,* id est propter
tua peccata et flagella pro eis tibi illata.
Quæ sedes in Libano, id est in Jerusalem 23
urbe pulcherrima, *et nidificas in cedris,*
id est, ex lignis cedrinis habitacula con-
struis ; vel per hoc notatur in mundi divi-
tiis abundare ; *quomodo congemuisti, quum*
venissent tibi dolores quasi dolores par-
turientis ! id est, vehementer gemes infli-
C cta tibi persecutione Chaldæorum, quæ
tantæ erit angustiæ, sicut est dolor puer-
peræ.
In isto capitulo locutus est Jeremias
contra tres reges Juda, videlicet contra
Joachaz, et Joakim fratrem ejus, ac Sede-
ciam ; nunc sermo fit contra Jechoniam,
qui et alio nomine dicitur Joachin, estque
superioris Joakim filius. *Vivo ego, dicit* 24
Dominus, quia si fuerit Jechonias filius
Joakim regis Juda annulus in manu dex-
tera mea, inde evellam eum, id est, quan-
D tumcumque fuerit mihi conjunctus per
beneficia gratiæ gratis datæ, quæ stant
cum peccato mortali, et electis reprobis-
que communia sunt, nihilo minus eum a
mea protectione abjiciam. Consequenter
mutato modo loquendi, Deus ait ad eum :
Et dabo te in manu quærentium animam 25
tuam, etc., scilicet Chaldæorum. Tantum
enim Deus perterruit eum, quod ultro se IV *Reg.*
obtulit eis. *Et mittam te, et matrem tuam* xxiv, 12. 26
quæ genuit te, in terram alienam, in qua
nati non estis, videlicet in Chaldæam. Ex-

IV Reg. xxiv, 12. ivit enim cum matre sua, uxore, atque
principibus suis, ad Nabuchodonosor re-
gem Babylonis, ut legitur quarto Regum.
* Ibique moriemini. * *Et in terram ad quam ipsi levant ani-*
27 *mam suam, ut revertantur illuc,* id est ad
Judæam, ad quam in Babylone exsistentes
Joachin iste et mater ac principes ejus,
28 desiderabant reverti, *non revertentur. Num-*
quid vas fictile atque contritum, vir iste
Jechonias? id est, imo tali vasi est similis,
tanquam ad resistendum impotens, et a
proprio regno confractus. *Numquid vas*
absque omni voluptate? id est, doloribus
plenus est ad longum tempus. *Quare ab-*
jecti sunt ipse et semen ejus, id est a Deo
relicti, *et projecti* per captivitatem, *in ter-*
ram quam ignoraverunt?
29 *Terra, terra, terra,* id est, o Synagoga,
audi sermonem Domini. Propter majorem
attentionem provocandam, ter posuit, Ter-
30 ra. *Scribe virum istum sterilem,* scilicet
Jechoniam, *virum qui in diebus suis non*
prosperabitur. Quomodo intelligi potest id
Matth. i, 12. de Jechonia, quum in Babylone genuerit
Jer. lii, 31, 32. Salathiel, et ille Zorobabel? itemque quum
Evilmerodach rex Babylonis eduxerit eum
de carcere, et posuerit thronum ejus su-
per thronum regum qui secum erant in
Babylone, ut infra habetur? Et responden-
dum, quod ista sterilitas referri potest ad
hoc, quod in propria terra non genuit
quemquam, nec prosperabatur in ea, quan-
tum ad principatum. Unde et sterilis ap-
pellatur, quia non habuit filium sibi in
regno succedentem. Ideo subditur : *nec*
enim erit de semine ejus vir qui sedeat
super solium David, et potestatem habeat
ultra in Juda. Circa quod iterum objici
potest, quod Zorobabel filius filii ejus, fuit
dux et princeps Judæorum post reditum Agg. i, ii;
Judæorum de Babylone, sicut in Aggæo Zach. iv.
Zachariaque legitur. Præterea de semine
ejus natus est Christus, de quo locutus est
angelus : Dabit ei Dominus Deus sedem Luc. i, 32.
David patris ejus; et Isaias, Super solium Is. ix, 7.
David et super regnum ejus sedebit. Et
respondendum, quod nullus de semine Je-
choniæ fuit inter Judæos, temporale cor-
poraleque regnum in terra habendo. Unde
et Christus testatur : Regnum meum non Joann. xviii, 36.
est de hoc mundo. Et quum voluissent Ibid. vi, 15.
Judæi eum facere regem, fugit.

ARTICULUS XXXVIII

EXPOSITIO MORALIS EJUSDEM CAPITULI VICESIMI SECUNDI.

QUEMADMODUM Jeremiæ Dominus jus-
1 sit, *Descende in domum regis Juda;*
sic viris devotis ac sanctis frequenter præ-
cipit ire ad domum prælatorum ac princi-
pum populi christiani, qui sedent super
solium David, id est, Christi vice fungun-
tur, et ejus vicarii sunt. Quibus dicendum
3 est : *Facite judicium et justitiam.* Sic
Joann. vii, 24. enim Christus disseruit : Nolite secundum
faciem judicare, sed justum judicium ju-
dicate. Ad quos præcipue pertinet, oppres-
sos de calumniantium manu eripere, ac
cetera caritatis ac pietatis opera in præ-
cedenti articulo explanata, circa subditos
exercere. Sed, heu! jam contingit opposi-
tum. *Et sanguinem innocentem ne effun-*
datis, nec spiritualiter, nec corporaliter.
Siquidem spiritualiter sanguinem inno-
centem effundit, qui bonos ac simplices
scandalizat : cui timendum est quod ait
Salvator : Væ homini illi per quem scan- Matth. xviii, 7.
dalum venit. Denique si prælati ac prin-
cipes Ecclesiæ fecerint ista, *ingredientur* 4
per portas virtutum, *ascendentes* super *cur-*
rus et equos, id est, suas ac subditorum
passiones ac perturbationes, bestialesque

motus sedantes ac subjugantes, et tradita
sibi potestate salubriter stabiliterque uten-
5 tes. Quod si non fecerint ista, *in solitudi-
nem erit domus hæc,* id est, Ecclesia, seu
corda fidelium spiritualiter destruentur,
et Sancti Spiritus inhabitatione privabun-
tur, corruentque virtutum structuræ ac
bases. Dum enim caput ægrotat, alia mem-
Eccli. x, 2. bra periclitantur; et qualis est rector, tales
et subditi.
6 *Galaad, tu mihi caput Libani.* Per Ga-
laad, ratione altitudinis suæ, designatur
auctoritas eorum qui Christi populo præ-
sident. Et quoniam Galaad interpretatur
tumulus testimonii, specialiter signat spi-
rituales rectores ac prædicatores atque do-
ctores, in quibus est copia testimoniorum
sacræ Scripturæ. Isti sunt caput Libani, id
est Ecclesiæ virtutum decore præfulgidæ.
Verum dum concessa sibi abutuntur vir-
tute, et negligenter atque carnaliter vi-
vunt, nec sibi commissos ad Deum redu-
cunt; ponuntur a Deo in solitudinem, quia
ab ejus gratia penitus relinquuntur, mul-
7 toque gravius quam ceteri pereunt. *Et
sanctificabo,* id est præparabo, *super te
interficientem, currum et arma ejus :* quia
ad horum punitionem præparat Deus in-
visibiles hostes diabolos, quorum machi-
namentis seu tentationibus nunc quotidie
spiritualiter occiduntur in anima, ruendo
in peccata mortalia : qui succidunt electas
cedros Ecclesiæ, id est eos qui magna au-
ctoritate atque scientia pollent, et in ignem
præcipitantur æternum, eo quod scientia
sua inflati sunt, et de ceteris Dei donis
8 intumuerunt. *Et pertransibunt gentes mul-
tæ per civitatem hanc,* id est per Ecclesiæ
loca destructa, vel potius per congre-
gationes Christianorum pravorum, consi-
derando impiam vitam ipsorum. Et di-
cent : *Quare fecit Dominus sic civitati huic
9 grandi? Et respondebunt : Eo quod dere-
liquerint pactum Domini Dei sui.* Istud
contingit, dum aliqui ruinam Christiano-
rum, præsertim religiosorum ac clericorum
et sacerdotum, perpendunt, et mirantes
inquirunt qualiter ad tantum devenerint

A casum. Quibus respondetur, quod ideo,
quia Christi mandata non servaverunt, ideo
reliquit eos de peccatis in peccata corrue-
re, atque ad vitam sæcularium hominum
vita deteriorem, infeliciter pervenire.
Nolite flere super *mortuum* corporali- 10
ter, præsertim si justus exstiterat. Beati *Apoc.* xiv,
enim mortui qui in Domino moriuntur. 13.
Ideo non sunt immoderanter deflendi, vel
quasi male acciderit eis. *Plangite eum qui
egreditur,* id est, universos qui recta fide
relicta, ad hæreses convertuntur, et de
B mystico corpore Christi separantur, atque
dæmonibus sociantur. De quibus ait in
prima epistola sua Joannes : Ex nobis pro- I *Joann.* ii,
dierunt, sed non erant ex nobis. Isti non 19.
revertuntur ad terram natalem, id est,
electis inter quos in Christo regenerati
sunt, non rursum associantur, nisi forte
perraro.
Hæc dicit Dominus ad Sellum filium 11
Josiæ, etc. Per Sellum istum intelligitur
prælatus et princeps iniquus, qui tamen
per fidem et potestatem, Christi filius ap-
C pellatur. Quemadmodum ergo Sellum fuit
a rege Babylonis exoculatus, in Babylo- IV *Reg.* xxv,
nemque ductus, sic isti a principibus te- 7.
nebrarum mentaliter excæcantur, et in
tartara protrahuntur, nec unquam hinc
eruuntur. *Væ qui ædificat domum suam* 13
in injustitia, etc. Istud exponendum est
contra eos qui structuras et domus ad os-
tentationem efficiunt, et cum gravamine
aliorum, nec necessitatem ac utilitatem
dumtaxat, sed visus oblectationem ac fa-
mam exquirunt. Quemadmodum enim in
D cibis ac vestibus est excessus, tam in mate-
ria quam in forma, si non ad necessitatem
et utilitatem, sed ad voluptatem ac vanita-
tem quærantur vel habeantur ; ita et in
ædificiis : in quo et religiosi nonnulli non
mediocriter reprehensibiles comproban-
tur. Istis itaque Dominus ait : *Numquid* 15
regnabis? quasi dicat : Ita ædificas tibi in
terra, quasi moriturus non esses, et de via
atque exsilio tibi patriam facis; *quoniam
confers te cedro,* id est mundanis ac vanis
hominibus qui exteriora ornamenta affe-

m.xii,2. clant. Quocontra ait Apostolus : Nolite A
conformari huic sæculo ; et Psalmista :
s. xxxvi, 36. Vidi impium exaltatum et elevatum sicut
cedros Libani ; et transivi, et ecce non
erat.

Pater tuus numquid non comedit et
bibit, et fecit judicium et justitiam? etc.
His verbis reprehenduntur principes, po-
tentes, locupletes ac nobiles, ex virtuosis
parentibus nati, qui majorum suorum vir-
tutes imitari non satagunt, sed potestate,
nobilitate, ac abundantia abutentes, ava-
ritiæ crudelitatique serviunt : qui non B
18 planguntur, *Væ, frater, et væ, domine :*
quia eorum damnationi non compatiuntur
Beati ; imo divinæ congratulantur justitiæ,
.lvii,11. juxta illud : Lætabitur justus quum viderit
19 vindictam. Insuper *sepultura asini* sepe-
atth.xxii, lientur, quando ligatis manibus et pedi-
bus, projicientur in tenebras exteriores.
Ezech. xii,18-32. De qua sepultura in Ezechiele plenius le-
gitur. Et sicut cadaver asini projicitur
infossatum, sic sæculi amatores in foveam
infernalem.

20 *Ascende in Libanum,* id est in virtutum C
candorem. Libanus enim candidatio inter-
pretatur. *Et clama,* Dei gratiam invocan-
do, et proximos admonendo. *Et in Basan*
da vocem tuam, id est in consideratione
confusionis seu inordinationis vitiorum
tuorum ac proximorum, illam deflendo.
Basan nempe confusio interpretatur. Nihil
autem ita deordinat hominem, sicut pec-
catum. *Clama ad transeuntes,* ut orent pro
te, et sibi ipsis de periculo animæ ca-
veant ; *quia contriti sunt omnes amatores*
tui, id est carnales ac vitiosi quos carna- D
liter dilexisti, et a quibus similiter dile-
ctus fuisti. Jam namque videmus quo-
tidie, quam multi omni die moriuntur in
sæculo, qui suos non nisi carnaliter ama-
re noverunt, imo vero oderunt, appeten-
do eis divitias, delicias et honores, quæ
eorum saluti potissime adversantur.

21 *Locutus sum ad te in abundantia tua;*
dixisti, Non audiam. Quotidie per prædi-
catores et Scripturas atque devotos loquitur
Deus divitibus, dum adhuc in securitate
et pace sua esse videntur, ut vitam emen-
dent, avaritiam calcent, vanitates mundi
relinquant, superbiam, omniumque im-
moderantiam ciborum, potuum, vestimen-
torum et reliquorum quibus utuntur, ab-
jiciant. Verum ipsi mundo et his quæ
mundi sunt, delectati, vel verbo vel facto
respondent : Non audiam, non faciam, non
obediam. Et *hæc est via* seu consuetudo
eorum *ab adolescentia* sua. Propter quod
ait Salvator : Quam difficile qui pecunias Marc.x,23.
habent, intrabunt in regnum cœlorum !
Et, Væ vobis divitibus qui nunc consola- Luc.vi,24, 25.
tionem vestram habetis, quia plorabitis et
flebitis. Horum *pastores,* qui vitia palpant 22
et non corrigunt, *pascet ventus* instabili-
tatis et impetus æternæ punitionis, juxta
illud in Psalmo : Sicut oves in inferno Ps. xlviii, 15.
positi sunt, mors depascet eos. *Et amato-*
res tui in captivitatem ibunt. Qui diligunt
divites ac mundanos carnali affectu pro-
pter affluentiam rerum, et quia in hoc sæ-
culo florent, simul cum ipsis peribunt.
Nunc quoque a dæmonibus capti tenentur,
et funibus peccatorum suorum constricti
sunt. *Confunderis a malitia tua, quæ sedes* 23
in Libano, id est, quæ in exteriori pulchri-
tudine requiescis, animæ puritatem non
efficaciter appetens, *et nidificas in cedris,*
id est, inter magnos et primos in sæculo
isto nequissimo, esse ac commorari læta-
ris, et reputari ac promoveri ab eis, non
obstante quod scriptum est : Deus dissi- Ps.lii,6.
pavit ossa eorum qui hominibus placent ;
confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.
Quomodo congemisces, quum venerint tibi
dolores quasi parturientis, id est in hora
mortis atque die judicii, quando injusti Sap.v,2, 3, 6.
turbabuntur timore horribili, præ angustia
spiritus intra se gementes atque dicentes :
Erravimus a via veritatis, et justitiæ lu-
men non luxit nobis !

Vivo ego, dicit Dominus, quia si fue- 24
rit Jechonias sicut *annulus in manu dex-*
tera mea, inde evellam eum, et dabo in 25
manu quærentium animam ejus, etc. Nul-
lus ergo præsumat, aut insipienter se-
curus sit : quoniam quantumcumque vi-

deatur Deo conjunctus per ecclesiasticam A
prælaturam, vel sæculare dominium, aut
spiritualem potestatem, seu reliqua dona
naturæ, si peccaverit, repelletur a Deo,
26 dæmonibus tradetur, atque in terra aliena,
videlicet in inferno, morietur morte quæ
non habet finem, nisi hic veram egerit
pœnitentiam amore boni, ac odio vitii.
28 *Numquid vas fictile atque contritum, vir*
iste Jechonias? id est, omnis transgressor
atque impœnitens, vas fictile est per fra-
gilitatem ac pronitatem ad mala, et vitiis
Ps. XXXVII, 4. dissipatum, qui dicere habet : Non est sa- B
nitas in carne mea a facie iræ tuæ. Imo
II Reg. XIV, 14. universi, vasi fictili comparamur. Omnes
Jacob. IV, 15. enim quasi aqua dilabimur. Et quæ est vi-
ta nostra, nisi vapor ad modicum parens ?
29 *Terra, terra, terra,* id est, Ecclesia in
terra peregrinans, atque in superbenedi-
ctæ Trinitatis fide vivens, *audi sermonem*
30 *Domini,* istum videlicet : *Scribe virum*
istum sterilem : id est, omnem iniquum,
in bonis operibus non crescentem, neque
divina gratia fecundatum, considera quam
miser ac miserabilis sit, quantumcumque
in exterioribus prosperetur ; et sic ejus
exemplo transitoria despice, quæ respe-
ctu divinorum bonorum prorsus pro nihi-
lo sunt habenda. *Qui in diebus suis non*
prosperabitur, id est, ad veram felicitatem
nil ei proficiet completive, imo et bona
cooperantur ei in malum : sicut econtra-
rio diligentibus Deum electis etiam mala
cooperantur in bonum, dicente Apostolo :
Scimus quoniam diligentibus Deum omnia Rom. VIII, 28.
cooperantur in bonum. Unde in Ecclesia-
stico habetur : Omnia sanctis in bona, im- Eccli. XXXIX, 32.
piis autem et peccatoribus convertentur
in mala. *Nec enim erit de semine ejus vir,*
id est de imitatoribus ejus, *qui sedeat su-*
per solium David, id est Christi, salubri-
ter vel certe in patria : quod Christus ju-
stis promittit, Qui vicerit, dabo ei sedere Apoc. III, 21.
mecum in throno meo.

ARTICULUS XXXIX

ELUCIDATIO CAPITULI VICESIMI TERTII : VÆ PASTORIBUS QUI DISPERGUNT ET DILACERANT GREGEM.

QUONIAM causa ruinæ vulgi est ne- C
gligentia ac reproba vita præsiden-
1 tium ac pastorum, Dominus ait ad eos : *Væ*
pastoribus qui dispergunt et dilacerant
gregem pascuæ meæ, etc. Isti pastores populi Judæorum, fuerunt sacerdotes, Scribæ et Pharisæi, pseudo quoque prophetæ, vel etiam reges ac principes, qui per semitas vitiorum disperserunt, et spiritualiter aut insuper corporaliter dilaceraverunt gregem pascuæ Dei, id est plebem Judaicam, quam Deus spiritualibus ac corporalibus beneficiis confovebat. Disperserunt autem D et intus in corde corruperunt eam malis exemplis, perversis doctrinis, et item non avertendo eam a vitiis.

Ideo hæc dicit Dominus Deus Israel ad 2
pastores qui pascunt populum meum, id
est, pascere obligantur, idque facere se testantur, et si pascebant eum, pascebant in malis. *Vos dispersistis gregem meum :* sicut jam dictum est ; *et ejecistis eos* de propriis locis, quia fuistis occasio captivitatis eorum, non juste eos regendo ; vel, Ejecistis eos de synagoga electorum et de statu salutis ; *et non visitastis eos,* veraciter instruendo, misericorditer consolando, strenue corrigendo. *Ecce ego visitabo super vos,* id est, puniam in vobis, *malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus,* id est excogitatam pravitatem actionum vestrarum, quibus non ex passione vel infirmi-

tate et ignorantia tantum, sed ex industria A
perverse egistis. De his pastoribus scri-
Ezech. ptum est plenius in Ezechiele : Væ pasto-
xxiv, 2, 3, ribus Israel qui pascebant semetipsos : lac
comedebatis, et lanis operiebamini, gre-
gem autem meum non pavistis ; et di-
spersæ sunt oves meæ.

Denique quæ sequuntur, secundum Hie-
ronymum ceterosque doctores catholicos
communiter, referuntur ad tempus Chri-
3 sti. *Et ego congregabo reliquias gregis mei*
de omnibus terris, ad quas ejecero eos il-
luc, id est, Judæos hinc inde per mundum B
dispersos, per Apostolorum prædicationem
et Sancti Spiritus illustrationem colligam
spirituali unione per fidem et caritatem.
Jacob. i, 1. Unde et Jacobus scribit : Duodecim tribu-
bus quæ sunt in dispersione, salutem. De
qua etiam unione Dominus loquitur per
Is. lxvi, 19, Isaiam : Mittam ex eis qui salvati fuerint,
20. et adducent omnes fratres vestros ad mon-
tem sanctum meum Jerusalem ; Christus
Joann. x, quoque in Evangelio, Alias oves habeo,
16. quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet
me adducere. Et rursus evangelista Joan- C
Ibid. xi, 51, nes testatur, quia Jesus moriturus erat pro
52. gente, et non tantum pro gente, sed et ut
filios Dei qui erant dispersi, congregaret
in unum. De istis autem reliquiis ait Apo-
Rom. xi, 5. stolus ad Romanos : Reliquiæ per electio-
nem gratiæ Dei salvæ factæ sunt. *Et con-*
vertam eos ad rura sua, id est ad loca
pascuæ spiritualis, ad agrum dominicum
qui est Ecclesia : juxta illud Psalmistæ :
Ps. xxii, 1, Dominus regit me, et nihil mihi deerit ; in
2. loco pascuæ ibi me collocavit. Et Salva-
Joann. x, 9. tor : Si quis, inquit, per me intraverit, D
ingredietur, et egredietur, et pascua inve-
niet. *Et crescent* per incrementa virtutum,
et multiplicabuntur numero ac merito. Po-
tissime autem multiplicati sunt, spirituales
filios generando seu alios convertendo. Un-
Is. xliv, 2, 3. de in Isaia Dominus loquitur : Noli time-
re, serve meus Jacob, effundam spiritum
meum super semen tuum.

4 *Et suscitabo super eos pastores, et pa-*
scent eos, puta Apostolos et apostolicos
viros, qui in primitiva fuerunt Ecclesia,
et plurimos Judæorum in Judæa, Galilæa,
Samaria, aliisque provinciis converterunt,
eos quoque verbo et opere nutrierunt,
secundum quod erant capaces. His enim
pastoribus dixerat Christus : Vos estis sal Matth. v,
terræ ; et specialiter Petro, Pasce oves 13. Joann. xxi,
meas. *Non formidabunt ultra* inordinato 17.
timore, *et non pavebunt.* Impleverunt nem-
pe quod ait Salvator : Nolite timere eos Matth. x,
qui corpus occidunt. Imo parati fuerunt 28. Act. xxi, 13.
mori pro Deo, sicut in Actibus Apostolo-
rum habetur, et in adversitatibus quasi
in omnibus divitiis gloriabantur, eo quod
dixerit Christus : Beati eritis quum perse- Matth. v,
cuti vos fuerint homines. Hinc de eis Do- 11.
minus in Isaia disseruit : Sedebit populus Is. xxxii,
meus in pulchritudine pacis et in taber- 18.
naculis fiduciæ. Verumtamen hanc creden-
tium securitatem et confidentiam quidam
referunt ad statum Ecclesiæ triumphantis.
Et nullus quæretur ex numero, id est,
nullus de istis prædestinatis atque reli-
quiis deseretur, sed credent et salvabun- Act. xiii, 48.
tur, quotquot præordinati sunt ad vitam.
Unde Christus fatetur : Non de omnibus Joann. xiii,
vobis dico ; ego scio quos elegerim. Præ- 18.
terea certum est, quod Judæi de Babyloni-
ca captivitate reversi, fuerunt pro majori
temporis parte in timore et tribulationibus
multis, ut patet in libris Esdræ, Macha-
bæorum, Judith, imo et Aggæo et Zacha-
ria. Nec omnes fuerunt de captivitate illa
reversi. Idcirco ista pro tempore illo ex-
ponenda non sunt.

Quomodo autem hæc fiant, subjungitur :
Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et sus- 5
citabo, id est, in terris concipi generarique
faciam, *David germen justum,* id est Chri-
stum secundum naturam assumptam, qui
ut homo, est germen justum seu filius
sanctus ipsius David regis, prophetæ, ac
patriarchæ, juxta illud ad Romanos : Fa- Rom. i, 3.
ctus est ex semine David secundum car-
nem. Ad Christiferam quoque Mariam an-
gelus dixit : Dabit illi Dominus Deus sedem Luc. i, 32.
David patris ejus. De his diebus scribit
Apostolus ad Galatas : Ubi venit plenitudo Galat. iv, 4.
temporis, misit Deus Filium suum. Et de

Is. IV, 2. germine isto scriptum est in Isaia : In die A illa erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis.

Et regnabit Rex. Christus namque nunc regnat, et a principio conversionis credentium in ipsum, regnavit in corde eorum seu in militanti Ecclesia, spirituali regimine per fidem, caritatem et gratiam, inducendo mentes eorum ad obediendum suis præceptis. Et per prælatos Ecclesiæ fuit præsidens suis electis. Nunc quoque regnat in triumphanti Ecclesia. Idcirco an-
Luc. I, 32, 33. gelus nuntiavit : Regnabit in domo Jacob B in æternum, et regni ejus non erit finis.
Is. XXXIII, 22. De quo in Isaia legitur : Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse veniet et salvabit nos. Competit autem Christo esse regem, secundum utramque suam naturam : quia ut Deus, est rex per increatam auctoritatem ; sed ut homo, per concessam in tempore
Matth. XXVIII, 18. potestatem, secundum quod ait : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.

Et sapiens erit. Nam secundum divinam naturam sapiens est sapientia increata, C quæ cum ipso substantialiter idem est. Un-
I *Cor.* I, 24. de Apostolus Christum appellat Dei virtutem et Dei sapientiam. Sapientia namque appropriatur Filio, quemadmodum veritas, ars, exemplar, etc., quia procedit a Patre per intellectum. Porro secundum naturam humanam, sapiens est sapientia creata infusa, quæ in Christo multiplex assignatur, ut patet in Summis et scriptis doctorum.

Et faciet judicium et justitiam in ter-
Joann. III, 17. *ra.* Quum dicat ipsemet Christus, Non misit Deus Filium suum in mundum, ut judi- D cet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum : quomodo Christus in primo suo adventu fecit judicium, præsertim quum
Ibid. VIII, 15. dicat, Ego non judico quemquam ? Et respondendum, quod duplex est judicium, scilicet discretionis, quod ad prudentiam pertinet, et etiam ad justitiam : et hoc fecit Salvator in primo suo adventu, inter bonum et malum, seu inter bonos ac malos discernendo, illos approbando, istos reprehendendo, quemadmodum in Evangelio patet ; quosdam etiam occulto suo judicio ad fidem ac gratiam deducendo, alios relinquendo. Sicque inter prædestinatos ac præscitos discrevit : propter quod
dixit, Nunc judicium est mundi. Aliud est ju- *Joann.* XII, 31.
dicium discussionis seu damnationis, quod particulariter fit in mortibus singulorum, et universaliter fiet in fine sæculorum : cujus judicii exsecutio spectat ad Christum secundum naturam assumptam. Judiciariam namque potestatem et ejus exsecutionem seu sententiæ prolationem meruit B Christus sua humiliatione ac passione : quanquam et aliunde sibi competeret, utpote ratione hypostaticæ unionis suæ humanitatis cum Verbo. Propter quod ait :
Neque enim Pater judicat quemquam, sed *Ibid.* V, 22.
judicium omne dedit Filio ; et denuo, De- *Ibid.* 27.
dit ei (haud dubium quin Pater Filio) potestatem et judicium facere, quia Filius hominis est. Fecit autem justitiam Chri-
stus in terra, quoniam (Isaia testante) pec- *Is.* LIII, 9.
catum non fecit, nec inventus est dolus in
ore ejus. Hinc de ipso scriptum est : Non *Ibid.* XI, 3, 4.
C secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet ; sed judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ.

In diebus illis salvabitur Juda, id est 6
omnis populus Judæorum, imo et omne genus humanum, quantum ad sufficientiam, non quantum ad efficientiam. Christus namque, quantum in se est, pro totius humani generis satisfecit peccatis, sanctissime conversando, innocenterque moriendo. Verum non omnes passionis ejus fru- D ctum et efficaciam sortiuntur : quod non est ex defectu Christi, sed eorum. Tunc quoque omnes Judæorum Patriarchæ, Prophetæ, ac ceteri prædestinati olim defuncti, ab originalis peccati reatu erepti sunt.
Hinc dixerat Christus : Si exaltatus fuero *Joann.* XII, 32.
a terra, omnia traham ad me ipsum. Præterea in primo Christi adventu salvati sunt veri Judæi, id est Deo fideliter confitentes (Juda namque interpretatur confessio), non autem carnales reprobique Judæi, qui synagoga Satanæ sunt vocati. Propter quod

Luc. II, 34. Simeon justus dixit de infantulo Jesu : Positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel. Unde de electis Judæorum reliquiis ab Isaia fuit prædi-
Is. IV, 3. ctum : Sanctus vocabitur omnis qui scriptus est in vita in Jerusalem. Præterea de salvatione non Judæorum dumtaxat, sed et totius mundi per Christum, omnes pene Prophetæ loquuntur. Unde ad Abraham di-
Gen. XXII, 18. ctum est : In semine tuo benedicentur omnes gentes. Estque salvatio ista intelligenda de reatu originalis peccati, de potestate diaboli, de absolutione ab omni iniquitate, de infernali punitione, de veræ atque æternæ beatitudinis consecutione, non de corporali ac temporali liberatione ab omni humana captivitate ad regnandum in sæculo isto, sicut excæcati putant Judæi. Hanc spiritualem salvationem optavit beatissi-
Ibid. XLIX, 8. mus patriarcha Jacob, quum ait : Salutare tuum exspectabo, Domine.

Et Israel habitabit confidenter. Jam enim præhabitum est, quod non formidabunt ultra neque pavebunt, imo ad mortem pro
Joann. I, 47. Christo ibant cum gaudio. Isti sunt veri ac præelectissimi Israelitæ, de quibus Lu-
Act. II, 44, 46, 47. cas inducit : Omnes qui credebant, erant pariter, et sumebant cibum cum exsultatione et simplicitate cordis ; et collaudabant Deum, habentes gratiam ad omnem
Ibid. IV, 31. plebem. Et iterum : Quum orassent, motus est locus in quo erant ; et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et loquebantur verbum Dei cum fiducia. Præterea habitatio ista confidentialis, referri potest ad illam securitatem ac pacem de qua scriptum est
Is. II, 2 ; *Mich.* IV, 1. in Isaia et Michæa, Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium (quod omnes exponunt de primo Christi adventu) ; et illic subjun-
Is. II, 4 ; *Mich.* IV, 3. gitur, Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces. Tunc etenim sub Cæsare Augusto, et multo post tempore, inaudita pax fuit in mundo, et populus Israel satis secure in sua provincia sub Romano mansit imperio. Aliqui tamen referunt istud ad statum Ecclesiæ triumphantis.

Et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster. Ex hoc ostenditur Christi divinitas. Nempe pro eo quod dicitur hic, Dominus justus, in Hebræo ponitur nomen Domini tetragrammaton, quod secundum Rabbi Moysen ceterosque Hebræorum doctores, incommunicabile est creaturis, quum impositum sit Deo altissimo, ad designandum nudam ejus essentiam absque omni ad creaturas respectu. Moderni autem Judæi, qui nec ex hoc loco convincuntur Christi divinitatem fateri (exspectant enim Messiam venturum, hominem purum), dicunt in Hebræo sic contineri : Et hoc est nomen quo vocabit eum Dominus justus noster. Verumtamen, secundum Hieronymum, in Hebræo habetur, Quo vocabunt eum. Nicolaus quoque de Lyra, in hac parte satis efficaciter Judæorum ostendit errorem. Divinitas autem Christi aliis multis locis monstratur, præsertim in Isaia, ubi inter cetera legitur : Parvulus natus est nobis, et vocabitur no- *Is.* IX, 6.
men ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis ; item in Michæa, Egressus ejus a principio, a *Mich.* V, 2.
diebus æternitatis ; in Psalmo quoque, Sit *Ps.* LXXI, 17.
nomen ejus benedictum in sæcula, ante solem permanet nomen ejus. Quod aliis quasi innumerabilibus probari testimoniis potest. Itaque credentes in Christum, vocabunt eum, Dominus justus noster. Etenim in se ipso justus est, et nos ipse justificat, juxta illud Actuum : In hoc om- *Act.* XIII, 39.
nis qui credit, justificatur. Qui antonomastice Justus vocatur, secundum quod Stephanus ait : Patres vestri occiderunt eos *Ibid.* VII, 52.
qui annuntiaverunt de adventu Justi, cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis.

Propter hoc, ecce dies veniunt, dicit 7
Dominus ; et non dicent ultra, Vivit Dominus qui eduxit filios Israel de terra
Ægypti ; sed, Vivit Dominus qui eduxit 8
et adduxit semen domus Israel de terra aquilonis, et de cunctis terris ad quas ejeceram eos illuc, et habitabunt in terra sua. Totum hunc textus passum pariter posui, eo quod expositio id requirat, ut

plenius veritas innotescat. Doctores autem A catholici sequentes Hieronymum, ista exponunt de Judæorum conversione ad fidem, per quam spiritualiter adunati sunt in Christo Jesu, atque ad Deum reducti; habitaveruntque in terra sua, videlicet in Ecclesia militanti, deinde in Ecclesia triumphanti seu regno cœlorum, quod est terra viventium, regioque vivorum, quam Deus antiquis patribus sub nomine terræ promissionis principaliter promisit in præmium. (*Ps.* xxvi, 13; cxiv, 9.) Sed huic expositioni videtur obviare, quod supra hæc eadem verba, pene B sub eadem forma habentur, et tamen ibidem de reditu a captivitate Babylonica exponuntur. (*Jer.* xvi, 14, 15.) Et respondendum, quod ibi Propheta præmisit de Babylonica captivitate, quod scilicet Judæi ob sua facinora in Babylonem ducerentur captivi, et statim adjunxit verba nunc introducta: idcirco ibidem de reditu a Babylone in Judæam exposita sunt. Hic vero prænuntiat Propheta de Christi incarnatione et mundi salvatione per ipsum, protinusque subjecit verba jam allegata: ideo in hoc loco C exponenda sunt de spirituali eductione Judæorum a locis terrarum in quibus dispersi fuerant. Aliqui autem eorum in omnibus hujuscemodi locis conversi sunt. In Actibus quoque habetur, quemadmodum in Jerusalem fuerunt habitantes Judæi viri religiosi, ex omni natione quæ sub cœlo est, (*Act.* ii, 5.) et horum multi per Apostolos crediderunt (*Ibid.* 41.): erantque divina ordinatione de variis regnis ac sedibus ad Judæam reducti, et in Jerusalem adunati, habitantes ibidem in terra patrum suorum. D

Itaque verbis his declaratur magnitudo et grata recognitio beneficiorum Christi, ita quod Judæi in Jesum credentes, beneficia suæ incarnationis, informationis, passionis, missionisque Spiritus Sancti, et donorum gratiæ ac salutis, in tantum magni penderent, quod beneficium eductionis de Ægypto traderent oblivioni, quum incomparabiliter Christi beneficia sint majora. Liberatio autem de Ægypto et Babylone, fuit figura liberationis spiritualis factæ per Christum. Figura vero et umbra, veritate patefacta, et figurato jam apparente, radianteque luce, cessant. Sed et motus majores expellunt minores, et majus lumen offuscat minus.

Consequenter agitur contra pseudo im-
piosque Judæorum pastores. *Ad prophetas,* 9
id est, ad pseudoprophetas pertinent quæ sequuntur. Deinde Jeremias in propria ait persona: *Contritum,* id est compunctum vel dolore affectum, et quasi ad nihil redactum, *est cor meum,* id est anima vel ratio, *in medio mei,* id est in me ipso. Ista autem contritio intelligi potest vel de peccatis, vel quia comparatione Dei, cujus vultum fuerat contemplatus, nihil se esse perpendit, juxta illud in Psalmo, Substantia mea tanquam nihilum ante te (*Ps.* xxxviii, 6.); vel quia de aliorum iniquitate vehementer dolebat, eisque propter imminentes pœnas condoluit. *Contremuerunt omnia ossa mea,* id est, propter mala culpæ ac pœnæ Judæorum, in tantum expavit cor meum, quod etiam timor in corpus redundavit, et ossa concussit: juxta illud in Job, Inhorruerunt pili carnis meæ (*Job* iv, 15). Et Psalmista: Conturbata sunt, inquit, omnia ossa mea (*Ps.* vi, 3; xxx, 11.). Vel de spiritualibus ossibus sermo est, quæ sunt fortitudo mentis, constantia, ceteræque virtutes. *Factus sum quasi vir ebrius, et quasi homo madidus a vino,* id est, instar ebriosi quasi obstupui et defeci, *a facie Domini,* id est a consideratione divinæ justitiæ, *et a facie verborum sanctorum ejus,* id est intuitu comminationum quibus juste ac sancte minatur inferre vindictam Judæis.

Quia adulteris repleta est terra, id est 10
Judæa, de qua jam sermo. Unde superius dictum est: Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat (*Jer.* v, 8). *Quia a facie maledictionis luxit terra.* Quod intelligi potest dupliciter: primo, de maledictione et blasphemia Judæorum in Deum, propter quam inflicta fuit a Deo sterilitas terræ, ob quam luxerunt habitatores Judææ; secundo, de maledictione Dei, id est de ultione quam Deus juste inflixit. *Arefacta sunt arva de-*

serti, id est, sterilia facta sunt, juxta illud
Habac. III, 17. Habacuc : Arva non afferent cibum. *Fa-
ctus est cursus eorum malus,* id est, ad
opera mala festinabant cum fervore ac
aviditate peccandi, *et fortitudo eorum dis-
similis,* id est a divina æquitate discor-
dans, et sanctorum patrum virtuti dissimi-
lis, ita quod fortitudine sua abusi sunt. Et
sicut boni fuerunt fortes ad bene agen-
11 dum, sic ipsi ad male agendum. *Propheta
namque et sacerdos polluti sunt* variis vi-
tiis. Loquitur autem de pseudo ac malis
presbyteris. *Et in domo mea,* id est in
populo meo : de qua Dominus ait in Nu-
Num. XII, 7. meris, Moyses in omni domo mea fidelissi-
mus est ; vel, In domo mea, puta in tem-
plo. *Inveni malum eorum, ait Dominus :*
quia in templo graviter peccaverunt. Quæ
omnia, sicut et consequentia, referri pos-
sunt ad Judæos, qui Christum non recepe-
runt, sed blasphemaverunt ; et item ad eos
qui erant tempore Jeremiæ.
12 *Idcirco via eorum erit quasi lubricum
in tenebris,* id est, prosperum processum
non habebunt ; *impellentur enim, et cor-
ruent in ea,* id est, ab adversariis suis de-
jicientur. *Afferam enim super eos mala,* id
est, supplicia pro peccatis eis infligam,
annum visitationis, id est tempus justæ
punitionis *eorum, ait Dominus.* De hac
Is. LIX, 9, 10. punitione scriptum est in Isaia. Annus au-
tem visitationis, hoc loco in malo accipi-
tur, pro tempore quo Deus in sua sapientia
peccata pravorum punire decrevit, quem-
Ezech. XXI, 25. admodum apud Ezechielem profatur : Tu
autem, profane, cujus venit dies in tem-
pore iniquitatis præfinita.
13 *Et in prophetis Samariæ,* id est in pseu-
doprophetis decem tribuum, *vidi fatui-
tatem,* id est idololatriam, qua nihil est
stultius, ac cetera scelera. *Et prophetabant
in Baal,* idolum invocando ; *et decipiebant
populum meum Israel,* id est decem tri-
III Reg. XVI, 31-33. bus. Tales fuerunt prophetæ Achab et Je-
14 zabel, prout legitur tertio Regum. *Et in
prophetis Jerusalem vidi similitudinem,*
id est similia vitia cum prædictis. Pseudo
autem vulgato nomine vocat prophetas.

A *Adulterium* * *et iter mendacii,* id est ver- * Adulterantium
ba mendosa et simulationes ac fallacem
processum. *Et confortaverunt manus pes-
simorum,* scilicet regum ac principum, ali-
orumque idololatrarum aut sceleratorum,
ut non converteretur unusquisque illorum
a malitia sua. Nam vitia commendabant, et
impiis securitatem et impunitatem spon-
debant. *Facti sunt mihi omnes ut Sodo-
ma, et habitatores ejus quasi Gomorrha,*
id est, pseudo isti facti sunt mihi detesta-
biles ut Sodomitæ, et incolæ Jerusalem ut
B habitatores olim Gomorrhæ. Imo in Eze-
chiele peccata istorum graviora feruntur Ezech. XVI, 47, 48, 51, 52.
vitiis Sodomæ et Gomorrhæ. Hinc Isaias
dicit ad eos : Audite verbum Domini, prin- Is. I, 10.
cipes Sodomorum ; auribus percipite le-
gem Dei vestri, populus Gomorrhæ.
Propterea hæc dicit Dominus : Ecce ego 15
cibabo eos absinthio, et potabo eos felle, id
est, doloribus et amaritudinibus eos im-
plebo, sicut impletur homo esca et potu.
Hinc in Michæa Dominus ait : Stillabo tibi Mich. II, 11.
in vinum et in ebrietatem, et erit super
C quem stillatur populus iste. *A prophetis
enim Jerusalem egressa est pollutio,* id est
immunditia vitiorum, præsertim idolola-
tria, quæ est fornicatio spiritualis, *super
omnem terram,* id est ad omnes habitato-
res Judææ. Induxerunt enim exemplis et
verbis alios ad peccata, potissime reges ac
principes, quos sequebantur ut adulando
ac quæstuando traherent eos ad sibi con-
sentiendum. Ideo ab Isaia caudæ vocantur :
Propheta, inquit, docens mendacium, ipse Is. IX, 15.
cauda est.
D *Hæc dicit Dominus : Nolite audire ver-* 16
*ba prophetarum qui prophetant vobis, et
decipiunt vos ; visionem,* id est adinventi-
ones et imaginationes, *cordis sui loquun-
tur,* et *non de ore Domini. Dicunt his qui* 17
blasphemant me : Locutus est Dominus bo-
na de vobis ad nos, scilicet, *Pax erit vo-
bis ; et omni qui ambulat in pravitate
cordis sui, dixerunt : Non veniet super
vos malum,* id est afflictio per Chaldæos
seu alios. Quod autem istis pseudo cre-
dendum non sit, ostendit. *Quis enim ad-* 18

fuit in consilio Domini? id est, isti men- A
dosi non sunt de numero eorum qui ad
divinorum secretorum revelationem ad-
mittuntur; *et vidit,* id est, intellexit, *et*
audivit interiori auditu, *sermonem ejus,*
id est verba prophetica? *Quis consideravit*
verbum illius et audivit? quasi dicat, Ne-
mo istorum. Sic namque consilio Dei ad-
esse, ejusque verba suscipere ac digne
pensare, non competit nisi purificatam ha-
bentibus mentem, juxta illud Sapientiæ:
Sap. VII, 27. Sapientia Dei in animas sanctas se trans-
fert, amicos Dei et Prophetas constituit. B
Amos III, 7. Propter quod Amos ait: Non faciet Do-
minus verbum, nisi revelaverit secretum
suum ad servos suos Prophetas.

Insuper quod pseudo mentiti sunt, mon-
19 stratur. *Ecce turbo* et commotio *domini-*
cæ indignationis, id est impetus ultionis
divinæ justitiæ, *egredietur, et tempestas*
erumpens, id est turbulenta et copiosa
persecutio Chaldæorum, *super caput im-*
piorum veniet, scilicet super impios istos
Judæos, capitaneosque eorum, scilicet re-
ges, principes, sacerdotes, et pseudopro- C
phetas. Hinc scriptum est in Sophonia:
Soph. III, 8. Effundam super eos indignationem meam
20 et omnem iram furoris mei. *Non rever-*
tetur furor Domini, id est, zelus divinæ
justitiæ non desistet ab illatione vindictæ,
usque dum faciat, et usque dum compleat
cogitationem cordis sui, id est, decretum
ulciscendi perducat in opus, quemadmo-
Ezech. V, 13. dum in Ezechiele testatur: Complebo fu-
rorem, et requiescere faciam indignatio-
nem meam. *In novissimis diebus intelligetis*
consilium ejus, id est, Chaldæorum exer- D
citu ingrediente ac destruente Jerusalem,
vobisque in captivitatem euntibus, o Ju-
dæi, scietis per experientiam pœnarum
vestrarum, vera esse quæ vobis ex ore
21 Dei veri Prophetæ locuti sunt. *Non mitte-*
bam prophetas, videlicet pseudo, de quibus
nunc sermo, *et ipsi currebant* ad vatici-
nandum impiis prospera; *non loquebar ad*
eos, et ipsi prophetabant suas confictiones
22 ac diabolicas inspirationes. *Si stetissent in*
consilio meo, id est documentis atque con-
siliis meis, quæ per Scripturas ac Pro-
phetas veraces noverunt, vel noscere potu-
erunt ac debuerunt, *et nota fecissent verba*
mea populo meo, id est, verba salutaria,
non mendosa et vana, prædicassent Ju-
dæis; *avertissem utique eos a via sua ma-*
la, id est pravis operibus, *et a pessimis*
cogitationibus suis quosdam utique con-
vertissem.

De his prophetis scriptum est plene in
Michæa: Hæc dicit Dominus super pro- Mich. III, 5.
phetas qui seducunt populum meum, qui
mordent dentibus suis, et prædicant pa-
cem; et si quis non dederit in ore eorum
quidpiam, sanctificant super eum prælium.

Consequenter reprobat Deus stultissimam
quorumdam opinionem, dicentium Deum
non esse ubique, nec cuncta cognoscere,
sed quod sit tantum in cœlis, et superio-
rum dumtaxat providentiam habeat, juxta
illud in Job: An cogitas quod Deus excel- Job XXII, 12-14.
sior cœlo sit, et super stellarum verticem
sublimetur? Et dicis: Quid enim novit Do-
minus? et quasi per caliginem judicat. Nu-
bes latibulum ejus, nec nostra considerat,
et circa cardines cœli perambulat. Con-
tra sic æstimantes, nunc dicitur: *Putasne* 23
Deus e vicino ego sum, dicit Dominus,
et non Deus de longe? id est, æstimas,
o homo inanis, quod eorum tantum inspe-
ctor, provisor et judex sum, quæ prope
me sunt, et non eorum quæ vestra opinio-
ne longe distant a me, quasi ubique non
essem; vel quæ vere longe sunt a me,
non loco, sed dissimilitudine: quemadmo-
dum Salomon loquitur, Longe est Dominus Prov. XV, 29.
ab impiis; et Psalmista, Alta a longe co- Ps. CXXXVII, 6.
gnoscit.

Si occultabitur vir in absconditis, et 24
ego non videbo eum? dicit Dominus: id
est, non utique loca tenebrosa ac abdita
aliquid possunt ab intuitu meo abscon-
dere. Quidam nempe putabant ea quæ in
tenebris ac abditis fiunt, non videri a Deo.
Contra quos omnes convenientissime ac
subtilissime scriptum est in Isaia: Quasi Is. XXIX, 16.
si lutum contra figulum cogitet, et dicat
opus factori suo, Non fecisti me; et fig-

mentum dicat factori suo, Non intelligis : sic omnes quorum sunt in tenebris opera, et dicunt, Quis videt nos? aut quis novit nos? [Ps. xciii, 8.] Hoc est quod ait Psalmista : Intelligite, insipientes in populo; et, stulti, aliquando sapite : qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? *Numquid non cœlum et terram ego impleo? dicit Dominus :* id est, incircumscriptus sum penitus et immensus. [Ps. xlvii, 2; cxliv, 3.] Magnus enim Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis. Ideo ait vir sanctus : [Ps. cxxxviii, 7, 8.] Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es, etc. In Job quoque fertur : [Job xi, 8, 9.] Excelsior cœlo est, et profundior inferno; longior terra mensura ejus, et latior mari. Quum enim Deus sublimis et benedictus, sit ipsum esse in sua puritate ac plenitudine sumptum, nullo modo potest esse finitus. Nihilo minus simplicissimus omnino est Deus, et ipse ubique veraciter est per essentiam, potentiam atque præsentiam. Estque intimus universis, et omnia penetrat. Ipse etenim solus illabitur essentiis rerum, et propinquior exstat enti, quam essentialia principia ejus.

Postquam Deus omnipotens cuncta sibi certa esse probavit, rursus falsos repre-
25 hendit prophetas. *Audivi,* id est, intus in luce sapientiæ meæ cognovi, *quæ dixerunt prophetæ, prophetantes in nomine meo,* secundum suam assertionem, *mendacium,* id est, mendacia sua dixerunt esse revelationes divinas; *atque dicentes : Somniavi, somniavi,* id est, per somnum allocutionem divinam sortitus sum, et visionem prophetalem recepi. Interdum enim revelationes divinæ fiunt in somno, sicut illud in Job : [Ibid. xxxiii, 15, 16.] Per somnium in visione nocturna aperit
26 Deus aures virorum, et instruit eos. *Usquequo istud est in corde prophetarum vaticinantium mendacium et [prophetantium] seductionem cordis sui,* vel passivam, qua a diabolo sunt illusi, vel activam, qua alios
27 scienter seducunt? *Qui volunt facere ut obliviscatur populus meus nominis mei,* etc. Ad hoc vana fingebant, ut Judæi im-
A plicarentur erroribus, securiusque pecca-
rent. *Propheta qui habet somnium, narret* 28
somnium, id est, falsi vates suis somniationibus intenti, proponant eas ut somnia, non ut verba prophetica ac divina, præmittendo, Hæc dicit Dominus. Pseudo etenim conformabant se veris Prophetis in modo loquendi, ut a Deo illuminati putarentur. *Et qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum vere,* id est, ille se dicat in nomine Dei vaticinari, atque præmittat, Hæc dicit Dominus, ad quem vere factus
B est sermo Dei ad prophetandum. *Quid paleis ad triticum? dicit Dominus :* id est, sicut paleæ non sunt tritico commiscendæ, sic falsi prophetæ non sunt veris Prophetis comparandi, nec in nomine Dei se loqui debent asserere. Cui simile est illud Apostoli : Quæ societas luci ad tenebras? [II Cor. vi, 14.]
Numquid non verba mea sunt quasi 29
ignis ardens? *dicit Dominus,* id est, ad divinum amorem, et ad zelum justitiæ, ac virtutum dilectionem inflammant; *et quasi malleus conterens petram?* id est, cordium
C tollunt duritiam, et ad pœnitentiam emolliunt mentem, ut ablatis lapideis cordibus, remaneant carnea corda. Rursus, quemadmodum ignis consumit paleas, et malleus conterit petras, sic reprobat et condemnat iniquos. Juxta hujusmodi similitudinem, etiam in Ecclesiaste ait Scriptura : [Eccle. xii, 11.] Verba sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi. Porro quod verba Dei sint quasi ignis ardens, expertus fuit qui dixit : Concaluit cor meum intra me ; [Ps. xxxviii, 4.] et, Inflammatum est cor meum. [Ps. lxxii, 21.] Quum enim Spiritus
D Sanctus sit ignis ille immensus, superdulcissime ardens, merito verba ejus ardentes faculæ appellantur. Talia autem non sunt verba prophetarum fallacium.
Propterea ecce ego ad prophetas, ait 30
Dominus, id est, ad eos puniendos intendo, *qui furantur verba mea,* id est, modum loquendi sanctorum vatum considerant et sequuntur, rapientes verba mea de ore illorum, dicentes, Hæc dicit Dominus (circa quod scribit Hieronymus : Semper imitatur mendacium veritatem; et nisi

habuerit aliquam recti similitudinem, de- A
cipere non potest innocentes), *unusquis-*
que a proximo suo, videlicet vero Dei
Propheta. Vel sic : Qui furantur verba mea,
unusquisque a proximo suo, id est, proxi-
mos suos ab auditu verborum Dei im-
pediunt, verbumque auditum de eorum
corde auferre conantur, ne in eis fructi-
31 ficet : quod prorsus diabolicum est. *Ecce*
ego ad prophetas, ait Dominus, qui as-
sumunt linguas suas, id est, ad libitum
suum flectunt eas ad proferendum inania,
et aliorum Dei vatum loquelas, seu modos B
loquendi assumunt; *et aiunt : Dicit Do-*
32 *minus. Ecce ego ad prophetas somniantes*
* ait *mendacium, dicit* Dominus : qui narra-*
verunt ea, id est, somnia sua tanquam
vaticinia recitaverunt, *et seduxerunt po-*
pulum meum in mendacio suo et in mi-
raculis suis, etc., id est magnis ac miris
sermonibus atque promissis, vel simu-
latis virtutum operibus confictisve rapti-
bus, et ceteris diabolica ope peractis, quæ
vulgo mirifica apparebant. Unde et Eliu
Job xxxiii, 7. ait ad Job : Miraculum meum non te ter- C
reat. *Qui nihil profuerunt populo huic,*
dicit Dominus : imo quamplurimum no-
cuerunt.

Consequenter Dominus loquitur Jere-
33 miæ : *Si igitur interrogaverit te populus*
iste Judæorum, *vel propheta* pseudo, *aut*
sacerdos, dicens : Quod est onus Domini?
dices ad eos : Vos estis onus. Quando in
libris propheticis gravia aut molesta præ-
dicuntur, præmittitur : Onus Domini. Quo-
niam ergo sancti Prophetæ jugiter mina-
bantur peccatoribus ultionis supplicia, et D
hæc ipsa vicissim ex longanimitate mi-
sericordissimi Dei diutius differebantur,
perversi Judæi reputabant hujuscemodi
verba vana ac frivola, et vaticinia Prophe-
tarum sanctorum irrisorie onus vocabant.
Jubet ergo Dominus, ut malitiose petenti-
bus, Quod est onus Domini? id est, quid
nunc enuntias nobis ex parte Dei, et quid
adversitatis imminet nobis? Jeremias re-
spondeat : Vos estis onus, id est grave
pondus, propter vestra facinora, et estis
velut importabiles Deo, propter inexcusa-
bilia vestra peccata. *Projiciam quippe vos,*
dicit Dominus, id est, in captivitatem ex-
pellam, et de brachiis patientiæ meæ, in
quibus hucusque vos tuli, jactabo vos in
terram non vestram. Unde Isaias inducit :
Projecisti populum tuum domum Jacob. Is. ii, 6.
Infra quoque habetur : Non poterat ultra Jer. xliv, 22.
vos Dominus portare propter malitiam stu-
diorum vestrorum. *Et propheta, et sacer-* 34
dos, et populus qui dicit, Onus Domini :
secundum sensum jam positum; *visitabo*
super virum illum, et super domum ejus,
id est, eum et ejus familiam seu congrega-
tionem sibi in vitiis consentientem, gra-
viter puniam, eo quod verbum Dei in
ludum ac jocum converterit.

Hæc dicetis unusquisque ad proximum 35
et ad fratrem suum : id est, quum taliter
castigati fueritis, cessabitis ab hujuscemo-
di irrisorio modo loquendi, et de cetero
loquemini reverenter de propheticis sci-
scitando sermonibus. Sic ergo unus dicet
ad alium : *Quid respondit Dominus* per
Prophetas? *et quid locutus est Dominus* ad
nos per eos? *Quia* onus Domini ultra* 36
non memorabitur : id est, pristino modo * Et
loquendi amplius non utemini, prophe-
tiam onus vocando; *quia onus erit unicui-*
que sermo suus, id est, pro intemperantia
sui sermonis, divina ultione gravabitur,
præsertim si dixerit : Quod est onus Domi-
ni? His simile est quod in Ezechiele sæpe
scriptum est. Verba autem illa brevitatis
gratia prætermitto. *Et pervertistis,* o Ju-
dæi, *verba Dei viventis, Domini exerci-*
tuum, Dei nostri, id est, irreverenter ac
derisorie ea audistis et protulistis : quem-
admodum ad Ezechielem Dominus pro-
testatur, Veniunt ad te, et audiunt verba Ezech. xxxiii, 31.
mea ex te, et non faciunt ea, quia in can-
ticum oris sui vertunt illud. Porro, secun-
dum Hieronymum, Verba Dei viventis,
etc., Latini et Græci codices non habebant:
et Hebræi contra se in suis libris legunt,
quia mysterium significant Trinitatis. Cui
consonat Lyra, dicens quod in Hebræo ha-
beatur, Pervertistis verba Deorum viven-

tium : quo pluralitas personarum in Deo A
innuitur. Unitas vero essentiæ designatur,
quum singulariter sequitur : Domini exer-
cituum, Dei nostri.
37 *Hæc dices ad Prophetam,* id est, o qui-
cumque Judæe, sic reverenter alloqueris
quemlibet verum Prophetam : *Quid re-
spondit tibi Dominus? et quid locutus est*
38 *Dominus?* Istud expositum est. *Si autem
onus Domini dixeritis,* id est, Prophetam
Dei interrogaveritis more consueto, dicen-
tes, Quod est onus Domini? *propter hoc
hæc dicit Dominus : Quia dixistis sermo-* B
nem istum, Onus Domini; et misi ad vos,
dicens, Nolite dicere, Onus Domini : pro- 39
pterea ecce ego tollam vos prophetas de
Judæa, *portans* vos in Chaldæam. *Et de-
relinquam vos, et civitatem quam dedi
vobis et patribus vestris,* puta Jerusalem, *a
facie mea,* id est a pietatis et defensionis
meæ gratioso adspectu. *Et dabo vos in* 40
*opprobrium sempiternum, et in ignomi-
niam æternam, quæ nunquam oblivione
delebitur.* Hoc intelligendum est, quantum
ad infernales punitiones eorum qui non
pœnituerunt, vel ad captivitatem istam a
Romanis inflictam, in qua usque ad mun-
di permanent finem.

ARTICULUS XL

DECLARATIO SPIRITUALIS EJUSDEM CAPITULI VICESIMI TERTII.

1 VÆ *pastoribus,* id est episcopis, cete-
risque prælatis, prædicatoribus atque C
doctoribus, *qui dispergunt et dilacerant,*
id est, sua negligentia, carnalitate, impiis
moribus, pravis exemplis, conversatione
iniqua lædunt et spiritualiter necant, *gre-
gem pascuæ meæ,* id est plebem christia-
nam eis subditam aut commissam, quæ per
sacram Scripturam, sacramenta Ecclesiæ,
virtutes ac dona Spiritus Sancti, mente nu-
triri deberet, et cum omni diligentia cu-
stodiri, quemadmodum Petrus adhortatur :
I *Petr.* v, 1-3. Seniores, obsecro, pascite qui in vobis est
gregem Dei spontanee et ex animo. Ve- D
Joann. x, 11. rumtamen, ut ait Salvator, Bonus pastor
animam suam ponit pro ovibus suis.
Istis indignis pastoribus Dominus ait :
2 *Vos dispersistis gregem meum.* Quod con-
tingit dupliciter : Primo, non impendendo
auxilium debitum, seu pro posse non re-
trahendo a malis : quod est contra eos qui
vicarios substituunt insufficientes. Secun-
do, verbo vel exemplo ad vitia inducendo.
Hinc in Apocalypsi pastori præcipitur :
Apoc. III, 2. Esto vigilans, et confirma cetera quæ mo-
ritura erant. *Et ejecistis eos,* de statu sa-
lutis ad multa pericula; *et non visitastis
eos,* implendo quod ad Thessalonicenses
docet Apostolus : Corripite inquietos, con- I *Thess.* v, 14.
solamini pusillanimes, suscipite infirmos,
patientes estote ad omnes. *Ecce ego visita-
bo super vos malitiam studiorum vestro-
rum, ait Dominus.* Ideo quoque scriptum
est in libro Sapientiæ : Audite, reges, et *Sap.* VI, 2, 4, 6.
intelligite; discite, judices terræ : quoniam
data est vobis a Domino potestas, et virtus
ab Altissimo, qui interrogabit opera ve-
stra, et cogitationes vestras scrutabitur.
Cito et horrende apparebit vobis, quoniam
judicium durissimum in his qui præsunt,
fiet.
Ecce ego congregabo reliquias gregis* 3
mei de omnibus terris, ad quas ejecero * *Et*
eos. Novit Dominus qui sunt ejus. Idcirco II *Tim.* II, 19.
quantumcumque errent qui præsunt, nul-
lum tamen electorum suorum Deus perire
permittit, sed de pravis consortiis vitiis-
que terrenis colligit eos per gratiam spe-
cialem, ita quod in spiritualibus bonis
proficiunt. Propter quod per Ezechielem

Ezech. XXXIV, 11, 16. 4 testatur : Ego ipse requiram oves meas et A visitabo, sanabo et confirmabo. *Et suscitabo super eos pastores et pascent eos,* verbo prædicationis et operatione virtutis : quod est unum de præcipuis beneficiis Dei, quum profectus ac salus subditorum, ex bonitate pastoris magna ex parte dependeat. *Non formidabunt ultra,* implentes Luc. XII, 32. quod ait Salvator : Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare Matth. X, 28. vobis regnum ; et item, Nolite timere eos qui corpus occidunt. Hinc ait Scriptura : Prov. XXIX, 25. Qui timet hominem, cito corruet ; et, Qui B Eccli. XXXIV, 16. timet Dominum, nihil trepidabit. Unde in Prov. VII, 1, juxta LXX. Proverbiis Salomon scribit : Fili, honora Deum, et valebis ; præter eum vero ne timueris alienum. Qui ergo pro suis defectibus metuit increpari et castigari, imperfectus est satis, quum hæc desiderare oporteat. Et qui in divini vultus præsentia non erubescit malum cogitare aut facere, quod coram hominibus loqui vel operari verecundaretur, nonne imperfectus est nimis? *Et nullus quæretur ex numero,* id est, nemo ex numero prædestinatorum a C beatitudine excludetur. Unde Christus lo- Joann. XVII, 9. quitur : Pater, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi de mundo, quia tui sunt.

9 *Contritum est cor meum in medio mei.* Tam vehementer propria et proximorum peccata deflere, et propter futurum Dei judicium æternamque damnationem contremiscere debemus, ut verba hæc vere ac digne valeamus proferre. *Contremuerunt omnia ossa mea.* Ex contemplatione nempe majestatis divinæ, concuti debent om- D nia interiora nostra reverentiali timore, I Petr. V, 6. ac profundissime humiliari sub manu superexcelsi omnipotentisque Dei, qui reverentia dignus est infinita. Propter quod nullus, quantumcumque ad honorem Dei peregerit, aliquid egisse se existimet. *Factus sum quasi vir ebrius, et quasi homo madidus a vino, a facie Domini, et a facie verborum sanctorum ejus,* id est, contemplatione gloriæ ac sapientiæ Dei, atque imperscrutabilium testimoniorum ipsius, me nihil scire putavi, imo cum Salomone profiteor : Stultissimus sum virorum. Po- Prov. XXX, 2. test quoque opposito modo exponi : ut homo illuminatus asserat se a vultu sapientiæ Dei, et a revelatione verborum ejus, tanta cœlestium theoriarum claritate tantaque consolatione et opulentia interna perfusum, ut instar ebrii sit abundans, et spirituali ebrietate repletus, juxta illud : Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et Ps. XXXV, 9. torrente voluptatis tuæ potabis eos. Unde per Isaiam loquitur Deus : Ecce ego decli- Is. LXVI, 12. no in eos ut flumen pacis. Hoc dicere potest, cui incumbit illud Psalmi dicere Deo : Incerta et occulta sapientiæ tuæ ma- Ps. L, 8. nifestasti mihi. Denique Septuaginta sic transtulerunt : Factus sum quasi homo soporatus a vino a facie Domini, et a facie decoris gloriæ ejus. Ubi per Dominum, intelligendus est Deus Pater ; et per decorem gloriæ ejus, unigenitus Filius, qui est splendor gloriæ, imago et figura substan- Hebr. I, 3; Sap. VII, 26. tiæ Patris. Circa hunc locum ait Hieronymus : Certe nullum puto sanctiorem esse Jeremia, qui virgo et propheta sanctificatusque in utero, ipso nomine præfigurat Dominum Salvatorem : Jeremias enim interpretatur, Domini excelsus.

Quia adulteris repleta est terra : quod 10
in Ecclesia, heu ! contingit ; et spirituali adulterio, quod est aversio animæ nostræ a Deo, cujus ipsa sponsa esse tenetur, nimium maculamur. *A facie maledictionis luxit terra,* id est, homines propter plagas sibi a Deo ob sua peccata inflictas luxerunt. Quidquid enim patimur et graviora, nostris meremur excessibus. Ideo modica quæ patimur, respectu maximorum suppliciorum quæ pati meruimus, æquanimiter toleremus, nec peccata quibus Dei sanctitatem offendimus, parvi pendamus. *Factus est cursus eorum malus.* Quanto quis ardentius diligit Deum, tanto est promptior ad divina ; quo autem plus amat quæ mundi sunt, tanto celerius atque avidius non solum tendit, sed etiam currit ad mala. *Et fortitudo eorum dissimilis.* Fortitudo bonorum et electorum, est carnis

concupiscentias, mundi vanitates, diaboli- A
ca tentamenta calcare, Deo constanter ser-
vire, cunctis vitiis viriliter reluctari, atque
in his usque ad finem perseverare. Econ-
trario fortitudo pravorum, est desideriis
carnalibus præbere effectum, satagere in
hoc mundo ditari, ad altiora præ ceteris
promoveri : fortes sunt ad exsecutionem
peccati, debiles ad resistendum iniquitati.
11 *Propheta namque et sacerdos polluti
sunt.* Per prophetam intelliguntur doctores
ac prædicatores, qui polluuntur, dum ea
quæ docent, non operantur. *Et in domo* B
mea, scilicet in Ecclesia, *inveni malum
eorum.* De qua domo ait Apostolus ad He-
ebr. III, 6. bræos : Christus tanquam filius in do-
12 mo sua, quæ domus sumus nos. *Idcirco
via eorum erit quasi lubricum in tene-
bris.* Via est conversatio nostra, quæ tunc
est quasi lubricum in tenebris, dum per
abrupta ac mollia gradimur vitiorum, luce
gratiæ destituti, atque in tenebris impieta-
tis et errorum locati. *Impellentur, et cor-
ruent in ea.* Impelluntur quippe iniqui et
præcipitantur a diabolo et propriis moti- C
bus ad innumerabilia mala, deinde inci-
13 dunt sempiterna supplicia. *Et in prophetis
Samariæ vidi fatuitatem.* Isti sunt magi-
stri hæreticorum, in quibus sunt errores
pravissimi : qui decipiunt populum Israel,
14 trahendo Catholicos ad suas perfidias. *Et
in prophetis Jerusalem,* id est doctoribus
Ecclesiæ, *vidi similitudinem :* quoniam
quantum ad multa peccata, conformes sunt
illis : qui nonnunquam confortant manus
pessimorum suis verbis vel vitiosis exem-
plis, dando illis peccandi audaciam, vel D
potentibus atque divitibus sibique caris
15 blandiendo. *Ecce ego cibabo eos absinthio,*
etc., id est infernalibus pœnis, juxta illud
ob XXI, 20. Job : De furore Omnipotentis bibet malus.
A prophetis enim Jerusalem, id est a do-
ctoribus et magistris Ecclesiæ, *egressa est
pollutio super omnem terram,* id est ad
universos Christianos, quorum ruinæ cau-
sa potissima, est error et impia vita eo-
rum a quibus fuerant informandi.
16 Denique jubet Dominus, ne prophetarum
fallacium, aut deceptorum et somniato-
rum, qui quidquid somniant, revelationem
Dei existimant, verbis credamus. Stultum
est enim intendere somniis, juxta illud
Ecclesiastici : Quasi qui apprehendit um- Eccli.
bram et persequitur ventum, sic visio XXXIV, 2, 3.
somniorum. *Quis enim adfuit in consilio* 18
Domini, et vidit et audivit sermonem ejus?
Consilio Dei intersunt, qui per donum sa-
pientiæ quasi secretarii Dei efficiuntur,
quibus Deus operum suorum revelat my-
steria, occultorumque pandit causas effe-
ctuum, ac de agendis instruit. Sic consilio
Dei interfuit Paulus qui loquitur : Non Act. XX, 27.
subterfugi quominus annuntiarem vobis
omne consilium Dei. Et in libro Sapientiæ
scriptum est : Quis hominum poterit scire Sap. IX, 13,
consilium Dei? aut quis poterit cogitare 17.
quid velit Deus? Sensum autem tuum, Do-
mine, quis sciet, nisi tu dederis sapien-
tiam, et miseris spiritum sanctum tuum
de cœlis? Itaque qui Dei consilio cupit ad-
stare, et de secretis ab ipso doceri, studeat
cordis puritati ac divino amori, vana cun-
cta despiciens. Verumtamen quum consi-
lium sit processus inquisitivus, non sor-
titur proprie locum in Deo, secundum
Damascenum, qui et asserit quod consi-
lium sit ignorantis naturæ; sed adscribitur
Deo, quantum ad id perfectionis quod in
ratione consilii continetur. In consilio enim
notatur sagax provisio, quæ competit Deo.
Ecce turbo dominicæ indignationis egre- 19
dietur. Hoc erit potissime in die judicii,
quum dicturus est Christus, Ite, maledicti, Matth. XXV,
in ignem æternum : quando complebitur 41.
illud Isaiæ : Ecce nomen Domini venit de Is. XXX, 27.
longinquo, ardens furor ejus, et gravis ad 28.
portandum; labia ejus repleta sunt indi-
gnatione; spiritus ejus velut torrens inun-
dans ad perdendas gentes. *Non revertetur* 20
*furor Domini usque dum faciat, et usque
dum compleat cogitationem cordis sui.*
Quidam putabant omnes in die judicii esse
salvandos impios, scilicet precibus Sancto-
rum, alii quoque imaginabantur pœnas
inferni tandem aliquando finiendas, sicut
in libro de Civitate Dei plenius recitat Au-

gustinus. Istis ergo dicendum, quod non
desinet furor Domini Salvatoris, quoadus-
que cuncta impleverit quæ per se ipsum
et per Prophetas atque Apostolos Dei, de
finali judicio infernaliumque perpetuitate
pœnarum prædixit. *In novissimis diebus,*
videlicet in fine mundi, imo et in parti-
culari vestro judicio, *intelligetis,* o impii,
consilium ejus : tunc enim per effectum
scietis vera esse quæcumque de die judi-
cii ac pœnis inferni credit Ecclesia ; et
Sap. v, 2. videntes tunc quæ modo non creditis, aut
non satis perpenditis, turbabimini timore
horribili.

21 *Non mittebam prophetas, et ipsi curre-*
bant. Hoc applicandum est contra eos qui
propriis industriis et conatu ad curam per-
veniunt animarum, ad ecclesiasticas di-
gnitates, ad prædicationis officium : non
Hebr. v, 4. obstante quod ait Apostolus, Nemo assumit
sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tan-
Ibid. 5. quam Aaron; et rursus, Christus non se-
metipsum clarificavit ut pontifex fieret.
Non loquebar ad eos, et ipsi propheta-
bant. Sic multi nunc docere et prædicare
præsumunt, quum non audiant Dominum
Deum sibi interius loquentem, imo et quod
eis inspirat, non audiunt, id est, non im-
plent. Advertant ergo quod scriptum est :
Ps. XLIX, 16. Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enar-
Act. I, 1. ras justitias meas? Et item : Cœpit Jesus
22 facere et docere. *Si stetissent in consilio*
meo, etc. Si prædicatores et pastores Dei
consilio acquiescerent bene vivendo, ejus-
que verba populo christiano notificarent,
nullum est dubium quin plurimos a pec-
catis suis averterent.

23 *Putasne Deus e vicino ego sum?* Quoniam
itaque Deus altissimus his verbis ostendit
se ubique præsentem et omnia intuentem,
ejus ubique et semper superbenedictam
præsentiam consideremus ac veneremur,
III *Reg.* XVII, 1; XVIII, 15; IV *Reg.* III, 14; V, 16. *Ps.* XVIII, 15. dicentes cum Sanctis : Vivit Dominus, in
cujus conspectu sto hodie ; et, Meditatio
cordis mei in conspectu tuo semper. Gran-
dis nobis bene agendi necessitas, quod an-
te conspectum Judicis universa videntis,
28 agimus cuncta. *Quid paleis ad triticum?*

A Paleæ sunt cogitationes inanes, et vanitates
et levitates mundanæ, quas prorsus abje-
ctare oportet, si sanctis meditationibus ac
virtuosis affectibus, quibus velut tritico
pascitur anima, impleri optamus : alioqui
erimus sicut arundo vento agitata.

Numquid non verba mea sunt quasi 29
ignis ardens? *dicit Dominus.* Quid ergo
est, quod verba Spiritus Sancti quotidie
audimus ac legimus, nec tamen accendi-
mur, sed frigidi remanemus, nisi quod in-
dispositio materiæ est in causa? Quemad-
B modum enim ligna viridia et humecta non
faciliter inflammantur, nisi humor inclu-
sus aut superinductus repellatur et consu-
matur; sic corda carnalium concupiscen-
tiarum humore ac propriæ perversitatis et
vanitatis abundantia, quasi aquarum li-
quore perfusa, igne divini eloquii non
incenduntur, nisi a præfatis passionum ac
vitiorum humoribus desiccentur. Cessent
ergo huic mundo virescere et florere, imo
ab amore sæculi prorsus arescant, ut instar
siccorum lignorum verba Dei audiendo
C protinus calefiant. Sic aruit mundo quæ
dixit : Anima mea liquefacta est (haud du- *Cant.* v,
bium quin igne divini amoris) ut dilectus
locutus est. *Et quasi malleus conterens*
petram. Diversis rebus verba Dei compa-
rantur, propter varias suas operationes.
Apostolus nempe ad Ephesios sexto, gla- *Ephes.* v
dium spiritus vocat verbum Dei : de quo 17.
Psalmista ait ad Christum, Accingere gladio *Ps.* XLIV,
tuo super femur tuum, potentissime ; de
quo et in Apocalypsi habetur, De ore ejus *Apoc.* I,
gladius ex utraque parte acutus exibat.
D Porro Joannes Baptista verbum commina-
tionis divinæ appellat securim, dicendo :
Jam securis ad radicem arboris posita est. *Matth.* III,
Unde et hoc loco, pro malleo, Septuagin- 10.
ta transtulerunt, Securim. Rursus verbum
Dei, virga asseritur Isaiæ undecimo, quod
de Christo inducitur : Percutiet terram *Is.* XI, 4.
virga oris sui. Iterum verbum Dei dicitur
cibus et potus, ignis et baculus. Gladius, *Deut.* VIII,
quoniam penetrat mentem; securis, quia 3.
amputat vitia; virga, quia corrigit delin-
quentes; cibus ac potus, quia reficit ani-

mam. Duriora ergo saxis sunt corda eorum A
qui verba Dei toties audiunt, nec tamen a
sua franguntur duritia, neque recipiunt
disciplinam.
Postremo, ex fine hujus capituli terri-
biliter arguuntur, qui verba divina irri-
sorie audiunt aut pervertunt, vel ea in
ludum ac jocum accipiunt. Non enim vult
Spiritus Sancti adoranda majestas, verba
sua irreverenter tractari.

ARTICULUS XLI

ELUCIDATIO CAPITULI VICESIMI QUARTI : OSTENDIT MIHI DOMINUS : ET ECCE DUO CALATHI PLENI FICIS.

HOC nunc explanando brevi capitulo B
ostendit Dominus differentiam inter
1 sibi obedientes ac rebelles. *Ostendit mihi*
Dominus. Ostensio ista quæ subditur, fa-
cta est Jeremiæ per imaginariam visio-
nem, cujus significationem Dominus re-
velavit Prophetæ. *Et ecce duo calathi,* id
est sportæ seu cophini, *pleni ficis, positi*
ante templum Domini, postquam transtu-
lit Nabuchodonosor Jechoniam filium Joa-
kim regem Juda, et principes ejus, et fa-
brum, et inclusorem, de Jerusalem, puta
auri fabros, et qui auro atque argento C
gemmas includunt : quæ ars apud barba-
ras nationes pretiosissima est, secundum
Hieronymum. *Et adduxit eos in Babylo-*
nem. Iste est Jechonias, qui ad consilium
IV *Reg.* xxiv, 12. Jeremiæ exivit ad regem Babylonis, cum
matre et conjuge atque principibus : de
Jer. xxii, 24-30. quo dictum est. *Calathus unus ficus ha-*
2 *bebat bonas nimis, ut solent ficus esse pri-*
mi temporis maturationis ficuum, quæ op-
timæ sunt. Unde in Michæa scriptum est :
Mich. vii, 1. Præcoquas ficus desideravit anima mea. *Et*
calathus unus, id est alter, *ficus habebat* D
malas nimis, quæ comedi non poterant, eo
quod essent malæ.
3 *Et dixit Dominus ad me,* non quasi
ignorans, sed instruere volens : *Quid tu*
vides, Jeremia? Et dixi : Ficus, ficus bo-
nas, bonas valde; et malas, malas valde.
4 *Et factum est verbum Domini ad me, di-*
5 *cens : Sicut ficus hæ bonæ, sic cognoscam*
transmigrationem Juda, quam emisi de
loco isto in terram Chaldæorum, in bo-
num : id est, regi Jechoniæ ac ceteris de
quibus nunc dictum est, qui magis pro-
prie dicuntur transmigrati, quam capti,
quoniam sponte se hostibus tradiderunt,
benefaciam.
Et ponam oculos meos super eos ad 6
placandum, id est, clementer eos adspi-
ciam ad parcendum. *Et reducam eos in*
terram hanc, et ædificabo eos, et non de-
struam. Per hoc non est intelligendum
quod omnes redirent, sed multi, de qui-
bus in Esdra habetur. Multi quoque eorum I *Esdr.* ii.
qui in Chaldæa et aliis hinc inde locis
manserunt, prosperabantur ibidem, et me-
lius valde habuerunt quam illi qui contra
consilium Dei per Jeremiam, in Jerusalem
residebant, repugnare nitentes regi Baby-
lonis. Nam et ipse Jechonias (ut dictum IV *Reg.* xxv, 27-30.
est) fuit tandem eductus de carcere, et su-
per alios reges locatus. Daniel autem et *Dan.* ii, 48, 49.
socii ejus, principes Babyloniorum effecti
fuerunt : Mardochæus etiam maxime fuit *Esther* vi, viii.
exaltatus. Nec dubium quin isti, Judæis
secum abductis, atque hinc inde disper-
sis, valde exstiterunt generosi : imo quan-
tum fuerint per Mardochæum sublimati,
patet in libro Esther. *Ibid.* ix.
Et dabo eis cor ut sciant me, quia ego 7
sum Dominus, id est, salutari scientia ac
spiritualibus donis corda eorum implebo :
quod constat impletum in Esdra, Nehe-

mia, Jesu sacerdote magno, Zorobabel, mul-
tisque aliis, qui cum eis de Babylonia
reversi sunt in Judæam. *Et erunt mihi in
populum* per providentiam singularem, ita
quod efficaciter dirigam eos in viam sa-
lutis æternæ : sic namque omnes electi
sunt populus Dei ; *et ego ero eis in Deum*
per devotionem et cultum; *quia reverten-
tur ad me in toto corde suo,* id est intelle-
ctu ac voluntate, juxta illud in Psalmo :
Ps. IX, 2; Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo.
LXXXV, 12; CX, 1; Et in Joele Dominus ait : Convertimini ad
CXXXVII, 1. me in toto corde vestro, in jejunio et fletu
Joel II, 12. et planctu. Denique qui in omnibus ac-
tibus suis Deum intendit, ejusque glori-
am quærit, et omnes suas affectiones in
ipso ordinat, nec aliquem affectum divi-
no amori contrariantem admittit, iste in
toto corde suo ad Deum convertitur; non
ille qui partim Deo, et partim adhæret
mundo.

Consequenter exponitur quid malæ fi-
8 cus designent. *Et sicut ficus pessimæ quæ
comedi non possunt, eo quod sint malæ,
hæc dicit Dominus, sic dabo Sedeciam re-
gem Juda, et principes ejus, et reliquos de
Jerusalem, qui remanserunt in urbe hac,*
puta in Jerusalem, *et qui habitant in ter-
ra Ægypti,* id est, illuc timore Chaldæo-
rum fugerunt, et post mortem Godoliæ il-
9 luc iverunt. *Et dabo eos in vexationem*
A *afflictionemque omnibus regnis terræ,* ita
quod ab omnibus ad quos venerint, vexa-
buntur, vel quod cetera regna, Judæorum
tam gravi vastitate audita, timore vexa-
buntur, ne et eis talia a rege Babylonis
inferantur adversa ; *in opprobrium, et in
parabolam, et in proverbium, et in male-
dictionem, in universis locis ad quæ eje-
ci,* id est, jam statim ejiciam, *eos. Et mit-* 10
*tam in eos gladium, et famem, et pestem,
donec consumantur de terra quam dedi
eis et patribus eorum,* scilicet de Judæa.
B Aliqui enim eorum interierunt gladio Chal-
dæorum, alii fame, alii peste ; ipseque Se- IV Reg. XXV,
decias rex exoculatus, ductus est in Ba- 7.
bylonem, et ibidem in carcere obiit. —
Præterea quæ hic de Sedecia ac populo
ejus dicuntur sub similitudine calathi, fi-
cus inutiles continentis, in Ezechiele de Ezech. XV.
eisdem leguntur sub similitudine ligni vi-
tis, quod eradicatum, ad nihil utile est nisi
ut comburatur. Allegationes, brevitati stu-
dens, omitto.

Porro juxta sensum moralem, per ficus
C bonas signantur Christiani, potissime re-
ligiosi, divinæ dulcedinis gratia decorati,
affabiles, mansueti, ad alios dulciter se
habentes ; per ficus vero malas, duri, pro-
tervi, agrestes, ac Deo rebelles, qui prin-
cipibus tenebrarum traduntur, atque ju- Jacob. II, 13.
dicium sine misericordia promerentur.

ARTICULUS XLII

ELUCIDATIO CAPITULI VICESIMI QUINTI : VERBUM QUOD FACTUM EST AD JEREMIAM DE OMNI POPULO JUDA.

1 VERBUM *quod factum est,* utique a Do-
mino, *ad Jeremiam de omni populo
Juda, in anno quarto Joakim filii Josiæ
regis Juda.* Ex hoc innotescit, quod hoc
loco non observatur a Propheta temporis
ordo, ut quæ prius revelata sunt vel facta,
prius scribantur, sicut nec aliis locis fre-
D quenter in hoc volumine aliisque Prophe-
tis. *Post quam Jechonias translatus est in
Babylonem.* Jechonias iste fuit filius Joa- I Par. III,
kim, et post mortem ejus translatus est. 16.
Idcirco quod ait, Post quam, sunt duæ
dictiones, ut sit sensus : Post quam, sci-
licet revelationem hic positam, translatus

est Jechonias in Babylonem. Joakim quip-
II *Par.* xxxvi, 5. pe regnavit undecim annis : ideo octavo
anno post istam revelationem translatus
est Jechonias. Vel, Postquam translatus est,
id est, jam ante prædictus est transferen-
dus. *Ipse est annus primus Nabuchodono-*
sor regis Babylonis, qui secundum Hiero-
nymum, cœpit regnare quarto anno Joakim
filii Josiæ. Unde annus qui primus erat
imperii Nabuchodonosor in Babylone, fuit
2 quartus regni Joakim in Jerusalem. *Quod,*
scilicet verbum divinitus revelatum, *locu-*
tus est Jeremias ad omnem populum Juda,
et ad universos habitatores Jerusalem, qui
fuerunt præcipua pars populi Juda, *dicens:*
3 *A tertiodecimo anno* regni *Josiæ, filii*
Amon, regis Juda, usque ad diem hanc,
iste est tertius et vicesimus annus, id est
annus vicesimus tertius. Quemadmodum
enim in exordio libri hujus scriptum est,
Jer. i, 2. Jeremias orsus est vaticinari tertiodecimo
IV *Reg.* xxii, 1. anno regni Josiæ, qui regnavit triginta et
uno annis. Sicque a tempore illo usque ad
quartum annum regni Joakim, transierunt
viginti tres anni. *Factum est verbum Do-*
mini ad me, id est, infra hos tres annos
Dominus mihi locutus est per spiritum
prophetiæ. Deinde subditur verbum quod
Dominus frequenter locutus est per Jere-
miam. *Et locutus sum ad vos de nocte*
consurgens, id est, nocturno tempore pro-
pheticas illustrationes infundens, sicque
in actum procedens, *et loquens; et non au-*
distis, id est, non obedistis. Verba ista
Jer. vii, 13. superius plenius exposita sunt.
4 *Et misit Dominus ad vos omnes servos*
suos Prophetas, omnes videlicet qui is-
tis vestris diebus fuerunt, et vobis locuti
sunt : quorum unus fuit Sophonias, unus
duodecim Prophetarum. Prophetæ quoque
qui diu ante istos fuerunt Judæos, ad eos
missi dici possunt, vel quia eorum libri
istis relicti sunt, vel quia nomine horum,
totus Judæorum populus, qui successive
a principio fuit, signatur. *Consurgens dilu-*
culo, mittensque, id est, mane atque cele-
riter faciens admonitiones. Tempus autem
nocturnum, ad divinarum susceptionem

A illuminationum magis idoneum est, quia
tunc omnia conquiescunt, et imaginativa
exstat quietior, exterioresque sensus a suis
suspensi sunt actibus. Diluculo quoque,
dum homines adhuc sobrii sunt, ad au-
diendum verbum Dei, ceterosque actus
rationis, aptiores consistunt. *Et non audi-*
stis, neque inclinastis aures vestras ut au-
diretis, quum diceret Dominus per Pro- 5
phetas : *Revertimini unusquisque a via*
sua mala, et a pessimis cogitationibus ve-
stris. Ineffabilis est ista clementia, quum
B is qui offensus est atque injuriam passus,
hortatur offendentes quatenus se emen-
dent. *Et habitabitis in terra,* etc., scilicet
in Judæa. Ista sunt plana. *Et nolite ire* 6
post deos alienos, etc. ; *et non affligam vos,*
etc., si in istis obedieritis mihi. Quasi di-
cat : Præterita mala, etiam et quantum
ad pœnam, remittam, nec Chaldæi affli-
gent vos.
Propterea hæc dicit Dominus exercitu- 8
um : Pro eo quod non audistis verba mea,
ecce ego mittam, et assumam universas 9
C *cognationes aquilonis,* id est Chaldæos,
qui juxta situm Jerusalem, in aquilonari
sunt parte, secundum Hieronymum, *et Na-*
buchodonosor regem Babylonis servum me-
um, id est meæ justitiæ exsecutorem, et
voluntati meæ in Judæorum afflictionibus
servientem. Misit autem Dominus ad Chal-
dæos, quia ex ejus instinctu contra Judæos
venerunt, et id ipsum per angelos eis in-
spiravit. Unde secundum Hieronymum, an-
gelos misit ad eos. Verumtamen, quoniam
Chaldæi non recta intentione venerunt, ne-
D que quod Deus inspiravit, juste sunt ex-
secuti, quantum ad hoc quod cum pravo
affectu cogitaverunt venire, ab angelis ma-
lis, quos et Dominus mittere perhibetur,
inspirati fuerant. *Et adducam eos super*
terram istam, puta Judæam, *et super om-*
nes nationes quæ in circuitu illius sunt,
id est Philistæos, Ammonitas, Moabitas, ac
Idumæos, quos vastaverunt Chaldæi. *Et*
interficiam eos gladio Chaldæorum, *et po-*
nam eos in stuporem, et in sibilum, et in
solitudines sempiternas, quantum ad hoc,

quod isti occisi, nunquam redeunt ad hu-
jus sæculi vitam. Posuit autem eos Domi-
nus in stuporem ac sibilum, quia tam
graviter eos punivit, quod alii obstupesce-
bant, atque in signum sui stuporis sibi-
lum emiserunt.

10 *Perdamque ex eis vocem gaudii, vocem
sponsi et sponsæ, vocem molæ, et lumen
lucernæ,* etc., ita quod ultra non utentur
11 molis aut lucernis in propriis terris. *Et
servient omnes gentes istæ,* scilicet Judæi
ac ceteræ nationes præfatæ, ac aliæ mul-
tæ, *regi Babylonis septuaginta annis :* non
quod ipsi Nabuchodonosor tanto tempore
servierunt, quum nec tam diu regnaverit;
sed tempus istud a Nabuchodonosor cœ-
pit, et in ejus nepote, scilicet Balthasar
rege, filio filii hujus Nabuchodonosor, fuit
12 finitum. *Quumque impleti fuerint septua-
ginta anni, visitabo,* id est, vindictam in-
ducam, *super regem Babylonis,* scilicet
ipsum Balthasar filium filii Nabuchodono-
sor regis, *et super gentem illam,* etc., puta
Chaldæos, *et super terram Chaldæorum,*
non solum habitatores, sed et habitacula
devastando : quod constat impletum per
Dan. v, 31. Darium regem Medorum, et Cyrum regem
Persarum. *Et ponam illam in solitudines
sempiternas,* potissime quantum ad ejus
metropolim : usque in præsens enim Ba-
bylon manet deserta.

13 *Et adducam super terram illam omnia
verba quæ locutus sum contra eam* per
Prophetas. De hac etenim Chaldæorum vi-
sitatione, multa valde in Isaia ceterisque
Prophetis conscripta sunt. *Omne quod con-
scriptum est in libro isto,* id est universa
supplicia quæ Jeremias in hoc scripsit vo-
lumine contra eos, *quæcumque propheta-
14 vit Jeremias adversus omnes gentes : quia
servierunt eis,* id est Chaldæis, tanquam
eis subjugatæ, *quum essent gentes multæ
et reges magni.* Habuerunt enim aliquæ
gentium harum reges eximios, et aliquæ
nationum istarum fuerunt Chaldæis auxi-
lio contra Judæos : propter quod meru-
erunt puniri sicut Chaldæi. Quamvis et-
enim hi Chaldæi fuerunt instrumentum
A divinæ justitiæ in Judæos, hoc tamen fe-
cerunt invidiose atque crudeliter, et suis
viribus, non potestati divinæ, adscripse-
runt victoriam ; nec Deo vero, sed suis
idolis gratias reddiderunt : quemadmodum
in Isaia Dominus de rege Assyriorum te-
statur : Væ Assur, virga furoris mei et *Is.* x, 5, 7.
baculus, ipse est ; ipse autem non sic ar-
bitrabitur, sed ad conterendum erit cor
ejus. Verumtamen Nabuchodonosor rex per
Dei flagella Deum verum cognovit, ejus-
que potentiam humiliter fassus est, dicen-
B do illud Danielis : Ego Nabuchodonosor *Dan.* IV, 31, 32.
oculos meos ad cœlum levavi, et Altissi-
mo benedixi, et Viventem in sempiternum
laudavi et glorificavi : quia potestas ejus,
potestas sempiterna, et regnum ejus in
generationem et generationem ; et omnes
habitatores terræ apud ipsum in nihilum
reputantur. *Et reddam eis,* id est Chal-
dæis, *secundum opera eorum,* etc., puni-
endo eos per Medos et Persas.

Quia sic dicit Dominus exercituum, 15
Deus Israel, ad me Jeremiam : *Sume ca-
C licem vini furoris hujus,* id est gravis
punitionis, *de manu mea, et propinabis
de illo cunctis gentibus,* id est, universas
gentes prænuntiabis de hoc calice bibi-
turas, seu pœnam a me infligendam pas-
suras, *ad quas ego mittam te,* id est, ad
quarum considerationem cor tuum con-
vertam, teque spiritualiter dirigam : non
enim Jeremias corporaliter ivit ad omnes
gentes subscriptas. *Et bibent,* id est, pœ- 16
nam hanc sentient ; *et turbabuntur, et in-
sanient,* id est, usum rationis amittent, *a
D facie gladii quem ego mittam inter eos,* id
est præ adspectu atque timore gladiorum
hostilium, quibus trucidabuntur.

Et accepi calicem de manu Domini, id 17
est, punitionem hanc gentium suscepi, aliis
prænuntiandam ex divino præcepto. Est-
que probabile quod in imaginaria visione
apparuit Jeremiæ, quasi de manu Domini
sumeret calicem, atque ex illo gentibus
propinaret ; moxque Deo docente per an-
gelum, intellexit quid hæc designarent. De
calice isto ait Psalmista : Calix in manu *Ps.* LXXIV, 9.

Domini, vini meri plenus mixto; bibent A
omnes peccatores terræ. Item ad Jerusa-
Is. LI, 17. lem Isaias : Calicem furoris bibisti usque
ad fundum. *Et propinavi cunctis genti-*
bus, ad quas misit me Dominus, id est,
puniendas eas prædixi. Denique ne Deus
videatur personarum acceptor, a suo inci-
18 pit populo. Nam subditur : *Jerusalem et*
cunctis *civitatibus Juda, et regibus ejus,*
scilicet Joakim, Jechoniæ, ac Sedeciæ, *et*
principibus ejus; ut darem, id est, dandos
prædicerem, *eos in solitudinem,* id est de-
solationem ac derelictionem, *et in stupo-* B
rem, et in sibilum, et in maledictionem :
vers. 9. quæ verba jam paulo ante exposita sunt ;
sicut est dies ista, id est, quemadmodum
cito implebitur sub Sedecia : loquitur enim
de futuro instar præteriti.
19 Propinavi quoque *Pharaoni regi Ægy-*
pti, et servis ejus et principibus ejus, etc.,
qui ante afflixerunt Judæos, deinde de-
derunt eis vanam fiduciam audaciamque
Jer. XXI, 9; XXVII, 12. resistendi Chaldæis, contra consilium Je-
20 remiæ ; *et universis generaliter,* id est
ceteris habitantibus in Ægypto, qui ta- C
men non erant Ægyptii, sed adventicii ;
cunctis regibus terræ Ausitidis : quæ ter-
ra, secundum Hieronymum, in Hebræo di-
citur, Terra Hus : de qua fuit Job. Unde
Job I, 1. quod nostra translatio habet, Vir erat in
terra Hus, nomine Job ; alia, scilicet Sep-
tuaginta interpretum, continet : Homo erat
in regione Ausitidis, nomine Job. *Et cun-*
ctis regibus terræ Philistiim, cujus urbes
subduntur : *et Ascalonis, et Gazæ, et Azo-*
* reliquiis *ti, et Accaronis;* insuper *et reliquis* * re-
21 gibus *Idumææ,* in qua Esau habitavit, *et* D
22 *Moab, et filiis Ammon; et cunctis regibus*
Tyri, et universis regibus Sidonis. Istæ
urbes fuerunt in littore Phœniciæ, et a
Chaldæis victæ fuerunt. *Et regibus terræ*
insularum quæ sunt trans mare, id est
ultra partem maris : tamen inclusæ sunt
mari, propter quod insulæ nominantur,
ut Cyprus et Rhodus, secundum Hierony-
23 mum ; *et universis qui attonsi sunt in co-*
Jer. IX, 26. *mam,* id est, qui comam nutrierunt : de
24 quibus dictum est supra. *Et cunctis regi-*
bus Arabiæ, et cunctis regibus occiden-
tis, etc.; *et cunctis regibus terræ qui sunt* 26
super faciem, id est superficiem *ejus.* Ista
hyperbolice dicta sunt : non enim absolute
loquendo, omnia regna terræ fuerunt a
Chaldæis vastata aut subjugata, sed multa.
Juxta quem modum Cyrus ait : Omnia re- I Esdr. I, 2.
gna terræ dedit mihi Deus cœli. Et Judæi
dixerunt de Christo : Ecce totus mundus Joann. XII, 19.
abiit post eum.

Et rex Sesach, id est Babylonis, *bibet*
post eos : id est, præfatæ nationes a Chal-
dæis vastandæ sunt : quo facto, et ipsi
Chaldæi vastabuntur. Cur autem Babylon
dicatur Sesach, S. Hieronymus satis decla-
rat. Nec valet quod quidam per Sesach in-
telligit regem Ægypti proprio nomine de-
signari. Rex enim Ægypti non fuit ultimo
a Chaldæis vastatus, sed pene cum primis :
quod ex quarto Regum libro et his quæ
infra dicentur, innotescit. Expositio quoque
Hieronymi, convenientiorem habet conde-
pendentiam ad prædicta. Infra quoque ad
litteram per Sesach intelligitur Babylon,
quum dicitur, Quomodo capta est Sesach? Jer. LI, 41.
Nec dubium quin ibi de Babylone sit ser-
mo. Rex autem Ægypti est Susac.

Et dices, o Jeremia, *ad eos,* videlicet po- 27
pulos ante dictos : *Bibite et inebriamini,* id
est, pœnam hanc sentite, et ea implemi-
ni, *et vomite, et cadite,* id est, sanguinem
proprium, ab hostibus vulnerati, fundetis,
ac moriemini. *Quumque noluerint accipere* 28
calicem de manu tua ut bibant, id est, ad
sustinendum supplicia eis prænuntiata ex-
hibuerint se imparatos, *dices ad eos :* non
quod ore tenus locutus sit gentibus istis
Jeremias, nisi Judæis, et forte aliquibus
aliis. Ideo, Dices ad eos, vel, de eis, ita
quod prophetia tua eos concernat : *Hæc*
dicit Dominus exercituum : Bibentes bi-
betis, id est, punitionem præfatam utique
sustinebitis. Quod patet per locum a ma-
jori : *quia ecce in civitate in qua invoca-* 29
tum est nomen meum, id est in Jerusalem,
in qua est templum divino cultui deputa-
tum, *ego incipio affligere,* id est Judæos
punire ; *et vos quasi innocentes, immunes*

eritis? id est, peccata vestra erunt inulta, A
quum sitis idololatræ et idolorum fana
habentes? quasi dicat, Nequaquam. Ideo
subditur : *Non eritis immunes. Gladium
enim ego voco super omnes habitatores ter-
ræ,* id est gentibus de quibus jam dictum
est, inducam gladium Chaldæorum. Totum
Ezech. XXI. istud in Ezechiele habetur.
30 *Et tu,* o Jeremia, *prophetabis, et dices :
Dominus de excelso rugiet,* id est, adver-
sarios suos vehementer terrebit, atque per
instrumenta suæ justitiæ Chaldæos, terri-
biliter alloquetur, *et de habitaculo sancto* B
suo dabit vocem suam, id est, de cœlo altis-
simo, in quo specialiter esse residereque
dicitur, eo quod ibi clarius videatur ac
evidentius operetur, jubebit impleri quæ
per Prophetas prædixit. Simile huic est,
quod Joelis ultimo et in Amos habetur :
Joel III, 16; Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem
Amos I, 2. dabit vocem suam. Nam et hic per excel-
sum, intelligi potest templum in monte
Sion locatum, in quo fuerat sedes Dei.
Rugiens rugiet super decorem suum, id
est, quasi leo commotus super templum C
hostes adducet. Per rugitum autem terror
divini judicii designatur, juxta illud Amos :
Amos III, 8. Leo rugiet, quis non timebit? *Celeuma,* id
est carmen hujuscemodi, *quasi calcantium
in torculari, concinetur adversus omnes
habitatores terræ :* id est, quemadmodum
uvarum calcatores hilariter cantant, dum
copiosum vinum expresserint, ita Chaldæi
in occisione habitantium super terram,
lætabantur atque cantabant. Est autem
celeuma proprie carmen vindemiatorum,
quando in fine vindemiæ abundans vinum D
31 habuerint. *Pervenit sonitus usque ad ex-
trema terræ,* id est, ululatus et fletus pœ-
nitentium, vel exsultatio Chaldæorum vin-
centium, audietur usque ad remotissima
mundi loca, ubicumque scilicet venerint ;
quia judicium Domino cum gentibus, id
est, gentes ipse Dominus dijudicabit, et
dignas percuti gladio Chaldæorum eas cen-
sebit. *Judicatur ipse,* id est, justus mon-
stratur, *cum omni carne,* id est in recta
omnium hominum judicatione, impiorum-
que punitione. Ideo subditur : *impios tra-
didi gladio,* id est, occisioni adjudicavi,
dicit Dominus, etc.
Ecce afflictio egredietur de gente in 32
gentem : quia Chaldæi per ordinem di-
versas nationes vastarunt ; *et turbo ma-
gnus egredietur a summitatibus terræ,* id
est, persecutio vehemens orietur a princi-
pibus Chaldæorum. *Et erunt interfecti Do-* 33
mini, id est homines divina virtute occisi,
in die, id est tempore, *illa a summo terræ
usque ad summum ejus.* Hoc rursus hy-
perbolice dicitur, scilicet per excessum, ad
innuendum quod in variis regionibus fie-
ret quasi incredibilis hominum strages.
Cui simile est quod Christus prædixit :
Angeli electos a summo terræ usque ad *Matth.*
summum cœli colligent. *Non plangentur,* XXIV, 31 ; *Marc.* XIII,
neque colligentur, neque sepelientur, id 27.
est, tot erunt occisi, quod sigillatim defleri
non poterunt nec sepeliri.
Denique redit Propheta ad suos. *Ulula-* 34
te, pastores, id est, sacerdotes atque do-
ctores Judæorum iniqui, *et clamate ; et
adspergite vos cinere* in signum doloris,
optimates gregis, id est, principes populi
hujus ; *quia completi sunt dies vestri ut
interficiamini,* id est, tempus vestræ oc-
cisionis nunc instat. Tunc enim completur
tempus punitionis pravorum, quando com-
plentur peccata eorum. Propter quod in
Genesi Dominus ait : Nondum completæ *Gen.* XV, 16.
sunt iniquitates Amorrhæorum. Et post-
ea ait : Clamor Sodomorum venit ad me. *Ibid.* XVIII,
Sustinet enim Deus hominum pravitates 20, 21.
usque ad certam mensuram, qua imple-
ta, ultionem ultra non differt, secundum
Augustinum. *Et dissipationes,* id est de-
structiones, *vestræ* ac rerum vestrarum
jam instant ; *et cadetis quasi vasa pretio-
sa :* quæ fracta, reparari de facili neque-
unt ; et perdita, non faciliter inveniuntur,
quia qui invenit ea, abscondit.
Et peribit fuga a pastoribus, et salvatio 35
ab optimatibus gregis, id est, manus non
effugient Chaldæorum. *Vox clamoris pa-* 36
storum, et ululatus optimatum gregis, sub-
audi, hinc erit ; *quia vastavit Dominus*

pascua eorum, id est, opes eorum et fru- A
ges ac victualia tradidit manibus Chaldæ-
37 orum, *et conticuerunt arva pacis,* id est,
agri inculti et infructuosi fuerunt : qui
agri ante fuerunt pacifice a Judæis pos-
sessi, et sua fructificatione fecerunt pos-
sessoribus suis quietem. Arva autem me-
taphorice dicuntur tacere, quando sunt
infructuosa ; et clamare atque cantare,
quando sunt fructuosa, juxta illud in Psal-
Ps. LXIV, 14. mo : Valles abundabunt frumento ; clama-
bunt, etenim hymnum dicent. Simili modo
dicimus pratum ridere. Et istud contigit B
a facie iræ furoris Domini, id est ab ad-
spectu seu illatione ultionis divinæ ju-
stitiæ.

38 *Dereliquit quasi leo tabernaculum su-
um,* id est, Deus templum suum deseruit
sicut leo. Quemadmodum enim leone cu-
stodiente locum, aliæ bestiæ non audent
accedere ; eo autem recedente, accedunt
secure : sic quamdiu Deus templum cu-
stodivit, non poterat dejici ; Deo autem
ipsum derelinquente, a Chaldæis est de-
molitum. *Quia facta est terra eorum,* ut- C
pote Judæorum, *in desolationem a facie
iræ columbæ,* id est Nabuchodonosor re-
gis, secundum Hieronymum. Unde pro co-
lumba, Septuaginta transtulerunt, Gladii
magni ; et secundum quosdam, in Hebræo
habetur, A facie iræ vinosæ, id est acer-
bæ : verbum enim Hebraicum forte æqui-
vocum est. Nec mirandum, si Nabuchodo-
nosor dicatur columba, quum paulo ante
vers. 9. dictus sit servus Dei. Vel ironice vocatur
columba, ob suam sævitiam atque astu-
tiam. *Et a facie iræ furoris Domini :* cu- D
jus justitia fuit principalis causa puni-
tionis Judaicæ plebis. Neque enim rex
Babylonis quidquam potuisset in eam, nisi
Deus ei fuisset iratus.

Sensus allegoricus. INSUPER, juxta allegoricum sensum, quid-
quid isto capitulo dictum est contra re-
belles Judæos, et ceteras gentes iniquas,
quod traderentur regi Babylonis et ejus
ministris : referendum est ad Christianos
Deo inobedientes, tam clericos quam vul-
gares, qui ob sua peccata principi tene-
brarum regi totius confusionis, et angelis
ejus traduntur : a quibus et occiduntur
nunc morte culpæ, quæ pessima est, de
qua ait Salvator, Dimitte mortuos sepelire Matth. VIII, 22.
mortuos suos ; deinde morte infernalis mi-
seriæ, quæ est mors secunda ac pœnalis- Apoc. XX, 14; XXI, 8.
sima. Istis paratus est calix iræ Dei, quo
eatenus implebuntur, quod penitus cadent
atque insanient : quia ut Salomon loqui- 16
tur, Nec opus, nec ratio, nec sapientia, Eccle. IX, 10.
neque scientia sunt apud inferos. Insuper
rugiens rugiet Dominus judex omnipotens 30
in die particularis judicii singulorum pra-
vorum, atque in die judicii universorum.
Quod autem subjungitur de fletu ac ulu- 34
latu pastorum ac optimatum, referendum
est ad negligentes, ambitiosos, carnales,
vitiosos Ecclesiæ principes et prælatos,
qui cadent irreparabiliter quasi vasa pre-
tiosa : quorum erit tanto gravior cruciatus,
quanto nunc est eorum major atque ini-
quior principatus. Adversus hos omnes
celeuma cantabitur, quoniam de eorum 30
impia conversatione ac perpetua damna-
tione invisibiles hostes lætantur, quemad-
modum scriptum est : Qui tribulant me, Ps. XII, 5.
exsultabunt si motus fuero.

Judicium Domino cum gentibus. Hoc est 31
quod in Osee habetur : Judicium Domino Osee IV, 1.
cum habitatoribus terræ. Ipse enim judi- Ps. XCVII, 9.
cat populos in æquitate. *Judicatur ipse
cum omni carne.* Dicitur Deus justus ac
sanctus in hominibus, cum hominibus, et
ab hominibus judicari, in quantum ejus
justitia in hominum æquissima ab ipso
judicatione cognoscitur, et ipse a cogno-
scentibus justus censetur. Hinc per Eze-
chielem ad filios Israel loquitur : Judicabor Ezech. XX, 35.
vobiscum facie ad faciem. Et Psalmista :
Tibi, inquit, soli peccavi, ut justificeris Ps. L, 6.
in sermonibus tuis, et vincas quum judi-
caris. *Ecce afflictio egredietur de gente in* 32
gentem, etc. Simile est quod in Evangelio
ait Salvator : Surget gens contra gentem, Luc. XXI, 10.
et regnum adversus regnum. Cetera ex
præhabitis patent, nec eadem resumenda
sunt sæpius.

ARTICULUS XLIII

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI SEXTI : IN PRINCIPIO REGNI JOAKIM FILII JOSIÆ.

1 IN *principio regni Joakim filii Josiæ* A
regis Juda, factum est verbum istud
2 *a Domino* ad me Jeremiam, *dicens : Hæc*
dicit Dominus : Sta in atrio domus Do-
mini, et loqueris ad omnes civitates Juda,
id est ad urbium habitatores, *de quibus*
veniunt earum habitatores, *ut adorent in*
domo Domini. Idcirco jussus est Jeremias
stare in atrio templi, quia ad illum locum
causa orationis et oblationis confluebant
Judæi, et quia in locis sacris potissime
prædicandum est verbum Dei. Hinc pasto-
res et prædicatores publice coram uni- B
versis in locis ecclesiæ verbum Dei cum
diligentia et fervore proponere debent.
Universos sermones quos ego mandavi tibi
ut loquaris ad eos, scilicet Judæos. *Noli*
subtrahere verbum, id est, ex timore aut
favore humano nihil minus dicas, quam
tibi injungo : quod omni prædicatori ac
pastori præcipitur, ne scilicet aliquorum
vitia palpet, aut verbum evangelicæ instru-
ctionis ad aliorum salutem necessarium,
ab eis abscondat amore proprii commodi
aut horrore periculi. Hinc in Deuterono- C
Deut. IV, 2. mio locutus est Moyses : Non adjicietis ad
verbum quod ego loquor vobis, neque au-
3 feretis ex eo. *Si forte audiant, et conver-*
tantur unusquisque a via sua mala. Lo-
quitur Dominus, Si forte, ad insinuandum
quod propter ejus providentiam, præscien-
tiam, prænuntiationem, non aufertur ho-
mini sua libertas, ita quod se excusare
non valet, quasi ob præscientiam Dei in-
fallibilem, non potuerit aliter evenire. *Et*
pœniteat me mali pœnæ, id est ultionis,
quod cogito facere eis propter malitiam D
studiorum eorum. Qualiter Deo pœnitentia
Jer. XVIII, 8, 10. ista conveniat, dictum est supra. Loquitur
quippe in Scripturis affectu et more hu-
mano, ut melius capiatur ; ceterum ipse
in se ipso invariabilis perseverat.

Ex præhabitis innotescit, Jeremiam non
observare ordinem rerum gestarum ac
temporis in his quæ scribit. Revelatio nam-
que præcedenti scripta capitulo, facta est
quarto regni Joakim anno ; hæc autem, in *Jer.* XXV, 1.
principio regni ejus, scilicet anno primo.

Et dices ad eos : Hæc dicit Dominus : Si 4
non audieritis me, etc., id est, nisi mihi
obedieritis, legis divinæ servando præce-
pta ac Prophetarum eloquia, *dabo domum* 6
istam sicut Silo, id est, templum permit-
tam destrui, sicut permisi destrui locum
Silo, ubi a tempore Josue constitutum fuit
tabernaculum Moysis. Istud superius habi- *Ibid.* VII, 12.
tum est, pleniusque expositum. *Et urbem*
hanc, puta Jerusalem, *dabo in maledictio-*
nem cunctis gentibus terræ, ita quod ejus
destructio seu maledictio omnibus pate-
fiet. Circa quod scribit Hieronymus : Sicut
constructo templo in area Ornan Jebusæi II *Par.* III, 1.
et in monte Moria, id est visionis, in quo
Abraham Isaac filium suum obtulisse nar-
ratur, cessavit religio Silo, nec postea ibi
sunt sacrificia celebrata ; sic exstructa Ec-
clesia, et spiritualibus in ea victimis im-
molatis, cessaverunt legis cærimoniæ, et
data est urbs Judæorum in maledictionem
omnibus gentibus terræ.

Et audierunt sacerdotes et prophetæ, vi- 7
delicet pseudo, *et omnis populus* ibi exsi-
stens, *Jeremiam loquentem verba hæc ;* et
apprehenderunt eum, etc., dicentes, *Mor-* 8
te moriatur : sicut et de Christo dixerunt, *Matth.* XXVII, 23.
Crucifigatur. *Quare prophetavit in nomi-* 9
ne Domini, id est, cur asseruit se ista
dicere ex commissione divina, *dicens, Sic-*
ut Silo erit domus hæc ? Isti autem ar-
bitrabantur Jeremiam hæc loqui non ex

inspiratione divina, sed diabolica aut con-
ficta; sed error eorum inexcusabilis fuit, et
ignorantia affectata, gravans potius quam
excusans peccatum, quoniam instrui re-
nuebant. *Et congregatus est omnis populus*
qui ista audivit, *adversus Jeremiam in do-
mum Domini :* nam et crescente rumore,
plurimi concurrebant.
10 *Et audierunt principes Juda,* id est ma-
jores palatii, *omnia verba hæc.* Talia nem-
pe solent celeriter principalioribus, ad
quos regimen pertinet, nuntiari. *Et ascen-
derunt de domo regis in domum Domini.*
Templum enim fuit altius situm regali
palatio : fuit namque in vertice montis
Sion, palatium vero in montis declivi. Spi-
ritualiter quoque in domum Domini ire,
ascendere est. *Et sederunt in introitu por-
tæ domus Domini novæ.* Officium namque
eorum erat, seditionis atque negotii co-
gnoscere veritatem. Quidam affirmant hanc
esse portam illam sublimissimam, quam
IV *Reg.* xv, 35. Joathan rex ædificasse legitur quarto libro
11 Regum. *Et locuti sunt sacerdotes et pro-
phetæ ad principes et ad omnem popu-
lum : Judicium mortis est viro huic, quia
prophetavit adversus civitatem istam, sic-
ut audistis,* etc. Ista fuit accusatio prorsus
irrationabilis, quasi non liceret contra Je-
rusalem prophetare, vel quasi ejus habi-
tatores non essent, si peccarent, puniendi;
vel quasi omnes Prophetæ qui contra eam
vaticinati sunt, meruerint mortem. Ex quo
secundum Hieronymum intelligimus, cru-
deliores fuisse in Prophetam per invidiam
sanctitatis, qui religioni videbantur dedi-
ti, quam qui necessitatibus publicis præ-
erant.
12 *Et ait Jeremias ad omnes principes et*
* universum *ad omnem* populum* illic præsentes : *Do-
minus misit me ut prophetarem* pertinen-
tia *ad domum istam et ad civitatem hanc
omnia verba quæ audistis.* Hæc fuit vera
responsio. Deinde ponit salubre consilium :
13 *Nunc ergo bonas facite vias vestras et stu-
dia vestra, et audite vocem Domini Dei
vestri, et pœnitebit Dominum mali quod
locutus est adversum vos,* id est, per mo-
A dum pœnitentis se habebit, pœnam com-
minatam non inferendo : quia commina-
tio ejus sic fuit intelligenda, nisi vitam et
mores corrigeretis; et si absolute ac defi-
nitive vestram punitionem prædixit, hoc
fuit quoniam vestram impœnitentiam præ-
cognovit, nec tamen ob id cessat vos ad-
monere, eo quod ejus præcognitio necessi-
tatem vobis non inferat. *Ego autem, ecce* 14
*in manibus vestris sum : facite mihi quod
bonum et rectum est in oculis vestris* inte-
rioribus, id est, prout justum ac bonum
B vera ratio judicat, idonea discussione præ-
habita. Non autem licentiat eos ad facien-
dum sibi, quod oculis eorum, passionum
fumo infectis, bonum rectumque apparuit.
Ecce hæc fuit responsio humilis ac mode-
sta. Nihilo minus constanter adjecit : *Uni-* 15
versi scitote et cognoscite,* id est, semel * Verumtamen
iterumque perpendite, *quod si occideritis
me, sanguinem innocentem tradetis con-
tra vosmetipsos, et contra civitatem hanc
et habitatores ejus :* id est, effusio sangui-
nis mei redundabit in vos, et vestræ puni-
C tionis erit causa. *In veritate enim misit
me Dominus ad vos, ut loquerer in auri-
bus vestris omnia verba hæc.* Quocirca ait
Hieronymus : Si quando ergo et nobis pro
necessitatis angustiis humilitate opus est,
sic eam assumamus, ne veritatem et con-
stantiam deseramus. Aliud est enim, su-
perbe contumeliam facere judicanti, quod
signum stultitiæ est; aliud, sic impendens
seu imminens vitare discrimen, ut de ve-
ritate nil subtrahas.
Et dixerunt principes et omnis populus 16
D *ad sacerdotes et prophetas.* Populus qui
ante consensit sacerdotibus ac prophe-
tis, male suasus ab eis, nunc pro Jeremia
se jungit principibus, præsertim quoniam
tam rationabili responsione fuerunt pla-
cati, potissime quia spem veniæ Dominus
eis, si se emendarent, spopondit : cito
equidem vulgus indoctum mutat senten-
tiam, secundum Hieronymum. Sacerdotes
vero et pseudo permanent in erroris mali-
tia : quo patet, quod hi qui sancti et sapien-
tes videntur, difficilius corriguntur. Subdi-

tur enim quid dixerint sæculares : *Non est* A
viro huic judicium mortis, id est, senten-
tiam damnationis non meruit; *quia in no-*
mine Domini Dei nostri locutus est ad nos.
17 *Surrexerunt ergo viri de senioribus ter-*
ræ. Isti fuerunt inter Judæos grandævi et
bene auditi. *Et dixerunt ad omnem cœ-*
18 *tum populi, loquentes : Michæas de Mo-*
rasthi fuit propheta in diebus Ezechiæ
regis Juda, et ait ad omnem populum Ju-
da : Hæc dicit Dominus : Sion quasi ager
arabitur, et Jerusalem in acervum lapi-
dum erit, et mons domus Domini, in quo B
scilicet monte situm fuerat templum, erit
in excelsa silvarum, id est, mons Sion et
Jerusalem totaliter destruentur, ita quod
arbusta quasi in silvis illico crescent. Iste
est Michæas unus duodecim Prophetarum,
Mich. III, 12. qui in libro suo præallegata verba con-
scripsit. Fuit quoque et alter sanctus Dei
propheta Michæas tempore Achab, quem-
III *Reg.* XXII. admodum tertio Regum habetur. *Numquid*
19 *morte condemnavit eum Ezechias rex Ju-*
da, et omnis Juda, id est populus ejus?
Numquid non timuerunt Dominum, et de- C
precati sunt faciem Domini, qua eos velut
iratus atque comminans adspexit, *et pœni-*
tuit Dominum mali quod locutus erat ad-
versum eos? Itaque nos facimus malum
grande contra animas nostras, persequen-
do hunc Jeremiam. Quasi dicant : Si oc-
cideremus eum, gravissime peccaremus.

Deinde exemplum istud introducitur :
20 *Fuit quoque vir prophetans in nomine*
Domini, Urias filius Semei de Cariathia-
rim; et prophetavit adversum civitatem
istam, et adversum terram hanc juxta D
21 *omnia verba Jeremiæ. Et audivit rex Joa-*
kim, et omnes potentes et principes ejus,
omnia verba hæc Uriæ; *et quæsivit rex*
iste, scilicet Joakim filius Josiæ, *interfice-*
re eum. Et audivit Urias, et timuit mor-
tem naturali horrore, non ex infidelitate
vel carnali ac vitioso timore; *fugitque, et*
ingressus est Ægyptum. Et hoc fuit pru-
dentiæ, non vitii, secundum Hieronymum,
Matth. X, 23. ne frustra nos offeramus periculo. Nam et
Christus ait Apostolis : Quum persecuti
vos fuerint in una civitate, fugite in ali-
am. Porro quum publica utilitas exigit, et
fidei veritas id requirit, vel ex fuga ani-
marum instat periculum, non est fugien-
dum, sed pro justitia fortiter moriendum
aut patiendum. *Et misit rex Joakim viros* 22
in Ægyptum; et eduxerunt Uriam ad re- 23
gem Joakim, et percussit eum gladio, id
est, occidi præcepit. Denique Joakim iste
a rege Ægypti fuit rex constitutus, ideo IV *Reg.* XXIII, 34.
amicitiam habebat cum eo : sicque potuit
Uriam de Ægypto reducere de regis Ægy-
pti consensu. Et quoniam ista prædicatio
Jeremiæ, facta est primo anno Joakim re-
gis, constat quod eodem anno ante hanc
prædicationem contigit, quod de Uria hic
dicitur : nisi forte dicatur, quod ante prin-
cipium regiminis Joakim, Urias verba indu-
cta locutus sit, et Joakim factus rex, inde
sit indignatus. *Et projecit cadaver ejus in*
*sepulcro**, id est in uno sepulcrorum, *vul-* * alias *sepulcris*
gi ignobilis, ita quod non solum viven-
tem, sed et mortuum calumniatus est rex
impius et crudelis. Consueverunt autem
reges et pontifices atque Prophetæ Judæo-
rum, ceteris honorificentius sepeliri.

Præterea aliqui asserunt, secundum is-
tud exemplum ab eisdem allegatum a qui-
bus et primum, et pro liberatione Jeremiæ :
ac si seniores dicerent : Sequi debemus
Ezechiam virum sanctum, qui non occidit
Michæam præfata denuntiantem; non au-
tem Joakim regem malum, qui Uriam inju-
ste peremit. Alii dicunt, istud secundum
exemplum ab adversariis Jeremiæ, et pro
ejus condemnatione inductum : quasi di-
cant : Sicut Joakim interfecit Uriam, sic
occidendus est Jeremias. Non enim vide-
tur, quod seniores facerent argumentum
ad liberationem Jeremiæ ex malitia pro-
prii regis actu regnantis.

Igitur manus Ahicam filii Saphan, fuit 24
cum Jeremia, ut non traderetur in manus
populi, et interficeret eum populus. Unde
Ahicam iste fuit unus principum, et in
determinatione hujus negotii principalis.
Infra quoque de isto Ahicam legitur, quod
subvenerit Jeremiæ.

ARTICULUS XLIV

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI SEPTIMI : IN PRINCIPIO REGNI JOAKIM.

QUIDAM vicesimum septimum capitu- A
lum asserunt inchoari in verbis quæ
1 mox subsequuntur, videlicet : *In princi-*
pio regni Joakim filii Josiæ regis Juda,
factum est verbum istud ad Jeremiam a
Domino, dicens. Sed S. Hieronymus asse-
rit istud nullatenus esse verum, imo perti-
nere dicit hæc verba ad capitulum præce-
dens, ut sit sensus : In principio regni
Joakim factum est verbum istud, scilicet
capitulo vicesimo sexto descriptum, ad Je-
remiam a Domino, dicens ea quæ jam ha-
bita sunt. Unde secundum Hieronymum, B
exordium capituli vicesimi septimi istud
2 est : *Hæc dicit Dominus ad me : Fac tibi*
vincula et catenas : quæ fuerunt ligneæ,
ut infra in textu conscribitur. Ista revela-
tio facta est diu post eam quæ præcedenti
narratur capitulo, scilicet tempore Sedeciæ
regis. *Et pones eas in collo tuo,* ut non
verbis dumtaxat, sed facto quoque sensibili
3 futura præsignes. *Et mittes eas ad regem*
Edom, et ad regem Moab, et ad regem
filiorum Ammon, et ad regem Tyri, et ad
regem Sidonis, in manu nuntiorum qui C
venerunt Jerusalem, et ad Sedeciam re-
gem Juda. Præfati quinque reges miserunt
legatos suos in Jerusalem ad Sedeciam, ut
tractarent cum eo de modo rebellandi con-
tra Nabuchodonosor regem Babylonis, ut
aliqui dicunt. Præcipit ergo Dominus Jere-
miæ, ut per manus nuntiorum istorum
mittat quæ dicta sunt, ad reges eorum,
imo etiam ad regem Sedeciam hæc mittat,
ut nuntii isti adverterent se per Sedeciam
non posse juvari.

4 *Et præcipies eis,* scilicet nuntiis istis, *ut* D
ad dominos suos loquantur. Divina enim
collatione et commissione habuit Jeremias
auctoritatem præcipiendi. *Hæc dicit Do-*
minus exercituum, Deus Israel : Hæc di-
cetis ad dominos vestros : Ego feci terram 5
et hominem, et jumenta quæ sunt super
faciem universæ *terræ.* Omnia quippe fe-
cit Deus mediate vel immediate; et quid-
quid agunt causæ secundæ, instrumenta-
liter agunt, respectu causæ primæ, a qua
omne illud principalius fit. *In fortitudine*
mea magna, puta immensa. Creare enim
non pertinet nisi ad infinitam potentiam,
quum non esse distet ab esse in infini-
tum. *Et in brachio meo extento,* id est
virtute elevata in actum procedente : quan-
quam per fortitudinem Dei et brachium,
intelligi possit Verbum seu unigenitus Fi-
lius, per quem omnia facta sunt : qui *Joann.* I, 3.
secundum Apostolum, est virtus et sapi- I *Cor.* I, 24.
entia Patris æterni. De quo Verbo et Filio
Patris æterni loquitur Isaias : Brachium *Is.* LIII, 1.
Domini cui revelatum est? *Et dedi eam*
ei qui placuit in oculis meis, id est, ter-
ram divisi, ejusque portiones distribui cui-
cumque placuit mihi. Unde non est in-
telligendum, quod omnes quibus Deus
largitus est terram, placuerint Deo sim-
pliciter, scilicet per caritatem infusam et
gratiam gratum facientem; sed quantum
ad hoc ei complacuerunt, quod præstitit
eis temporalia dona.

Et nunc itaque ego dedi omnes terras 6
istas, id est regum istorum regiones et
opes, *in manu Nabuchodonosor regis Ba-*
bylonis servi mei, id est exsecutoris justi-
tiæ meæ contra iniquos. *Insuper et bestias*
agri dedi ei, ut serviant illi, eo modo
quo jumenta deserviunt hominum utilita-
ti. Quum enim hominum, tunc et jumen-
torum ad homines pertinentium, obtinuit
principatum. *Et servient ei omnes gentes :* 7
juxta hyperbolicum intellectum, sicut præ-

Jer. xxv, 26, 33. cedenti dixi capitulo; *et filio ejus* Evilme- A
rodach, qui patri suo Nabuchodonosor successit in regno, *et filio filii ejus,* videlicet Balthasar regi, *donec veniat tempus terræ ejus et ipsius,* etc., id est, quousque compleantur anni divinitus præstituti, in quorum fine seu ultimo visitabitur, atque vastabitur terra Babylonis, et Balthasar rex
Dan. v, 30. ejus : quem Persæ ac Medi occiderunt, sicque in ipso regnum Babylonis sortitum
8 est finem. *Gens autem et regnum quod non servierit Nabuchodonosor, et quicumque non curvaverit collum suum sub jugo* B
regis Babylonis, ei se submittendo, *in gladio et fame et peste visitabo super gentem illam,* his flagellis eam plagando, *ait Dominus, donec consumam eos in manu ejus,* vel in toto, vel in maxima parte : quod verum est de gentibus quæ regi præfato resistere præsumpserunt. Multæ tamen fuerunt nationes in mundo, ad quas potestas regis Babylonis extendere se nequivit.
9 *Vos ergo,* o Judæi, vel ceteræ gentes,
nolite audire prophetas vestros pseudo, *et* C
divinos : qui sibi futurorum notitiam usurpaverunt pure contingentium, quæ Deo est proprium scire, secundum quod ait
Is. xli, 23. Isaias : Ventura annuntiate, et sciemus quia dii estis vos. Idcirco a sua præsumptione dicuntur divini. *Et somniatores,* qui sibi in somnis revelata dicunt secreta, *et augures,* qui ex avium garritu atque volatu prognosticant quid agendum, quid omittendum, *et maleficos,* qui per sacrificia dæmoniis oblata conjectabant; *qui dicunt*
vobis : Non servietis regi Babylonis, etc. D
11 *Porro gens quæ subjecerit cervicem suam sub jugo regis Babylonis, dimittam eam in terra sua, et colet eam.*
12 *Et ad Sedeciam regem Juda, locutus sum secundum omnia verba hæc, dicens : Subjicite colla vestra sub jugo regis Ba-*
13 *bylonis,* etc. *Quare moriemini tu,* o Sedecia, *et populus tuus gladio, et fame, et peste,* quum habeatis consilium evadendi? Verumtamen Sedecias nulla harum mortuus est plagarum. Unde et infra Je-

remias ait ad eum : In pace morieris. Idcirco quod ait hoc loco Propheta, non est referendum ad singulos, et regem connumerat populo : sicut frequenter aliqua communitas dicitur pati vel agere, quod *Jer.* xxxiv, 5.
major pars agit aut patitur. *Nolite audire* 14
verba prophetarum vestrorum, etc., qui 15
prophetant vobis *in nomine meo mendaciter, ut ejiciam* vos,* etc., de loco hoc in Chaldæam. Quod ait, Ut ejiciam vos, intelligendum est concomitanter, non directe causaliter. * alias *ejiciant*
Et ad sacerdotes et ad populum istum 16
Judæorum *locutus sum, dicens : Nolite audire verba prophetarum vestrorum, qui prophetant vobis, dicentes : Ecce vasa Domini,* id est vasa templi quæ secum tulit rex Babylonis, quando Jechoniam ejusque matrem ac principes duxit in Babylonem, ut legitur quarto Regum, *revertentur de Babylone nunc cito. Mendacium enim pro-* IV *Reg.* xxiv, 13. *Ibid.* 15.
phetant vobis, etc. *Quare datur hæc ci-* 17
vitas Jerusalem *in solitudinem?* id est, quum offeratur vobis salubre consilium evadendi occisionem ac combustionem civitatis Jerusalem, cur obtemperare respui-
tis? *Et si prophetæ* veraces *sunt* isti pseu- 18
do, *et est verbum Domini in eis,* ita quod divinitus inspirantur, *occurrant Domino,* id est, justitiam ejus orando ac aliis mediis mitigent, *ut non veniant vasa quæ derelicta fuerant in domo Domini et in domo regis Juda et in Jerusalem,* quando videlicet Jechonias translatus est, *in Babylonem.* Quasi dicat : Non solum in hoc invenientur mendosi, quod dicunt vasa ablata mox reditura, sed nec impedire poterunt quin et ea quæ hic remanserunt, cito in Babylonem portentur. Vasa autem appellat utensilia, et in quibus ministrabatur Deo in templo, quæ pretiosissima erant.
Quia hæc dicit Dominus exercituum ad 19
columnas et ad mare, videlicet æneum, in quo se sacerdotes lavabant, *et ad bases, et*
ad reliquias vasorum quæ remanserunt* * reliqua
in civitate hac, quæ non tulit Nabucho- 20
donosor rex Babylonis, quum transferret
Jechoniam, etc. *In Babylonem transferen-* 22

tur hæc omnia : quod factum est, Sedecia A
capto, sicut infra diffusius scribitur, et
IV *Reg*. xxv, 13-16. quarto Regum. *Et ibi erunt usque ad diem*
visitationis suæ, dicit Dominus, id est,
usque ad tempus quo per Cyrum regem
Persarum faciam ea restitui; *et afferri fa-*
I *Esdr*. I. *ciam ea, et restitui in loco isto*. Cyrus nam-
que, ut legitur primo Esdræ, dedit primo
regni sui anno Judæis licentiam redeundi
ad propria, instaurandique templum; et
protulit vasa Dei, reddens ea Judæis, qui
secum portaverunt ea, atque in templo I *Esdr*. III, V, VI.
reædificato eadem statuerunt, sicut in Es-
dræ volumine plenius scriptum est.

ARTICULUS XLV

EXPLANATIO CAPITULI VICESIMI OCTAVI : ET FACTUM EST IN ANNO ILLO.

1 ET *factum est in anno illo,* de quo in B
præcedenti capitulo dictum est, scili-
cet quarto anno Sedeciæ, quo nuntii re-
gum ad eum venerunt, *in principio regni*
Sedeciæ regis Juda : quia adhuc non diu
regnavit. Vel ideo dicit, In principio regni
ejus, quia ut aliqui dicunt, Sedecias circa
hoc tempus rediit de Babylone, ad quam
erat profectus, ut regi Babylonis ferret
encænia, quia constituit eum regem; tunc-
que confirmatus fuit ab eo in regno, et
in aliquibus negotiis sublimatus. *In anno*
quarto regni ejus, *in mense quinto* hujus C
quarti anni, *dixit ad me Hananias filius*
Azur, propheta de Gabaon civitate, de qua
fuit rex Saul, *in domo Domini, coram*
2 *sacerdotibus et omni populo dicens : Hæc*
dicit Dominus exercituum Deus Israel :
Contrivi jugum regis Babylonis, id est,
onus quo ipse alios gravat, jam statim
confringam, ita quod gentes ultra non
opprimet. De quo jugo loquitur Isaias :
Is. x, 27. Computrescet jugum a facie olei. Sicut
Jer. XXIII, 30. superius dictum est, pseudoprophetæ, ut
divinitus loqui putarentur, conformabant D
se modo loquendi Prophetarum sancto-
rum : ita et Hananias pseudo nunc agit.
3 *Adhuc duo anni dierum,* id est evolutis
annis duobus, *et ego referri faciam ad lo-*
cum istum omnia vasa Domini, quæ tulit
4 *Nabuchodonosor de loco isto; et Jechoniam*
regem Juda, et omnem transmigrationem
Juda, id est Judæos cum Jechonia in Baby-
lonem translatos, *convertam,* id est redu-
cam, *ad locum istum, ait Dominus.*
Et dixit Jeremias ad Hananiam : Amen, 5
sic faciat Dominus; suscitet, id est imple- 6
at, *Dominus verba tua*. Concupivit Jeremias
fratrum amator, populi sui prosperitatem, II *Mach*. xv, 14.
quanquam ipse frequenter oppositum pro-
phetasset, potius optans non impleri quod
prædixit, quam populum suum gravari,
supposita tamen Dei in hoc voluntate :
quod fuit eximiæ caritatis. Unde et Mi-
chæas suo compatiens populo, ait : Utinam *Mich*. II, 11.
non essem vir habens spiritum, et men-
dacium potius loquerer. Hinc et Jonas ar-
guitur, quod contristatur de hoc, quod Cf. *Jonæ* IV, 4 et 9.
verbum suum in subversione Ninive non
impletur, secundum Hieronymum. Insuper
Jeremias loquitur Hananiæ cum grandi
modestia, quem sciebat mentiri. *Verum-* 7
tamen audi quod loquor in auribus tuis
et universi populi : Prophetæ qui fue- 8
runt ante me et te ab initio, scilicet Isaias,
Amos, Joel, *et prophetaverunt super ter-*
ras multas, et super regna multa de præ-* * *magna*
lio et de afflictione et fame; Propheta qui 9
vaticinatus est pacem, id est, prospera
futura prædixit, *quum venerit verbum*
ejus, id est, effectum habuerit, *scietur*
Propheta, id est, tunc cognoscetur esse
verax Propheta, *quem miserit Dominus*
in veritate.

Jam Jeremias dixit pluraliter, fuisse Prophetas qui prænuntiaverunt adversa; et non adjecit, tunc eos cognosci esse missos a Deo, quum quod prædixerunt, evenerit. Deinde singulariter dixit, Propheta qui vaticinatus est pacem; moxque subjecit, Quum venerit verbum ejus, scietur Propheta quem miserit Dominus. Hinc quidam sic intellexerunt hunc passum, quod prophetiæ divinitus factæ de prosperitate seu bonis, semper implentur, ideoque per rei eventum cognosci, in talibus verum esse Prophetam; prophetias autem de adversis et malis futuris, non semper impleri, sed aliquando retractari propter pœnitentiam hominum aut preces Sanctorum. Sed istud nullatenus verum est, quantum ad primum punctum, sicut ex plurimis Scripturæ locis potest ostendi, præsertim ex primo Regum, ubi Dominus per Prophetam (I *Reg.* II, 30.) ait ad Heli sacerdotem : Loquens locutus sum, ut domus tua, et domus patris tui ministraret in conspectu meo in sempiternum; nunc autem dicit Dominus, Absit hoc a me. Supra quoque locutus est Dominus (*Jer.* XVIII, 9, 10.) : Repente loquar de gente et regno, ut ædificem et plantem istud; si fecerit malum in conspectu meo, agam et ego pœnitentiam super bono quod locutus sum, ut facerem ei. Hinc ergo Hieronymus ita exponit hunc locum, ut tam Prophetarum prænuntiantium adversa, quam prænuntiantium prospera, veritas bonitasque pensentur rerum eventu.

Sed quidquid horum dicatur, non modica quæstio oritur. Primo, quoniam et falsi prophetæ quandoque vera ex diabolica suggestione vel propria conjecturatione prænuntiant. Propter quod in Deuteronomio (*Deut.* XIII, 1-3.) Moyses populo Israel ait : Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, et prædixerit signum atque portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi, Eamus et sequamur deos alienos; non audies verba prophetæ illius. Ex quo constat, de falso propheta Moysen loqui. Præterea sancti Prophetæ, quandoque aliqua prædixerunt, quæ non

A habuerunt effectum, ut quum Isaias locutus est Ezechiæ (*Is.* XXXVIII, 1.) : Dispone domui tuæ, quia morieris et non vives. In oppositum est auctoritas Jeremiæ, cujus etiam verbo nunc dicto consonat quod in Deuteronomio habetur (*Deut.* XVIII, 21, 22.) : Si tacita cogitatione responderis, Quomodo possum intelligere verbum quod non est locutus Dominus? Hoc habebis signum : quod in nomine Domini propheta prædixit, et non evenerit, hoc Dominus non est locutus. Ad hæc quidam respondent, quod verba Jeremiæ ac Moysis, locum B habent in prophetia prædestinationis, qua aliquid prænuntiatur secundum quod est in præcognitione divina; non autem in prophetia comminationis, qua aliquid prænuntiatur secundum comparationem vel habitudinem ad causas naturales immediatas seu proprias, mutationi et contingentiæ subjacentes. Sed tunc remanet difficultas, quomodo ex rei eventu agnoscatur verus Propheta, quum et falsi prophetæ vicissim vera prænuntient. Ad quod aliqui dicunt, quod Jeremias præinductis C verbis assignat probabile signum, quo verus Propheta queat cognosci.

Et tulit Hananias catenam de collo Je- 10
remiæ, et fregit eam : ex quo certum est,
fuisse de ligno catenam. *Et ait Hananias* 11
in conspectu omnis populi : Hæc dicit Do-
minus : Sic confringam jugum Nabucho-
donosor regis Babylonis post duos annos
dierum, de collo omnium gentium. Et abiit 12
Jeremias in viam suam, quasi confusus et
victus, secundum aliorum æstimationem,
et nolens cum pseudo contendere, im-
D plensque illud Psalmistæ (*Ps.* XXXVII, 15.) : Factus sum sic-
ut homo non audiens, et non habens in
ore suo redargutiones. Ex quibus ostendi-
tur patientia Jeremiæ, quod passus inju-
riam, æquanimiter suffert.

Et factum est verbum Domini ad Jere-
miam : Vade et dices Hananiæ : Hæc dicit 13
Dominus : Catenas ligneas contrivisti, et
facies pro eis catenas ferreas : id est, tua
suasione iniqua populum seducendo, eris
causa quod tu ipse et populus iste multo
duriora incurret adversa, quam hucusque :

quia tu morieris hoc anno, et populus re- A
bellando ad maximam cladem perveniet.
14 Hinc sequitur : *Quia hæc dicit Domi-
nus : Jugum ferreum posui super collum
cunctarum gentium istarum,* scilicet tam
Judæorum quam nationum, *ut serviant re-
15 gi Babylonis. Et dixit Jeremias ad Hana-
niam : Audi, Hanania : non misit te Do-
minus, et tu fecisti confidere populum
istum in mendacio,* scilicet in tua pro-
missione mendosa : siquidem in angustiis
constituti, libenter audiunt prospera sibi
16 promitti. *Idcirco hæc dicit Dominus : Ego* B
emittam te a facie terræ, id est, de terræ
superficie tollam te ; *hoc anno morieris,*
adversus Dominum enim locutus es, ei ad-
scribendo tua mendacia, ejusque verbis
per me dictis contradicendo.
Et mortuus est Hananias in anno illo, 17
in mense septimo ab hac prænuntiatione
prophetica ; vel, quod verius reor, in men-
se septimo anni illius, cujus quinto mense
hæc contigerunt, prout in hujus capituli
principio dictum est. Sicque post duos
menses vel mense secundo ab hac pro-
phetia, obiit Hananias, quatenus ejus pec-
catum puniretur, et populus a pristina
seductione eriperetur, veritas quoque di-
vini sermonis per Jeremiam prolati osten-
deretur.

ARTICULUS XLVI

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI NONI : ET HÆC SUNT VERBA LIBRI, ETC.

CONSEQUENTER Jeremias consulit Ju- C
dæis in Chaldæam translatis, quid age-
1 re debeant. *Et hæc sunt verba libri,* id est
Is. xxxix, 1. epistolæ : unde in Isaia legitur rex Baby-
lonis misisse libros vel epistolas ad Eze-
chiam ; *quem misit Jeremias propheta de
Jerusalem ad reliquias seniorum transmi-
grationis,* id est ad seniores Judæorum in
Chaldæam translatos, *et ad sacerdotes et
prophetas* pseudo, qui cum Jechonia erant
translati, *et ad omnem populum quem tra-
duxerat Nabuchodonosor de Jerusalem in
2 Babylonem, postquam egressus est Jecho- D
nias rex* de Jerusalem, tradens se sponte
manibus Nabuchodonosor regis, *et domi-
na,* id est mater ejus vel uxor, *et eunu-
chi, et principes Juda et Jerusalem, et
faber, et inclusor,* id est auri fabri et qui
gemmas in auro includebant.
Deinde ponuntur qui librum Jeremiæ
3 portabant. Misit etenim librum *in manu
Elasa filii Saphan et Gamariæ,* etc., *quos
misit Sedecias rex Juda ad Nabuchodo-
nosor regem Babylonis in Babylonem, di-
cens* ipse Jeremias in sua epistola : *Hæc di-* 4
*cit Dominus omni transmigrationi quam
transtuli de Jerusalem in Babylonem.* Di-
vina enim voluntate et potestate translati
fuerant per Chaldæos tanquam per instru-
menta æquitatis divinæ. *Ædificate domos,* 5
ubi nunc estis, *et habitate* in eis, *et plan-
tate hortos, et comedite fructum eorum.
Accipite uxores, et generate filios et filias,* 6
et nolite esse pauci numero. Et quærite 7
*pacem civitatis ad quam transmigrare vos
feci,* scilicet Babylonis, *et orate pro ea ad
Dominum,* ut det ei temporalem tranquil-
litatem : internæ enim, veræ, spiritualis-
que pacis non erant capaces, quum essent
idololatræ, nisi etiam pro eorum conver-
sione ad fidem et cultum unius veri Dei
oraretur ; *quia in pace illius erit pax ve-
stra,* id est, si Babyloni bene successerit,
tunc et vos melius habebitis. *Non vos se-* 8
*ducant prophetæ vestri et divini vestri, et
ne attendatis ad somnia vestra quæ som-
niatis ; quia falso prophetant vobis.* Ista 9
sunt plana.

10 *Quia hæc dicit Dominus : Quum cœpe-* A
rint impleri in Babylone septuaginta an-
ni, id est, septuaginta annis completis a
transmigratione seu captivitate Judæorum,
visitabo vos per gratiam liberationis a ve-
stra captivitate, *et suscitabo super vos,* id
est, in vobis implebo, *verbum meum bo-*
num, scilicet promissionem istam gratio-
sam de liberatione vestra, *ut reducam vos,*
id est aliquos vestrum tunc usque victu-
ros, et redire optantes, *ad locum istum,*
puta Jerusalem ac Judæam. Multi autem
interim obierunt, et plurimi noluerunt re- B
verti amore conjugum, et prolis, ac facul-
11 tatum quas in Babylonia possederunt. *Ego*
enim scio cogitationes quas cogito super
vos, cogitationes pacis vobis donandæ, *et*
non afflictionis ulterius protendendæ, *ut*
dem vobis finem captivitatis, *et patientiam*
interim in adversis. In simplicissimo au-
tem Deo non est cogitationum pluralitas,
neque diversitas ; sed cogitationes in Deo
pluraliter asseruntur, per relationem ad
creata diversa a divino intellectu conce-
pta. Quemadmodum etiam in Deo plures C
dicuntur ideæ, sic quoque misericordia et
potentia pluraliter fertur in Deo, propter
Ps. LXXXVIII, 2. diversitatem effectuum, juxta illud : Mise-
ricordias Domini in æternum cantabo ; et
Ps. LXX, 15, 16. item, Quoniam non cognovi litteraturam,
introibo in potentias Domini.
12 *Et invocabitis me,* ut vos ad terram ve-
stram reducam : vult enim Deus, ut oran-
do obtineamus quod ipse decrevit, quia
sic accipere nobis plus expedit ; *et ibitis*
ad terram vestram ; *et adorabitis me,* præ-
sertim in templo in Jerusalem instauran- D
do, quanquam et alibi, imo ubique ado-
13 randus sit Deus, *et exaudiam vos. Quæretis*
me per desideria virtuosa, precesque de-
votas, mihi uniri, complacere, et oculum
mentis infigere cupientes, *et invenietis,*
quum quæsieritis me in toto corde vestro,
id est cum integra diligentia et ardenti
affectu. Sic est quærendus Deus stabiliter,
non cum tepore aut segniter, aut usque
ad tempus. Propter quod scriptum est in
Deut. IV, 29. Deuteronomio : Quum quæsieris Dominum
Deum tuum, invenies eum, si tamen toto
corde quæsieris eum, et tota tribulatione
animæ tuæ. Hinc ait Salvator : Oportet *Luc.* XVIII, 1.
semper orare, et non deficere. *Et reducam* 14
captivitatem vestram, id est vos ipsos ca-
ptivos, *et congregabo vos de universis gen-*
tibus, et de cunctis locis ad quæ expuli
vos. In regno etenim Babyloniæ fuerunt
variæ gentes, in quibus dispersi erant Ju-
dæi. *Et reverti vos faciam, quia dixistis :* 15
Suscitavit Dominus nobis prophetas in
Babylone : id est, idcirco ista vobis præ-
nuntio, quod scilicet non statim, sed post
septuaginta annos erit reductio vestra, quia
dixistis atque putastis, quod pseudopro-
phetæ vestri vobis in Babylone promitten-
tes quod statim revertimini, sint veri Pro-
phetæ vobis divinitus dati. Ne igitur eis
credatis, ista prænuntiavi.
Quia hæc dicit Dominus ad regem qui 16
sedet super solium David, id est ad Sedeci-
am, *et ad omnem habitatorem urbis hujus,*
puta Jerusalem : *Mittam in eos gladium,* 17
famem, et pestem, et ponam eos quasi
ficus malas, quæ comedi non possunt, eo
quod sint pessimæ : id est, ob suam re-
bellionem contra Deum et regem Babylo-
nis, in tantam devolventur miseriam, quod
prorsus inutiles erunt et abominabiles uni-
versis. *Et dabo eos in vexationem univer-* 18
sis regnis terræ, et in maledictionem, et
in stuporem, et in sibilum, etc. Ista jam
frequenter præhabita sunt atque exposita.
Hæc dicit Dominus ad Achab filium Co- 21
liæ, et ad Sedeciam filium Maasiæ, qui
prophetant vobis in nomine meo, non ve-
re, sed secundum suam confictionem, *men-*
dacium. Unde quod dicitur, Mendacium,
refertur ad verbum, Prophetant, non ad
determinationem, In nomine meo. Nemo
enim in nomine Dei loquens, mentitur, se-
cundum quod ait Apostolus : Nemo in Spi- I *Cor.* XII, 3.
ritu Dei loquens, dicit anathema Jesu. Vel
quod ait, In nomine meo, intelligendum
est de nomine nominante, non in nomine
nominato, id est in re significata per no-
men. Pseudo equidem Dei nomen assume-
bant ; non tamen in Deo locuti sunt.

Denique, ut refert Hieronymus, Hebræi, A
imo et doctores catholici, asserunt hos duos pseudo, fuisse duos presbyteros qui in
Dan. xiii, 19-21. Daniele leguntur invasisse Susannam. Aliqua tamen hic scripta, videntur contraria his quæ in Daniele de eis leguntur : quorum concordiam tangam.

Ecce ego tradam eos in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, et percutiet, id est occidet, *eos in oculis vestris.* In
Ibid. 61, 62. Daniele lapidati dicuntur a populo Judæorum, quomodo ergo percussit eos rex
22 Babylonis ? Præterea subditur : *Et assu-* B
metur ex eis maledictio omni transmigrationi Juda quæ est in Babylone, id est, ex punitione istorum sument Judæi transmigrati modum atque exemplum maledicendi alicui sub hac forma verborum : *Ponat te Dominus,* id est, ita te puniat, *sicut Sedeciam et Achab, quos frixit rex Babylonis in igne.* Ecce hic dicuntur combusti, quomodo igitur lapidati ? Et respondendum, quod rex Babylonis percussit, occidit, frixit eos, ferendo sententiam per se vel substitutum. Judæi autem exsecuti- C
ve de regis licentia ictibus lapidum eos interfecerunt. Quum enim essent captivi, propria id auctoritate facere non valebant, sed reos coram rege vel ejus ministris accusabant. Est quoque consuetudo Scripturæ, ut quælibet dira afflictio, no-
23 mine ignis exprimatur. *Pro eo quod fecerunt stultitiam,* id est irrationabilia opera, *in Israel, et mœchati sunt in uxores amicorum suorum,* et sic fuerunt pseudoprophetæ atque adulteri, *et locuti sunt verbum in nomine meo mendaciter, quod* D
non mandavi eis. Refert Hieronymus, quod Hebræi affirmant presbyteros istos dixisse mulieribus, Nos sumus de tribu Juda, ideo Christus de semine nostro nascetur : sicque mulierculæ consenserunt, quasi matres Christi futuræ. *Ego sum judex et testis, dicit Dominus exercituum.* Quasi dicat : Vera et certissime vera sunt hæc, nec est locus tergiversandi, quum egomet Deus sim horum testis ac judex, qui cuncta inspicio, et decipi nequeo.

Consequenter fit sermo contra alium
seductorem. *Et ad Semeiam Nehelamiten* 24
dices, o Jeremia : *Pro eo quod misisti li-* 25
bros, id est epistolas, *in nomine meo ad omnem populum qui est in Jerusalem, et ad Sophoniam filium Maasiæ sacerdotem,* id est summum seu templi pontificem, *et*
ad universos sacerdotes, dicens : Dominus 26
dedit te, o Sophonia, *sacerdotem pro Joiada sacerdote,* qui pontifex fuit, *ut sis dux in domo Domini,* id est princeps sacerdotum atque discretor ac judex, *super omnem virum arrepticium et prophetantem,* id est, eos qui a dæmonibus sunt arrepti, inspirationibusque eorum loquuntur et vaticinantur, *ut mittas eum in nervum,* id est cippum, *et in carcerem,* ne hinc inde
pergendo, alios fallat. *Et nunc quare non* 27
increpas Jeremiam Anathothiten, qui pro-
phetat vobis ? Quia super hoc misit ad nos 28
in Babylonem, dicens : Longum est, id est, diu durabit vestra captivitas; *ædificate domos,* etc. Itaque Semeias quum esset pseudopropheta, ægre suscepit epistolam a Jeremia missam contra prophetas mendaces : ideo, quod Jeremias sibi imponit, ipse in Jeremiam retorquet, eumque falsum et arrepticium nuncupat.

Legit ergo Sophonias sacerdos librum 29
istum, id est epistolam Semeiæ, *in auribus*
Jeremiæ prophetæ. Et factum est verbum 30
Domini ad Jeremiam, dicens : Mitte ad 31
omnem transmigrationem, id est universos Judæos in Chaldæam translatos, *dicens : Hæc dicit Dominus ad Semeiam Nehelamiten : Pro eo quod prophetavit vobis Semeias* de celeri reditu vestro, *et ego non misi eum, et fecit vos confidere in men-*
dacio ; idcirco hæc dicit Dominus : Ecce 32
ego visitabo super Semeiam et super semen ejus, tam ipsum, quam sobolem ejus ei in peccato consentientem ac similem, puniendo. *Non erit ei vir sedens in medio populi hujus,* id est, nullus de ejus posteritate habitabit aut erit inter Judæos quos de Babylone reducam; *et non videbit bonum quod ego faciam populo meo,* id est, beneficia quæ revertentibus dabo, *quia*

prævaricationem, id est mendacium, *locu-* A
tus est adversus Dominum.

Exposilio mystica. PRÆTEREA, juxta mysticam expositionem,
quod filii Israel ob sua peccata regi Baby-
lonis traduntur, significat quod Christus
populum suum vicissim ab infidelibus et
tyrannis ac impiis opprimi et affligi per-
mittit. Tuncque admonendi sunt Christia-
5 ni, ut æquanimiter ferant. Et domos, id est
6 virtutum machinas, erigant; uxores acci-
piant, id est, sapientiam sibi desponsent (de
Sap. VIII, 2. qua scriptum est : Hanc amavi et exquisivi, B
et quæsivi eam sponsam mihi accipere),
similiter caritatem, fidem et spem; atque
ex istis conjugibus filios ac filias pro-
creent, id est, opera virtuosa, cogitationes
sanctas et amorosos in Deum affectus pro-
ducant; nec sint pauci numero merito-
rum, imo et alios ad similia provocent :
sicque populus Deo in adversitatibus servi-
ens, et merito et numero augeatur. Insuper
7 quærant pacem eorum a quibus affligun-
tur, pro adversariis suis orando, quia et
hoc cedet in proprium bonum. Unde Apo- C
I *Tim.* II, 1, 2. stolus ad Timotheum obsecrat fieri oratio-
nes pro regibus et omnibus in sublimitate
constitutis, ut quietam et tranquillam vi-
tam agamus in omni pietate.

Si vero tempore tribulationis, quispiam
vane spoponderit statim nos de adversita-
tibus eruendos, non cito credamus, scien-
Job VII, 1. tes quod militia est vita hominis super
terram, et quod tentatio durat usque in fi-
nem, utpote quousque finiamus vitam, hoc
est, quousque ad requiem patriæ perdu-
camur, quæ per septuaginta exprimitur : D
septenario namque quies et sabbatismus
signatur. Vel ideo septuaginta annis capti-
vitatis afflictio durare asseritur, quoniam
Ps. LXXXIX, 10. scriptum est : Dies annorum nostrorum
in ipsis, septuaginta anni. Electi namque
usque ad terminum vitæ exercentur ad-
versis : quibus expletis, ad cœlestem Je-
rusalem ducimur. Interim vero consolatur
nos Dominus, perhibens se cogitare super 11
nos cogitationes pacis et non afflictionis,
ut det nobis finem harum adversitatum, et
patientiam in eisdem. Nempe per momen- II *Cor.* IV, 17.
taneas has tribulationes, ad pacem cœle-
stem æternalem nos perducit; et brevis
ista mœstitia, in sempiternum gaudium
commutatur. Porro qui in hac vita pro
suis peccatis Dei flagella perpeti renuunt,
nec in adversis patientiam servant, sic
traduntur dæmonibus in opprobrium sem-
piternum, tanquam pessimæ ficus, quem-
admodum Sedecias cum suis traditus est
regi Babylonis.

Gravissime autem peribunt nostri pre-
sbyteri, vana loquentes, aliosque fallentes,
qui proximorum suorum uxores et filias
maculant et corrumpunt : qui per Achab
et Sedeciam presbyteros ac judices desi-
gnantur. Postremo per Semeiam, qui scri-
psit contra Jeremiam, designantur hi qui
justos ac veraces persequuntur, eosque a
quibus arguuntur, redarguunt, et graviora
eis imponunt. Timendum quoque est no-
bis quod Dominus protestatur, *Ego sum* 23
judex et testis, quoniam ante oculos Ju-
dicis cuncta cernentis omnia agimus, de
quo ait Psalmista : Et testis in cœlo fide- *Ps.* LXXXVIII, 38.
lis; et sanctus Job, Ecce in cœlo testis *Job* XVI, 20.
meus, et conscius meus in excelsis. Hinc
in Apocalypsi Christus vocatur testis fide- *Apoc.* I, 5.
lis. Non ergo excusemus nos stulte, maxi-
me nos injusti, quum dicat Scriptura :
Justus in principio accusator est sui. Si *Prov.* XVIII, 17.
vero ratio exigit excusationem, ne scanda-
lum oriatur, modeste erit excusatio pro-
ponenda cum debita humilitate et veritate.

ARTICULUS XLVII

EXPOSITIO CAPITULI TRICESIMI : HOC VERBUM QUOD FACTUM EST AD JEREMIAM A DOMINO.

OMNIUM Prophetarum opus, finis et consummatio, Christus est. Propter
Rom. x, 4. quod ait Apostolus, quod finis legis est Christus, ad salutem omni credenti. Hinc principalis intentio Prophetarum, est de Christi mysteriis vaticinari, ejus adventum, passionem, ac Israeliticæ plebis conversionem ad ipsum, imo totius humani generis salvationem per ipsum, prænuntiare. Unde, quemadmodum etiam Hebræorum doctores affirmant, universi Prophetæ locuti sunt de diebus Messiæ. Quibus consonat quod princeps Apostolorum disse-
Act. iii, 24. ruit : Omnes Prophetæ a Samuel et deinceps annuntiaverunt dies istos. Itaque de vera liberatione Judæorum per Christum, nunc loquitur Jeremias : cujus liberationis fuerunt figuræ, eductio eorum ab Ægypto, et reversio de Babylone.
1 *Hoc verbum quod factum est ad Jere-*
2 *miam a Domino, dicens : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Scribe tibi omnia verba quæ locutus sum ad te, in libro.* Tanquam dicat : Magna sunt, et de magnis, ac jugi memoria digna. Dicit autem Hieronymus, quod quantum Jeremias in verbis simplex videtur, tantum in majestate sensuum pro-
3 fundissimus est. *Ecce enim dies veniunt, dicit Dominus, et convertam conversionem populi mei Israel et Juda,* id est populum regni Juda seu duarum tribuum, decemque tribus : qui populus fuit conversus ad aliena, estque convertendus ad me secundum prædestinationem æternam. Hunc, inquam, populum convertam ad me, atque ad loca salutis et ad spiritualia bona quæ ei paravi. *Et convertam eos ad terram quam dedi patribus eorum,* id est ad terram promissionis, sanctis Patriarchis principaliter finaliterque promissam, utpote

A ad patriam Beatorum, de qua fertur in Psalmo : Portio mea, Domine, (sit) in terra Ps. cxli, 6.
viventium. Hæc est terra Ecclesiæ triumphantis, quæ Sanctis veteris Testamenti sub promissione terræ Chanaan principaliter intelligitur repromissa. De qua terra scriptum est in Proverbiis : Qui recti sunt, Prov. ii, 21.
habitabunt in terra, et simplices permanebunt in ea. Stultum vero est æstimare, quod terra illa Judææ seu Chanaan, vel ejus divitiæ, fuerunt præmium virtuosæ vitæ Sanctorum, quum in Genesi Dominus
B dicat ad Abraham : Ego protector tuus, et Gen. xv, 1.
merces tua magna nimis. Imo secundum veritatem, terra præfata non est patribus Judæorum, scilicet Abraham, Isaac et Jacob, actualiter data, sed filiis eorum dari promissa. Propter quod Stephanus ait, quod Deus non dedit Abrahæ in ea here- Act. vii, 5.
ditatem, nec passum pedis. Terra itaque Patriarchis his data, est paradisus cœlestis. Propter quod ad Hebræos de Sanctis veteris Testamenti loquens Apostolus : Juxta Hebr. xi, 13.
fidem, inquit, defuncti sunt omnes isti,
C non acceptis repromissionibus, sed a longe eas adspicientes et salutantes, et confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram.

Præterea locus iste exponi non potest de reditu Judæorum a captivitate temporali humana. Quamvis enim tempore Esdræ re- I Esdr. i, ii.
dierint duæ tribus de Babylone, tamen decem tribus adhuc tenentur captivæ, nec a Judæis reversuræ sperantur, nisi in adventu sui Messiæ. Necesse est ergo istud referri ad tempus Christi. Unde quidam
D doctores catholici asserunt hæc impleta in Christi adventu, quando ad Christi ejusque Apostolorum et apostolicorum virorum prædicationem plurimi Judæorum

fuerunt conversi, non solum de duabus A tribubus, sed et de decem. Multi quippe filiorum Israel de regno decem tribuum in regno Juda habitaverunt, et cum duabus tribubus in Babylonem deducti, atque cum eisdem inde reducti sunt, quorum posteri post Christi adventum partim crediderunt. Propter quod sanctissimus evangelista Matthæus in prædicatione Christi
Matth. IV, 14-16; *Is.* IX, 1, 2. impletum allegat illud Isaiæ : Primo tempore alleviata est terra Zabulon et terra Nephthali. Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam. Jacobus quoque B
Jacob. I, 1. in sua Canonica scribit : Duodecim tribubus quæ sunt in dispersione, salutem. Denique de his conversis ad Christum,
Act. XXI, 20. Jacobus ait ad Paulum : Vides, frater, quot millia sunt in Judæis qui crediderunt. Qui in Christum credentes, non fuerunt duo populi vel in duo regna divisi, ut populus Juda distingueretur ab Israel, sed unus in
Ezech. XXXVII. Christo effecti sunt populus : quod in Ezechiele continetur, atque ibidem per duo ligna in unum conjuncta, præfiguratur. Verumtamen, quoniam absolute loquendo, C Judæi ad Christum conversi, respectu aliorum pauci fuerunt, hinc aliis rationabilius visum est, ut passus iste exponatur de generali duodecim tribuum conversione ad Christum per prædicationem Eliæ, Antichristi fallaciis manifestatis : quando, ut
Rom. XI, 26. Paulus fatetur, Omnis Israel salvus fiet;
Osee III, 5. implebiturque istud Osee, Post hæc revertentur filii Israel, et quærent Dominum Deum suum et David regem suum, id est Messiam, ut omnes etiam Hebræi exponunt. Unde horum dicta concordando, dicendum D quod ista in primo Christi adventu et post ejus resurrectionem, in Judæorum conversione partim completa sunt, et in fine sæculi plenius implebuntur.

4 *Et hæc verba quæ locutus est Dominus ad Israel,* id est ad decem tribus, *et ad Judam,* id est duas tribus. Tanquam dicat : Ista pertinent ad totum duodecim tri-
5 buum populum. *Quoniam hæc dicit Dominus* de populo Judæorum, vel in persona eorum : *Vocem terroris audivimus,* id est verba comminatoria atque terrifica; *formido* inerat nobis, *et non est pax,* id est quies ab hostibus et persecutoribus. Istud contigit Judæis tempore vastitatis obsidionisque suæ ab exercitu Chaldæorum. Quod item evenit eis ad fidem conversis, et generaliter populo christiano tempore persecutionis Antichristi. Judæi quoque in primitiva Ecclesia conversi in Jerusalem ac Judæa, gravissimam ab incredulis Judæis tribulationem perpessi sunt, quemadmodum legitur in Actibus et aliis locis. *Act.* VIII, 1, 3.

Certum est autem quod in libris propheticis, secundum varium tactum Spiritus Sancti, frequenter transitur de tempore ad tempus, ita quod temporis ordo non observatur, et de diversis personis quasi de
eisdem fit sermo. *Interrogate et videte, si* 6
generat masculus. Quasi dicat : Tantus tunc viros apprehendet pavor atque angustia, ac si instar feminarum pariendi doloribus premerentur. Nam etsi hi qui pro Christo occisi fuerunt, vel occidentur, patienter tulerunt, naturali tamen affectu abhorrebant acerbitates pœnarum, et de eorum oppressione alii Christifideles multoties affligebantur et affligentur. *Quare ergo vidi omnis viri manum super lumbum suum?* Loquitur admirando, ut sit sensus : Viri, quibus proprium est reluctari et manus ad arma extendere, præ timore et tribulationum magnitudine, manus ad resistendum non præparabunt, sed juxta parturientium modum consistent. Hoc est enim manus tenere ad lumbos seu renes. *Quasi parturientis :* quoniam mulierum parturientium consuetudo est mittere manus ad lumbos. *Et conversæ sunt universæ facies in auruginem?* id est, cordis pavorem animique pressuram pallor et discoloratio vultus monstrabunt. Hæc futura Jeremias in spiritu quasi præsentia vidit, quemadmodum Isaias Babylonis vastitatem describens : Corrui, inquit, quum *Is.* XXI, 3. viderem.

Væ temporalis afflictionis tunc erit, et 7
mihi Jeremiæ per compassionem nunc adest; *quia magna dies illa,* id est, grandis

tribulatio continget, *nec est similis ejus :* A
quod licet ad tempus Babylonicæ captivi-
tatis et persecutionis primitivæ Ecclesiæ
aliquo modo possit referri, quia pro tunc
non fuit tanta calamitas seu hostium ra-
bies alibi; evidentius tamen de tempore
persecutionis Antichristi exponitur, quia
Matth. xxiv, 21. ut ait in Evangelio Christus, Erit tunc tri-
bulatio magna, qualis non fuit ab initio
usque modo, neque fiet. Consonatque istud
Dan. xii, 1. dicto Danielis : Veniet tempus, quale non
fuit ex eo ex quo gentes esse cœperunt
usque ad tempus istud. *Tempusque tribu-* B
lationis est Jacob, id est duodecim tribubus
in Christum credentibus, de quibus præ-
dictum est; quæ ab Antichristo graviter
vexabuntur, præsertim postquam Eliam et
Enoch occiderit. Sed et tempore Babylo-
nicæ vastitatis non solum duæ tribus, sed
multi etiam de reliquis tribubus in Judæa
a Babyloniis tribulabantur. *Et ex ipso sal-*
vabitur, id est, de persecutione hac eruen-
tur, atque per Christum consequentur sa-
lutem. Quod de prædestinatis accipitur, de
Ibidem. quibus Gabriel loquitur Danieli : In tem- C
pore illo salvabitur populus tuus, omnis
qui scriptus est in libro. Christus quoque
Luc. xxi, 12. discipulis suis prædixit : Injicient vobis
manus, et persequentur, tradentes in sy-
Joann. xvi, 20. nagogas et custodias; et item : Amen dico
vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mun-
dus autem gaudebit; sed tristitia vestra
vertetur in gaudium. Hinc in Isaia habe-
Is. liv, 7, 8. tur : Ad punctum in modico reliqui te, et
in miserationibus magnis congregabo te;
in momento indignationis meæ abscondi
parumper faciem meam a te, et in miseri- D
cordia sempiterna misertus sum tui, dixit
Redemptor tuus.

8 *Et erit in die illa, ait Dominus exerci-*
tuum : Conteram jugum ejus de collo tuo,
et vincula ejus dirumpam. Quod quidam
de rege Babylonis exponunt; sed quia præ-
dicta ad tempus Christi relata sunt, Hie-
ronymus de diabolo sub typo Nabuchodo-
nosor dictum affirmat. Christus namque
jugum contrivit diaboli, et vincula impie-
tatis quibus corda hominum vinxit. Ideo
dixit : Nunc princeps hujus mundi ejici- Joann. xii, 31.
etur foras. Alii de jugo Antichristi ex-
ponunt, quem Christus spiritu oris sui II Thess. ii, 8.
occidet : sicque ab ejus onere eruet Chri-
stianos, quemadmodum in Daniele scri- Dan. vii, 23-28.
ptum est. Et in Isaia habetur : Præcipitabit Is. xxv, 7.
Dominus faciem vinculi colligati super om-
nes populos. *Et non dominabuntur ei am-*
plius alieni. Post mortem Antichristi, cer-
tum est Judæos conversos aliis regibus non
subdendos; et qui Christo in primo ejus
adventu crediderunt, quantum ad animam
in libertate manserunt, nec principibus
terræ sic subdebantur, ut a Christo rece-
derent. Hinc ait Salvator : Si filius vos li- Joann. viii, 36.
beraverit, vere liberi eritis. *Sed servient* 9
Domino Deo suo, et David, id est Messiæ,
qui est manu fortis et pulcher adspectu,
tanquam virtus, sapientia, imagoque Pa- I Cor. i, 24; II Cor. iv, 4; Coloss. i, 15.
tris, *regi suo :* unde per David hoc loco
omnes intelligunt Christum; *quem susci-*
tabo eis, id est, ad eorum salutem, quan-
tum ad naturam assumptam ex semine
Patriarcharum producam, de morte susci-
tabo, ac manifestabo eisdem : juxta istud
in Psalmo, Notum fecit Dominus salutare Ps. xcvii, 2.
suum; et, Non dabis Sanctum tuum vide- Ps. xv, 10.
re corruptionem. Quibus concordat quod
in Ezechiele loquitur Deus : Salvabo gre- Ezech. xxxiv, 22-24.
gem meum, et suscitabo super eum pasto-
rem unum qui pascat eum, David servum
meum; ego Dominus ero eis in Deum, et
servus meus David princeps eorum.

Tu ergo ne timeas, serve meus Jacob, 10
neque paveas, Israel. His verbis admo-
nentur duodecim tribus, ne timore carnali,
mundano aut vitioso dejiciantur, sed auxilii
spe divini firmentur. *Quia ecce ego salvabo*
te de terra longinqua, id est, de diversis
mundi partibus populum Israel colligam
per gratiæ dona, vel etiam per localem
ad terram promissionis reditionem : quod
partim impletum est in reversione a Baby-
lonica captivitate, verius autem per Chri-
sti et Apostolorum prædicationem, plenius
vero implebitur in fine sæculi, dum om-
nes Judæi ad Dominum convertentur. *Et*
semen tuum, id est, filios Israel salvabo,

de terra captivitatis eorum, id est de lo- A
cis in quibus per mundum dispersi fue-
runt, perducendo eos ad pascua Ecclesiæ
militantis, deinde ad opulentias Ecclesiæ
triumphantis. Plures quoque Judæi post
Christi ascensionem conversi, ex devotio-
ne sancta loca dominicæ passionis visi-
taverunt, et post Antichristi dejectionem
accedent. *Et revertetur Jacob* spirituali
reversione jam dicta, et etiam corporali,
et requiescet a pristinis suis pressuris, *et
cunctis affluet bonis,* id est spiritualibus
divitiis, *et non erit quem formidet* inordi- B
Prov. xxviii, 1. nato timore. Justus namque quasi leo con-
fidens, absque terrore erit. Hinc ait Psal-
Ps. xxii, 1, 2. mista : Dominus regit me, et nihil mihi
deerit; in loco pascuæ ibi me collocavit.
De primitiva quoque Ecclesia in Actibus
Act. iv, 31, 34. scribitur : Repleti sunt omnes Spiritu
Sancto, nec quisquam egens erat inter eos.
Joel iii, 18. Propter quod in Joele legitur : In die illa
stillabunt montes dulcedinem, et colles
fluent lacte, et per omnes rivos Juda ibunt
aquæ. Hæc atque similia, quæ vas electi-
onis divinus Apostolus docet spiritualiter C
exponenda, et in Christi adventu spirituali-
ter impleta, rudes Judæi præstolantur cor-
poraliter adimplenda.

11 Hæc itaque fient : *Quoniam ego tecum
sum, dicit Dominus, ut salvem te.* Aliqui
autem Catholicorum prædicta referunt ad
statum Ecclesiæ triumphantis, in qua est
pax plena, felicitasque perfecta. *Faciam
enim consummationem in cunctis genti-
bus, in quibus dispersi te,* id est, persecu-
tores tuos dejiciam : sicut dejecti fuerunt
Assyrii per Chaldæos, et Chaldæi per Persas D
ac Medos, et isti per Græcos, Græci insu-
per per Romanos. *Te autem non faciam
in consummationem,* id est, quamvis te
multipliciter tribulari permittam, non ta-
men perire, aut in vita hac omnino consu-
Mich. v, 9. mi te sinam : juxta illud Michææ, Exalta-
bitur manus tua super hostes tuos, et
omnes inimici tui peribunt. *Sed castiga-
bo,* id est, pro tuis peccatis paternaliter
flagellabo, *te in judicio,* id est secundum
sapientiæ meæ discretionem, prout video
pati te posse; vel, In judicio, id est juste
ac rationabiliter, imo et citra condignum;
ut non tibi videaris innoxius, id est, ne
innocentem et nimis justum te reputes.
Quum enim pœna debeatur culpæ, fre-
quenter contingit ut qui in sæculo isto a
Deo non castigantur, se innoxios arbitren-
tur. Itaque per flagella discimus nos ipsos
cognoscere, et dicere cum viro sancto : In Jacob. iii, 2.
multis offendimus omnes. Ideo scriptum
est : Beatus homo qui a Domino corripitur. Job v, 17.
Hieronymus quoque circa hunc asserit lo-
cum : His verbis significatur, quod totus
mundus indiget misericordia Dei; quod
etiam nullus, quamvis sanctus sit, secu-
rus pergit ad Judicem. De hoc dictum est
plenius supra, quo habetur : Corripe me, Jer. x, 24.
Domine.

Quia hæc dicit Dominus : Insanabilis 12
fractura tua : id est, tua virtute aut via
humana integritatem pristinam recuperare
non poteris; *pessima plaga tua,* id est pœ-
nalissima, quia de malitia pœnæ est ser-
mo; vel, Pessima, id est impiissima, ex
parte crudelitatis persecutorum : sicut pas-
sio vel mors Christi vocatur piissima ex
parte patientis, impiissima vero ex parte
inferentis. Istud ad Judæos a Babyloniis
captos, et ab incredulis post Christi pas-
sionem vastatos, atque in fine sæculi ab
Antichristo vastandos, potest referri. *Non* 13
est qui judicet judicium tuum, id est ju-
ste judicet pro te, *ad alligandum,* id est ad
medendum tuis vulneribus; *curationum
utilitas non est tibi,* id est, præter me ne-
mo te potest sanare. *Omnes amatores tui* 14
obliti sunt tui, id est, qui tempore pacis
et prosperitatis te diligere videbantur, vi-
delicet sacerdotes et principes tui, in præ-
fatis persecutionibus te relinquent; *te non
quærent,* ut suffragentur. Imo superius
patuit quemadmodum in Christi Ecclesia
proximi a proximis pro Christi nomine
tradebantur; et Antichristi persecutione
instante, vix aliquis pro Christifidelibus
loqui audebit.

*Plaga enim inimici percussi te castiga-
tione crudeli,* id est, per inimicos tuos te

flagellavi, vel plaga qua hostes cæduntur, A
te quoque percussi : non quod absolute
loquendo, electi percutiantur ut reprobi;
sed quia vicissim tam graviter infestantur,
ut videantur quasi a Deo relicti ac despe-
Job xxx, 20, 21. cti, sicut beatus Job loquitur Deo : Sto, et
non respicis me ; mutatus es mihi in cru-
delem, et in duritia manus tuæ adversaris
II *Cor.* I, 8. mihi. Ita et Paulus : Supra modum, inquit,
gravati sumus, ita ut tæderet nos etiam
vivere. Quod electis potissime continget ab
Antichristo : cujus persecutio erit tam ra-
Matth. XXIV, 22. bida, quod nisi breviati essent dies illi, B
non fieret salva omnis caro; sed propter
electos dies illi breviabuntur, sicut Chri-
stus fatetur. *Propter multitudinem iniqui-
tatis tuæ dura facta sunt peccata tua,* id
est indurata ac habituata in te, fortique
correctione et mordaci medicatione egen-
tia. Quo enim peccata sæpius iterantur,
eo amplius aggravantur, et radicantur in
anima : unde et graviorem exigunt disci-
plinam, ut inter vulnus et medicinam ser-
15 vetur proportio. *Quid clamas super con-
tritione tua?* id est, causam conquerendi C
de tua punitione non habes, quum majora
tormenta merueris. *Insanabilis est dolor
tuus,* id est, afflictio tua irremediabilis est
via humana, nec tuis viribus vales evade-
re. *Propter multitudinem iniquitatis tuæ
et dura peccata tua, feci hæc tibi,* id est,
non mea severitate, sed tua perversitate
hæc incurristi. Quanta autem fuerit Judæ-
orum perversitas tempore Chaldæorum, et
dum mortem Christi procuraverunt, quanta
insuper erit quousque per Eliam conver-
tantur, pensantibus, innotescit quod tanta D
adversa meruerunt aut promerebuntur.
16 *Propterea omnes qui comedunt,* id est,
graviter tribulant vel occidunt *te, devo-
rabuntur,* quia in præsenti meruerunt oc-
cidi; suntque damnati, quia sinistra in-
tentione te persequebantur ; *et universi
hostes tui in captivitatem ducentur; et qui
te vastabunt, vastabuntur, cunctosque præ-
datores tuos dabo in prædam.* Istæ vindi-
ctæ æquitatis divinæ, contigerunt Chal-
dæis, incredulisque Judæis qui primitivam
Ecclesiam persequebantur ac spoliaverunt,
quos oppresserunt Romani. Sic etiam con-
tinget Antichristo ac satellitibus ejus, qui
ab invisibilibus hostibus in carcerem in-
fernalem captivi trahentur. *Obducam enim* 17
cicatricem tibi, et, pro id est, *a vulneri-
bus tuis sanabo te,* id est, a peccatis, quæ
sunt animæ vulnera, per gratiam te cura-
bo, atque a ceteris incommodis liberabo;
quia ejectam vocaverunt te, Sion : id est,
o Ecclesia ex electis Judæis collecta aut
colligenda, persecutores tui te spreverunt
seu spernent, atque a Deo abjectam dicturi
sunt. Hoc enim infideles Judæi dixerunt,
et Antichristus cum suis id asseret. *Hæc
Sion est quæ non habebat requirentem,* id
est, ab omnibus videbatur relicta tempore
afflictionis : cui per Isaiam Dominus ait :
Pro eo quod fuisti derelicta et odio habita, *Is.* LX, 15.
ponam te in superbiam sæculorum, gau-
dium in generationem et generationem.
Hæc dicit Dominus : Ecce ego conver- 18
*tam conversionem tabernaculorum Jacob,
et tectis ejus miserebor,* id est, urbes et
habitacula Judæorum, vel potius congre-
gationes eorum recuperabo. *Et ædificabi-
tur civitas in excelso suo, et templum juxta
ordinem suum fundabitur.* Istud, secun-
dum Hieronymum, figuraliter tempore Zo-
robabel fuit impletum, quando Jerusalem
ejusque templum reparata fuerunt ; sed
per Christum vere completum est, qui ci-
vitatem, id est Ecclesiam (de qua legitur :
Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei) ædi- *Ps.* LXXXVI, 3.
ficavit in fide, sacramentis ac moribus, et
templum in ea constituit, corda et corpo-
ra Christianorum divino cultui dedicando,
quibus ait Apostolus : Vos estis templum II *Cor.* VI, 16.
Dei vivi. Hinc in Zacharia de Christo in-
ducitur : Ecce vir, Oriens nomen ejus, et *Zach.* VI, 12, 13.
ædificabit templum Domino, et dominabi-
tur super solio suo. De hac re multa in
Isaia conscripta noscuntur; et sanctus Apo-
stolus ad Ephesios, In Christo Jesu, inquit, *Ephes.* II, 21.
omnis ædificatio constructa, crescit in tem-
plum sanctum in Domino. Porro Ecclesia
in excelso suo, id est in magno honore et
gloria, est constructa, cui per Isaiam Do-

Is. LX, 12. minus pollicetur : Gens et regnum quod A
19 non servierit tibi, istud peribit. *Et egre-
dietur de eis laus, id est divinæ majesta-
tis laudatio, *voxque ludentium,* secundum
quod ludus ponitur actus virtutis, et ex
devotionis abundantia oritur, de quo lo-
II Reg. VI, 21, 22. quitur David : Ludam coram Domino, et
humilis ero in oculis meis. Est autem et
ludus damnabilis, de quo ait Scriptura :
Exod. XXXII, 6. Sedit populus manducare et bibere, et
surrexerunt ludere. — Prædicta insuper
implebuntur in generali Judæorum con-
versione, quando ex eis construetur tan- B
quam ex vivis lapidibus civitas Dei et
templum, in quibus erit laus voxque lu-
Ps. CXVII, 15. dentium, juxta illud in Psalmo : Vox ex-
sultationis et salutis in tabernaculis ju-
storum.

Et multiplicabo eos numero et merito, *et
non imminuentur :* imo quotidie mirabi-
liter augebantur. Apostoli namque et ce-
teri ex Judaismo conversi, innumerabiles
spirituali fecunditate genuerunt, tam ex
Judæis quam ex gentibus, quos converte-
runt ad Christum. *Et glorificabo eos* excel- C
lentissimis donis gratiæ gratum facientis,
et gratiæ gratis datæ. Denique Apostoli, qui
Rom. VIII, 23. primitias Spiritus receperunt, in tantum
a Deo glorificati sunt, ut dicat Psalmista :
Ps. XLIV, 17. Constitues eos principes super omnem ter-
Ps. XLVI, 10. ram ; et, Quoniam dii fortes terræ vehe-
menter elevati sunt. *Et non attenuabun-
tur : imo quotidie spiritualiter ditabantur,
II Cor. IV, 16. dicente Apostolo : Licet exterior noster
homo corrumpatur, tamen is qui intus est,
renovatur de die in diem. De hac spiritu-
ali electorum Judæorum multiplicatione D
Is. XXVII, 6. scriptum est in Isaia : Florebit et germi-
nabit Israel, et implebunt faciem orbis
semine.

20 *Et erunt filii ejus,* id est Apostoli cete-
rique Judæi in Christum credentes, qui
sunt filii Synagogæ electæ, *sicut a princi-
pio, id est tales in gratia, quales fuerunt
sancti Patriarchæ atque Prophetæ. Hoc est
Ps. XLIV, 17. quod fertur in Psalmo : Pro patribus tuis
nati sunt tibi filii. Judæi quoque qui tem-
pore Antichristi credent, præcipuæ per-
fectionis consistent. *Et cœtus ejus coram
me permanebit,* id est, multitudo ista fide-
lium Judæorum in gratia erit stabilis, et
mihi accepta, de quibus Dominus prote-
statur : In unum reducam reliquias Israel, Mich. II, 12.
ponam illum quasi gregem in ovili. *Et
visitabo adversum omnes qui tribulant
eam*,* id est, persecutores hujus fidelis * eum
multitudinis puniam et damnabo : quod
constat factum in Judæis incredulis per
Romanos dejectis ; atque in Antichristo
ejusque satellitibus fiet. Hinc in Isaia Do-
minus loquitur : Ne timeas, quia ego te- Is. XLI, 10, 11.
cum sum ; ne declines, quia ego Deus
tuus : ecce confundentur omnes qui pu-
gnant contra te.

Et erit dux ejus, id est Christus rex 21
fidelium Judæorum, *ex eo :* quia ex po-
pulo isto secundum carnem natus est,
juxta illud Apostoli ad Hebræos, Nusquam Hebr. II, 16.
angelos apprehendit, sed semen Abrahæ
apprehendit. De quo duce asserit Deus lo-
quens ad Bethlehem : Ex te mihi egredie- Mich. V, 2.
tur qui sit dominator in Israel. *Et princeps*
ejus, puta Salvator, *de medio ejus produ-
cetur : quia ex semine Israelitici popu-
li prodiit, sicut Matthæus docet. De quo Matth. I.
principe legitur in Michæa : Transibit rex Mich. II, 13.
eorum coram eis, et Dominus in capite eo-
rum. *Et applicabo eum,* id est, Christum
secundum formam servi inseparabiliter ac
intime mihi conjungam : fuit nempe ab
instanti incarnationis confirmatus in bo-
no. Propter quod ait in Joanne : Pater non Joann. VIII, 29.
reliquit me solum, quia ego quæ placita
sunt ei, facio semper ; et rursus, Ego, in- Ibid. XIV, 10.
quit, in Patre, et Pater in me est. *Et ac-
cedet ad me mentali incessu, orando pro
generis humani salute, secundum illud ad
Hebræos : Christus eo quod maneat in Hebr. VII, 24, 25.
æternum, sempiternum habet sacerdotium :
unde et salvare potest in perpetuum, ac-
cedens per se ipsum ad Deum, semper vi-
vens ad interpellandum pro nobis. De quo
ait Joannes : Advocatum habemus apud I Joann. II, 1.
Patrem Jesum Christum justum. Qui etiam
ait : Ascendo ad Patrem meum. Accessit Joann. XX, 17.
præterea Christus secundum naturam as-

sumptam ad Patrem, imo ad totam super- A
beatissimam Trinitatem, per beatificam
contemplationem, fruitivam dilectionem,
incessabilem virtutum exsecutionem, a primo
suæ incarnationis momento. Hinc de
ipso subjungitur : *Quis enim iste est,* id
est, quam magnæ utique eminentiæ exstat,
qui applicet cor suum, id est, voluntatis
suæ affectum mihi semper conformet,
ac mentis intuitum indesinenter
infigat, *ut appropinquet mihi,* non qualitercumque,
sed tam propinque, sicut possibile
est naturæ creatæ? Loquitur autem B
Deus quasi optando et congratulando.

Denique spiritualiter generaliterque loquendo,
universos electos Deus misericorditer
prævenit, et gratiose applicat sibi,
sicque accedunt ad ipsum per caritatem
infusam et gratiam. Id quoque quod Dominus
ait, Quis est iste qui applicet cor
suum, ut appropinquet mihi? generaliter
accipi potest, quod Deus omnium salutem
Tim. II, 4. desiderat, dicente Apostolo, quod vult omnes
homines salvos fieri : secundum quod
ait ad Moysen, loquens de filiis Israel : C
Deut. v, 29. Quis det eos talem habere mentem, ut timeant
me, et custodiant universa mandata
mea, et bene sit eis? Itaque Dominus ait :
Quis est iste qui applicet cor suum, ut appropinquet
mihi, id est, ad gratiam se disponat,
ut mihi cor suum unire exquirat,
ut tanquam ultimo fini mihi approximet
per gratiæ incrementa in via, et gloriæ
dona in patria? quasi dicat : Talem utique
cito exaudiam, et juvabo, ac possidebo. Ideo
Job XXXIV, 14. scriptum est in Job : Si direxerit homo
cor suum ad Deum, spiritum illius et fla- D
tum ad se trahet. Itaque faciamus semper
quod in nobis est, et ex parte Dei defectus
Luc. XI, 10. non erit, quum dicat Salvator : Omnis qui
petit, accipit; et qui quærit, invenit; et
pulsanti aperietur.

22 *Et eritis mihi,* o Judæi in Christum credentes,
*in populum, et ego ero vobis in
Deum.*

Quum ergo tam superincomprehensibilis
sit misericordia Dei, quid restat injustis
23 ac reprobis, nisi quod subditur? *Ecce turbo
Domini,* id est ultio æquitatis divinæ,
furor egrediens, id est terribilis ab ipso
procedens punitio, *procella ruens,* id est
tempestas graviter incidens, *in capite impiorum
requiescet,* id est in præfatis justorum
persecutoribus, qui in die judicii
audient sibi dici : Ite, maledicti, in ignem Matth. XXV, 41.
æternum. Quod item de omnibus impiis
accipi potest, juxta istud : Pluit super pec- Ps. X, 7.
catores laqueos ; ignis et sulfur et spiritus
procellarum, pars calicis eorum. *Non aver-* 24
*tet iram indignationis suæ Dominus, donec
faciat, et donec compleat cogitationem
cordis sui,* id est, Deus vindictam istam
non differet ultra tempus præfixum, et
certissime inferet eam : quod etiam fuit
impletum in destructione Jerusalem per
Romanos. *In novissimo dierum intelligetis
ea,* id est, veritatem istorum per experientiam
cognoscetis, præsertim in die judicii,
quando Dominus illuminabit abscondita I Cor. IV, 5.
tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.
Circa quod ait Hieronymus : Quomodo
artifex non potest intelligi, nisi opere
completo, neque medicinæ industria, nisi
fuerit sanitas consecuta ; ita quum eversa
fuerit Jerusalem, et incredulorum Judæorum
abjectio facta, tunc intelligent credentes,
quod repulsio Judæorum, nostræ
salutis occasio sit.

In tempore illo, dicit Dominus, ero Deus 1
universis cognationibus Israel, id est, om- (cap. XXXI.)
nes tribus Israel convertentur ad me, *et
erunt mihi in populum.* Quod post Christi
adventum partim impletum est : imo, secundum
Hieronymum, tunc vere impletum
est, quia secundum eum nunc sermo
est de Israel secundum spiritum, non de
Israel secundum carnem tantum, hoc est
de cunctis fidelibus Deum oculo mentis
per fidem cernentibus. Carnales autem impiique
Judæi, non sunt nomine Israel digni,
nec filii Patriarcharum censentur :
quibus ait Salvator, Vos ex patre diabolo Joann. VIII, 44.
estis; et denuo, Si filii Abrahæ estis, opera Ibid. 39.
Abrahæ facite. Verumtamen, sicut præhabitum
est, post primum Christi adventum
multi ex singulis tribubus Israel credide-

runt ; sed in fine sæculi istud implebitur A plene per generalem duodecim tribuum conversionem, quando et istud Michææ eveniet : Congregatione congregabo Jacob totum te ; in unum conducam reliquias Israel pariter. *Mich.* II, 12.

Considerandum autem, quod quidam incipiunt capitulum tricesimum primum in verbo exposito, scilicet, In tempore illo, etc. Sed in commentariis Hieronymi aliter reperi, in quo inchoatur capitulum in verbis immediate sequentibus. Sensus quoque præexpositi verbi, ad superiora pertinet B atque concernit.

Postremo, qualiter ea quæ de Synagoga ejusque persecutione, transgressione, emendatione, gravissima afflictione ad litteram dicta sunt, Ecclesiæ valeant coaptari, per se facile, et ex præcedentibus facillimum reor. Idcirco pertranseo, non nisi brevissime tangens, quod Ecclesia ab invisibilibus ac visibilibus hostibus impugnatur, atque a terra sua ejicitur, dum per peccata mortalia Christiani a mystico Christi corpore separantur, ac dæmoni incorporantur ; sed frequenter per divinam recuperantur clementiam. Multi autem tam debiles sunt ad resistendum diabolo, ut instar parturientis teneant manus ad lumbos, concupiscentiis acquiescendo, et virtuosa exercitia abhorrendo, non advertentes istud Apostoli, quod non coronatur nisi qui legitime certaverit : quorum interiores facies in aurugi- *II Tim.* II, 5. nem convertentur, dum tot mortalibus vitiis deformantur.

ARTICULUS XLVIII

EXPLANATIO CAPITULI TRICESIMI PRIMI : HÆC DICIT DOMINUS : INVENIT GRATIAM IN DESERTO, ETC.

HOC nunc pertractando capitulo Christi mysteria diffusius describuntur. C Agitur enim præsenti capitulo de Christi incarnatione, prædicatione, et legislatione.
2 *Hæc dicit Dominus : Invenit gratiam in deserto populus qui remanserat gladio ; vadet ad requiem suam Israel.* Clausula ista dupliciter explanatur. Primo, secundum Hieronymum : Populus qui remanserat gladio, id est Judæi qui manus effugerant Romanorum, invenit gratiam in deserto gentilium, id est inter gentiles olim a Deo relictos, inter quos habitave- D runt fugitivi Judæi ; et simul cum ipsis gentibus ad Christum conversis, conversi sunt plurimi Judæorum, qui in Ecclesia Christi salvati sunt, sicque venerunt ad requiem veram ac sempiternam, sanctis patribus olim in Prophetis promissam. Porro alii ita exponunt, quod populus Israel per desertum tendens ad terram promissionis, qui remansit gladio et ceteris plagis quibus alii in solitudine prosternebantur, invenit gratiam Dei in deserto *Hebr.* III, 17. præfato, quoniam filii prostratorum simul cum Josue adepti sunt bona patribus suis promissa, videlicet terram melle et lacte manantem, in qua requieverunt. Verumtamen, quoniam terræ illius ingressus, requiesque Israelitarum in ea, fuit figura ingressionis atque quietis regni cœlestis, quemadmodum ad Hebræos docet Apostolus ; idcirco Jeremias per modum futuri *Ibid.* XI, 9, 10. locutus est : Vadet ad requiem suam Israel. De primo deserto multa scribuntur in Isaia, videlicet : Lætabitur deserta et invia, et exsultabit solitudo ; et, Quia multi *Is.* XXXV, 1. *Ibid.* LIV, 1. filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum ; itemque, Dabo in solitudinem myrtum, et spinam, et lignum olivæ, etc. *Ibid.* XLI, 19.

3 Deinde ait Propheta : *Longe Dominus* A *apparuit mihi :* id est, in longinquum, seu post longum tempus, implebuntur quæ Dominus mihi ostendit, videlicet salvatio Judæorum per Christum, quæ in primo Christi adventu fieri cœpit, atque in fine sæculi plenius fiet. Ad quod Dominus respondet : *Et in caritate perpetua dilexi te.* Tanquam diceret : Quamvis, o popule Judæorum, in ultima mundi ætate te salvo, tamen ab æterno dilexi te, sicut et omnes prædestinatos. *Ideo attraxi te miserans,* id est, non tuis meritis atque virtutibus, sed B ex mea gratissima dilectione ac miseratione clementer per gratiam beneficiaque diversa, te traxi ad me. Denique, quoniam Deus ex semine Judæorum incarnari elegit, specialiter populum ipsum dilexit, maximisque beneficiis decoravit, juxta illud
Rom. IX, 4, 5. Apostoli ad Romanos : Qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum Dei, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa ; quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem. Hinc
Ps. CXLVII, 20. fertur in Psalmo : Non fecit taliter omni C
Deut. VII, 6. nationi ; in Deuteronomio quoque, Te elegit Dominus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram.
Osee XI, 1. Sed et in Osee Dominus ait : Puer Israel, et dilexi eum.

4 *Rursusque ædificabo te, et ædificaberis, virgo Israel,* id est, o electe popule Judæorum, post Babylonicam vastitatem ædificabo te spiritualiter per conversionem ad Christum, corda credentium ædificando in virtute et gratia multiformi Spiritus Sancti, atque ex ipsis conversis Judæis con- D struendo præclarissimam illam primitivam Ecclesiam, in omni decore præcipuam. De qua ædificatione apostolus Jacobus in Actibus allegat quod Dominus loquitur in
Amos IX, 11; *Act.* XV, 16. Amos : In die illo suscitabo tabernaculum David quod cecidit, et reædificabo aperturas ejus. De qua utique ædificatione Isaias, Ezechiel, ceterique Prophetæ concorditer prælocuti noscuntur in quamplurimis locis. *Adhuc ornaberis tympanis tuis,* id est divinæ laudis instrumentis : quæ spiritualiter et corporaliter in Ecclesia Christi habentur, et a Christifidelibus frequentantur, præsertimque in primitiva resonabant Ecclesia, quæ diebus et noctibus vacabat Dei præconio, ut patet in Luca, et in Actibus diversis capitulis. *Luc.* XXIV, 53 ; *Act.* II, 46, 47 ; IV, 24 *et seq.* Hinc in Psalmo prædictum est : Prævenerunt principes conjuncti psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum. *Ps.* LXVII, 26. Hoc enim ad litteram, ad primitivam refertur Ecclesiam. *Et egredieris in choro ludentium,* id est in processionibus fidelium Deum cum jubilo cordis laudantium, juxta illud : Laudate *Ps.* CL, 4. eum in tympano et choro.

Et *Adhuc plantabis vineas in montibus* 5
Samariæ. Judæi a Babylone reversi, non obtinuerunt Samariam ; sed electissimi illi Judæi sancti Apostoli et apostolici viri, Spiritu Sancto recepto, plurimos in Samaria converterunt, ex quibus construxerunt Deo Ecclesias, quæ in Scripturis vineæ appellantur. Et sicut generaliter est una Ecclesia militans, toto orbe terrarum diffusa, ita et una est vinea, de qua supra dictum est sæpe. Verumtamen, sicut plures dicuntur Ecclesiæ propter diversitatem fidelium penes tempus, locum, personas, gradus et linguas, ita et plures dictæ sunt vineæ. Denique in Joanne leguntur multi Samaritanorum ad Christi prædicationem conversi. *Joann.* IV, 39. In Actibus quoque habetur : Quum *Act.* VIII, 14. audissent Apostoli qui erant Jerosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem ; itemque, Ecclesia quidem per totam Judæam *Ibid.* IX, 31. et Galilæam et Samariam habebat pacem, et ædificabatur ambulans in timore Domini, et consolatione Spiritus Sancti replebatur. *Plantabunt plantantes,* id est, evangelici prædicatores præfati præmemoratas vineas in Deo fundabunt, *et donec veniat tempus, non vindemiabunt,* id est, conversos in fide plantatos ad operum bonorum maturitatem perducent, ita quod usque in finem perseverabunt, tuncque ad regna cœlestia de hac vita depositi transferentur. De hac plantatione loquitur Christus : Omnis plantatio quam non plantavit *Matth.* XV, 13.

Pater meus cœlestis, eradicabitur; et Pau- A
I Cor. III, 6. lus, Ego, inquit, plantavi. Unde rursus ait
Joann. XV, 1. Salvator : Pater meus agricola est.
6 *Quia erit dies,* id est, tempus eveniet, *in
qua clamabunt custodes,* id est prædicato-
res et pastores, qui sunt animarum custo-
des, quales potissime erant primi ex Ju-
daismo conversi, *in monte Samariæ et in
monte Ephraim :* quia in locis illis ha-
bitaverunt plurimi Christiani, et ibidem
prædicaverunt Apostoli et apostolici vi-
ri. Vel per montem Samariæ montemque
Ephraim, Ecclesia generaliter designatur, B
in qua est cordis custodia, et spiritualium
gratiarum ubertas. Samaria quippe custo-
dia, Ephraim vero ubertas seu crescens
vel frugifer, interpretatur. Quid autem cla-
mabunt, subjungitur : *Surgite* ab obser-
vantiis legalibus ad evangelica instituta, *et
ascendamus* per incrementa virtutum *in
Sion,* id est militantem Ecclesiam, in qua
est speculatio Dei. Solet enim per Sion
etiam ad litteram Ecclesia designari, quia
in monte Sion sumpsit exordium, et quo-
niam Sion speculatio dicitur. Unde ad He- C
Hebr. XII, 22. bræos legitur : Accessistis ad Sion mon-
tem et civitatem Dei viventis; atque in
Ps. LXXXVI, 2. Psalmo, Diligit Dominus portas Sion super
omnia tabernacula Jacob. Præterea locus
iste exponi potest de corporali ascensu a
terris præfatis ad montem Sion seu urbem
Jerusalem, ad quam frequenter venerunt
conversi, ob sanctitatem ac loci reveren-
tiam, et quia ibidem ad tempus residebant
Apostoli, post quorum divisionem mansit
Jacobus illic. Ad utramque autem expo-
Is. II, 3. sitionem pertinet istud Isaiæ : Ibunt popu- D
li multi, et dicent : Venite, ascendamus ad
montem Domini, et ad domum Dei Jacob,
quia de Sion exibit lex. Itaque, Ascenda-
mus in Sion *ad Dominum Deum nostrum,*
qui in ecclesiastica unitate maxime inve-
nitur.
7 *Quia hæc dicit Dominus : Exsultate in
lætitia Jacob,* id est, o fideles, spirituali
jucunditate de electorum Judæorum læti-
tia interna gaudete, congratulando eisdem,
et hinnite, id est, ex abundantia gaudii

interioris clamate, *contra caput gentium,*
id est diabolum, cui gentes per idolola-
triam subdebantur, a cujus potestate per
gratiam Christi estis erepti; vel, Contra
caput gentium, id est ad ipsas gentes con-
versas, vel convertendas, de earum quo-
que conversione lætando. Contra enim, non
semper contrarietatem importat, sed vi-
cissim habitudinem ad aliquid, juxta illud
in Psalmo : In die tribulationis meæ Deum Ps. LXXVI, 3.
exquisivi manibus meis nocte contra eum.
Sic exsultasse Judæos conversos de gen-
tium gratia, scriptum est in Actibus, ubi
legitur, quod introibat Paulus ad Jacobum, Act. XXI, 18-20.
omnesque collecti sunt seniores : quos
quum salutasset, narrabat per singula, quæ
Deus fecisset in gentibus per ministerium
illius; at illi quum audissent, magnifica-
bant Deum. *Personate, canite, et dicite :
Salva, Domine, populum tuum reliquias
Israel,* id est filios Israel incredulis Judæis
residuos, qui post multos relicti sunt :
quorum conversionem in tantum Paulus
desideravit, ut diceret ad Romanos, Opta- Rom. IX, 3.
bam ego ipse anathema esse a Christo pro
fratribus meis. De quibus Isaias excla-
mat : Si fuerit numerus filiorum Israel Is. X, 22.
quasi arena maris, reliquiæ salvæ fient.
Qui et de præfata credentium lætitia lo-
quitur Deo : Lætabuntur coram te, sicut Ibid. IX, 3.
qui lætantur in messe.
Insuper precem istam Dominus se im-
pleturum promittit : *Ecce ego adducam* 8
eos ad fidem et caritatem, atque Ecclesiam
electorum, *de terra aquilonis, et congre-
gabo eos* in ecclesiastica unitate ac indivi-
dua caritate, *ab extremis terræ :* quia ut
jam sæpe ostensum est, in omnibus mundi
plagis quidam Judæorum conversi, redu-
cti, ac salvati sunt. Spiritualiter autem, De
terra aquilonis, id est confusione infide-
litatis et infrigidatione gratuitæ caritatis.
A Chaldæa etiam ceterisque provinciis re-
duxit Deus plurimos filiorum Israel in
Judæam, quorum posteri crediderunt in
Christum. Erant equidem, ut Lucas testa- Act. II, 5.
tur, in Jerusalem habitantes Judæi viri
religiosi ex omni natione quæ sub cœlo

est. *Inter quos erunt cæcus et claudus, et* A *prægnans et pariens simul :* quia inter conversos fuerunt nonnulli corporaliter cæci et claudi, qui per Christi discipulos curabantur; plures autem spiritualiter cæci fuerunt, vitiis atque erroribus involuti, et claudi, tanquam impediti a via virtu-
III *Reg.* XVIII, 21. tum, instar eorum quibus ait Elias : Usquequo claudicatis in duas partes? Hinc Isaias
Is. XXXV, 5, 6. prædixit : Tunc aperientur oculi cæcorum, tunc saliet sicut cervus claudus. Prægnantes vero et parientes intelliguntur, vel qui bonis operibus abundabant, vel feminei sexus personæ conversæ. Hi omnes erunt *cœtus magnus revertentium huc,* scilicet ad Sion præfatam. Judæi, secundum Hieronymum, putant istud impletum, quando sub Esdra de Babylone reversi sunt, in quo typus fuit, non veritas. Neque enim illo in tempore universa quæ hic scripta sunt, fuisse completa poterant approbare.

9 *In fletu venient,* id est, cum lacrimis contritionis fidem Christi suscipient, summe de innocentis Christi occisione dolentes, saltem per piam compassionem, se-
Zach. XII, 11, 10. cundum quod in Zacharia legitur : In die illa erit planctus magnus in Jerusalem, et plangent eum planctu quasi super unigenitum. *Et in misericordia reducam eos* a tenebris ignorantiæ et peccati, ad viam salutis veritatisque lumen : non enim suis meritis, sed Dei clementia sunt salvati. *Et adducam eos per torrentes aquarum,* id est per fluenta doctrinarum et prædicationum Apostolorum et apostolicorum viro-
Ps. LXVII, 27. rum : de quibus fertur in Psalmo : In ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus
Is. XXXV, 6. Israel. Et Isaias : Scissæ sunt, inquit, in
Ibid. XII, 3. deserto aquæ ; et item, Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris ; Christus
Joann. IV, 13. quoque, Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. *In via recta,* videlicet in fide christiana et præcepto-
Matth. VII, 14. rum custodia, de qua ait Salvator : Arcta est via quæ ducit ad vitam. *Et non impingent in ea,* id est, sine obstaculo et ruina per viam hanc, quantum est ex parte viæ, transibunt ad patriam. Christus etiam via intelligi potest, in qua nemo impingit qui sequitur eum, de se testantem : Ego sum *Joann.* XIV, 6. via, veritas, et vita ; et : Ego sum lux *Ibid.* VIII, 12. mundi ; qui sequitur me, non ambulat in tenebris. *Quia factus sum Israeli,* id est conversis fidelibusque Judæis, *pater* per gratiam adoptantem ; *et Ephraim,* id est populus decem tribuum, *primogenitus meus,* id est valde mihi dilectus, quantum ad eos qui ex hoc populo sunt conversi : inter quos quidam præcipui fuerunt Apostoli, scilicet Petrus, Andreas, Philippus. B Ephraim autem in Scripturis, præsertim in Osee, frequenter pro populo decem tribuum sumitur.

10 Deinde gentium vocatio tangitur : *Audite verbum Domini, gentes* ad fidem conversæ, *et annuntiate in insulis quæ procul sunt, et dicite : Qui dispersit Israel, congregabit eum,* id est, Deus qui populum Israel ob sua peccata per loca diversa dispersit, spiritualiter quoque per errores ac vitia dispergi reliquit, per pietatem suam et gratiam colliget eum, *et custodiet eum* C a seductione diaboli, periculisque peccati, *sicut pastor gregem suum.* Unde et Christus : Ego, inquit, sum pastor bonus, et *Ibid.* X, 14. cognosco oves meas. Hinc loquitur Isaias : Sicut pastor suum gregem pascet, in bra- *Is.* XL, 11. chio suo congregabit agnos, et in sinu suo
11 levabit. *Redemit enim Dominus Jacob,* id est populum Judæorum, quem sanguinis sui superdignissimi pretio Unigenitus Dei salvavit. De quo et testatur : Non sum *Matth.* XV, 24. missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. *Et liberavit eum de manu poten-* D *tioris,* scilicet invisibilium hostium, quibus debilior homo est per naturam, fortior autem per gratiam. Christus quippe for- *Ibid.* XII, 29. tem istum armatum ligavit, et vasa ejus diripuit. De quo utique Salvatore scriptum est in Michæa : Stabit, et pascet in fortitu- *Mich.* V, 4-6. dine Domini, et convertentur, quia nunc magnificabitur in medio universæ terræ ; et erit iste pax, Assyrius quum venerit et quando calcaverit in domibus nostris, et liberabit ab Assur.

12 *Et venient* liberati, *et laudabunt* Salva-

Is. xxxv, 4. torem, de quo loquitur Isaias : Deus ipse A
veniet, et salvabit nos; *in monte Sion,* id
est in Ecclesia : quod etiam in Jerusalem
præsertim fecerunt. *Et confluent ad bona*
Domini, id est, beneficiis Dei implebun-
tur, *super frumento, vino et oleo :* per quæ
spiritualia animæ alimenta signantur, et
maxime corpus et sanguis Salvatoris, de
Zach. ix, 17. quibus in Zacharia prædictum est : Quid
bonum Domini, et quid pulchrum ejus,
nisi frumentum electorum, et vinum ger-
minans virgines? De Christo quoque ait
Ps. lxxi, 16. Psalmista : Erit firmamentum in terra in B
summis montium. Pro firmamento, alia
translatio habet, Frumentum; et alia, Me-
moriale triticum; et alia habet, Placenta
tritici. Per oleum vero, gratia sacramenta-
lis et unctio Spiritus Sancti exprimitur,
Ps. xliv, 8. juxta illud : Unxit te Deus Deus tuus oleo
Ps. xxii, 5. lætitiæ; et item, Impinguasti in oleo caput
meum. Est autem consuetudo Scripturæ,
spiritualia per corporalia parabolice desi-
gnare : quod in veteri Testamento frequen-
tius agitur propter illius populi ruditatem.
Unde in talibus sensus litteralis non est, C
qui per nomina immediate signatur, sed
qui per res significatas intelligi datur se-
cundum proprietatum conformitatem, ut
IV *Reg.* xiv, 9. quum quarto Regum legitur : Carduus Li-
bani misit ad cedrum quæ est in Libano,
dicens : Da filiam tuam filio meo uxorem.
Et fetu pecorum et armentorum, id est
de maxima procreatione spiritualium filio-
rum, qui sunt oves et pecora Dei, qui ait
Ezech. xxxiv, 17, 31, juxta LXX. per Ezechielem : Vos autem oves meæ om-
nes estis. De tali quoque pecore hisque
Prov. xxvii, 23. armentis Salomon ait : Diligenter agnosce D
vultum pecoris tui, tuosque greges consi-
dera. De quibus et in Isaia primitivæ Ec-
clesiæ sub nomine Jerusalem promittitur :
Is. lx, 7. Omne pecus Cedar congregabitur tibi.

Denique quod prædicta spiritualiter sint
sumenda, pandunt sequentia : *Eritque ani-*
ma eorum quasi hortus irriguus, id est
spiritualibus bonis plena, rivis sapientiæ
perornata, virtutibusque florida et fecun-
da; *et ultra non esurient,* id est, animæ
evacuationem non sustinebunt, imo quoti-
die mentaliter impinguabuntur, juxta il-
lud : Inquirentes Dominum non minuen- *Ps.* xxxiii, 11.
tur omni bono. Præterea ex libris Esdræ II *Esdr.* v;
Aggæique constat, Judæos a Babylone re- *Agg.* ii, 16-20.
versos, in magna fuisse inopia. Propter
quod etiam Malachias dixit ad eos : In pe- *Malach.* iii, 9.
nuria maledicti estis. Corporalium quoque
alimentorum usum sequitur fames. Non
ergo prædicta carnaliter possunt exponi,
nec possunt ad tempus Zorobabel plene
referri.

Tunc lætabitur virgo in choro, juvenes 13
et senes simul, id est, virgines, juvenes
quoque et senes in locis et choris Ecclesiæ
Deo gratias agent. De quibus in prima sua
ait Canonica S. Joannes : Scribo vobis, ju- I *Joann.* ii, 14, 13.
venes, quia vicistis malignum; scribo vo-
bis, patres, quoniam cognovistis eum qui
ab initio est. Quod totum in claustris
et congregationibus sanctis copiosissime
adimpletur. *Et convertam luctum eorum*
pœnitentialem et caritativum, *in gaudi-*
um sempiternum. *Et consolabor eos, et*
lætificabo a dolore suo. Hoc est quod spon-
det Salvator : Beati qui lugent, quoniam *Matth.* v, 5.
ipsi consolabuntur. Et rursus loquens di-
scipulis : Plorabitis, inquit, et flebitis vos, *Joann.* xvi, 20, 22.
etc.; iterum autem videbo vos, et gaudebit
cor vestrum, et gaudium vestrum nemo
tollet a vobis. *Et inebriabo animas sacer-* 14
dotum pinguedine, id est gratia abundan-
ti, devotione præexcellenti : quod in san-
ctis Apostolis, aliisque devotis presbyteris,
ex perceptione sacramentorum Ecclesiæ
constat impletum, et omni die impletur in
his qui dicere possunt : Calix meus ine- *Ps.* xxii, 5.
brians quam præclarus est! Unde oramus :
Sicut adipe et pinguedine repleatur anima *Ps.* lxii, 6.
mea. Quo constat, spiritualiter loqui scri-
pturam præsentem. *Et populus meus bonis*
meis implebitur, dicit Dominus. Beneficiis
enim Dei et Salvatoris fideles multiplici-
ter sunt repleti, præsertim in primitiva
Ecclesia.

Verumtamen, quoniam in præsenti mul-
tis adversitatibus exercentur electi, sub-
jungitur : *Hæc dicit Dominus : Vox in ex-* 15
celso audita est lamentationis et fletus et

luctus Rachel plorantis filios suos, et no-
lentis consolari super eis, quia non sunt.
Hanc scripturam beatissimus evangelista
Matthæus tempore ortus Christi, innocen-
tibus ab Herode occisis, docet impletam,
dicendo : Tunc impletum est quod dictum (Matth. II, 17, 18.)
est per prophetam Jeremiam, dicentem :
Vox in Rama audita est, ploratus et ulula-
tus multus : Rachel plorans filios suos.
Allegat autem Evangelista sensum magis,
quam formam verborum. Septuaginta quo-
que interpretes transtulerunt : Vox in Rama
audita est. Hieronymus autem pro Rama
transtulit, Excelsum. Rama enim signifi-
cat, vel civitatem quæ fuit juxta oppidum
Gabaa (unde in Judicum libro legitur,
Transibo usque Gabaa, aut certe in urbe (Judic. XIX, 12, 13.)
Rama); vel excelsum; sicque in præsenti
accipitur. Idcirco Hieronymus transtulit
pro Rama, Excelsum. Est igitur sensus :
Vox lamentationis alte insonuit et late dif-
fusa est, quæ fuit Rachelis plorantis filios
suos, id est feminarum in Bethlehem Juda
habitantium, atque plorantium de infan-
tium suorum occisione per ministros He-
rodis. Quia enim Rachel sepulta fuit juxta (Gen. XXXV, 19.)
Bethlehem, per eam mulieres loci illius
vicinarumque urbium et villarum signan-
tur; et ipsa mater infantium illorum vo-
catur, ratione hospitii sui corpusculi : sic-
ut et nunc Sancti in aliquo loco sepulti,
loci et populi ejus appellantur patroni.
— Porro aliqui Judæorum dicunt, quod
juxta sepulcrum Rachelis ducebantur Ju-
dæi in Babylonem captivi. Alii dicunt, quod
sub Vespasiano et Tito juxta hunc locum
innumerabilia Judæorum millia in capti-
vitatem perducta sint Romam; alii sub
Adriano imperatore hoc asserunt factum.
Ideo Rachel plorare describitur. Sed Evan-
gelistæ, a Spiritu Sancto clarissime eru-
dito, credendum est.

Tantus autem fuit mulierum istarum
dolor et ploratus, quod consolari renue-
runt de puerorum nece suorum, quia non
sunt amplius in vita ista viventes. Verum-
tamen quoniam occisio illa fuit eis loco
16 martyrii, Dominus ait : *Quiescat vox tua*
A *a ploratu, et oculi tui a lacrimis,* o Ra-
chel, id est, multitudo mulierum istarum,
quia est merces operi tuo, id est huic tuo
negotio doloroso et filiis tuis, qui sunt pa-
rentum effectus et opera. Mercesque hæc
est beatitudo æterna, atque martyrii præ-
mium sive aureola. *Et revertentur de terra*
inimici, id est de limbo inferni, ad quem
etiam Sancti veteris Testamenti descen-
derunt, sed hora resurrectionis a Christo
educti sunt, secundum istud Zachariæ : Tu (Zach. IX, 11.)
quoque in sanguine testamenti tui emisisti
B vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.
Et est spes in novissimis tuis, id est, in 17
fine sæculi plenam beatitudinem conse-
queris. Vel : Revertentur de terra inimi-
ci, id est, de regno Herodis ad Creatorem
suum redibunt, juxta illud Ecclesiastæ :
Spiritus redeat ad Deum qui dedit illum. (Eccle. XII, 7.)
Et revertentur filii ad terminos suos, id
est ad sedes cœlestes, ad quas finaliter
sunt creati. Quidam ista exponunt de red-
itu Judæorum ac decem tribuum a suis
captivitatibus in Judæam; sed intentioni
C Evangelistæ amplius consonat expositio
præinducta.

Insuper Dominus loquitur : *Audiens au-* 18
divi Ephraim transmigrantem, id est, de-
cem tribus de sua terra captivas egredien-
tes. In cujus populi persona subjungitur :
Castigasti me per captivitatem, aliaque
adversa, *et eruditus sum* flagellis : quem-
admodum asserit Isaias, Vexatio dabit in- (Is. XXVIII, 19.)
tellectum auditui. Afflictio namque facit
hominem redire ad sui ipsius considera-
tionem. *Quasi juvenculus indomitus :* qui
D non nisi per rigorem justitiæ refrenatur ac
emendatur. Hæc autem in eorum dicuntur
persona, qui de populo isto conversi sunt,
vel in fine sæculi convertentur. *Converte*
me per gratiam prævenientem, *et conver-*
tar per gratiam subsequentem; *quia tu* es
Dominus Deus meus. Nemo quippe nisi
gratiose præventus, ad Christum converti-
tur, secundum quod ipse testatur : Nemo (Joann. VI, 44.)
potest venire ad me, nisi Pater meus tra-
xerit eum; itemque, Nemo (inquit) venit (Ibid. 66.)
ad me, nisi fuerit ei datum desuper. *Post-* 19

quam enim convertisti me per fidem et
gratiam, *egi pœnitentiam* de pristina infi-
delitate ac vitiis; *et postquam ostendisti*
mihi veritatem per Spiritus Sancti illu-
strationem, *percussi femur meum,* pristi-
nam carnalitatem detestando, deflendo at-
que refrenando. *Confusus sum* in me ipso,
quod tam inordinate me habui; *et erubui,*
quod toties Deum offendi. Vel : Confusus
sum, per inimicorum derisionem; et eru-
bui, propter pœnas illatas. *Quoniam sus-*
tinui opprobrium adolescentiæ meæ, id
est, probrosas et ignominiosas adolescen-
tiæ meæ passiones secutus sum, et pœnas
pro his illatas perpessus sum. Unde de
quibusdam ait Apostolus ad Romanos :
Rom. I, 28, 24. Dedit illos Deus in reprobum sensum, ut
contumeliis afficiant corpora sua in se-
metipsis.

Ad hanc humilem confessionem Ephra-
im, Dominus pie dulciterque respondet :
20 *Si,* pro quia, *filius honorabilis mihi Ephra-*
im, id est populus decem tribuum, quan-
tum ad prædestinatos. Divino enim judicio
honore sunt digni, qui convertuntur plena
mente ad Salvatorem, juxta istud Psalmi :
Ps. LXXI, 14. Honorabile nomen eorum coram ipso. Et
I Reg. II, 30. primo Regum Dominus ait : Ego glorifi-
cantes me glorifico. *Si puer delicatus* te-
neritudine mentis, qua spretis carnalibus,
nobili corde inhæsit cœlestibus. Loquitur
autem Deus de populo isto, quasi de aliquo
uno, quemadmodum in Exodo ait de uni-
Exod. IV, 23. verso populo Israel : Dixi tibi (scilicet Pha-
raoni), Dimitte filium meum. *Quia ex quo*
locutus sum de eo per Prophetas, *adhuc*
recordabor ejus per misericordiæ meæ gra-
tiosos effectus. *Idcirco conturbata sunt vi-*
scera mea super eum, id est, ei multum
compassus sum. Loquitur autem Deus affe-
ctu et more humano, quamvis ipse imper-
turbabilis invariabilisque consistat. Visce-
ra autem Dei sunt, caritas atque benignitas
Luc. I, 78. ejus, de quibus loquitur Zacharias : Per
viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus
visitavit nos oriens ex alto. *Miserans mi-*
serebor ejus, dando eis gratiarum chari-
smata. Hinc etiam per Osee Dominus quasi

A pietate concussus, effatur : Quid faciam *Osee* VI, 4.
tibi, Ephraim ? Quid faciam tibi, Juda ?
Rursusque : Conversum est in me cor *Ibid.* XI, 8, 9.
meum, pariter conturbata est pœnitudo
mea ; non faciam furorem iræ meæ, non
convertar ut disperdam Ephraim.

Consequenter ad contemplationem my-
sterii incarnationis Christi hortatur Pro-
pheta. *Statue tibi speculam,* o Ephraim, id 21
est, arcem speculationis ascende, ut futura
Dei magna contempleris. Unde Septuagin-
ta transtulerunt : Statue tibi speculatores,
B id est divinorum inspectores, qui ventu-
ra prænuntient, quales præsertim fuerunt
sancti Prophetæ, quemadmodum Isaias lo-
quitur de se ipso : Super speculam Domini *Is.* XXI, 8.
ego sum stans jugiter per diem. Hortatur
ergo hanc plebem ut credat Prophetis. *Po-*
ne tibi amaritudines, id est, pœnitentiales
dolores assume, et peccata præterita defle :
per quod ad Christi adventum ac susce-
ptionem disponitur homo, prædicante Jo-
anne : Pœnitentiam agite, appropinquabit *Matth.* III, 2.
enim regnum cœlorum. *Dirige cor tuum*
C *in viam rectam,* id est præceptorum custo-
diam in evangelicam legem, quæ omnem
aufert injustitiæ distortionem. Hoc est quod
docuit Christi Præcursor : Parate viam Do- *Ibid.* 3; *Is.* XL, 3.
mino, rectas facite in solitudine semitas
Dei nostri. *In qua ambulasti,* id est, in
qua Patriarchæ sancti ambulaverunt. Lo-
quitur enim de toto populo, quasi de uno
aliquo ; sed diversa ad diversos referun-
tur. *Revertere, virgo Israel,* id est, præfata
plebs Israelitica, *revertere ad civitates tuas*
istas, quas per captivitatem et culpam de-
D seruisti, videlicet ad congregationes fide-
les, vel ad Ecclesiam militantem ac trium-
phantem ; vel ad urbes terræ promissionis,
in quibus in primo Christi adventu multi
ex decem tribubus habitabant, et in fine
sæculi suscepta prædicatione Eliæ, plures
accedent, et visitabunt sacra loca Judææ,
in quibus Christi mysteria sunt peracta.
Usquequo deliciis dissolveris, id est, car- 22
nalibus delectationibus et vanis erroribus
efflues, irrefrenataque eris, *filia vaga,* id
est, præfata plebs per loca aliena ac vitia

vagabunda? Unde de populo isto scriptum A
Osee IX, 17. est in Osee : Abjiciet eos Dominus Deus meus, et erunt vagi in nationibus.

Cur autem statuenda sit specula, et dissolutio atque carnalitas deserenda, spiritualisque vita apprehendenda, subjungitur : *Quia creavit Dominus novum super terram.* Loquitur autem Propheta de futuro instar præteriti, ut sit sensus : Novam et miram, inauditamque rem operaturus est Deus in mundo. Et quæ sit illa, per modum futuri expressit : *Mulier* circumdabit virum.* (* Femina) Quod si de consueto ac naturali B circumdatione, complexu, seu unione intelligatur, novum non erit. Itaque sensus est, quod supernaturaliter mulier circumdabit virum. Quod in Virgine sancta scimus impletum, quæ intra sui virginei uteri claustra Filium Dei concepit de Spiritu Sancto, ipso Dei Unigenito ex ejus purissimis sanguinibus humanam assumente naturam : qui a primo incarnationis instanti fuit vir, non corporis quantitate, sed totius sapientiæ omniumque virtutum perfectione; cujus incarnatio incomprehen- C sibilis est omni viatori ; de quo loquitur
Is. LIII, 8. Isaias, Generationem ejus quis enarrabit?
Matth. I, 20. Angelus quoque ad Joseph : Quod in ea (scilicet Maria) natum (id est conceptum) est, de Spiritu Sancto est.

23 *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel : Adhuc dicent verbum istud in terra Juda, et in urbibus ejus,* id est in Ecclesia et congregationibus fidelium. Sicut enim per Judam intelligitur omnis fidelis confitens Deo, sic per terram Juda designatur Ecclesia, de qua cecinit Isaias : D
Is. XXVI, 1. Urbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator ponetur in ea murus et antemurale. *Quum convertero captivitatem eorum,* scilicet Israelitarum, omniumque confitentium Deo, liberando eos de jugo diaboli et servitute peccati. *Benedicat tibi,* o Ecclesia, *Dominus pulchritudo justitiæ, mons sanctus.* Quod dupliciter explanatur : primo, ut ipse Dominus, qui est pulchritudo justitiæ, et mons sanctus atque altissimus, quia omnium entium vertex est, et qui ad ipsum confugerit erit securus, benedicat Ecclesiæ; vel Dominus benedicat Ecclesiæ, quæ est pulchritudo justitiæ, propter eminentiam æterni* ornatus et gratiæ sibi concessæ, (* interni) et mons sanctus, propter scientiæ atque virtutum sublimitatem : hoc enim orant fideles, ut Deus benedicat Ecclesiæ suæ in omnibus bonis. *Et habitabunt in eo,* 24 videlicet monte præfato, *Judas,* id est credentes, et Domino confitentes, *et omnes civitates ejus,* id est urbium habitatores, puta fideles, per continens intelligendo contentum. Non enim videtur quod conversi credentes sive Judæi, in uno aliquo materiali monte Judææ poterunt habitare; sed iste est mons, de quo in Isaia loquitur Deus : Adducent omnes fratres Is. LXVI, 20. vestros ad montem sanctum meum Jerusalem, scilicet ad ecclesiasticam congregationem, in gratiarum apice constitutam. *Agricolæ et minantes greges,* id est prædicatores et pastores, credentium corda vomere verbi Dei arantes, colentes et fecundantes, atque in agro dominico laborantes. Unde fidelibus ait Apostolus : Dei I Cor. III, 9. agricultura estis, Dei ædificatio estis. — Quidam putant ista corporaliter tempore Esdræ impleta, Judæis de Babylonica captivitate reductis : quo facto, reducti imprecati sunt bona civitatibus suis, potissime monti Sion, dicentes, Benedicat tibi Dominus, etc.

Hæc itaque fient, *Quia inebriavi animam* 25 *lassam,* id est, homines peccatis afflictos, et pœnis gravatos, gratiarum exuberantia adimplevi, *et omnem animam esurientem,* id est, spiritualia avide cupientem, *saturavi* bonis optatis, quemadmodum ait Virgo Christifera : Esurientes implevit bonis. Luc. I, 53. De quo in Isaia legitur : Deus sempiternus Is. XL, 28, 29. Dominus dat lasso virtutem.

Denique ad tanta Dei beneficia respondet Propheta, vel in propria, vel in populi fidelis, præsertim ex Judaismo conversi, persona : *Ideo quasi de somno suscitatus* 26 *sum,* id est, pristinarum afflictionum relevamen accepi, cognitis bonis per Christi adventum præstandis. *Et vidi,* id est, spi-

ritualiter intellexi divina promissa. Juxta A
Gen. XLV, 26. quem modum in Genesi legitur Jacob quasi de gravi somno evigilasse, auditis his verbis : Joseph vivit, et ipse dominatur in omni terra Ægypti. *Et somnus meus dulcis mihi,* id est, oppressio illa prior in adversis, in suavitatem mihi conversa est,
Tob. III, 22. quia post fletum Deus exsultationem infudit; vel, Somnus meus dulcis, id est, de cetero in spe adventus Christi promissionumque ejus dulciter requiescam ac repausabo.

Deinde pandit Propheta, quid Dominus B
27 sibi monstraverit. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et seminabo domum Israel et domum Juda,* id est synagogam electorum ex duodecim tribubus Israel in Christum credentium, vel generaliter domum cunctorum Christifidelium, *semine hominum et semine jumentorum,* id est litteratorum atque simplicium, ita quod in Ecclesia ista quidam ex sapientibus, et quidam ex idiotis, erunt conversi ad Christum. Vel per homines intelliguntur conversi ex Judaismo; per jumenta, conversi ex paganismo. C
De talibus quoque jumentis scriptum est
Is. XI, 6. in Isaia : Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hœdo accubabit ; vitulus et leo et ovis simul morabuntur, et puer par-
Ps. XXXV, 7. vulus minabit eos. Hinc ait Psalmista : Ho-
28 mines et jumenta salvabis, Domine. *Et sicut vigilavi super eos,* scilicet populum Israel, *ut evellerem, et demolirer, et disperderem, et affligerem* eos tempore Babylonicæ captivitatis, et antea et postea; *sic vigilabo super eos, ut ædificem et plantem,* id est, in Ecclesiæ structura eos con- D
stituam, donisque gratiæ roborem : de qua ædificatione jam dicta sunt plurima. Unde
I Cor. III, 6. Apostolus : Ego, inquit, plantavi, Apollo rigavit ; Deus autem incrementum dedit. Per Isaiam quoque populo Israel pro ma-
Is. LVIII, 12. gno promittitur, Vocaberis ædificator sepium : quod materialiter capere stultum esset. Prædicta autem tribuum Israel conversio, ædificatio atque plantatio, plenius erit in fine mundi.

29 *In diebus illis non dicent ultra : Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt :* id est, in Christi adventu, et electis Judæorum reliquiis ad ipsum conversis, tam manifesta et vera erit Judæorum istorum salvatio, quod nemo eorum amplius dicet se propter parentum suorum peccata a Deo relictum sive punitum, ita quod parentum peccata filiis non imputabuntur : imo per Christi passionem, a reatu originalis peccati priorum parentum sumus salvati. Erat autem tempore Jeremiæ proverbium quoddam in Israel, dicentium filios pro peccato parentum puniri. Unde in Ezechiele habetur : Factus Ezech.
est sermo Domini ad me, dicens : Quid est XVIII, 1-4.
quod inter vos in parabolam vertitis in terra Israel, dicentes, Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt? Vivo ego, dicit Dominus Deus, si erit ultra vobis parabola ista in proverbium. Ecce omnes animæ meæ sunt : ut anima patris, ita et anima filii mea est ; anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Hoc
est quod nunc dicitur : *sed unusquisque* 30
in iniquitate sua morietur, id est, propriæ culpæ mortalis demerito in æternum damnabitur, nisi pœniteat. Peccator quoque peccando, in anima moritur, quoniam caritatem, quæ animæ vita est, perdit : sicque unusquisque in iniquitate sua formaliter moritur, quia iniquitas mors animæ
est. De qua morte ait Apostolus : Vidua I Tim. v, 6.
quæ in deliciis vivit, vivens mortua est. *Omnis homo qui comederit uvam acerbam,* id est, iniquitatem commiserit, *obstupescent dentes ejus,* id est, luet quæ fecit, et debitam pœnam portabit. Unde et hoc loco sensus litteralis non est, qui immediate per voces exprimitur, sed qui per res vocibus istis signatas innuitur. Recte autem peccatum, uva acerba vocatur : quoniam ad æternam amaritudinem trahit, divinæque suavitatis impedit gustum, conscientiæ parit remorsum, et animus peccato inordinatus sibi ipsi pœnalis et gravis consistit ; quanquam nonnulla vitia in se delectabilia asserantur, potissime peccata quædam carnalia.

Consequenter de evangelicæ legis lati- A
31 one fit sermo. *Ecce dies*, id est tempus
evangelicæ legis et gratiæ incarnationisque
Act. III, 24. Christi, de quibus scriptum est : Omnes
Prophetæ annuntiaverunt dies istos ; *ve-
niunt, dicit Dominus ; et feriam*, id est,
percutiam, dabo, disponam, *domui Israel
et domui Juda*, id est primitivæ Ecclesiæ,
ex Judaismo seu duodecim tribubus Israel
congregatæ, *fœdus novum*. Pro quo Sep-
tuaginta transtulerunt, Testamentum no-
vum, id est evangelicam legem, quæ est
pactum novum respectu veteris Testamen- B
ti, quod primo atque præcipue datum est
veris Israelitis, de quibus dixit Salvator :
Matth. XV, 24. Non sum missus nisi ad oves quæ per-
Ibid. X, 5, 6. ierunt domus Israel; et ad discipulos, In
viam gentium ne abieritis, sed potius ite
ad oves quæ perierunt domus Israel. Un-
Act. XIII, 46. de Paulus et Barnabas dicunt Judæis : Vo-
bis oportebat primum loqui verbum Dei.
32 *Non secundum pactum quod pepigi cum
patribus eorum*, id est non tale, quale dedi
per Moysen filiis Israel in deserto : quia
pactum seu testamentum istud fuit in ter- C
renis promissis et cærimonialibus obser-
vantiis, fuitque lex timoris; istud vero est
in promissis cœlestibus, et lex amoris.
Hebr. VII, 19, 22. Hinc ad Hebræos ait Apostolus : Nihil ad
perfectum adduxit lex, introductio vero
melioris spei, per quam approximamus ad
Deum; in tantum melioris testamenti spon-
sor factus est Jesus. De quo iterum te-
Ibid. VIII, 6. stamento fatetur, quod in melioribus re-
promissionibus sancitum sit. *In die qua
apprehendi manum eorum, ut educerem
eos de terra Ægypti*, id est, tempore quo D
de Ægypto eos eduxi, quando tam famili-
ariter me ad eos habui, tamque paterne,
ut manum eorum apprehendisse me asse-
ram, duxisseque eos sicut pater parvulum
ducit filium, per se tendere non valentem.
Ezech. XX, 6. Unde in Ezechiele Dominus loquitur : In
die illa levavi manum meam pro eis, ut
educerem eos de terra Ægypti. *Pactum
quod irritum fecerunt*, id est, legem illam
Mosaicam multipliciter sunt transgressi. *Et
ego dominatus sum eorum*, id est, in manu

valida prævaricatores corripui. Pro quo
Septuaginta transtulerunt : Et ego negle-
xi eos, id est, reliqui. Sicque scripturam
istam allegat Apostolus ad Hebræos, quo Hebr. VIII, 9.
totum hunc locum allegat Apostolus de Ibid. 8-12.
impertione evangelicæ legis. Denique de
hoc modo dominandi per rigorem justitiæ,
loquitur Deus per Ezechielem : Vivo ego, Ezech. XX, 33.
quoniam in manu forti et brachio extento,
et in furore effuso regnabo super vos.
Quale igitur erit testamentum novum,
subjungitur : *Et hoc erit pactum quod* 33
feriam cum domo Israel, id est veris ele-
ctisque Israelitis, quorum unus fuit Na-
thanael frater Philippi apostoli, cui dixit
Salvator : Ecce vere Israelita, in quo dolus Joann. I, 47.
non est. *Post dies illos, dicit Dominus*, id
est, consummato cursu veteris Testamenti,
dabo legem meam in visceribus eorum, id
est, affectibus credentium imprimam evan-
gelicam legem, ut animo prompto ei ob-
temperent; *et in corde*, id est intellectu,
eorum scribam eam, non atramento, sed
Spiritu Sancto, qui est digitus Dei, quo
divina monstrantur et inscribuntur homi-
num cordibus. Istud per se ipsum Christus
incepit, prædicando proprio ore evangeli-
cam legem, præsertim in monte, ut scribit Matth. V-VII.
Matthæus; item in Cœna. Quam legem non
pellibus aut tabulis, sed cordibus inscri- II Cor. III, 3.
psit humanis, tunc potissime, quando in
die Pentecostes misit discipulis Spiritum
Sanctum, qui de evangelicæ legis mysteriis
eos plenissime erudivit, quibus, passione
instante, Christus professus est : Adhuc Joann. XVI, 12, 13.
multa habeo vobis dicere, sed non potestis
portare modo; quum autem venerit ille
Spiritus veritatis, docebit vos omnem ve-
ritatem. Unde et Christus librum nullum
composuit, quoniam excellentior modus
docendi est, ore instruere. Denique de hac
evangelica lege multa in Isaia prædicta
sunt. Ait namque Isaias : Attendite ad me, Is. LI, 4.
popule meus, quia lex a me exiet. Et de
Christo loquens Isaias : Legem ejus, inquit, Ibid. XLII, 4.
insulæ exspectabunt. *Et ero eis in Deum*
per gratiam singularem, *et ipsi erunt mihi
in populum* per veram devotionem.

34 *Et non docebit ultra vir proximum su-*
um, et vir fratrem suum, dicens : Cogno-
sce Dominum. Omnes enim cognoscent me,
a minimo eorum usque ad maximum, ait
Dominus. Quidam affirmant, istud ad sta-
tum Ecclesiæ triumphantis referendum, in
qua omnes vident Deum per speciem; nec
de his in quibus essentialiter ipsa beatitu-
do consistit, unus alium docet. Sed quo-
niam Dominus absolute non dicit, Non do-
cebit vir proximum suum; sed addidit,
dicens, Cognosce Dominum, omnes enim
cognoscent me : generaliter accipi potest
de Ecclesia militanti, quod in ea tam vul-
gatum sit, idola non esse colenda, sed
unum verum esse Deum omnipotentem ac
adorandum, quod de hoc quodammodo ne-
cesse non sit instruere Christianum. Eate-
nus quippe tempore gratiæ abundat Dei
Is. XI, 9. cognitio, ut in Isaia sit prædictum : Re-
pleta est terra scientia Domini, sicut aquæ
maris operientes. Specialiter autem qui
Spiritum Sanctum in die Pentecostes in
cœnaculo receperunt, humana instructio-
ne non eguerunt.

Consequenter de perpetuitate seu stabi-
35 litate Ecclesiæ agitur. *Hæc dicit Dominus,*
qui dat solem in lumine diei, id est ad
hoc, ut suo lumine efficiat claritatem diur-
nam, *ordinem lunæ et stellarum,* id est
lunam et stellas sibi invicem sapientissi-
Rom. XIII, 1. me coordinatas. Quæ enim a Deo sunt, or-
Ps. CIII, 24. dinata sunt; et ipse in sapientia omnia
fecit. *In lumine noctis,* id est, ut noctis
caliginem temperent, nec sint horribiles et
intolerabiles tenebræ, sed aliquid clarita-
tis tunc diffundatur per terram et aquam,
propter hominum necessitates et commo-
Gen. I, 16. ditates. Hinc in Genesi scribitur Deus fe-
cisse duo magna luminaria : luminare
majus, ut præesset diei ; luminare minus,
ut præesset nocti. *Qui turbat mare,* ventis
et tempestatibus illud concutiendo, *et so-*
nant fluctus ejus, magnum faciendo frago-
rem. *Dominus exercituum, nomen ejus :*
quoniam ipse solus supernorum angelo-
36 rumque Dominus est. *Si defecerint leges*
istæ coram me, dicit Dominus, tunc et se-
A *men Israel deficiet, ut non sit gens coram*
me cunctis diebus : id est, quemadmodum
naturalis cursus, ordo et constitutio re-
rum non potest deficere potestate creata,
vel quousque tempus a Deo præfixum ad-
venerit, ut cœlestium cesset corporum mo-
tus : sic et populus Israel usque ad finem
mundi manebit, cunctis diebus qui solis
circumvolutione aguntur; deinde electi ex
populo isto in Ecclesia triumphanti, in
anima et corpore glorificati, æternaliter
permanebunt, videlicet diebus æternitatis,
B quando in eis complebitur istud Isaiæ :
Non erit tibi sol amplius ad lucendum per *Is.* LX, 19,
diem, nec splendor lunæ illuminabit te ; 20.
sed erit tibi Dominus in lucem sempiter-
nam, et Deus tuus in gloriam tuam. Non
occidet ultra sol tuus, et luna tua non
minuetur.

Hæc dicit Dominus : Si mensurari po- 37
terunt cœli desuper, et investigari funda-* * *sursum*
menta terræ deorsum, id est, sicut homo
altitudinem ceterasque dimensiones cœle-
stium orbium metiri ac scire non valet,
C nec scrutari qua in parte determinate lo-
cata sint fundamenta terræ, utpote illæ
partes terræ quæ per metaphoram funda-
menta ejus vocantur, sive illæ dicantur
mediæ, sive infimæ partes terræ ; *et ego*
abjiciam universum semen Israel propter
omnia quæ fecerunt, dicit Dominus : id
est, nequaquam totum populum istum
propter peccata eorum relinquam ; sed
reliquiæ salvabuntur ex eis, et in fine
sæculi generaliter convertentur, interim
quoque increduli in esse naturæ conser-
D vabuntur : quod totum ex divina procedet
clementia. Porro de incognoscibilitate cœ-
lorum et immensurabilitate eorum, fun-
damentorumque terræ, Dominus loquitur
ad Job : Indica mihi, si habes intelligen- *Job* XXXVIII,
tiam, quis posuit mensuras terræ ? aut 4-6, 33.
quis tetendit super eam lineam? Super
quo bases ejus solidatæ sunt? Numquid
nosti ordinem cœli, aut pones rationem
ejus in terra? Et Ecclesiasticus ait : Al- *Eccli.* I, 2.
titudinem cœli, et latitudinem terræ, et
profundum abyssi, quis dimensus est?

Consequenter agitur de civitate seu populi communitate et unitate, cui præmemoratum novum evangelicæ legis fœdus
38 seu testamentum collatum est. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et ædificabitur civitas Domino a turre Hananeel usque ad portam Anguli,* etc. Hanc ædificationem exspectant Judæi in adventu sui Messiæ corporaliter exstruendam atque complendam, ita quod Messias ædificabit tunc eis auream ac gemmatam Jerusalem, templumque in ea magnificum, secundum ambitum qui præsente loco describitur. Verum Christum jam venisse cognoscimus, atque in primo ejus adventu spiritualiter esse impleta scimus, quæ a Prophetis obscure ac mystice sub corporalium rerum nominibus describuntur, et ab excæcatis carnalibusque Judæis materialiter et carnaliter implenda exspectantur et exponuntur. Idcirco civitatis istius structura, spiritualiter est intelligenda, sicut ædificium civitatis ac templi ab Ezechiele conscriptum (*Ezech.* XL-XLVIII.) : siquidem consuetudo erat Prophetis, imo Spiritui Sancto per Prophetas, spiritualia bona ac divina promissa sub corporalium rerum figura et appellatione proponere. Unde in talibus sumenda est expositio ab interpretationibus nominum ac proprietatibus rerum. Nec obtenebrati Judæi possunt negare hæc se ita habere ; faterique compelluntur, quod Prophetæ sæpissime metaphorice sunt locuti.

Denique in veteris Testamenti libris homines nominibus bestiarum inanimatarumque rerum exprimuntur, et spiritualia corporalium nomina sortiuntur, unaque res alterius nomine designatur, propter interpretationem vel proprietatem. Quomodo enim aliter Christus vocatur David ab Osee? (*Osee* III, 5.) Quærent, inquit, David regem suum. In Ezechiele quoque (*Ezech.* XXXIV, 23.) : Suscitabo, ait Dominus, super gregem meum pastorem unum David servum meum ; et paulo ante in hoc ipso Propheta (*Jer.* XXX, 9.), Servient David regi suo. Insuper juxta hunc modum patriarcha Jacob ait in Genesi (*Gen.* XLIX, 9, 27, 14, 17, 21.) : Catulus leonis Juda ; Benjamin lupus rapax ; Issachar asinus fortis ; fiat Dan coluber in via ; Nephthali cervus emissus. De Christo etiam loquitur Isaias : Egredietur, inquit, virga (*Is.* XI, 1, 5.) de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet ; et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus. Imo in novo etiam Testamento fit istud, præsertim in Apocalypsi, dum equi in cœlis visi dicuntur (*Apoc.* XIX, 11, 14.). Et in Luca ait Salvator Apostolis : Ego dispono vobis regnum (*Luc.* XXII, 29, 30.), ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo. In quibus omnibus sensus veraciter litteralis est, qui per res, non qui per nomina, immediate significatur. Cur autem placuerit Spiritui Sancto vicissim metaphorice tamque obscure et mystice loqui, docet sublimis theologus divinus Dionysius : ut scilicet veritas abscondatur indignis, electis vero utilis exercitatio detur.

Sic ergo exponendus est præsens locus : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus,* id est tempus evangelicæ prædicationis et primi adventus Christi, *et ædificabitur* in virtutibus, donis ac sacramentis, *civitas,* de qua scriptum est : Gloriosa dicta sunt de te (*Ps.* LXXXVI, 3.), civitas Dei ; et, Fluminis impetus lætificat (*Ps.* XLV, 5.) civitatem Dei. De qua in libro de Civitate Dei præclarissime loquitur Augustinus ; de qua et in Apocalypsi scribit Joannes (*Apoc.* XXI.). Civitas itaque ista ædificabitur *Domino,* id est a Domino Salvatore et ad gloriam ejus, secundum quod ait : Super hanc petram (*Matth.* XVI, 18.) ædificabo Ecclesiam. Quam Paulus apostolus vocat Jerusalem (*Galat.* IV, 26.). *A turre Hananeel,* id est ab altitudine gratiæ et obedientiæ, a qua fidelium spiritualis ædificatio inchoatur. Possuntque per turrim hanc sancti Apostoli designari, qui primitias Spiritus (*Rom.* VIII, 23.) sortientes, facti sunt ceteris eminentiores, atque in structura Ecclesiæ primarii lapides. *Usque ad portam Anguli,* id est ad ingressum seu receptionem gentilium, qui ad fidem suscepti sunt, conversisque Judæis in Christo, tanquam in lapide angulari (*Is.* XXVIII, 16; *Ephes.* II, 20.) conjuncti sunt : unde et ipsi veniendo ad fidem per unam viam seu lineam, et Judæi per aliam, quasi angulum in Chri-

sto fecerunt, sed et duo parietes in lapide quo concurrunt. Vel, secundum Hieronymum, ideo dicitur, Usque ad portam Anguli, quoniam licet structura Ecclesiæ sublime habuerit exordium, nihilo minus in vita præsenti multipliciter incurvatur a plana atque rectissima perfectione, ita quod rectam veritatis lineam non possumus possidere, sed in angulo stamus, secundum quod ait Apostolus [I Cor. XIII, 9.] : Ex parte cognoscimus ; et, Ego non arbitror me comprehendisse [Philipp. III, 13.]. In multis quoque offendimus omnes [Jacob. III, 2.]. Et justus septies in die cadit [Prov. XXIV, 16.].

39 *Et exibit ultra norma mensuræ in conspectu ejus,* scilicet portæ Anguli, *super collem Gareb :* id est, Ecclesiæ ædificium atque protensio, non justos dumtaxat, sed et peccatores intra se continebit. Gareb quippe, secundum Hieronymum, incolatus vel scabies interpretatur ; seu gens peccatrix, secundum alios : per quod vitiis sordidi insinuantur, præsertim superbi. *Et circuibit Goatha,* id est collegium vivorum et rationabilium lapidum, scilicet devotorum. Unde pro Goatha, Septuaginta transtulerunt, Electorum lapidum : de quibus loquitur Petrus [I Petr. II, 5.] : Ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerentes hostias spi-
40 rituales. *Et omnem vallem cadaverum,* id est carnales ac lubricos, *et cineres,* id est pœnitentes ac humiles, qui quum sint timorati, terram et cinerem se esse perpendunt, ac pœnitent, dicentes [Ps. CI, 10.] : Quia cinerem tanquam panem manducabam ; et cum sancto Job [Job XLII, 6.], Ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere. *Et universam regionem mortis,* id est cunctos morte peccati peremptos, qui intra Ecclesiæ gremium suscipiuntur ad veniam, *usque ad torrentem Cedron,* id est abundantiam impietatis animam obfuscantis : Cedron namque tenebræ interpretatur ; *et usque ad angulum portæ Equorum orientalis,* id est introitum ferventium spiritu, qui instar equorum fervent et currunt in opere Dei : ad quos se habet Spiritus Sanctus, sicut eques ad equum ; de quibus dicit Apostolus [Rom. VIII, 14.] : Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Estque porta sive introitus iste, orientalis : quia per eum lux gratiæ infunditur, et lumen gloriæ obtinetur. De talibus equis dicit Deo Habacuc [Habac. III, 8.] : Qui ascendis super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio. Denique nomine equorum, angelorum agmina atque præsidia, quibus electi ad fidem perducti sunt, in Isaia designantur [Is. LXVI, 20] : Adducent, inquit, omnes fratres vestros in equis et quadrigis ad montem sanctum meum. De quibus et alibi legitur [Ps. LXVII, 18.] : Currus Dei, decem millibus multiplex ; atque in Genesi [Gen. XXXII, 2.], Castra Dei sunt hæc ; et in Joele [Joel II, 11], Multa sunt nimis castra Dei, fortia et facientia verbum ejus. *Sanctum Domini,* id est spirituale istud ædificium Dei, *non evelletur, et non destruetur ultra in perpetuum :* quia hæc civitas Dei in præsenti sæculo perdurabit, donec cursu sæculi consummato, ad cœlestem Jerusalem perducatur. Propter quod Christus in Cœna perhibuit [Matth. XXVI, 28.] : Hic est calix sanguinis mei, novi et æterni testamenti.

Præterea, huic expositioni de inclusione et susceptione peccatorum intra gyrum Ecclesiæ, consonat quod in evangelica parabola scribitur [Ibid. XXII, 9 ; Luc. XIV, 21.] : Ite ad exitus viarum, et omnes quos inveneritis, debiles, claudos et cæcos, adducite ; itemque, Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti [Matth. XIII, 47.] ; illud quoque in Psalmo [Ps. LXXXVI, 4.], Ecce alienigenæ et Tyrus et populus Æthiopum, hi fuerunt illic.

Expositio autem inducta, procedit secundum Hieronymum, estque catholica. Aliqui vero locum istum litteralius explanare nituntur, de reædificatione Jerusalem per Adrianum imperatorem, qui civitatem hanc ex una parte in tantum dilatavit, quod Christi sepulcrum fuit inclusum ; deditque civitatem hanc Christifidelibus inhabitandam, prohibens Judæos ab ea. Per collem autem Gareb, intelligunt montem Calvariæ ; et per Goatha, locum qui in Evangelio dicitur Golgatha * : circa quem fuit vallis Cadaverum, quia ibidem rei oc-

* Golgotha.

cidebantur, et cineres eorumdem spargebantur. Quod vero in fine habetur, Sanctum Domini non evelletur, etc., exponunt de Salvatoris sepulcro, ibidem a gentibus usque in præsens honorifice conservato. Expositionem istam non prosequor, quia in commento Lyræ satis deducitur : et rationabilis acceptabilisque videtur.

Præterea S. Hieronymus ex isto capitulo argumentatur contra carnales Judæos, qui A asserunt Messiam in terrena Jerusalem cum Judæis perpetuo regnaturum : quia secundum veteris Testamenti Scripturas, cœlum et terram transibunt, et cursus sæculi finietur ; eritque generale judicium, post quod generatio et corruptio in hoc mundo cessabunt. Quæ omnia ex lege et Prophetis multipliciter queunt probari ; sed nunc propter prolixitatem vitandam pertranseo.

ARTICULUS XLIX

DE MYSTICO EJUSDEM CAPITULI TRICESIMI PRIMI SENSU.

De spirituali intelligentia hujus capituli plurima dici possunt, sed festinare propter operis prolixitatem compellor.
2 *Hæc dicit Dominus : Invenit gratiam in deserto,* id est in solitariis pœnitentiæ locis, ubi præcipue vacandum est Deo, actibusque pœnitentiæ insistendum, quem-
Ps. ci, 7, 8. admodum pœnitens ait : Similis factus sum pelecano solitudinis ; vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto ; *populus qui remanserat gladio,* id est Christiani qui diabolicæ tentationis mucrone spiritualiter occisi non sunt, neque mortiferis concupiscentiis succubuerunt. Istud in eremitis et anachoretis, ceterisque vere religiosis, copiose impletum est. *Vadet ad requiem suam Israel,* id est, contemplativi per pœnitentiæ actus ad contemplativæ vitæ suavissimam pertingunt quietem, et per hanc ad requiem sempiternam. Hinc
Ps. cxiv, 7. ait vir sanctus : Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.
3 *Longe Dominus apparuit mihi,* id est per fidem, nondum clare per speciem, di-
I Cor. xiii, 12. cente Paulo : Videmus nunc per speculum in ænigmate. Deus autem omnipotens et
Act. xvii, 27, 28. immensus, omnia implet, ambit, et penetrat : nec longe est ab unoquoque no- B strum, quia in ipso vivimus, movemur, et sumus ; sed tanto contemplantibus vicinius apparet, quo eum clarius contuentur. Hinc scriptum est in Job : Omnes Job xxxvi, 25.
homines vident Deum, unusquisque intuetur procul. In Numerorum quoque libro Balaam ait : Videbo eum, sed non modo ; Num. xxiv, 17.
intuebor illum, sed non prope. Ideo Sponsa deprecans vociferatur : Indica mihi, Cant. i, 6.
quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie. Sed ne Dei amator et cultor manifestam ejus visionem desperet, C aut ejus dilationem impatientius ferat, audit a Domino : *Et in caritate perpetua dilexi te.* Ideo dicit Apostolus : In fide vi- Galat. ii, 20.
vo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me ; et ipsemet Christus, Majorem hac dilectionem nemo habet, ut Joann. xv, 13.
animam suam ponat quis pro amicis suis. Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse I Joann. iv, 19.
prior dilexit nos. *Ideo attraxi te miserans.* Magna gratiæ commendatio, loquitur Augustinus, nemo venit nisi tractus. Indigemus ergo præveniri et tangi a Deo, quum D dicat Apostolus : Non sumus sufficientes II Cor. iii, 5.
cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis. Oremus itaque affectuosissima mente cum Sponsa : Trahe me post te. Ipse namque Cant. i, 3.
est qui mentem creatam ad suum libitum

afficit, vertit, immutat : qui in Osee pro- A
Osee xi, 4. testatur, In funiculis Adam traham eos, in
vinculis caritatis. Quidquid igitur boni,
quidquid virtutis et gratiæ obtinemus, di-
lectioni Dei, non propriis viribus, tribu-
amus.
4 *Rursusque ædificabo te :* id est, si per
culpam corrueris, ne desperes, quia do-
lentem paratus sum reformare, ita quod
per dona gloriæ te, si perseveraveris us-
que in finem, ædificabo in Ecclesia tri-
umphanti. *Et ædificaberis* ita a me, *virgo
Israel,* id est, anima speculativa cœlesti- B
um, cujus interna virginitas, castitas, sive
integritas mentis, consistit in actibus fi-
dei, spei et caritatis, quibus Deus imme-
diate colitur, ipsique integre adhæretur.
Adhuc ornaberis tympanis tuis : id est, si
interdum gratia consolationis ac divinæ
dulcedinis gustus tibi dispensatorie sub-
trahatur, et multiformis afflictio oriatur,
ne pusillanimitate aut impatientia dejicia-
ris, quia adhuc ornaberis divinæ majestatis
præconiis, et Deum laudando delectaberis
in eodem. Propter quod Jacobus docet : C
Jacob. v, 13. Tristatur aliquis vestrum ? oret æquo ani-
mo, et psallat. *Et egredieris* de inferiori-
bus ad suprema per contemplationem di-
vinorum, *in choro ludentium,* id est inter
eos qui Deo cum jubilo mentis deserviunt.
5 *Adhuc plantabis vineas,* id est congrega-
tiones devotas vel habitus virtuosos, *in
montibus Samariæ,* id est sublimitate in-
ternæ custodiæ mentis, sine qua custodia
nullus est vere religiosus, nec virtuosus
Prov. iv, 23. efficitur. Ideo ait Scriptura : Omni custo-
dia custodi cor tuum. D
6 *Erit dies in qua clamabunt custodes,* id
Ezech. iii, 17. est animarum rectores, quos Deus consti-
tuit speculatores domui Israel, *in monte
Samariæ et in monte Ephraim,* id est
gregibus sibi commissis, qui in cordis al-
ta custodia et uberi fructificatione consi-
stunt. *Surgite,* per ardentia divini amoris
desideria, omniumque terrenorum contem-
ptum, *et ascendamus in Sion,* id est in ar-
cem speculationis et in cœlestem Jeru-
salem, ut facie ad faciem Deum deorum

cernamus. Hoc clamant, qui cum Apostolo
cupiunt dissolvi et esse cum Christo. Qua- *Philipp.* i, 23.
lis fuit devotissimus pater S. Bernardus,
qui ait : Tolerabilior esset infernus vita
præsenti, si non esset exspectatio alterius
vitæ in patria. Huic viro desipuit mun-
dus, quanquam per totum pene mundum
famosissimus haberetur, atque ut angelus
honoraretur.
Exsultate in lætitia Jacob, id est, sup- 7
plantantibus vitia congaudete ex caritate,
quia et angelis Dei gaudium est super uno *Luc.* xv, 10.
peccatore pœnitentiam agente. Jacob au-
tem supplantator interpretatur. *Et hinni-
te contra caput gentium,* id est diabolum,
ejus machinationibus insultando, omnes-
que iniquos, secundum quod tales, parvi
pendendo. Hinc Jacobus monet : Resistite *Jacob.* iv, 7.
diabolo, et fugiet a vobis ; et Psalmista,
Despexit oculus meus inimicos meos, et *Ps.* xci, 12.
insurgentibus in me malignantibus audiet
auris mea. *Personate, et dicite : Salva, Do-
mine, populum tuum.* Itaque quotidie, imo
indesinenter orare debemus pro communi
bono, et pro toto populo christiano, com-
muniterque pro vivis atque defunctis. Bo-
num enim quanto communius, tanto di-
vinius ; et tales orationes præcipue placent
Deo.
Ecce adducam eos de terra aquilonis. 8
Hoc efficit Deus, dum peccatores vitiorum
deformitate confusos, ad vitam virtutibus
ornatam reducit. *In fletu venient :* quia 9
per lacrimas contritionis ad Deum redi-
mus. *Et adducam eos per torrentes aqua-
rum.* Hoc implet Salvator, quando in aquis
concupiscentiarum carnalium et fluctibus
adversitatum, non sinit nos submergi seu
vinci, sicut per Isaiam promittit : Quum *Is.* xliii, 2.
transieris per aquas, tecum ero, et flumina
non operient te. *Quia factus sum Israeli
pater,* id est populo christiano Deum men-
te fideli cernenti ; *et Ephraim,* id est, qui
in bonis operibus incessabiliter proficit,
primogenitus meus. Hinc Christus in Evan-
gelio toties vocat Deum Patrem suum, et
formam orandi præfigens : Sic, inquit, ora- *Matth.* vi, 9.
bitis : Pater noster qui es in cœlis. Tantam

ergo Dei altissimi circa nos pauperrimos
vermiculos caritatem ac pietatem non par-
vi pendamus, sed grati esse conemur, et
filialiter obedire, reverenterque obsequi,
pensantes quod ipse ait per Malachiam :
Malach. I, 6. Si pater ego sum, ubi est honor meus?
10 *Qui dispersit Israel, congregabit eum,* id
est, qui fideles per vitia ab invicem dividi
juste permisit, eos per caritatem et gra-
tiam misericorditer adunabit. Quum ergo
aliquos cernimus discordantes, de eorum
reconciliatione non desperemus.

15 *Vox in excelso audita est,* etc. Quemad-
modum Rachel deflesse narratur filios ab
Herode occisos, ita Ecclesia plangit filios
suos ab invisibilibus hostibus spiritualiter
interfectos, eos videlicet qui vitam ducunt
mundanam, et per latam ambulant viam ;
nec recipit consolationem, *quia* hujus-
modi filii *non sunt,* id est, spirituale at-
que gratuitum ac meritorium esse totaliter
amiserunt. Verumtamen ei et omni pie
16 lugenti Dominus ait : *Quiescat vox tua a
ploratu, et oculi tui a lacrimis,* ne scilicet
immoderato se mœrore conficiat aut ni-
mium ploret, quia et bonis operibus adhi-
bendus est modus ; *quia est merces operi
tuo,* id est, magna retributio, imo æterna
consolatio, tuo fletui ac labori reddetur.
Matth. V, 5. Beati enim qui taliter lugent, quoniam ipsi
consolabuntur. Itaque consideratio præmii
animare nos debet et consolari in om-
ni labore virtuoso, afflictione, planctuque,
II *Par.* XV, 7. secundum istud Paralipomenon : Confor-
tamini, et non dissolvantur manus vestræ;
erit enim merces operi vestro. Apostolus
I *Cor.* XV, 58. quoque ad Corinthios ait : Fratres mei di-
lecti, stabiles estote et immobiles, abun-
dantes in opere Dei semper, scientes quod
labor vester non est inanis in Domino. Sed
in præsenti quoque multiplex est fructus
lacrimarum et orationum piarum. Ideo
subditur : *et revertentur de terra inimici,*
id est, filii quorum ruinam spiritualem-
que mortem seu impiam vitam deploras,
per pœnitentiam redibunt ad Christum, et
ei per caritatem incorporabuntur, rever-
tentes de societate ministrorum diaboli.
Hoc enim pie plangentes frequenter me-
rentur, quod scilicet eorum meritis hi quos
deflent, convertuntur : quo facto, maxime
consolantur, imo et interim in spe humili
recreantur. *Et revertentur filii ad termi-* 17
nos suos, id est ad fines Ecclesiæ, ut me-
rito et numero sint in ea.

Audiens audivi Ephraim transmigran- 18
tem. Ephraim nomine designantur, qui in
actibus virtuosis prægnantes sunt : qui
transmigrant, quando a bonis operibus cor-
ruunt, et invisibilium hostium jugo per
peccata subduntur ; quorum transmigrati-
onem Deus auribus audit clementiæ, dum
auxiliari disponit. *Castigasti me, et erudi-
tus sum quasi juvenculus indomitus,* qui
scilicet concupiscentias sequitur, et vani-
tatibus acquiescit, ambulans absque jugo
legis divinæ. Hoc dicamus, dum per incre-
pationes, infirmitates, disciplinas, et alias
quaslibet divinæ pietatis paternas corre-
ptiones, ad propriæ perversitatis et defe-
ctuositatis considerationem perducti fue-
rimus ; et humiliati ac emendati, gratias
Deo referamus, cum Psalmista canentes :
Castigans castigavit me Dominus, et morti *Ps.* CXVII, 18.
non tradidit me ; et item, Lætati sumus *Ps.* LXXXIX, 15.
pro diebus quibus nos humiliasti, annis
quibus vidimus mala. Multi autem sunt
duræ cervicis, qui non emendantur vel
per aspera medicamenta : de quibus Isaias
inducit : Domine, in tribulatione murmu- *Is.* XXVI, 16.
ris doctrina tua eis.

Converte me, Domine, *et convertar.* A te
enim est bonæ conversationis inchoatio,
continuatio et consummatio, dicente Apo-
stolo : Deus est qui operatur in vobis et *Philipp.* II, 13.
velle et perficere. *Postquam enim conver-* 19
tisti me, egi pœnitentiam. Itaque nil pe-
nitus gloriemur inaniter, sed pro gratia
conversionis Dominum invocemus ; con-
versi quoque, pro gratia perseverantiæ ju-
giter exoremus. *Et postquam ostendisti
mihi,* id est, novissimorum meorum ido-
neam considerationem mihi dedisti, vi-
delicet mortis, divini judicii, pœnarum
inferni, gaudiorumque cœli : de quibus
scriptum est, Memorare novissima tua, et *Eccli.* VII, 40.

in æternum non peccabis ; *percussi femur* A
Galat. v, 24. *meum,* carnem propriam cum vitiis et con-
cupiscentiis crucifigendo, sicut Scriptura
Eccli. xviii, 30. hortatur : Post concupiscentias tuas non
eas, et a voluptate tua avertere.

20 *Si,* pro quia, *filius honorabilis mihi*
Ephraim, id est omnis Christifidelis in
sanctis actibus fertilis, qui etiam est *puer*
Joann. xii, 26. *delicatus :* de quo ait Salvator, Si quis
mihi ministraverit, honorificabit eum Pa-
ter meus. Peccatore autem nil vilius, et
amante honoranteque Deum nil dignius.
Idcirco conturbata sunt viscera mea super B
eum. In tantum Christus electis suis tri-
bulationem ferentibus condolet, ut dixe-
Act. ix, 4. rit : Saule, Saule, quid me persequeris ?

21 *Statue tibi speculam,* id est, sublimia
Scripturæ sanctæ documenta ingredere, in
quibus te ipsum et ventura super te spe-
culeris ; *pone tibi amaritudines,* Christo
pro te passo compatiendo, cunctisque pro-
ximis vivis ac mortuis in afflictionibus po-
sitis, præsertim vanis et mente obcæcatis
hominibus, condolendo. Insuper quando-
cumque carnis concupiscentia aut volu- C
ptas seu aliqua delectatio vana te pulsat,
mox amaritudines in anima tua pone, cogi-
tando de pœnis inferni, districtione divini
judicii, acerbissima passione Christi, et
considerationem tuam ab omni carnali ob-
jecto averte. *Dirige cor tuum in viam re-*
ctam in qua ambulasti. Hoc dicendum est
his qui a bono proposito et cœpto salu-
II Petr. ii, 21. tis itinere corruerunt, quibus melius erat
viam justitiæ ignorasse, quam agnitam re-
Ibid. 22; Prov. xxvi, 11. liquisse. Contigit namque eis juxta Petrum
apostolum istud veri proverbii : Canis re- D
versus ad vomitum suum ; et, Sus lota in

22 volutabro luti. *Usquequo deliciis dissolve-*
ris, filia vaga, id est, anima levis, inanis,
mundana? quæ quum naturaliter sis de
intellectualium substantiarum sorte ac nu-
mero, ad æternam atque cœlestem beati-
tudinem sortiendam plasmata, in carnali-
bus delectari superflue non deberes, sed
in spiritualibus et in Deo dumtaxat. Quo
demum quis in exterioribus atque carna-
libus amplius delectatur, eo plus a Deo
disjungitur, dissolutus, vagus, instabilis-
que effectus. Propter quod ad Hebræos ait
Apostolus : Abundantius oportet nos ob- Hebr. ii, 1, 3
servare ea quæ audivimus, ne forte per-
effluamus : quomodo enim effugiemus, si
tantam neglexerimus salutem? Itaque dum
animam nostram hinc inde vagari, inani-
terque lætari sentimus, protinus dicamus
eidem : Usquequo deliciis dissolveris, filia
vaga ? Qui autem in hoc sæculo quærit de-
liciari, nequaquam poterit in regno cœle-
sti lætari.

Quasi de somno suscitatus sum. Hoc dica- 26
mus, quando per gratiam Spiritus Sancti
a mentis nostræ torpore resurgimus, sicut
Apostolus monet : Surge, qui dormis. *Et* Ephes. v, 14.
vidi ea quæ pertinent ad salutem; *et som-*
nus meus dulcis mihi. Qui enim tempore
vigiliarum in divinis se occupat, forti-
terque laborat, in somno suaviter requie-
scit, juxta istud Ecclesiastæ : Dulcis est Eccle. v, 11.
somnus operanti, sive multum, sive pa-
rum comedat : somni autem dulcedinem,
vinum immoderanter potatum plurimum
impedit.

Hæc dicit Dominus, qui dat solem, id 35
est Christum, *in lumine diei,* id est ad il-
luminationem justorum, juxta illud Mala-
chiæ : Orietur vobis timentibus nomen Malach. iv, 2.
meum Sol justitiæ. *Ordinem lunæ et stella-*
rum, id est Virginem gloriosam et ceteros
Sanctos, de quibus Daniel scribit : Fulge- Dan. xii, 3.
bunt quasi stellæ in perpetuas æternita-
tes; *in lumine noctis,* id est ad illumina-
tionem peccatorum, qui per Sanctorum
preces et merita, gratiam illustrantem con-
quirunt. Propter quod in Job consulitur :
Ad aliquem Sanctorum convertere. *Qui* Job v, 1.
turbat mare, id est præsens sæculum vi-
tiorum inquietudine plenum, cujus carna-
lem pacem Deus per adversa conturbat, ut
per talia ad veram redeat pacem.

ARTICULUS L

ELUCIDATIO CAPITULI TRICESIMI SECUNDI : VERBUM QUOD FACTUM EST AD JEREMIAM A DOMINO.

1 VERBUM *quod factum est ad Jeremiam* A
a Domino in anno decimo Sedeciæ
regis Juda : qui undecim annis regnavit;
ipse est annus octavusdecimus Nabucho-
donosor : qui quarto anno Joakim regis Ju-
da cœpit regnare, secundum Hieronymum
Dan. I, 1. Tamen in Daniele habetur, quod tertio
anno Joakim, Nabuchodonosor venit contra
IV *Reg.* eum. Joakim autem undecim annis regna-
XXIII, 36. II *Par.* vit, quem Nabuchodonosor rex octavo sui
XXXVI, 6. imperii anno cepit, et Sedeciam substituit:
Ibid. 10. sicque decimus annus regni Sedeciæ, fuit
octavusdecimus annus Nabuchodonosor re- B
2 gis. *Tunc exercitus regis Babylonis,* vi-
delicet præfati Nabuchodonosor, *obsidebat*
Jer. XXXIX, 1; LII, 4. *Jerusalem.* Siquidem nono anno Sedeciæ,
cœperunt Chaldæi obsidere Jerusalem, ut
infra dicetur. *Et Jeremias propheta erat*
clausus in atrio carceris, qui erat in domo
3 *regis Juda,* scilicet intra palatium. *Clau-*
serat enim eum Sedecias rex Juda, di-
cens : Quare vaticinaris, dicens : Hæc dicit
Dominus : Ecce ego dabo civitatem istam
5 *in manus regis Babylonis,* etc.; *et in Ba-*
bylonem ducet Sedeciam, et ibi erit donec C
visitem eum, ait Dominus, id est, donec
moriatur ibidem. Mors quippe est extrema
Dei visitatio super hominem in hac vita.
Si autem dimicaveritis, vos Judæi et rex
vester, *adversus Chaldæos, nihil prospe-*
rum habebitis : imo male vobis succedet,
atque vincemini.
6 *Et dixit Jeremias* exsistentibus secum
in atrio carceris : *Factum est verbum Do-*
7 *mini ad me, dicens : Ecce Hanameel filius*
Sellum patruelis tuus, id est patrui tui
filius. Sellum enim pater hujus Hana- D
meel, fuit frater Helciæ patris Jeremiæ.
* *alias* Hananeel Iste Hanameel* aliter scribitur in Hebræo,
secundum Hieronymum, quam Hananeel
præcedenti capitulo, quo dictum est : Ædi- *Jer.* XXXI, 38.
ficabitur civitas a turre Hananeel : unde
nec pro eodem sumuntur. *Veniet ad te,*
dicens : Eme tibi agrum meum qui est in
Anathoth, id est in suburbanis ejus : sa-
cerdotibus enim data erant suburbana pro *Josue* XXI.
alendis pecoribus. Istud dixit Hanameel ex
inspiratione divina, ut non verbis tantum,
sed facto quoque designaretur reditus Ju-
dæorum a Babylonica captivitate in pro-
pria. *Tibi enim competit ex propinquitate*
ut emas. Secundum legem enim non licuit *Num.*
possessionem transire de tribu in tribum, XXXVI, 7, 8.
et de familia una ad aliam : potissime vero *Lev.* XXV,
suburbana sacerdotum nulli alii poterant 34.
venundari, nisi cui ex consanguinitate eme-
re competebat.
Et venit ad me Hanameel ad vestibulum 8
carceris, et ait ad me : Posside emendo
agrum meum qui est in Anathoth in terra
Benjamin : quia Anathoth fuit ad sortem *Josue* XXI,
Benjamin pertinens; *quia tibi competit he-* 17, 18.
reditas, et tu propinquior es, ut emas. In-* * propinquus
tellexi autem quod verbum Dei esset ser-
mo mihi propositus a nepote de sui agri
emptione, quod scilicet propter mysticam
rationem Deus illum ad ista instigaret. *Et* 9
emi agrum, et appendi ei argentum septem
stateres, et decem argenteos. Stater, medi-
etas unciæ dicitur. *Et scripsi in libro,* id 10
est in littera hujus contractus, *et signavi*
litteram istam sigillo aut simili signo, *et*
adhibui testes, ut fieri solet in confectio-
nibus instrumentorum ; *et appendi argen-*
tum in statera, id est, pecuniam seu preti-
um emptionis, justi ponderis esse probavi.
Et accepi librum possessionis signatum, 11
id est chartam emptionis hujus, per quam

possidendi jus obtineretur, ne quis con-
tradicere possit contractui, *et stipulatio-
nes,* videlicet interrogationes ac responsi-
ones ementis atque vendentis, *et rata,* id
est verba continentia utriusque consensum,
et signa forinsecus, scilicet applicata; vel
vers. 14. litteram apertam similem clausæ, ut infra
statim patebit. Quo patet quod in testa-
mentis et contractibus omnia jura servan-
12 da sint, ordinateque procedendum. *Et de-
di librum possessionis Baruch filio Neriæ
filii Maasiæ, in oculis Hanameel et te-
stium qui scripti erant in libro emptio-
nis,* id est in præfata charta contractus, *in
oculis omnium Judæorum qui sedebant in
atrio carceris :* qui scilicet ad Jeremiam
venerunt, vel ut verbum Dei audirent, vel
13 ut clausum visitarent. *Et præcepi Baruch*
14 *coram eis, dicens : Sume libros istos,* vide-
licet *librum emptionis hunc signatum, et
librum hunc qui apertus est,* id est chartas
prædictas, quarum una fuit aperta, de qua
vers. 11. dictum est, Et signa forinsecus; *et pone
eos in vase fictili, ut permanere possint
diebus multis :* secundum quod tales lit-
teræ consueverunt diligentissime custodi-
ri. Consequenter ponitur signatum hujus
15 typici facti. *Hæc enim dicit Dominus : Ad-
huc possidebuntur domus et agri et vineæ
in terra ista,* scilicet post reditum capti-
vorum a Babylone.

16 *Et oravi ad Dominum, postquam tradi-
di librum possessionis Baruch, dicens :*
17 *Heu, heu, heu, Domine Deus.* Cur ter dicat,
Heu, dictum est sæpe. *Ecce tu fecisti cœlum
et terram in fortitudine tua magna,* vide-
licet infinita, quia creare est actus infinitæ
potentiæ, *et in brachio tuo extento,* id est
in potestate tua ad actum se protendente,
non secundum totum suum posse, sed se-
cundum ordinem sapientiæ suæ. Verba
Jer. xxvii, 5. ista superius diligentius exposita recolo.
Non erit tibi difficile omne verbum, id
est, nullum verbum tibi difficile est, quin
possis illud implere : quod facere, potesta-
tis est et perfectionis. Simile est quod in
Luc. i, 37. Evangelio angelus loquitur : Quia non erit
impossibile apud Deum omne verbum.

A Quum enim sit infinitæ potentiæ, non po-
test in tot et tanta, quin possit in infini-
tum plura atque majora. Hinc a Sapiente
scriptum est : Subest tibi, quum volueris, Sap. xii, 18.
posse.

Qui facis misericordiam in millibus : 18
quo patet magnitudo divinæ clementiæ; *et
reddis iniquitatem patrum in sinum filio-
rum post eos,* præsertim si filii parentum
peccata sequantur. Interdum autem filii
propter parentum peccata temporali pœna,
etiam si non fuerint ea secuti, puniuntur,
B in quantum sunt aliquid parentum suo-
rum secundum corpus quod habent. Quo-
modo autem istud intelligendum sit, diffu- Exod. xx, 5;
sius dictum est supra. Denique his verbis Deut. xxiv, 16; etc.
consonat quod in Exodo loquitur Moyses :
Dominator Domine, misericors et clemens, Exod.
qui custodis misericordiam in millia, qui xxxiv, 6, 7.
reddis iniquitatem patrum filiis ac nepo-
tibus in tertiam et quartam generationem.
Quum vero dicitur Deus misericordiam
facere in millibus, ponitur numerus deter-
minatus pro indeterminato, ad innuendum
C quod pronior sit Deus ad miserendum,
quam vindicandum, juxta illud : Misera- Ps. cxliv,
tiones ejus super omnia opera ejus. Ja- 9.
cobus quoque : Superexaltat autem mise- Jacob. ii,
ricordia judicium. *Fortissime,* imo cunctis 13.
et singulis in infinitum fortior, *magne,*
non mole, sed majestate, et in omni nobi-
litate immense, *potens,* cui idem est esse
et posse, *Dominus exercituum nomen tibi
est :* quoniam tu solus supernis angelicis-
que agminibus dominaris.

Magnus consilio, id est sapientiæ pro- 19
D funditate. Quomodo autem consilium Deo
conveniat, dictum est supra. *Et incompre-* Cf. Art. xl,
hensibilis cogitatu. Deus enim in infinitum 18.
omnis creatæ mentis capacitatem exce-
dit, neque ab aliquo, nisi se ipso, proprie
comprehendi censetur, quum sit perfectio-
naliter infinitus, et tantum habeat de co-
gnoscibilitate, quantum de actualitate. Est
autem purus et incircumscriptibilis actus.
De quo scriptum est in Job : Ecce Deus ma- Job xxxvi,
gnus vincens scientiam nostram; et denuo, 26.
Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, quis Ibid. 22, 23.

poterit scrutari vias ejus? *Cujus oculi aper-* A
ti sunt super omnes vias filiorum Adam,
id est, cujus mens et sapientia æternaliter
contemplantur omnium hominum actus,
cogitatus, affectus, verba et opera, juxta il-
Eccli. XXIII, 28. lud Ecclesiastici : Oculi Domini multo plus
lucidiores sunt sole, circumspicientes om-
nes vias hominum; *ut reddas unicuique*
juxta vias suas, et secundum fructum ad-
inventionum suarum, id est secundum con-
versationis suæ merita sive demerita, et
secundum utilitatem vel inutilitatem ex-
cogitationum suarum. Hinc scriptum est B
Job XXXIV, 10, 11. in Job : Absit a Deo impietas, et ab Omni-
potente iniquitas; opus enim hominis red-
det ei, et juxta vias singulorum restituet.
Ex quo constat, quod providentiam Dei
negantes, sapientiæ atque justitiæ ejus de-
rogant vehementer.
20 *Qui posuisti signa et portenta,* id est,
mirabilia magna per Moysen perpetrasti,
in terra Ægypti, scilicet decem plagas qui-
bus percussisti Ægyptios, *usque ad diem*
hanc, id est, ab illo tempore usque in præ-
sens, cunctis temporibus continuasti, et C
reiterasti mirabilia tua per Josue, Eliam,
Eliseum, ac ceteros Sanctos, *in Israel et in*
hominibus, id est tam in Israelitico popu-
lo, quam in ceteris gentibus. Sicut enim
Ægyptios, ita et Amorrhæos et Philistæos
ac ceteros populi Israel adversarios, Deus
tempore veteris Testamenti mirabiliter sæ-
pe percussit atque plagavit. *Et fecisti tibi*
nomen, sicut est dies hæc : id est, per ope-
rum tuorum insignia sublimem tibi famam
fecisti, ita quod tuæ majestatis eminentia
hominibus innotuit, sicut in præsenti tem- D
21 pore innotescit et constat. *Et eduxisti po-*
pulum tuum Israel de terra Ægypti in
signis et in portentis et in terrore magno,
id est per horribiles Ægyptiorum plagas,
quibus et ipsi Ægyptii terrebantur, præ-
sertim primogenitis eorum occisis, et quum
22 in mari Rubro submergerentur. *Et dedi-*
sti eis, scilicet populo Israel, *terram hanc*
fluentem lacte et melle, id est uberrimam,
quam jurasti per te ipsum, te eis daturum.
23 *Et ingressi sunt, et possederunt eam; et*
non obedierunt voci tuæ, et in lege tua non
ambulaverunt, et evenerunt eis omnia ma-
la hæc. Loquitur autem de toto populo Is-
rael Jeremias, quasi de uno aliquo atque
eisdem; sed diversa ad diversos sunt refe-
renda, seu quædam ad quosdam, non om-
nia ad singulos. Nempe qui terram Israel
cum Josue ingrediebantur, Deo efficaciter
obedierunt, nec eis evenerunt omnia mala
hæc; sed eorum filii iniqui fuerunt, quem-
admodum in libris Judicum et Regum
conscriptum est. Et hic modus loquendi
frequens est in Scripturis : quod quidam
non attendentes, putant se vicissim alio-
rum expositiones idonee reprobare, et se
melius dicere, quum ita non sit.
Ecce munitiones exstructæ sunt, id est, 24
jam Chaldæi in gyro fecerunt machinas,
adversum civitatem Jerusalem, *ut capia-*
tur. De quibus instrumentis præliandi, in
Ezechiele plenius distinctiusque habetur. *Ezech.* IV, 2.
Et urbs data est in manus Chaldæorum,
id est de proximo danda, vel data secun-
dum sapientiæ tuæ præordinationem. Est
autem modus loquendi, ut aliquid factum
dicamus, quum jam in proximo est ut fiat.
A facie, id est ex præsentia, *gladii* Chal-
dæorum, *et famis et pestilentiæ* in civitate
ista regnantis. *Et quæcumque locutus es*
de punitione civitatis hujus, *acciderunt :*
quia jam partim evenerunt, et cetera mox
erant complenda. *Et tu dicis mihi, Domi-* 25
ne Deus, Eme agrum? etc. Quasi dicat :
Hoc prima facie mirabiliter sonat. Ad quod
clementissimus Deus respondet :
Ecce ego Dominus Deus universæ car- 27
nis, id est omnium gentium, juxta illud in
Psalmo : Ad te omnis caro veniet; atque *Ps.* LXIV, 3.
in Isaia, Videbit omnis caro salutare Dei *Is.* XL, 5; LII, 10; *Luc.* III, 6.
nostri. Vel, secundum Hieronymum, ideo
ait, Universæ carnis, ut innuat irrationa-
bilia quoque divinæ providentiæ subjace-
re. *Numquid mihi difficile erit omne ver-*
bum? Non utique : imo omnia sunt Deo
æque facilia, quantum est ex parte omni-
potentiæ ejus, cui nil valet resistere, et
cui competit in instanti ad libitum agere.
Propterea, scilicet quia ego Dominus Deus 28

universæ carnis, ad cujus providentiam A
pertinet cunctis quod merentur repende-
re, *ecce ego tradam civitatem istam in ma-*
29 *nus Chaldæorum, et succendent eam, et*
domus in quarum domatibus, id est tectis
superius planis, seu reliquis locis idolola-
triæ exercitio deputatis, *sacrificabant Baal.*
30 *Erant enim filii Israel et filii Juda,* id
est decem et duæ tribus, *jugiter facientes*
malum in oculis meis ab adolescentia sua :
vel ab adolescentia uniuscujusque eorum
impie agentis; vel ab adolescentia totius
populi, id est a tempore incolatus eorum B
in Ægypto, egressionisve inde : non quod
omnes simpliciter et quolibet tempore pra-
vi exstiterint, sed quia pro majori parte,
et ut frequentius, ita fuit. *Filii Israel qui*
usque nunc exacerbant me, id est, ad in-
fligendum pœnas acerbas suis flagitiis me
naturaliter pium ac dulcem inducunt, ita
31 quod instar exacerbati me habeo. *Quia in*
furore et in indignatione mea facta est (Joseph. De bello Jud. lib. VII.)
mihi civitas hæc, id est, iram et punitio-
nem meam habitatores ejus promeruerunt
(secundum sensum prætactum), *a die qua* C
ædificaverunt eam structores ejus : quod
fuit tempore Melchisedech, qui urbem is-
tam ædificavit, vel Salomonis, qui eam
auxit, et triplici muro vallavit; *usque ad* (III *Reg.* III, 1; IX, 15.)
diem istam, qua aufertur de conspectu meo,
id est, me cernente per Chaldæos destrui-
32 tur. *Propter malitiam filiorum Israel,* etc.
33 *Et verterunt ad me terga, et non facies,*
id est, rebelles fuerunt, et verba Dei au-
dire aspernabantur, *quum docerem eos di-*
luculo, id est mane et tempestive atque
celeriter, per Prophetas et per angelicas D
inspirationes, [*et nollent audire*] *ut acci-*
perent disciplinam, id est, paternam in-
structionem, vel punitiones et correctiones
sibi a me illatas, patienter ferrent pro suis
34 excessibus, seque corrigerent. *Et posue-*
runt idola sua in domo in qua invocatum
est nomen meum, puta in templo Jerusa-
35 lem, ut dictum est sæpe. *Et ædificaverunt*
excelsa Baal, quæ sunt in valle filii En-
nom, etc. Istud supra habitum atque expo- (*Jer.* VII, 30, 31.)
situm est.

Insuper post tristium pronuntiationem,
nunc prospera promittuntur, quia non con- (*Ps.* LXXVI, 10.)
tinet Dominus in ira sua misericordias
suas, et lætior atque acceptior est sospitas
ægritudine pulsa : siquidem opposita juxta
se posita, melius dijudicantur. *Et nunc* 36
propter ista quæ dicta sunt de punitione
peccantium, vel potius de agri emptione :
hic enim ponitur ipsa Dei responsio ad
verba Jeremiæ ; *hæc dicit Dominus ad ci-*
vitatem istam, de qua vos dicitis, quod
tradetur in manus regis Babylonis : Ecce 37
ego congregabo eos, videlicet civitatis is-
tius et ceterarum urbium Judææ habita-
tores quosdam, *de universis terris ad quas*
ejeci eos, vel nunc ejiciam, *in furore meo,*
id est rigore justitiæ. *Et reducam eos ad*
locum istum, et habitare eos faciam con-
fidenter : quod aliqui dicunt tempore Es-
dræ impletum; verumtamen Hieronymus
contradicit, quia pro tunc in timore ma-
gno sæpe fuerunt, sicut in libro Esdræ (II *Esdr.* I, 3; V, 1-5.)
habetur; et etiam postea sæpe, ut patet in
libris Machabæorum et Judith. Fuit tamen (I *Mach.* I; II *Mach.* VI, VII; *Judith* IV, 1, 2; VII.)
aliquo modo impletum, et etiam postea
interdum cum securitate in Judæa habita-
verunt. Plenius autem impletum est tem-
pore Christi in Apostolis ceterisque cre-
dentibus, sicut frequenter expositum est :
quibus et sequentia magis conveniunt.

Et erunt mihi in populum, et ero eis 38
in Deum. Et dabo eis cor unum, id est 39
voluntatis concordiam in cultu divino :
sicut Apostolus admonet, Id ipsum dica- (I *Cor.* I, 10.)
tis omnes, et non sint in vobis schismata;
et rursus, Uno ore et corde honorificetis (*Rom.* XV, 6.)
Deum. *Et animam unam,* per caritatem
Dei ac Christi, quemadmodum in Actibus
legitur : Multitudinis credentium erat cor (*Act.* IV, 32.)
unum et anima una. Unde et Christus ora-
vit : Pater sancte, serva eos in nomine (*Joann.* XVII, 11.)
tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sic-
ut et nos. Hoc est quod docet Apostolus :
Solliciti servare unitatem spiritus in vin- (*Ephes.* IV, 3.)
culo pacis. *Ut timeant me* filiali timore,
de quo cantamus : Timete Dominum, om- (*Ps.* XXXIII, 10.)
nes sancti ejus, quoniam non est inopia
timentibus eum; *universis diebus; et bene*

sit eis, id est, salubriter vivant, atque in A
spiritualibus donis proficiant, *et filiis eo-*
rum spiritualibus, puta discipulis et imi-
40 tatoribus, sive carnalibus, *post eos. Et fe-*
riam eis pactum sempiternum : quod de
evangelica lege præsertim accipitur, cui
alia non succedet ; *et non desinam eis be-*
nefacere : quod in Judæis a Babylone re-
versis, non satis impletum videtur, nisi
forsitan in quibusdam et pro aliquo tem-
pore ; sed in conversis ad Christum, co-
piose impletum est. *Et timorem meum* fi-
lialem, castum et reverentialem, *dabo in* B
corde eorum, ut non recedant a me. De
Eccle. VII, 19. quo timore ait Scriptura : Qui timet Deum,
Eccli. XXIII, 37. nihil negligit ; et iterum, Nihil dulcius
quam timere Deum ; itemque, Timor Do-
Ps. XVIII, 10. mini sanctus, permanens in sæculum sæ-
Is. XI, 3. culi. Quod etiam de timore illo qui est
unum septem donorum, intelligi potest ;
vel de illo qui est actus quidam sive effe-
ctus divini amoris, et eum includit.
41 *Et lætabor super eis, quum bene eis fe-*
cero : non quod delectatio divinæ mentis
ex creato oriatur dependatve objecto ; sed C
in se ipso Deus lætatur de prospero electo-
rum suorum successu, in quantum ipse
est causa omnis boni in eis, et connatura-
le est sibi, potius beneficia impertiri quam
vindicare. Propter quod scriptum est in
Ps. CIII, 31. Psalmo : Lætabitur Dominus in operibus
Ps. CXLIX, 4. suis ; et, Beneplacitum est Domino in po-
pulo suo ; in libro quoque Esdræ secundo
II *Esdr.* VIII, 10. seu Nehemiæ, Gaudium Domini est forti-
I *Thess.* IV, 3. tudo vestra. Hinc scribit Apostolus : Vo-
luntas Dei est sanctificatio vestra. Sed et
ipsemet Deus gloriosus et adorandus te- D
Prov. VIII, 31. statur : Deliciæ meæ, esse cum filiis homi-
num. *Et plantabo eos in terra ista in ve-*
ritate, id est sicut promisi, vel in fidei
veritate. Unde Septuaginta transtulerunt,
In fide : quod in Christi adventu in electis
reliquiis Judæorum constat impletum. *In*
toto corde meo et in tota anima mea, id
est pleno animo ac integra mente. Quo-
modo autem Deo conveniat animam habe-
re, dictum est sæpe.

Hæc tanta promissio videtur excedere
tempus et beneficia post reditum a Ba-
bylone, nisi ad Christi tempus referatur,
quando electis Judæis data sunt beneficia
ampliora, quam antea unquam : partim
tamen pro tunc fuit impletum. Propter
quod subditur : *Quia hæc dicit Dominus :* 42
Sicut adduxi super populum istum omne
malum hoc grande, videlicet obsidionem,
famem, gladium, pestem, captivitatem ; *sic*
adducam super eos omne bonum quod ego
loquor ad eos, id est, quod me eis datu-
rum prænuntio. *Et possidebuntur agri in* 43
terra ista Judææ, *de qua vos dicitis quod*
deserta sit, eo quod non remanserit in ea
homo et jumentum. Jam quippe tempore
vaticinii hujus Judæa pro magna fuit par-
te vastata, et comparative quasi nulli re-
licti : et hi mox pro majori parte erant
vastandi. *Agri pecunia ementur, et scri-* 44
bentur in libro, id est in chartis seu litte-
ris contractuum ; *et imprimetur signum,*
puta sigillum chartis, *et testis adhibebitur,*
id est, testes aderunt emptionibus istis
agrorum, *in terra Benjamin et in circuitu*
Jerusalem. Nunc enim est sermo de dua-
rum tribuum, scilicet Juda ac Benjamin,
terra : subditur namque, *et in civitatibus*
Juda, et in civitatibus montanis, id est
in montibus sitis, *et in civitatibus campe-*
stribus, et in civitatibus quæ ad austrum
sunt, id est urbibus meridianis ; *quia con-*
vertam, id est, ad terram istam reducam,
captivitatem eorum, ait Dominus.

Porro spiritualiter agri in terra Juda
emuntur pecunia, quando de mammo- *Luc.* XVI, 9.
na iniquitatis, facimus nobis amicos qui
recipiant nos in æterna tabernacula. Et
scribuntur ementes in libro viventium,
signanturque crucis signaculo, et testes
adhibentur omnes chori Beatorum. Tunc
etiam captivitatem nostram Deus conver-
tit, ad paradisum cœlestem nos converten-
do : de qua ait Psalmista, Ascendisti in *Ps.* LXVII, 19.
altum, cepisti captivitatem.

Hucusque habui expositionem S. Hiero-
nymi, nec ipse ultra exposuit.

ARTICULUS LI

EXPOSITIO CAPITULI TRICESIMI TERTII : ET FACTUM EST VERBUM DOMINI AD JEREMIAM, ETC.

CAPITULO jam tractando prænuntiatur A
primo figura, videlicet reditus Judæo-
rum a Babylonica captivitate ; deinde fi-
guratum, scilicet redemptio vera ac plena
Judæorum, omniumque credentium, per
1 Christum. *Et factum est verbum Domini*
ad Jeremiam secundo : non absolute se-
cundo, quia jam sæpe factus fuit sermo Dei
ad eum, sed secundo *quum adhuc clausus*
esset in atrio carceris, pro causa præce-
2 denti capitulo posita : *Hæc dicit Dominus,*
qui facturus est et formaturus istud et
paraturus, id est, qui verbum mihi reve- B
latum implebit, seu rem verbis significa-
tam faciet et formabit. Quæ autem sit ista
res, statim subditur. *Dominus nomen ejus:*
quoniam ipse solus omnibus propria au-
ctoritate dominatur ac præsidet, de quo
Job xxxiv, 13. scriptum est in Job : Quem constituit alium
super terram ? aut quem posuit super or-
bem, quem fabricatus est ? Ad quem vi-
delicet omnes alii dominatores et domini,
comparantur sicut instrumenta et servi
ad primum opificem summumque princi-
pem, de quo Aristoteles duodecimo Philo- C
sophiæ disseruit : Entia nolunt male dis-
poni ; pluralitas principum mala, unus
Is. xlv, 18. igitur princeps. Qui in Isaia testatur : Ego
Dominus, et non est alius ; et rursus per
Ibid. xlii, 8. Isaiam : Ego Dominus, hoc est nomen me-
um ; gloriam meam alteri non dabo. De
Ps. lxxxii, 19. quo ait Psalmista : Cognoscant quia no-
men tibi Dominus.

Deinde ponuntur verba Dei ad Jere-
3 miam. *Clama ad me,* id est, affectuose me
invoca, ut in corde potius quam in vo-
ce sit clamor : et hic clamor, est fervi- D
dus amor, seu ignita ad Deum affectio. *Et*
annuntiabo tibi grandia et firma, id est
magnifica atque stabilia opera Dei, *quæ*
nescis. Prophetæ enim paulatim, divinis
illuminationibus in eis crescentibus, pro-
fecerunt. Porro grandia et firma ista, sunt
quæ infra in isto capitulo describuntur,
videlicet mysteria Salvatoris, incarnatio,
salvatio, dominatio ejus : quæ licet jam
ante fuerint Jeremiæ aliqualiter revelata,
non tamen eatenus plene atque distincte,
ut nunc ; nec etiam aliquis viatorum valet
mysteria ista comprehendere plene ac cla-
re. Et quia reductio Judæorum a Baby-
lonica captivitate, fuit figura salvationis
tunc fiendæ, nunc factæ per Christum, pri-
mo breviter tangitur figurativa illa salva-
tio, deinde vera per Christum redemptio.

Quia hæc dicit Dominus ad domus ur- 4
bis hujus, et ad domus regis Juda, quæ
destructæ sunt, id est, jam protinus de-
struentur, et jam partim destructæ fue-
runt, *et ad munitiones,* id est, ad ea qui-
bus habitatores Jerusalem munierunt se
contra Chaldæos, providendo sibi de vi-
ctualibus ac defensamentis, *et ad gladium*
venientium, ut dimicent cum Chaldæis, 5
id est ad auxiliatores Chaldæorum, qui
quotidie accurrerunt ad auxiliandum exer-
citui obsidenti Jerusalem, *ut impleant eas,*
scilicet domus Jerusalem, *cadaveribus ho-*
minum, id est Judæorum jam occidendo-
rum, *quos percussi,* id est, jam per Chaldæos
percutiam, *in furore meo,* id est justo ri-
gore. Chaldæi namque erant quasi instru-
menta et exsecutores divinæ justitiæ in
Judæos ; nec hoc faciendo peccassent, si
recta fuisset eorum intentio. *Abscondens*
faciem meam a civitate hac, id est, ab
habitatoribus Jerusalem gratiam protectio-
nis seu pietatis adspectum subtrahens ju-
sto judicio propter omnem malitiam eo-
rum. *Ecce ego obducam eis cicatricem et* 6

sanitatem, et curabo eos, id est, populum istum de suis afflictionibus eruam, de suis peccatis purgabo, et civitatem ac domus destructas recuperabo : quod post reditum a Babylonia cœpit impleri; sed per Christi incarnationem ac passionem, perfectâ a læsione peccati sanitas est effecta.

Quæ autem sequuntur in isto capitulo, non solum a Catholicis, sed ab Hebræis quoque doctoribus, saltem aliquibus, pro tempore Christi exponuntur; sed quæ nos vere ac spiritualiter facta cognoscimus, illi in Messiæ adventu implenda inaniter præstolantur. *Et revelabo illis deprecationem pacis et veritatis,* id est, pacem internam et veritatem, pro qua ipsi et patres eorum deprecati sunt me, eis ostendam seu exhibebo. Unde in Joanne habetur : Joann. I, 17. Gratia et veritas per Jesum Christum facta est. Ephes. II, 14. Et ut docet Apostolus, Christus est pax nostra, qui fecit utraque unum. Hinc Luc. II, 14. angeli ipso nato, mox cecinerunt : In terra pax hominibus bonæ voluntatis. Christus quippe Prophetarum implevit et verificavit oracula, et inter Deum humanumque genus edidit pacem, juxta illud ad Ephe- Ephes. II, 14-18. sios : Solvens inimicitias in carne sua, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, et reconciliet in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso; et veniens, evangelizavit pacem his qui longe, et pacem his qui prope : quoniam per ipsum habemus accessum in uno Spiritu ad Patrem.

7 *Et convertam conversionem Juda et conversionem Jerusalem,* id est, electos Judæorum atque Jerusalem reliquias a captivitate peccati et jugo diaboli eruam : de quibus Is. I, 9. loquitur Isaias : Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma essemus. Et per Judam ac Jerusalem, omnis Deo confitens, et ipsa Ecclesia militans, intelliguntur etiam ad litteram, sicut frequenter jam patuit, præsertim tricesimo ac tricesimo primo capitulis. *Et ædificabo eos* in donis gratiæ atque virtutum, in sacramentis, documentis ac moribus, *sicut a principio,* scilicet tempore Moysis, quando de Ægypto educti sunt, ac divina lege instructi. Et quemadmodum tunc ædificatio seu instructio Dei fuit per diversa miracula roborata, ita et Christus per innumerabilia miracula ædificavit ac roboravit Ecclesiam, sicut evangelia pandunt. Unde scriptum est ad Hebræos : Hebr. II, 3, 4. Quomodo effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis et virtutibus, ac variis Spiritus Sancti distributionibus?

Et emundabo illos ab omni iniquitate sua, in qua peccaverunt mihi, et propitius ero cunctis iniquitatibus eorum. 8 Hoc nullus fecit nisi Salvator, qui pretio sanguinis sui genus humanum perfecte redemit, quantum in ipso est, seu sufficienter. Quod autem aliqui fructum suæ passionis non sortiuntur, ex eorum contingit defectu. Hinc de Christo scriptum est : Apoc. I, 5. Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. De quo in Isaia legitur : Is. LIII, 6, 4. Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum; vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Sicque Deus Pater, vel Trinitas superbenedicta, per Christum hominem a peccatis suis humanum genus redemit. Propter quod ait de Christo Zacharias : Zach. III, 8, 9. Ecce ego adduco servum meum Orientem; et auferam iniquitatem terræ illius in die una, videlicet in die Parasceves, qua passus est Christus. De qua emundatione peccati in veritate facta per Christum, clarissime scriptum est in Daniele, loquente angelo ad Prophetam : Dan. IX, 24. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum.

Et erunt mihi in nomen, et in gaudium, et in laudem, et in exsultationem cunctis gentibus terræ, quæ audierint omnia bona quæ facturus sum eis. 9 Istud post primum Christi adventum vere et copiose impletum est. In toto etenim orbe terrarum

gentiles ad Deum conversi, audientes quam A
ineffabilia gratiæ beneficia contulit Chri-
stus primitivæ Ecclesiæ, ex electissimis il-
lis Judæis collectæ, Christum multipliciter
nominaverunt, laudaverunt, et glorificave-
runt cum gaudio. Propter quod ab Isaia
Is. XXIV, 16. prædictum est : A finibus terræ audivimus
laudes, gloriam Justi. Deus autem in suis
electis ac famulis honoratur, secundum
Ibid. XLIII, 7. quod in Isaia dicit : Omnem qui invocat
nomen meum, in gloriam meam creavi
Ps. CL, 1. eum. Et Psalmista : Laudate, inquit, Do-
minum in Sanctis ejus. *Et pavebunt, et* B
turbabuntur, id est, vehementer admira-
buntur et obstupescent, *in universis bo-
nis, et in omni pace quam ego faciam eis,*
id est ex consideratione atque intuitu be-
neficiorum quæ eis præstabo. In miraculis
quoque, quæ Christi discipuli peregerunt,
plurimi obstupuerunt. Hoc est quod Psal-
Ps. XLV, 7. mista prædixit : Conturbatæ sunt gentes, et
inclinata sunt regna; dedit vocem suam,
mota est terra. Pavor itaque iste, ex consi-
deratione magnalium Dei processit. Unde
Matth. IX, 8. in Evangelio scribitur, quod turbæ viden- C
tes miracula Christi, timuerunt. Turbatio
quoque hæc non fuit vitiosa, sed ex com-
motione ingenti. Non enim omnis turbatio
mala est, præsertim quum de Christo scri-
Joann. XI, 33. ptum sit, Turbavit se ipsum ; et alibi, Tur-
Ibid. XIII, 21. batus est spiritu. Præterea certum est,
prædicta post reditum a Babylone, ante
Christi adventum non esse impleta; nec
Judæi tunc erant in tanta magnificentia,
pace et gloria.

10 *Hæc dicit Dominus : Adhuc audietur*
in loco isto, scilicet in Jerusalem et in Ju- D
dæa, *quem vos dicitis esse desertum,* id
est a Chaldæis vastatum, *eo quod non sit
homo nec jumentum in civitatibus Juda,
et foris Jerusalem, quæ desolatæ sunt abs-
que homine, et absque habitatore, et abs-
que pecore,* id est, hominibus eas habitare
solitis pecoribusque privatæ. Dicitque Do-
minus hæc esse facta, quoniam statim
erant fienda : nam quando hæc dixit, ob-
11 sessa fuit Jerusalem. *Vox gaudii et vox
lætitiæ, vox sponsi et vox sponsæ, vox*
*dicentium : Confitemini Domino exerci-
tuum, quoniam bonus Dominus, quoniam
in æternum misericordia ejus.* Totum istud
in primo adventu Christi exuberanter im-
pletum est. Cœpitque impleri, dum ange- *Luc.* II, 10.
lus pastoribus loquebatur, Ecce evangelizo *Ibid.* I, II.
vobis gaudium magnum ; deinde in paren-
tibus Præcursoris, et justo Simeone, san-
ctaque Anna prophetissa. Lucas quoque
testatur, quod populus Judæorum gaude- *Ibid.* XIII, 17.
bat in omnibus quæ gloriose fiebant a
Christo. Et rursum : Omnis plebs ut vidit, *Ibid.* XVIII, 43.
dedit gloriam Deo. Potissime autem im-
pletum fuit, misso desuper Spiritu Sancto,
quando primitiva Ecclesia divinis laudi- *Luc.* XXIV, 53; *Act.* II, 46, 47.
bus die et nocte vacabat, sicut in Actibus
legitur.

Porro per sponsum intelligi potest Chri-
stus, de quo ait Psalmista : Ipse tanquam *Ps.* XVIII, 6.
sponsus procedens de thalamo suo. Cujus
vox in templo et in Jerusalem ac Judæa
audiebatur, quando ibidem personaliter
prædicavit. Per sponsam vero, Ecclesia.
Unde de Christo et Ecclesia loquens Præ-
cursor, ait : Qui habet sponsam, sponsus *Joann.* III, 29.
est. Qui et in Psalmo fatetur : Narrabo no- *Ps.* XXI, 23.
men tuum fratribus meis, et in medio Ec-
clesiæ laudabo te. Fuit nihilo minus in
conversis Judæis castum connubium et to-
rus immaculatus, ita ut de talibus sponso
ac sponsa hæc queant exponi.

Et portantium vota in domo Domini,
id est credentium, vota et desideria sua
offerentium Deo in Ecclesia : quod et pri-
mitivæ Ecclesiæ filii ex Judaismo conver-
si, in templo Jerusalem fecisse noscuntur,
juxta illud Actuum : Et erant unanimiter *Act.* V, 12.
omnes in porticu Salomonis. Fideles quo-
que quotidie offerunt Deo vota sua in do-
mo ejus, juxta illud : Sic psalmum dicam *Ps.* LX, 9.
nomini tuo in sæculum sæculi, ut reddam
vota mea de die in diem; et item, Immola *Ps.* XLIX, 14.
Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo
vota tua. *Reducam enim conversionem ter-
ræ sicut a principio,* id est, statum Syna-
gogæ recuperabo in his qui credent in
Christum, quorum major fuit excellentia
in donis Spiritus Sancti, quam omnium

præcedentium Judæorum. Unde adverbium, A
Sicut, non æqualitatem, sed similitudinem
quamdam designat.
12 *Hæc dicit Dominus exercituum : Adhuc
erit in loco isto deserto absque homine et
absque jumento, et in cunctis civitatibus
ejus,* id est in Judæa urbibusque ejus, *ha-
bitaculum pastorum et accubantium gre-
gum,* id est discipulorum Christi, et congre-
gationum fidelium quibus præerunt illi,
videlicet Apostoli et cooperatores eorum,
qui per universam Judæam prædicando,
plurimos converterunt atque rexerunt. Id- B
13 eo subditur : *et in civitatibus montuosis et
campestribus,* etc., *adhuc transibunt greges
ad manum numerantis,* id est, pastori suo
eos sigillatim consideranti, subditi erunt,
potissime ei qui novit numerum præde-
Joann. XIII, 18. stinatorum, secundum quod ait : Et ego
scio quos elegerim. Qui oves suas præces-
sit, duxit, pavit, et computavit, quemad-
Ibid. X, 14. modum fassus est : Ego sum pastor bonus,
et cognosco oves meas, et cognoscunt me
meæ. Rursusque de bono loquens pastore :
Ibid. 3, 4. Proprias, inquit, oves vocat nominatim, et C
ante eas vadit, et oves illum sequuntur. —
Refert Lyra, quod etiam Hebræorum qui-
dam doctor præcipuus, in isto capitulo per
oves, jumenta ac pecora, intelligit homi-
nes inferiores ac subditos. Hoc dico, ne
quis expositionem istam non litteralem,
sed spiritualem tantummodo suspicetur.
Præterea, quod præinducta, sint ad tem-
pus Christi referenda, probant verba sub-
14 sequentia : *Ecce dies veniunt, dicit Do-
minus,* scilicet tempus evangelicæ legis, *et
suscitabo,* id est implebo, *verbum bonum,* D
id est promissionem de Christo ac ejus
mysteriis, *quod locutus sum ad domum
Israel,* id est ad decem tribus, *et ad do-
mum Juda,* id est duas tribus. Christi enim
adventus, duodecim tribubus est promis-
sus, quia ad omnium filiorum Jacob re-
demptionem Christus descendit. Quo pa-
tet, quod nunc sermo non est de liberatione
Judæorum facta tempore Esdræ atque Zo-
robabel. Siquidem decem tribus usque in
præsens manent captivæ : quod et verba
subjecta apertissime pandunt. *In diebus* 15
illis, et, pro id est, *in tempore illo ger-
minare,* id est oriri, *faciam David germen
justitiæ,* id est Christum justum justorum,
qui est filius David secundum naturam
assumptam, de quo loquitur Isaias : In *Is.* IV, 2.
die illo erit germen Domini in magnifi-
centia et gloria, et fructus terræ sublimis,
et exsultatio his qui salvati fuerint de
Israel. *Et faciet judicium et justitiam in
terra. In diebus illis salvabitur Juda, et* 16
Israel, sive Jerusalem, *habitabit confiden-
ter. Et hoc est nomen quod vocabunt eum,
Dominus justus noster.* Totum istud scri-
ptum atque expositum est diffuse supra *Jer.* XXIII, 5, 6.
capitulo vicesimo tertio.
Consequenter agitur de stabilitate et per-
petuitate regni et sacerdotii Christi. *Quia* 17
*hæc dicit Dominus : Non interibit de Da-
vid vir, qui sedeat super thronum domus
Israel,* id est, de successoribus David regis
erit vir, qui perpetuo regnet atque præsi-
deat electis filiis Patriarcharum, puta con-
versis et convertendis Judæis, et cunctis
credentibus. Vir iste, est Christus, de quo
superius dictum est : Mulier circumdabit *Ibid.* XXXI, 22.
virum. De quo loquitur Isaias : Super thro- *Is.* IX, 7.
num David et super regnum ejus sedebit,
ut confirmet illud et corroboret in judicio
et justitia, amodo et usque in sempiter-
num. Angelus quoque in Evangelio : Dabit *Luc.* I, 32, 33.
illi Dominus Deus sedem David patris ejus;
et regnabit in domo Jacob in æternum, et
regni ejus non erit finis. Thronus au-
tem domus Israel, in quo Christus sedit,
fuit regia dignitas, judiciariaque potestas
ipsius.
Et de sacerdotibus et de Levitis, id est 18
presbyteris et diaconis novæ legis Christi
ministris, *non interibit vir a facie mea,*
id est, sacerdotes isti non deerunt, vel de
sacerdotibus veteris Testamenti non inter-
ibit vir : quia Christus sacerdos fuit et
rex, et de regia ac sacerdotali tribu de-
scendit; ejusque sacerdotium exstat æter-
num, juxta illud in Psalmo, Tu es sacerdos *Ps.* CIX, 4.
in æternum secundum ordinem Melchise-
dech; ad Hebræos quoque, Christus eo *Hebr.* VII, 24.

quod maneat in æternum, sempiternum A
habet sacerdotium. *Qui offerat holocausta,
et incendat sacrificium, et cædat victimas
omnibus diebus.* Christus enim se ipsum
pro nobis offerendo Deo Patri in cruce,
obtulit holocaustum, sacrificium, et victi-
mam, quoniam ejus in cruce oblatio, om-
nium oblationum legalium efficaciam su-
pereminenter continebat et continet: cujus
oblatio quotidie frequentatur, et usque in
finem frequentabitur in Ecclesia in Sacra-
mento altaris. Possunt quoque nomine ho-
locaustorum, sacrificiorum, et victimarum, B
cetera Christianorum spiritualia sacrificia
convenienter intelligi, quibus se ipsos et
sua, cum oratione et obedientia in igne
sancti amoris offerunt Deo, sicut Aposto-
Rom. XII, 1. lus scribit ad Romanos : Exhibeatis corpo-
ra vestra hostiam viventem, sanctam, Deo
placentem. Et de Christo loquens ad Ephe-
Ephes. V, 2. sios : Dilexit (inquit) nos, et tradidit se-
metipsum pro nobis oblationem et hostiam
Ps. L, 19. Deo in odorem suavitatis. Denique, sacrifi-
cium Deo spiritus contribulatus. Et in Ec-
Eccli. clesiastico legitur : Salutare sacrificium, C
XXXV, 2. attendere mandatis Dei.

Insuper ponitur confirmatio hujus per
19 locum ab impossibili. *Et factum est ver-*
20 *bum Domini ad Jeremiam, dicens : Si ir-*
ritum potest fieri pactum meum cum die,
et pactum meum cum nocte, id est statutum
seu ordinatio mea de dierum noctiumque
successione, *ut non sit dies et nox in tem-*
pore suo, id est indesinenter usque ad ter-
minum a Deo præfixum, quo et motus
Apoc. X, 6. cœli cessabit, et tempus ultra non erit,
quemadmodum in Apocalypsi scriptum D
21 est ; *et pactum meum irritum esse poterit*
cum David servo meo, ut non sit ex eo fi-
Rom. I, 3. *lius,* scilicet Christus, secundum carnem
ab eo descendens, *qui regnet in throno*
ejus, regnando per gratiam in credentium
cordibus, et per vicarios suos fidelium
gregibus præsidens, imo et per angelos
dirigens eos, *et Levitæ et sacerdotes mi-*
nistri mei, id est ministri altaris in regno
Christi atque Ecclesia. Unde in Apocalypsi
Apoc. I, 6. de Christo inducitur : Fecit nos regnum
et sacerdotes Deo et Patri suo. Quibus et
Petrus : Vos, inquit, genus electum, regale I *Petr.* II, 9.
sacerdotium, gens sancta. Unde secundum
omnes doctores, regnum David perpetua-
tur in Christo, juxta illud in Psalmo : Se- *Ps.* LXXXVIII, 36-38.
mel juravi in sancto meo, si David men-
tiar : Semen ejus in æternum manebit ; et
thronus ejus sicut sol in conspectu meo,
et sicut luna perfecta in æternum : et te-
stis in cœlo fidelis. Porro de prætacto diei
noctisque pacto, quod naturaliter immuta-
ri non potest, scriptum est in Genesi : Dies *Gen.* VIII, 22.
et nox non requiescent.

Sicut enumerari non possunt stellæ cœ- 22
li ab homine mortali, *et metiri arena ma-*
ris, quantum ad multitudinem ejus ; *sic*
multiplicabo semen David servi mei, id
est spirituales filios Christi, *et Levitas mi-*
nistros meos : de quibus in Isaia scriptum
est : Si posuerit animam suam pro pecca- *Is.* LIII, 10.
to, videbit semen longævum. Innumerabi-
les autem sunt Christifideles, quemadmo-
dum Christus ait in Psalmo : Annuntiavi *Ps.* XXXIX, 6.
et locutus sum, multiplicati sunt super
numerum. Quod autem per David, Christus
intelligatur ad litteram, dictum est sæpe.

Et factum est verbum Domini ad me, di- 23
cens : Numquid non vidisti, id est, audisti 24
seu advertisti (visus enim sæpe ponitur
pro auditu, ut in Apocalypsi : Conversus *Apoc.* I, 12.
sum, ut viderem vocem quæ loquebatur
mecum), *quid populus iste locutus sit, di-*
cens : Duæ cognationes, id est tribus Juda
ac Benjamin, *quas elegerat Dominus,* quia
in eis permansit cultus divinus, aliis de-
cem tribubus ad idololatriam lapsis, et
captis, *abjectæ sunt,* id est a Deo relictæ ?
Istud dixerunt adversarii Judæorum Chal-
dæi, et alii videntes civitatem Jerusalem
jam capiendam seu captam. *Et populum*
meum, id est duas has tribus, *despexe-*
runt, eo quod non sit ultra gens coram
eis, id est, quia reputatione eorum nullius
momenti sunt, vel quia jam eis cernenti-
bus pro maxima parte destructus est hic
populus meus.

Hæc dicit Dominus contra istos adver- 25
sarios Judæorum : *Si pactum meum inter*

diem et noctem irritum esse poterit, id est, quia non erit cassum, ut dictum est. Sol enim solitum servat cursum, et gyrando diem causat et noctem. *Et si leges cœlo et terræ non posui,* id est, quia imo supe-
Gen. VIII, 22. rioribus inferioribusque corporibus certas leges naturalemque cursum, proprietatem, causalitatem, et ordinem ab exordio creationis præstitui (ut patet in Genesi). Propter quod ait Boetius :

> Legemque pati sidera cogis,...
> Omnia certo fine gubernans,...
> Quisquis rerum fœdera nectis.

Ps. CXLVIII, 6. Et Psalmista : Statuit ea in sæculum sæculi; præceptum posuit, et non præteribit.

A *Equidem et semen Jacob et David servi* 26
mei projiciam, id est, filios Israel et successores David nequaquam in toto abjiciam : imo multi eorum electi sunt, et regnum David stabilitur in Christo. Ideo subditur : *ut non assumam de semine ejus principes :* quia ex semine David descendit Christus et aliqui Apostolorum, qui sacerdotes principesque fuerunt Ecclesiæ, imo totius mundi facti sunt capita, et judices duodecim tribuum Israel, Christo testante : Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes duo- Matth. XIX, 28.
B decim, judicantes duodecim tribus Israel. De quibus et in Psalmo cantatur : Constitues eos principes super omnem terram. Ps. XLIV, 17.

ARTICULUS LII

EXPLANATIO CAPITULI TRICESIMI QUARTI : VERBUM QUOD FACTUM EST, ETC.

1 VERBUM *quod factum est ad Jeremiam a Domino, quando Nabuchodonosor et omnis exercitus ejus, universaque regna terræ quæ erant sub potestate manus ejus, et omnes populi,* id est quædam de omnibus istis, *bellabant contra Jerusalem,* nitentes eam diversis machinationibus obtinere, *et contra omnes urbes ejus,* id est ceteras civitates nondum destructas,
2 quarum metropolis fuit Jerusalem. *Hæc dicit Dominus : Vade et loquere ad Sedeciam regem Juda : Hæc dicit Dominus, Ecce tradam civitatem hanc in manus re-*
3 *gis Babylonis, et succendet eam, et tu non effugies de manu ejus, sed comprehensione comprehenderis :* quia ut infra habetur, fu-
Jer. XXXIX, 4, 5. giente Sedecia, insecuti sunt eum Chaldæi, et captum adduxerunt regi Babylonis in Reblatha. *Et oculi tui oculos regis Babylonis videbunt, et os ejus cum ore tuo loquetur,* redarguendo tuam infidelitatem ac rebellionem. Istud auxit Sedeciæ mœstitiam et timorem. Quid enim molestius, quam potentiori atque crudeli offenso ac

C indignanti, præsentari, loqui, eumque intueri, et ab ipso redargui? Nonne frequenter gravior mors exspectata, quam illata, et vehementior dolor cordis, quam corporis? *Et Babylonem intrabis.*

Attamen audi verbum Domini : Non 4
morieris in gladio, sed in pace, id est non 5
morte violenta ab homine, sed naturali morte, *morieris.* Obiit enim in carcere. Legitur namque in Scholastica historia, quod Nabuchodonosor jussit eum jam excæcatum, educi e carcere, et coram se
D præsentari, ut derideretur. Insuper jussit ei dari poculum laxativum : quo facto, passus est resolutionem. Sicque vehementer confusus, reductus in carcerem, ibidem ex tristitia obiit : quo audito, Nabuchodonosor rex ei compatiens, præcepit eum honorifice sepeliri. Ideo subditur : *et secundum combustionem patrum tuorum regum priorum, sic te comburent,* id est, aromata super corpus tuum incendent, quemadmodum patribus tuis defunctis fieri consuevit. Hoc autem fiebat ad regum

honorem, et contra corporis exanimati fœ- A
torem. *Et væ domine, plangent te,* id est,
lugubre carmen super tua morte canta-
bunt. Forte Judæi ibidem capti, ista de
licentia regis Babylonis egerunt.
6 *Et locutus est Jeremias ad Sedeciam*
universa verba hæc, etc. In quo obedien-
tia atque constantia Jeremiæ monstratur,
quod impio regi tam aspera, Deo jubente,
denuntiare non recusavit, ut discamus et
nos Deo et ejus vicariis etiam in arduis
obedire, nec remurmurare.
8 *Verbum quod factum est ad Jeremiam* B
a Domino, postquam percussit Sedecias rex
fœdus cum omni populo in Jerusalem,
prædicans, id est, seriose mandans atque
9 insinuans, *ut dimitteret unusquisque* ha-
bitatorum Jerusalem *servum suum et an-*
cillam suam, Hebræum et Hebræam, id
est servos ac famulas empticios de semine
Israel, *liberos, et nequaquam dominaren-*
tur eis, id est, sub jugo suo non teneren-
10 tur, sed pristinæ redderentur libertati. *Au-*
dierunt ergo omnes principes et universus
populus, id est, principes Sedeciæ et ce- C
teri habitatores Jerusalem acquieverunt
regi Sedeciæ, simulque cum eo pactum
11 inierunt quod facerent ita ; *et conversi*
sunt, id est, voluntatem atque propositum
mutaverunt, versi de bono in malum, *et*
retraxerunt servos et ancillas quos dimi-
serant liberos, et subjugaverunt in famu-
los et in famulas. Quocirca pensandum
Exod. XXI, 2. quod in Exodo Deus per Moysen jussit : Si
emeris servum Hebræum, sex annis ser-
viet tibi ; in anno autem septimo egredie-
tur liber gratis. Istud præceptum Judæi D
tempore Sedeciæ, et sæpius ante, trans-
gressi fuerunt. Quum autem rex Babylonis
nono anno Sedeciæ cœpisset obsidere Je-
rusalem, territi Sedecias et populus ejus,
ut impetrarent auxilium Dei, præfatum
præceptum implere cœperunt. Quumque
Chaldæi, audito quod Ægyptii exissent
contra eos, abissent a Jerusalem, ut Ægy-
ptiis obviarent, Sedecias cum suis putans
se a Chaldæis securum, a bono inchoato
defecit, et tam ipse quam principes ac po-

pulus ejus, servos famulasque licentiatos,
in servitutem pristinam ex avaritia rede-
gerunt. Hoc est quod nunc in textu pro-
lixe narratur.
Et factum est verbum Domini ad Jere- 12
miam : Hæc dicit Dominus : Ego percussi 13
fœdus cum patribus vestris, id est, legem
tradidi eis, *in die,* id est tempore, *qua*
eduxi eos de terra Ægypti, dicens : Quum 14
completi fuerint septem anni, dimittat
unusquisque fratrem, id est proximum,
suum Hebræum, qui venditus est ei in ser-
vum. *Et non audierunt me patres vestri.*
Et conversi estis vos de malo ad bonum, 15
hodie, id est tempore isto ; *et fecistis quod*
rectum est in oculis meis, ut prædicaretis
libertatem unusquisque ad amicum suum,
id est servum Hebræum, ejusdem secum
generis exsistentem, ideoque magis aman-
dum ; *et inistis pactum in conspectu meo,*
quod scilicet ita faceretis, *in domo in qua*
invocatum est nomen meum, puta in tem-
plo. *Et reversi estis* ad pristinam trans- 16
gressionem, *et commaculastis nomen me-*
um, id est, me multum inhonorastis.
Propterea hæc dicit Dominus : Vos non 17
audistis me, ut prædicaretis libertatem
unusquisque fratri et amico suo, id est
Judæis servis vestris empticiis. Jam dixit
quod prædicaverunt libertatem : quomodo
ergo nunc dicitur quod non prædicave-
runt libertatem ? Et respondendum, quod
ideo nunc dicuntur eam non prædicasse,
quia non prædicaverunt eam stabiliter,
nec semper quando debuerant.
Tanti autem piaculi subditur pœna : *Ec-*
ce ego prædico vobis libertatem, id est, a
meo obsequio vos seclusos denuntio, et
sicut mali servi licentiantur et repellun-
tur, nec a suis dominis proteguntur, ita
a mea defensione repello vos, *et ad gla-*
dium, et ad famem, et ad pestem, id est,
ista libertas vobis collata, qua a mea ser-
vitute estis alienati, erit vobis causa per-
eundi gladio, fame, ac pestilentia ; *et dabo*
vos in commotionem cunctis regnis terræ,
id est, tam horribiliter vos plagabo, ut
quicumque audierint, animo moveantur

vel timore, vel admiratione, seu compas- A
sione, aut alio modo.
18 *Et dabo viros qui prævaricantur fœdus*
meum, id est præceptum de danda servis
libertate, *et non observaverunt verba fœ-*
deris mei, in quibus assensi sunt, id est,
statutum seu pactum quod concorditer mi-
hi percusserunt in templo, fregerunt, *vi-*
tulum quem conciderunt in duas partes,
id est, verba pacti hujus confirmaverunt
facto vel signo sensibili, dividendo vitu-
lum in duas partes, *et transierunt inter*
divisiones ejus, id est inter partes has vi- B
tuli. Consuetudo namque fuit Judæis, ut
verba et pacta sua quibusdam sensibilibus
Josue IV, 20-25. factis et signis firmarent : sicut in memo-
riam transitus filiorum Israel per arentem
Jordanis alveum, Josue posuit duodecim
Ibid. XXII, 9, 10, 34. lapides in tabernaculo. Duæ quoque tribus
cum media, fecerunt altare magnitudinis
infinitæ in testimonium quod Dominus ip-
se est Deus. Dicuntque aliqui, quod inter
partes vituli transierunt, protestando quod
digni essent occidi ac dividi, qui statutum
istud infringerent. *Et dabo eos in manus* 20
quærentium animam eorum, id est Chal-
dæorum, quærentium vitam eorum exstin-
guere. *Ecce ego præcipio, dicit Dominus,* 22
id est, Chaldæos, qui a Jerusalem receden-
do iverunt contra Ægyptios, volo jubeoque
reverti. Ægyptii namque, cognito Chaldæ-
orum adventu contra se, in propria redie-
runt. *Et reducam eos,* puta Chaldæos, *in*
civitatem hanc, id est ad Jerusalem, *et*
capient eam.

Ex quibus elicitur quam grave sit, pactum et votum Deo exhibitum frangere. Multi autem tempore angustiæ promissiones et fœdera faciunt Deo, sed securitate paceque reddita non exsolvunt. Ideo gladio divinæ condemnationis, et fame spiritualis inopiæ, peste quoque scandali activi atque passivi horribiliter pereunt, et regi Babylonis, id est diabolo principi confusionis traduntur. Locis facilibus immorandum non est.

ARTICULUS LIII

ELUCIDATIO CAPITULI TRICESIMI QUINTI : VERBUM QUOD FACTUM EST, ETC.

QUEMADMODUM sæpius dictum est, Je- C
remias in recitatione non servat ordi-
nem temporis rerum gestarum aut fien-
darum. Unde quæ isto refert capitulo, ante
ea quæ præcedenti numeravit capitulo, ac-
ciderunt, videlicet quæ sub Joakim rege,
filio Josiæ : post quem Joakim regnavit
1 Sedecias frater ipsius. *Verbum quod fa-*
ctum est ad Jeremiam a Domino, in die-
2 *bus Joakim regis Juda, dicens : Vade ad*
domum Rechabitarum, qui ad Jerusalem
timore Chaldæorum confugerant, et ibi-
dem in domo quadam hospitabantur. *Et* D
loquere eis quæ tibi injungo, *et introduces*
eos in domum Domini, scilicet infra septa
templi, *in unam exedram thesaurorum,*
id est in unam de thalamis seu cameris
in quibus reponebantur et custodiebantur
pertinentia ad mysteria * Dei in templo, ut * ministeria
vasa et vestes sacerdotales ; *et dabis,* id
est præbebis, *eis bibere vinum :* ipsi ta-
men non bibent.
Deinde ponitur executio Jeremiæ. *Et* 3
assumpsi Jezoniam filium Jeremiæ, et fra-
tres ejus Rechabitas, *et omnes filios ejus,*
et universam domum Rechabitarum, id
est ceteros sui generis exsistentes cum
eis ; *et introduxi eos in domum Domini* 4
ad gazophylacium, id est repositorium ob-
lationum, *filiorum Hanan filii Jegedeliæ*
hominis Dei, id est viri virtuosi, quem
aliqui dicunt fuisse prophetam. Unde et

filii ejus creduntur fuisse meliores et Je- A
remiæ cariores : propter quod securus ivit
ad eos. *Quod erat juxta gazophylacium*
principum, in quo eorum oblationes mit-
tebantur, *super thesaurum,* id est juxta
locum thesauri, *Maasiæ filii Sellum, qui*
5 *erat custos vestibuli* templi. *Et posui co-*
ram filiis domus, id est familiæ seu tri-
bus, *Rechabitarum scyphos plenos vino, et*
dixi : Bibite vinum.
6 *Qui responderunt : Non bibemus vinum,*
quia Jonadab filius Rechab, pater noster,
præcepit nobis, dicens. Rechabitæ autem, B
secundum doctores, nati fuerunt ex semi-
ne Jethro soceri Moysis. *Non bibetis vinum*
vos et filii vestri usque in sempiternum :
7 *et domum non ædificabitis, et sementem*
non seretis, et vineas non plantabitis, nec
domos, id est firmas, fixas et stabiles man-
siones, *habebitis; sed in tabernaculis ha-*
bitabitis cunctis diebus vestris, ut vivatis
diebus multis super faciem terræ in qua
vos peregrinamini. Jonadab iste fuit vir
religiosus, mundanorum contemptor, qui
religiosæ vitæ modum posteris suis osten- C
dit, præfixit, reliquit. Siquidem ita viven-
do testabantur se terrena despicere, aliam-
que patriam semper mansuram inquirere,
et peregrinari in sæculo isto. Unde quod
Jonadab ait, Ut vivatis multis diebus super
faciem terræ in qua peregrinamini, non
est intelligendum quod propter hoc prin-
cipaliter atque finaliter prædicta eis præ-
cepit; sed conformavit se modo divinarum
promissionum veteris Testamenti, in qui-
bus temporale aliquod bonum, quo ad
obediendum allicerentur, exprimebatur, ut D
Is. I, 19. quum in Isaia Dominus ait : Si audieritis
me, bona terræ comedetis. Præcepit ergo
filiis suis, ut a temporalibus expediti, libe-
rius Deo vacarent, futuraque bona avidius
quærerent : quemadmodum ad Hebræos
de veteribus Sanctis tractans Apostolus :
Hebr. XI, 9, 10, 13, 14. Fide, inquit, Abraham demoratus est in
terra promissionis tanquam in aliena, in
casulis habitando cum Isaac et Jacob co-
heredibus repromissionis ejusdem ; exspe-
ctabat enim fundamenta habentem civita-
tem, cujus artifex et conditor Deus. Juxta
fidem defuncti sunt omnes isti, confiten-
tes quia peregrini et hospites sunt super
terram : qui enim hæc dicunt, significant
se patriam inquirere.

Obedivimus ergo voci Jonadab, etc., *in* 8
omnibus quæ præcepit nobis, ita ut non bi-
beremus vinum, etc. In quo ostenditur ma-
gna fuisse obedientia horum. *Quum au-* 11
tem ascendisset Nabuchodonosor ad terram
nostram, id est habitationes nostras, *dixi-*
mus : Venite et ingrediamur Jerusalem a
facie exercitus Chaldæorum, et a facie
exercitus Syriæ, qui auxiliabatur Chal-
dæis contra Judæam ; *et mansimus in Je-*
rusalem. Per quod se excusabant quod
pro nunc habitabant in domo. Necessitas
quippe est mater dispensationis : propter
quod dicitur legem non habere.

Consequenter ponitur ratio hujus facti,
seu commissionis factæ divinitus Jeremiæ.
Et factum est verbum Domini ad Jere- 12
miam, dicens : Vade, et dic viris Juda et 13
habitatoribus Jerusalem, qui erant princi-
pales inter viros Juda : *Numquid non ac-*
cipietis disciplinam, id est debitam cor-
rectionem, *ut obediatis verbis meis ?* Quo
patet, quod castigatio Dei in hac vita ad
nostram ordinatur utilitatem, ut scilicet
per pœnas illatas, Deo obedire discamus.
Prævaluerunt sermones Jonadab, quos præ- 14
cepit filiis suis, id est, verba viri illius
diligentius observata sunt a posteris ejus,
quæ multum ardua erant, quam verba quæ
ego Deus omnipotens, Pater spirituum im- *Hebr.* XII, 9
mortalis, vobis præcepi, quia rebelles meis
mandatis fuistis. *Firmaverunt ergo,* id est, 16
firmiter impleverunt, *filii Jonadab præ-*
ceptum patris sui, id est cuncta ejus præ-
cepta; *populus autem iste* Judæorum *non*
obedivit mihi. Idcirco hæc dicit Domi- 17
nus : Ecce ego adducam, etc., id est, pœ-
nas comminatas infligam Judæis istis re-
bellibus; *vocavi illos,* id est, per Prophetas
ad emendationem invitavi, *et non respon-*
derunt mihi responsione reali, id est, obe-
dire non curaverunt, nec beneficiis meis
vicissitudinem rependerunt.

18 *Domui autem Rechabitarum dixit Jere-*
mias : Hæc dicit Dominus : Pro eo quod
obedistis præcepto Jonadab patris vestri,
et fecistis universa quæ vobis præcepit,
19 *non deficiet vir de stirpe Jonadab filii*
Rechab, stans in conspectu meo cunctis
diebus. Quod in prædestinatis atque salva-
tis ex illa familia constat impletum, qui
in Ecclesia triumphanti stant æternaliter
coram Deo laudantes et obsequentes. Vide-
tur quoque his verbis signatum, quod Re-
chabitæ non essent a Chaldæis penitus oc-
cidendi, sed divinitus eruendi, ac Domino
serrituri, protracta eorum progenie in lon-
ginquum. — Præterea verba litteræ quæ
transilio, nullam penitus continent diffi-
A cultatem, et quantum ad sensum, præhabita sunt.

Porro juxta moralitatem, non solum Judæi, verum et omnes impii Christiani ex obedientia Rechabitarum confunduntur ac reprobantur, quoniam illis præcepto viri mortalis ac patris carnalis tam studiose obtemperantibus, isti unigeniti Filii Dei præceptis renuunt obedire, immortalisque Patris cœlestis verba non metuunt transgredi. Potissime autem claustrales carnales, duri, atque rebelles seu negligentes, B hoc facto redarguuntur, qui amant vinum et pinguia, qui superiorum suorum verba ac dogmata parvi pendunt : idcirco gravissimam passuri sunt disciplinam.

ARTICULUS LIV

EXPOSITIO CAPITULI TRICESIMI SEXTI : ET FACTUM EST IN ANNO QUARTO JOAKIM.

QUANTA ipse beatissimus Jeremias pro-
pter justitiam passus sit, et quanta
fuerit incorrigibilitas Judæorum, quanta
item benignitas ac longanimitas Dei circa
eos, præsenti capitulo atque sequentibus
1 aperitur. *Et factum est in anno quarto*
Joakim filii Josiæ regis Juda, quarto sci-
licet anno regni, non vitæ ipsius; *factum*
est verbum Domini ad Jeremiam dicens :
2 *Tolle volumen libri, et scribes in eo,* non
propria manu, sed per notarium tuum Ba-
ruch, ut statim subdetur, *omnia verba quæ*
locutus sum tibi adversus Israel et Ju-
dam, id est decem tribus et duas, *et ad-*
versus omnes gentes, scilicet de quibus
mentionem habui tecum, *a die qua locutus*
sum ad te, id est, ad te loqui exorsus sum,
ex diebus Josiæ usque ad diem hanc. Sub
3 Josia etenim rege cœpit vaticinari. *Si*
forte audiente domo Juda, id est populo
regni Juda, *universa mala,* id est tormen-
ta, *quæ ego cogito facere,* id est infligere,
eis, revertatur unusquisque a via, id est
C vita, *sua pessima ; et propitius ero iniqui-*
tati eorum. Hæc est infinita misericordia
Dei, qui offensoribus mittit legatum, ut
reconcilientur, etsi non amore justitiæ,
saltem formidine pœnæ. Itaque medicus
mittit ægrotis consiliarium, ut curari di-
gnentur. Istud facit Pater misericordiarum II Cor. 1, 3.
et Deus totius consolationis quotidie, dum
corda mundana, vitiosa et intimorata, per
servos suos devotos ad emendationem hor-
tatur, impœnitentibusque æternam dam-
nationem minatur. Porro quod Dominus
D ait, Si forte, notat nostri libertatem arbi-
trii, non aliquam ignorantiam Dei.
Vocavit ergo Jeremias Baruch filium Ne- 4
riæ; et scripsit Baruch ex ore Jeremiæ
omnes sermones Domini, quos locutus est
ad eum, scilicet Jeremiam, *in volumine*
libri. Estque constructio hæc intransitiva.
Et præcepit Jeremias Baruch, dicens : Ego 5
clausus sum, nec valeo ingredi domum
Domini, id est templum. Joakim enim rex
vitiosus inclusit Jeremiam, ne destructio-

nem Jerusalem prænuntiaret, regis quoque A
6 et populi vastitatem. *Ingredere ergo tu*
templum, *et lege de volumine verba Do-*
mini audiente populo in domo Domini in
die jejunii. Quod intelligitur vel de jeju-
nio legali, vel de jejunio tunc instituto ad
impetrandum auxilium Dei contra Chal-
dæos. *Insuper et audiente universo Juda,*
id est cunctis Judæis, *qui veniunt de civi-*
tatibus suis ad templum, *leges eis* hæc
7 verba; *si,* id est quatenus, *forte cadat ora-*
tio eorum in conspectu Domini, id est, Deo
accepta sit, eique placide præsentetur. Et B
bene loquitur, Forte : quoniam spes nostra
etsi certitudinem habeat ex parte objecti,
scilicet Dei et misericordiæ ejus, cui inniti-
tur, non tamen ex parte subjecti, videlicet
nostræ fragilitatis, quia nescimus an gra-
tiæ Dei obicem ponimus. *Quoniam ma-*
gnus furor est, id est gravis afflictio, *et*
indignatio, quam locutus est Dominus ad-
8 *versus populum hunc. Et fecit Baruch jux-*
ta omnia quæ præcepit ei Jeremias. In quo
utique magna constantia et obedientia ejus
ostenditur. Nec sine speciali gratia Baruch C
hæc fecit, imo conscius fuit cœlestium se-
cretorum, et mirabilium Dei circa Jere-
miam, cujus oratione et meritis speravit
se de Chaldæorum rabie eruendum.
9 *Factum est autem in anno quinto Joa-*
kim, prædicaverunt principales in regno
jejunium in conspectu Domini omni po-
pulo in Jerusalem, et universæ multitu-
dini quæ confluxerant de civitatibus Juda
in Jerusalem causa orationis in templo, ut
10 de manibus Chaldæorum eriperentur. *Le-*
gitque Baruch ex volumine sermones Je- D
remiæ in domo Domini in gazophylacio
Gamariæ filii Saphan scribæ, in vestibulo
superiori, in introitu portæ novæ domus
Domini, audiente omni populo. Stetit ita-
que Baruch in altiori vestibulo, ut ab om-
nibus melius audiretur. Porta autem hæc
nova, est quam ædificavit Joathan rex Ju-
Jer. XXVI, 10. da, ut dictum est supra.
11 *Quumque audisset Michæas filius Ga-*
mariæ, omnes sermones Domini ex libro,
12 *descendit in domum regis* Joakim : quia
palatium erat proximum ædificio templi,
quod fuit in altiori parte montis Sion,
quam regis palatium; *ad gazophylacium,*
id est thalamum, *scribæ* alicujus princi-
palis, forsitan de quo subditur, *et ecce ibi*
omnes principes regis Joakim *sedebant,*
Elisama scriba, etc. *Et nuntiavit eis Mi-* 13
chæas omnia verba quæ audivit legentem
Baruch : non penitus omnia sigillatim, sed
in quodam generali, et quantum ad prin-
cipalia puncta.
Miserunt itaque omnes principes ad Ba- 14
ruch, Judi filium Nathaniæ, dicentes :
Volumen ex quo legisti, o Baruch, *sume,*
et veni. Et venit Baruch ad eos. Et dixe- 15
runt : Sede, et lege hæc in auribus nostris.
Et legit Baruch in auribus eorum. Igitur 16
quum audissent omnia verba, obstupue-
runt timore et admiratione, *et dixerunt ad*
Baruch : Nuntiare debemus regi omnes
sermones istos? Sciebant enim regem esse
crudelem, et talia graviter auditurum. *Et* 17
interrogaverunt eum, scilicet Baruch, *di-*
centes : Indica nobis quomodo scripsisti
omnes sermones istos ex ore ejus, videlicet
Jeremiæ. Hoc quæsierunt, ut conjicerent
an Jeremias ex divina revelatione, vel po-
tius ex propria confictione ista composuis-
set. *Dixit autem eis Baruch : Ex ore suo* 18
loquebatur, quasi legens ad me omnes ser-
mones istos de malis imminentibus populo
Juda, id est, tam prompte ista dictavit,
quasi ex libro ea pronuntiasset : quod fuit
signum instructionis supernæ. Nulla quip-
pe in addiscendo est difficultas aut mo-
ra, quando illuminat mentem Spiritus San-
ctus, cujus nescit gratia tarda molimina
seu diuturnos conatus. Unde et plurimi in
dictando et conscribendo seu exponendo
ita juvantur a Spiritu Sancto, ut promptis-
sime ex quadam plenitudine mentis, om-
nia promant. *Et ego scribebam atramento.*
Et dixerunt omnes principes ad Baruch : 19
Vade, et abscondere tu, et Jeremias, et
nemo sciat ubi sitis. Hoc dixerunt, quoniam
intenderunt hæc regi insinuare, quem opi-
nabantur ex his verbis contra Jeremiam
et Baruch indignaturum, et forte inquisi-

turum eos ad mortem. Videtur autem quod
tempore hujus denuntiationis Jeremias non
fuerat clausus : quod si fuisset, quonam
se abscondere potuisset? Sed cur tunc pro-
prio ore ista non prædicavit in populo?
An forte ad tempus subtraxit se persecu-
Joann. XI, 53, 54. toris furori, quemadmodum Christus facta
Judæorum conspiratione ut interficerent
eum, jam non in palam ambulabat, prout
20 in Joanne legitur? *Et ingressi sunt ad re-
gem in atrium. Porro volumen commen-
daverunt in gazophylacio Elisamæ scri-
bæ, et nuntiaverunt audiente rege omnes
sermones* Baruch.
21 *Misit itaque rex Judi, ut sumeret volu-
men : qui tollens illud, legit audiente re-
22 ge. Rex autem sedebat in domo hiemali.*
Palatia enim regum habent distinctas man-
siones secundum officiorum, negotiorum,
necessitatum et temporum diversitates. *Et
posita erat arula coram eo plena prunis :*
quia carbones ardentes in hujuscemodi
ferreo instrumento pro calefactione ponun-
23 tur. *Quumque legisset Judi tres pagellas
vel quatuor* (per pagellas quidam intelli-
gunt versus), *scidit illud* ipse rex, vel Judi
de præcepto regis, *scalpello scribæ,* id est
cultello facto ad radendum materiam in
24 qua scribitur, *et projecit in ignem. Et non
timuerunt, neque sciderunt vestimenta sua
rex et servi ejus,* audita vastitate eis jam
imminente, quemadmodum fecit Josias pa-
ter regis istius, qui auditis verbis Prophe-
IV Reg. XXII, 11, 19. tissæ, vestes scidit, flevit et indulgentiam
25 postulavit. *Verumtamen Elnathan et Da-
laias et Gamarias contradixerunt regi ne
combureret librum.* Hoc enim videbatur eis
in magnam Dei injuriam cedere, atque ma-
26 jorem iracundiam provocare. *Et præcepit
rex ut comprehenderent Baruch scribam
et Jeremiam prophetam,* forte ad occiden-
dum : in quo patet obstinatio et contuma-
cia regis. *Abscondit autem eos Dominus,*
supernaturaliter eos præservando. Quomo-
do autem absconderit eos, non dicitur, et
forte eo modo, quomodo postea Christus

A abscondit se, et exivit de templo. Non uti- Joann. VIII, 59.
que Christus abscondit se retro palernam,
sed invisibilem suis adversariis se ipsum
exhibuit. Vel forte Dominus transtulit Je-
remiam et Baruch ad locum cunctis igno-
tum, quamvis non remotum.

Et factum est verbum Domini ad Jere- 27
miam, libro combusto : *Rursus tolle volu-* 28
*men aliud, et scribe in eo omnes sermones
priores; et ad Joakim dices : Tu combus-* 29
sisti volumen illud. Propterea hæc dicit 30
Dominus contra Joakim : Non erit ex eo
B *qui sedeat super solium David, et cadaver
ejus projicietur ad æstum per diem, et ad
gelu per noctem.* Quomodo intelligenda
sint hæc, expositum est capitulo vicesimo
secundo, quo legitur : Scribe virum istum Jer. XXII, 30.
sterilem, virum qui in diebus suis non
prosperabitur; nec enim erit de semine
ejus vir qui sedeat super solium David. Et
paulo ante eodem capitulo : Sepultura asi- Ibid. 19.
ni sepelietur, putrefactus et projectus ex-
tra portas Jerusalem. *Jeremias autem tulit* 32
volumen aliud, et dedit illud Baruch, qui
C *scripsit in eo ex ore Jeremiæ omnes ser-
mones libri quem combussit rex; et insu-
per additi sunt sermones multo plures* de
tribulatione imminente regi ac populo ejus,
quam ante fuerunt. Jam enim peccata fu-
erant aucta, ideo majorem pœnam pro-
meruerunt.

Denique hunc Joakim imitantur et incre-
duli et protervi ac universi superbi, qui
caritativas increpationes piasque commi-
nationes et advisationes perpeti dedignan-
tur, et unde emendari debuerant, gravius
D indurantur; postremo increpantibus advi-
santibusque, quibus gratias agere deberent,
irascuntur, atque insidias moliuntur. Con-
tra quos in Proverbiis Salomon ait : Viro Prov. XXIX, 1.
qui dura cervice corripientem contemnit,
repentinus superveniet interitus. Hi nempe
assimilantur phreneticis et insanientibus
ægris, qui patrem succurrentem medicum-
que sanantem repellunt aut mordent. Qui
talem se invenit, se emendet.

ARTICULUS LV

EXPOSITIO CAPITULI TRICESIMI SEPTIMI : ET REGNAVIT REX SEDECIAS.

1 *Et regnavit rex Sedecias filius Josiæ,* A
pro Jechonia filio Joakim, quem constituit regem Nabuchodonosor rex. Quum
enim Nabuchodonosor occidisset Joakim
filium Josiæ, posuit filium hujus Joakim,
scilicet Jechoniam, regem loco patris :
quem, quum tribus mensibus regnasset,
IV *Reg.* privavit regno, constituens patruum ejus
xxiv, 17. regem, utpote Sedeciam. Ista frequenter
2 jam dicta sunt, nec opus est immorari. *Et*
non obedivit ipse, scilicet Sedecias, *et servi*
ejus et populus terræ Judææ *verbis Domi-*
ni, quæ locutus est in manu, id est per B
ministerium et exsecutionem, *Jeremiæ pro-*
phetæ.
3 *Et misit rex Sedecias Juchal filium Se-*
lemiæ, et Sophoniam sacerdotem ad Jere-
miam, dicens : Ora pro nobis Dominum
Deum nostrum. Videns Sedecias vaticinia
Jeremiæ impleta in fratre suo Joakim rege,
ejusque filio, tenuit Jeremiam pro vero
Dei Propheta, famulo et amico : idcirco
orationum ejus postulavit suffragium. Di-
cuntque alii, et satis verum videtur ex his
quæ infra scribuntur, quod Sedecias iste C
in se satis pius fuit et mitis : unde in-
vers. 16, 20. fra legitur faciliter flexus, et ad Jeremiam
utcumque benignus. Sed aliorum pravis
consiliis fuit subversus, sicut in præsiden-
4 tibus quotidie accidit. *Jeremias autem li-*
bere ambulabat in medio populi, scilicet
in Jerusalem; *non enim miserant eum in*
custodiam carceris. Quo patet quod Se-
decias fuit ei clementior quam Joakim.
Igitur exercitus Pharaonis egressus est
de Ægypto ad auxiliandum Sedeciæ atque
Judæis, sicut ei condixerat; *et audientes* D
Chaldæi, qui obsidebant Jerusalem, hujus-
cemodi nuntium, recesserunt ab Jerusalem,
ut rebellarent contra Ægyptios : quibus
abeuntibus, Sedecias putavit eos non re-
versuros, misitque ad Jeremiam, quatenus
oraret ne Chaldæi redirent contra Jeru-
salem.
Et factum est verbum Domini ad Jere- 5
miam, dicens : Hæc dicit Dominus : Sic 6
dicetis regi Juda, qui misit vos ad inter-
rogandum me. Hæc verba dixit Jeremias
præfatis nuntiis Sedeciæ, qui non solum
misit eos ad Jeremiam ut oraret pro po-
pulo, sed etiam ut sciscitaretur a Deo an
Chaldæi essent reversuri. Ad quod Domi-
nus per Jeremiam respondet : *Ecce exer-*
citus Pharaonis qui egressus est vobis in
auxilium, revertetur in terram suam :
quia in via mutaverunt consilium, consi-
derantes potentiam Chaldæorum : sicque
paventes regressi sunt. *Nolite decipere ani-* 8
mas vestras, dicentes : Euntes abibunt a
nobis Chaldæi, ita quod ultra non redient;
quia non abibunt, id est, Chaldæam non
introibunt, nisi primo terram istam vasta-
verint. *Sed et si percusseritis omnem ex-* 9
ercitum Chaldæorum, et derelicti ex eis
fuerint aliqui vulnerati, singuli de ten-
torio suo consurgent, et incendent civita-
tem hanc : id est, quantumcumque pauci
et debiles fuerint Chaldæi, vobis nihilo
minus prævalebunt, quia justo Dei judicio
estis plagandi, ita quod etsi illi paucissi-
mi essent, Deus tamen corda vestra terre-
ret, illisque daret triumphum.
Ergo quum recessisset exercitus Chaldæ- 10
orum ab Jerusalem, egressus est Jeremias 11
de Jerusalem, id est, egredi cœpit : non
enim in toto exiit urbem, sicut patebit;
ut iret in terram Benjamin, puta in Ana-
thoth, sitam in sorte tribus Benjamin, *et* *Josue* xx
divideret ibi possessionem in conspectu ci- 17, 18.
vium, id est, agrum quem a patruele suo

emit, in possessionem coram habitatoribus
Anathoth sumeret, eumque a venditore de
12 cetero separatum monstraret. *Quumque
pervenisset ad portam Benjamin,* id est
ad portam illam Jerusalem, per quam ad
terram Benjamin de Jerusalem iter fuit,
erat ibi custos portæ per vices, id est in
tempore et ordine suo, *nomine Jerias; et
apprehendit Jeremiam, dicens : Ad Chal-
dæos profugis,* tanquam proditor populi
13 tui. *Et respondit Jeremias : Falsum est,
non fugio ad Chaldæos. Et non audivit
eum,* id est, Jerias excusationi Jeremiæ non
credidit. *Et apprehendit Jeremiam, et ad-
duxit ad principes.* Cur non magis ad re-
gem? Forte quia rex aliqualiter pius fuit
Prophetæ, principes autem noverat cru-
14 deliores esse ad eum. *Quamobrem irati
principes contra Jeremiam :* magis enim
credebant custodi portæ quam sancto Pro-
phetæ; *cæsum eum miserunt in carcerem*
(forsitan flagellaverunt eum aut manibus
percusserunt) *qui erat in domo Jonathan
scribæ.* Carcer iste, ut statim patebit, pœ-
nalissimus fuit.
15 *Itaque ingressus est Jeremias in domum
laci,* id est in carcerem, *et sedit ibi die-
bus multis,* sustentatus pane tribulationis
et aqua angustiæ; sed consolationes divi-
næ ei non deerant. Discamus ergo exem-
plo tanti Prophetæ, saltem parva et modica
ad breve tempus æquanimiter ferre, præ-
sertim quando meremur, si ob imperfecti-
onis nostræ miseriam, magna diu propter
justitiam pati non possumus.
16 *Mittens itaque rex Sedecias, tulit eum,*
id est, Jeremiam de carcere deduci, atque
ad se duci præcepit, idque occulte, ne of-
fenderet principes sui palatii. *Et interro-
gavit eum in domo sua abscondite : Putas-
ne est sermo a Domino?* id est, revelavit
tibi Deus aliquid de his quæ superventura
sunt nobis? *Et dixit Jeremias, Est. Et ait :
In manu regis Babylonis traderis.* In hoc
patet constantia Jeremiæ atque justitia,

A quod in tantis tribulationibus tam absolu-
te locutus est regi, quod ei molestissimum
fuit audire. Non ergo propter humanum
favorem sive pavorem recedamus a veri-
tate, nec viam justitiæ relinquamus, nec
alicui adulemur.
Et dixit Jeremias ad regem : Quid pec- 17
cavi tibi et servis tuis, id est principibus,
quia misisti me in domum carceris? Prin-
cipes enim fecerunt hoc, rege permittente.
Idcirco et regi adscribitur, qui tenebatur
hoc impedire : quoniam rex debet esse
B quasi viva lex et animata justitia, suosque
subditos ab injustitia, præsertim a paupe-
rum ac justorum oppressione, reprimere.
Ubi sunt prophetæ vestri, videlicet pseu- 18
do, *qui prophetabant vobis, Non veniet rex
Babylonis super vos?* quasi dicat : Ad ocu-
lum patet, quod ego ex Deo locutus sim, et
illi mentiti sint. *Nunc ergo audi, obsecro,* 19
*domine mi rex, et ne me remittas in do-
mum Jonathan scribæ, ne moriar ibi,* sci-
licet in carcere ejus, propter loci horro-
rem et pœnam. Itaque viri sancti possunt
C vicissim persecutionum suarum petere re-
levamen, salva triplici veritate, videlicet
vitæ, doctrinæ, atque justitiæ.
Præcepit ergo Sedecias ut traderetur 20
Jeremias in vestibulum carceris, scilicet
superius in loco mitiori, *et daretur ei tor-
ta panis quotidie, excepto pulmento,* id
est præter seu ultra pulmentum, ita quod
utrumque ministrabatur ei quotidie, *donec
consumerentur omnes panes civitatis** Je- * de civi-
rusalem. *Et mansit Jeremias in vestibulo* tate
carceris. In quo ostenditur aliqualis pietas
D Sedeciæ, qui tamen secundum veram ju-
stitiam debuit Jeremiam tanquam inno-
centem omnino dimittere. Sed ne princi-
pes suos offenderet, in vestibulo carceris
clausit Prophetam. Tales sunt multi, qui
volunt dominis duobus servire, Deo et Matth. VI,
mundo placere, atque ubique gratiosi pa- 24.
rere : quos constat errare, et a tramite
æquitatis sæpissime deviare.

ARTICULUS LVI

ELUCIDATIO CAPITULI TRICESIMI OCTAVI : AUDIVIT AUTEM SAPHATIAS FILIUS MATHAN.

1 *AUDIVIT autem Saphatias filius Ma-* A
than, et Gedelias, etc., *sermones quos*
Jeremias loquebatur ad omnem populum.
Poterant enim habitatores Jerusalem ve-
stibulo carceris propinquare, vel ingredi
circa hoc : quibus Jeremias mala imminen-
2 tia prædicavit, *dicens : Quicumque manse-*
rit in civitate hac, non tradens se manibus
Chaldæorum, aut fugiens, *morietur gla-*
dio, et fame, et peste, id est aliqua harum
plagarum. Quod non est de omnibus illic
manentibus, absolute intelligendum : nam
quidam eorum manserunt viventes, sicut B
Jer. xxxiv, 5. et Sedecias rex, cui jam dixit Propheta, In
pace morieris. Sed est distributio pro ge-
neribus singulorum : et ideo ait, Quicum-
que, quoniam comparative loquendo, pau-
cissimi evaserunt : quod autem modicum
est, pro nihilo reputatur. *Qui autem pro-*
fugerit ad Chaldæos, vivet; et erit anima,
id est vita *ejus,* seu ipse vivens, *quasi*
spolium. Nam et animæ ceterorum immor-
tales fuerunt.
4 *Et dixerunt principes regi : Rogamus*
ut occidatur homo iste. De industria enim, C
id est malitiose et callide, *dissolvit manus*
virorum bellantium, id est, corda habita-
torum ac pugnatorum Jerusalem perterret,
sicque robur eorum debilitat, et tremulas
efficit manus. Passio namque timoris, vi-
res dissolvit, infrigidat, et tremorem indu-
cit. *Siquidem homo iste,* scilicet Jeremias,
non quærit pacem populo huic, sed ma-
5 *lum,* id est, rei publicæ adversatur. *Et*
dixit rex : Ecce in manibus vestris est, id
est, potestatem do vobis in eum. Et in hoc
peccavit mortaliter, quod virum innoxium D
tradidit morti, quanquam hoc egerit timo-
Act. v, 29. re humano, ne suos offenderet. Obedire
autem oportet Deo magis quam hominibus.

Nec enim fas est regem, scilicet me, *vobis*
quidquam negare. Quod falsum fuit, quia
contra justitiam voluntatemque Dei, nulli
acquiescendum est, præsertim inferiori ac
subdito. Imo talis, si erret, instruendus
increpandusque est, non fovendus in ma-
lo. *Tulerunt ergo Jeremiam, et projecerunt* 6
eum in lacum Melchiæ, et submiserunt
funibus in lacum, in quo non erat aqua,
sed lutum, ut dira longaque morte more-
retur ibidem fame et luti oppressione. *De-*
scendit itaque Jeremias in cœnum. Ecce
quanta vir iste sanctissimus passus est
propter justitiam. Erubescat ergo infelix
impatientia nostra.
Audivit autem Abdemelech Æthiops, vir 7
eunuchus, qui erat in domo regis, quod
misissent Jeremiam in lacum, et locutus 8
est ad regem : Domine mi rex, malefece- 9
runt viri isti contra Jeremiam; non sunt
enim ultra panes in civitate. Per quod
patuit verbum quod Jeremias dixit, eos fa-
me perituros. *Præcepit itaque rex Abde-* 10
melech Æthiopi : Tolle hinc triginta vi-
ros, et leva Jeremiam de lacu. Innotescit
ex his, quod Sedecias fuit vir mollis, et
cito hinc inde flexibilis. *Dixitque Abde-* 12
melech ad Jeremiam : Pone veteres pannos
sub cubito manuum tuarum et super fu-
nes. Fecit ergo Jeremias sic. Et extraxe- 13
runt Jeremiam funibus de lacu. Mansit
autem Jeremias in vestibulo carceris, ne
in oculis principum appareret.
Et misit rex, et tulit ad se Jeremiam ad 14
ostium tertium, quod erat in domo Domi-
ni. Erant quippe ante templum tria ostia.
Primum et exterius, fuit ostium atrii mu-
lierum; secundum, atrii virorum; tertium,
atrii sacerdotum, ad quod adductus est
Jeremias. *Et dixit rex ad Jeremiam : In-*

terrogo te sermonem, ne abscondas a me
15 *aliquid. Dixit autem Jeremias : Si an-*
nuntiavero tibi, numquid non interficies
me? Et si consilium tibi dedero, non me
audies. Ex divina equidem revelatione
noverat Jeremias, quod Sedecias sibi non
acquiesceret.
16 *Juravit ergo rex Jeremiæ, clam dicens:*
Vivit Dominus qui fecit nobis animam
hanc, id est, animas nostras creavit, et
vitam seu voluntatem istam donavit, *si oc-*
17 *cidero te :* id est, non occidam. *Et dixit*
Jeremias ad Sedeciam : Hæc dicit Domi-
nus : Si profectus exieris ad principes re-
gis Babylonis, vivet anima tua, id est,
tu ipse incolumis permanebis, *et civitas*
hæc non succendetur, et salvus eris tu et
18 *domus tua,* id est tua familia. *Si autem*
non exieris ad principes regis Babylonis,
tradetur civitas hæc in manus Chaldæo-
rum, et succendetur, et tu non effugies de
manu eorum.
19 *Et dixit Sedecias ad Jeremiam : Solli-*
citus sum, id est, timore anxior, *propter*
Judæos qui transfugerunt ad Chaldæos, ne
forte tradar in manus eorum, a Chaldæis
vel alio modo, *et illudant mihi,* me viliter
20 molestando, aut turpiter occidendo. *Re-*
spondens autem Jeremias, dixit ei : Non
te tradent Chaldæi in manus Judæorum
istorum. *Audi, quæso, vocem Domini, quam*
loquor ad te de exeundo ad Chaldæos, *et*
bene tibi erit, et vivet anima tua : secun-
dum modum expositum.
21 *Quod si nolueris egredi, iste est sermo*
quem ostendit mihi Dominus, id est, quem
22 revelavit mihi implendum in te : *Ecce om-*
nes mulieres quæ remanserunt in domo
regis Juda, id est in domo tua, o Sedecia,
educentur ad principes regis Babylonis.
Chaldæi enim, capta Jerusalem, intrave-
runt palatium, et feminas eduxerunt capti-
vas. *Et ipsæ dicent* tibi, quum te viderint
captum et exoculatum : *Seduxerunt te, et*
prævaluerunt adversum te viri pacifici
tui. Hoc quidam exponunt de pseudopro-
phetis, qui consilium dederunt regi resistendi Chaldæis, et pacem et securitatem ei denuntiaverunt. Potest quoque exponi de rege ac plebe Ægypti, qui Sedeciæ atque Judæis promiserunt auxilium contra Chaldæos, sed nihil juverunt. Generaliter quoque accipi potest de cunctis quorum persuasione Sedecias ad resistendum fuit inductus atque seductus. *Demiserunt te in cœno,* id est, ad magnam dejectionem te perduxerunt, *et in lubrico pedes tuos,* id est, ad ruinam et ad vacillationem te deduxerunt. Quod moraliter exponi potest de universis qui aliorum adulatione, promissione, seu qualibet instigatione molliti, justitiæ se opponunt, et cadunt ac pereunt : qui demerguntur in cœno vilissimæ iniquitatis, et affectiones suas ponunt in lubrico, hoc est in rebus labentibus ac terrenis, non in summo et incommutabili bono. Oremus igitur cum Psalmista : Eripe me de luto, ut *Ps.* LXVIII,
non infigar. Denique præhabita verba lo- 15.
cutæ sunt mulieres domus Sedeciæ contra eum, insultando eidem ex impatientia et mœrore, eo quod ejus impietate ipsæ ad tantam devenerint calamitatem. Sed et viris pœnalissimum est, quod eorum uxores hostium exponuntur libidini.

Dixit ergo Sedecias ad Jeremiam: Nul- 24
lus sciat verba hæc, nullus videlicet habitatorum Jerusalem pro præsenti. Timuit enim Sedecias principum indignationem.
Si autem audierint principes quia locu- 25
tus sum tecum, et dixerint tibi, Indica
nobis quid locutus sis cum rege, dices : 26
Prostravi preces meas coram rege, id est, humiliter rogavi, *ne me reduci juberet in domum Jonathan, et ibi morerer,* id est ad carcerem qui est in domo illius. Jeremias autem ita respondit principibus, nec tamen mentitus est. Intelligendum est nam-
que, quod Jeremias id utique postulavit, *Jer.* XXXVII,
sicut et præcedenti capitulo id ipsum effla- 19.
gitasse describitur. *Mansit ergo Jeremias* 28
in vestibulo carceris, usque ad diem quo capta est Jerusalem.

ARTICULUS LVII

EXPLANATIO CAPITULI TRICESIMI NONI : ANNO NONO SEDECIÆ REGIS JUDA.

1 A*NNO nono Sedeciæ regis Juda, venit*
Nabuchodonosor et omnis exercitus
2 *ejus, et obsidebant Jerusalem. Undecimo au-*
tem anno Sedeciæ aperta est civitas, per
violentiam Chaldæorum exteriorem murum
ejusque portas frangentium : non enim
3 habitatores Jerusalem eam aperuerunt. *Et*
ingressi sunt principes regis Babylonis.
Rex autem Nabuchodonosor non erat tunc
cum eis, ut statim patebit. *Et sederunt in*
porta media, quæ scilicet erat inter duos
muros exteriores; volueruntque ceteras
portas destruere. Jerusalem autem circum-
4 data fuit triplici muro. *Quumque vidisset*
eos Sedecias et omnes bellatores secum
tunc exsistentes, *fugerunt, et egressi sunt*
nocte de civitate per viam horti regis :
quia hæc via fuit in horto ipsius, vel du-
xit ad eum; *et per portam quæ erat inter*
duos muros civitatis. Et dicunt nonnulli,
quod fuerat ibi porta intrandi subterra-
neam viam, cujus egressus fuit remote ab
urbe, per quam rex et ejus ministri fu-
IV *Reg.* XXV, 1-4. gerunt. Ista quarto Regum libro plenius
scripta sunt. Et ad ista prophetice desi-
gnanda, præcepit Dominus Ezechieli per-
fodere parietem, egredique per eum, et
vasa transmigrationis ferre in humeris,
Ezech. XII, 5, 6. prout in Ezechiele diffuse describitur.
5 *Persecutus est autem eos exercitus Chal-*
dæorum, et comprehenderunt Sedeciam in
campo solitudinis Jerichontinæ, id est de-
serti quod fuit prope Jericho. Unde scri-
IV *Reg.* XXV, 5. ptum est quarto Regum, quod in planitie
Jerichontina fuerit comprehensus. *Et ca-*
ptum adduxerunt ad Nabuchodonosor in
Reblatha, id est urbem quæ alio nomine
dicitur Antiochia; *et locutus est ad eum*
judicia, id est increpatoria et dijudicato-
ria verba, reprehendendo eum de fœderis

A fractione, infidelitate, rebellione, perjurio.
In Scholastica historia fertur, quod dixit
ad Sedeciam : Deus tuus, qui odio habet
iniquitatem tuam, tradidit te in manus
meas. *Et occidit rex Babylonis filios Se-* 6
deciæ in oculis ejus : quod fuit ei ineffa-
biliter grave videre; *et omnes nobiles Ju-*
da, id est majores ac principales populi
Juda simul captos cum Sedecia. *Oculos* 7
quoque Sedeciæ eruit per ministros, *et vin-*
xit eum compedibus, ut duceretur in Ba-
bylonem. Unde ab Ezechiele fuit prædi-
B ctum : Babylonem intrabit, et ipsam non *Ezech.* XII, 13.
videbit.

Domum quoque regis, id est palatium, 8
et domum vulgi, id est domus vulgari-
um, *incenderunt Chaldæi, et murum Je-*
rusalem subverterunt, id est tres muros
ipsius. *Et reliquias populi* Judæorum *quæ* 9
remanserant in civitate Jerusalem, *et pro-*
fugos qui transfugerant ad eum, id est ad
regem Babylonis, *et superfluos vulgi* Ju-
daici *transtulit Nabuzardan magister mi-*
litum regis Babylonis *in Babylonem. Et* 10
C *de plebe pauperum,* scilicet Judæorum, *qui*
nihil penitus habebant, dimisit Nabuzar-
dan in terra Juda, ut colerent eam; *et de-*
dit eis vineas et cisternas in die illa, ut
regi Babylonis servirent, tributumque sol-
verent per Godoliam eis præfectum, ut
infra dicetur.

Præcepit autem Nabuchodonosor de Je- 11
remia magistro militiæ : Tolle illum de 12
vestibulo carceris, *et pone super eum ocu-*
los tuos, id est, clementer te habe ad eum;
nihilque ei mali facias, sed ut voluerit, sic
D *facias illi.* Æstimandum est autem quod
Chaldæi, rege suo absente, ingressi Jerusa-
lem, et invenientes ibidem virum quem-
dam clausum, scilicet Jeremiam, intelli-

gentesque causam, retulerunt negotium A
istud ad regem suum in Reblatha, qui
tunc, Deo ordinante, præcepit magistro
13 militiæ, sicut jam dictum est; tuncque ma-
gister iste et ceteri optimates seu principes
14 regis Babylonis, miserunt servos suos, et
tulerunt Jeremiam de vestibulo carceris,
sicut in textu habetur; *et tradiderunt eum
Godoliæ,* quem rex Babylonis præfecit Ju-
dææ, *ut intraret domum* Godoliæ, *et ha-
bitaret in populo,* id est inter Judæos in
terra cum Godolia relictos.
15 *Ad Jeremiam autem factus fuit sermo* B
Domini, quum adhuc *clausus esset in ve-
16 stibulo carceris : Vade, et dic Abdemelech
* Ecce *Æthiopi : Hæc dicit Dominus : Ego**, *ego
inducam,* id est, opere adimplebo, *sermo-
nes meos* de vastitate Jerusalem prophetice
prænuntiatos, *super civitatem hanc in ma-
lum* supplicii, *et non in bonum* liberatio-
nis; *et erunt in conspectu tuo in die illa :*
id est, tempore vastitatis et destructionis
Jerusalem, videbis impleri hæc verba, eris-
17 que memor sermonum meorum. *Et libe-
rabo te in die illa, ait Dominus, et non* C
*traderis in manus virorum quos tu for-
midas,* videlicet Chaldæorum. *Sed eruens* 18
*liberabo te; et gladio non cades, sed erit
tibi anima tua in salutem,* id est, sanus
manebis, vel in æternum salvaberis, *quia
in me habuisti fiduciam.* Hæc fuit specia-
lis et maxima ratio suæ liberationis, confi-
dentia quam habuit in Deo. Meruit quoque
id ipsum per aliqua opera bona, præser-
tim quod de liberatione Jeremiæ a lacu,
tam sollicitus fuit. Præterea verba hæc
omni in Deo speranti dicuntur, qui si con-
stanter speret, sortitur salutem, juxta il-
lud in Psalmo : Adjuvabit eos Dominus, et *Ps.* xxxvi,
liberabit eos, et eruet eos a peccatoribus, 40.
et salvabit eos; quia speraverunt in eo.

Præterea Sedecias ejusque principes ac ministri, speciem gerunt inobedientium Christianorum, qui regi confusionis diabolo traduntur : a quo et filii eorum spirituales seu subditi, spiritualiter occiduntur, dum ejus tentationibus acquiescunt. Diabolus quoque oculos eruit Sedeciæ, eumque ligat compedibus : quia iniquorum prælatorum ac principum Ecclesiæ corda vehementer excæcat, impietatis vinculis stringit, et in infernum transmittit.

ARTICULUS LVIII

EXPLANATIO CAPITULI QUADRAGESIMI : SERMO QUI FACTUS EST AD JEREMIAM A DOMINO.

1 S*ERMO qui factus est ad Jeremiam a
Domino, postquam dimissus est a Na-* D
buzardan magistro militiæ de Rama, id
est de civitate sic dicta, quia usque ad lo-
cum illum Jeremias a Jerusalem venit cum
captivis Judæis, compatiens eis ; *quando
tulit eum vinctum catenis in medio omni-
um,* scilicet captivorum, *qui migrabant de
Jerusalem, et ducebantur in Babylonem.*
2 *Tollens ergo magister militiæ Jeremiam,*
id est, a grege captivorum separans eum,
Jer. xxxix, ut juxta imperium Nabuchodonosor regis
11, 12. honorifice eum tractaret, *dixit ad eum :
Dominus Deus tuus locutus est malum hoc*
pœnale *super locum istum, quia peccastis* 3
Domino. Quod ait, Peccastis, non ad Jere-
miam, sed ad alios refert. Sed unde huic
gentili notitia Dei Israel, et quod ipse per
Prophetas ista fuerit prælocutus, quod item
ipse Dominus propter Judæorum peccata
eos Chaldæis tradiderit? Ad quod dici po-
test, quod etiam dominus ejus rex Nabu-
chodonosor ista cognovit; et forte a tem-
pore captivitatis Joakim, talia didicerunt ex
relatione Judæorum in Babyloniam trans-
latorum, inter quos Daniel et tres socii *Dan.* 1, 6, 4.

ejus fuerunt, qui in regis Babylonis steterunt palatio : a quibus potissime eos ista intellexisse opinor.

4 *Nunc ergo ecce solvi te hodie de catenis quæ sunt in manibus tuis.* Asserunt quidam, quod ministri regis Babylonis solverunt Jeremiam a catenis quibus ligaverunt eum Judæi et rex Juda, in ipsa Jerusalem; sed Jeremias cum Judæis ligatis et catenatis egrediens, supposuit collum suum catenis eorum, quantum valebat : et ab istis catenis fertur nunc a magistro militiæ liberatus. Verumtamen ex ordine textus magis videtur, quod Jeremias adductus sit usque ad magistrum militiæ cum prioribus vinculis. Neque enim magister militiæ per se ipsum tulit eum de carcere, sed
Jer. XXXIX, 13, 14. per famulos suos, ut patuit præcedenti capitulo. *Si placet tibi ut venias mecum in Babylonem, veni, et ponam oculos meos super te,* id est, benefaciam tibi ibidem juxta regis mei edictum. *Si autem displicet tibi venire mecum, reside* hic in Judæa. *Ecce omnis terra in conspectu tuo est :* id est, libertatem habes manendi in
5 quocumque Judææ loco volueris. *Habita apud Godoliam, quem præposuit rex Babylonis civitatibus Juda,* jam in potestatem regis Babylonis redactis. Godolias iste fuit natione Judæus, et (ut dicitur) ad Chaldæos transfugit, sicut et alii multi, de consilio Jeremiæ.

Dedit quoque ei Jeremiæ *magister militiæ cibaria et munuscula, et dimisit eum,* non sine grandi honore, tanquam Dei amicum ac sanctum prophetam : quo demonstratur perversitas regum ac populi Juda, quod rege Babylonis ejusque principe credentibus, atque honorem deferentibus Jeremiæ, ipsi persecutionem intulerunt ei-
6 dem. *Venit ergo Jeremias ad Godoliam in Maspha.* Hoc ex divina inspiratione fecit Propheta. *Et habitavit cum eo.*

7 *Quumque audissent omnes principes exercitus* Judæorum, *qui dispersi fuerant per regiones,* id est in provinciis Judææ vicinis, ad quas timore Chaldæorum fugerunt, *quod præfecisset rex Babylonis Godo-*
A *liam terræ* Judææ, *et quod commendasset ei viros, et mulieres et parvulos,* etc., *ve-*
nerunt ad eum, *Ismael filius Nathaniæ, et* 8
Johanan, etc. *Et juravit eis Godolias, di-* 9
cens : Nolite timere servire Chaldæis ; habitate in terra, etc. Cum juramento asseruit, quod secure habitarent in Judæa,
dummodo servirent Chaldæis. *Ecce ego* 10
habito in Maspha, ut respondeam præcepto Chaldæorum qui mittuntur ad nos. Quasi dicat : Nullus erit vobis molestus, et si opus fuerit, respondebo pro vobis. *Manete*
B *in urbibus quas tenetis,* id est, quas nunc
tute obtinere potestis. *Sed et omnes Judæi* 11
qui erant in Moab, et in finibus Ammon, etc., id est Judæi inter Moabitas, Ammonitas, Idumæos, ac ceteras nationes dispersi, *audito quod,* etc., id est, auditis quæ
de præfectione Godoliæ jam dicta sunt; *ve-* 12
nerunt ad eum, malentes in terra natali quam alibi demorari, *et collegerunt vinum et messem multam nimis.* Non enim Chaldæi Judæam eatenus destruxerunt, quin ea quæ remanserunt de vineis, agris, at-
C que olivis, suffecerint copiose his paucis Judæis ad Godoliam collectis.

Johanan autem filius Caree et omnes 13
principes, scilicet socii ejus, *ad Godoliam*
dixerunt : Scito quod Baalis rex filiorum 14
Ammon, misit Ismael filium Nathaniæ : de quo Ismaele paulo ante dictum est,
quod venit, quemadmodum et Johanan, ad *vers.* 8.
Godoliam. Unde Johanan tanquam vir acutus, consideravit aut percepit machinationes Ismaelis. *Percutere animam tuam,* id est te ipsum occidere, sumendo partem
D pro toto, juxta consuetudinem Scripturarum. Dicunt aliqui, quod Ismael iste, qui dudum ad regem Ammonitarum confugit, de consilio regis illius quæsivit occidere Godoliam, quia rex Ammon optaverat obtinere Judæam, tunc desolatam. Alii asserunt, quod Ismael ex proprio animo istud concepit, invidens Godoliæ principatum Judææ, quia Ismael hic fuit de semine regum Juda. *Et non credidit eis Godolias,* quod scilicet Ismael in tanta desolatione
Judææ, tantum committeret scelus. *Joha-* 15

nan autem dixit seorsum ad Godoliam : A
Ibo et percutiam Ismael, nullo sciente, ne
interficiat animam tuam, id est te, su-
mendo partem pro toto, *et dissipentur,* id
est, hinc inde dispergantur, et pereant
omnes Judæi qui congregati sunt ad te.
Et ait Godolias : Noli facere verbum hoc; 16
falsum enim loqueris de Ismael. Quamvis
benefecerit Godolias, non statim credendo I *Joann.* IV, 1.
omni spiritui, incaute tamen se habuit,
quod non melius se observavit, nec rem
diligentius investigavit.

ARTICULUS LIX

EXPOSITIO CAPITULI QUADRAGESIMI PRIMI : ET FACTUM EST IN MENSE SEPTIMO.

1 ET *factum est in mense septimo* anni B
captivitatis Sedeciæ, destructionisque
templi, *venit Ismael de semine regali,* re-
gum scilicet Juda : fuit enim natione Ju-
dæus; *et optimates regis,* forsitan Ammo-
nitarum, a quo fuerat missus, *et decem*
viri cum eo. Dicunt quidam, quod plures
erant cum eo, sed decem tanquam princi-
pales exprimuntur; sed hoc certum non
est. *Ad Godoliam ; et comederunt panes*
simul in Maspha. Godolias namque splen-
dide eos recepit atque refecit, nil suspi-
cans mali. Per panem autem in Scripturis C
2 omne genus alimenti exprimitur. *Surre-*
xerunt autem Ismael et decem viri cum
3 *eo, et interfecerunt Godoliam. Omnes quo-*
que Judæos qui erant cum Godolia, et
Chaldæos qui reperti sunt ibi : vicissim
enim mittebantur Chaldæi ad Godoliam, ut
de principatu suo redderet regi Babylonis
rationem; *et viros bellatores* exsistentes ibi-
dem, *percussit Ismael.* Ex quo sequi vide-
tur, quod multo plures quam decem viros
habuerit secum. Sed in Scholastica histo-
ria dicitur, quod dormientibus post pran- D
dium Godolia ceterisque convivis, per-
cusserit eos Ismael iste crudelissimus et
nefandus.
4 *Secundo autem die postquam occiderat*
Godoliam, nullo sciente extra civitatem et
5 locum ubi istud commisit, *venerunt viri*
de Sichem, et de Silo, et de Samaria, octo-
ginta viri, rasi barba, et scissis vestibus,
et squalentes; munera et thus habebant in
manu, ut offerrent in domo Domini. Om-
nes isti fuerunt de populo Judæorum seu
Israel : qui ex tristitia fecerunt sibi bar-
bam radi, et vestimenta sua sciderunt pro-
pter miserias quæ acciderant Judæis; ve-
neruntque ut munera sua Deo offerrent in
domo Domini, id est in templo Jerusa-
lem, secundum quosdam, ita quod viri isti
quando de locis suis egressi sunt, nondum
noverunt templum et Jerusalem esse in-
censa, in via tamen id audierunt. Aliis au-
tem videtur, quod quia templum incensum IV *Reg.* XXV, 8, 9.
fuit quinto mense, et isti venerunt septi-
mo mense, jam dudum perceperunt templi
destructionem : idcirco per domum Do-
mini, intelligunt domum in qua asserunt
Godoliam ædificasse altare Deo, destructa
Jerusalem.
Egressus ergo Ismael in occursum eo- 6
rum de Maspha, quia a longe vidit aut
percepit eos venire, *incedens et plorans*
ibat : quod simulatorie fecit, ut viri illi
putarent eum de Judæorum adversitate do-
lere, sicque crederent sibi. *Dixit ad eos :*
Venite ad Godoliam. Qui quum venissent 7
ad medium civitatis Maspha, *interfecit*
eos. Ex quo sequi videtur, quod plures
quam decem erant cum Ismael. *Decem au-* 8
tem viri reperti sunt inter eos, qui dixe-
runt ad Ismael : Noli occidere nos, quia
habemus thesaurum in agro, scilicet abs-
conditum, *frumenti et hordei et olei et*

mellis. Et non interfecit eos, non pietate, A
sed cupiditate, quia sine eorum ducatu
putavit se hanc copiam rerum invenire
non posse. Porro an viri isti confinxerint
ista, ut tali mendacio evaderent mortem,
9 certum non est. *Lacus autem in quem*
projecit Ismael omnia cadavera virorum
* percussit *quos interfecit* propter Godoliam, ipse est*
quem fecit Asa rex Juda *propter Baasa*
III *Reg.* xv, 16-22. *regem Israel :* de quorum inimicitia et
compugnatione scriptum est plenius ter-
10 tio Regum. *Et captivas duxit Ismael om-*
nes reliquias populi Judæorum, *quæ erant* B
in Maspha, scilicet *filios regis* Sedeciæ,
et universum populum qui remanserat in
Maspha, quos commendaverat Nabuzar-
dan princeps militiæ, Godoliæ. Nec obstat
quod jam dictum est, quemadmodum Is-
mael universos Judæos qui erant cum Go-
dolia in Maspha, occidit : hoc enim de eis
dicitur, qui cum Godolia erant in domo
ejus atque convivio. Hic autem per Ma-
spha, intelligitur locus hinc inde vicinus
loco seu habitaculo Godoliæ.
11 *Audivit Johanan et omnes principes bel-* C
latorum, qui erant cum eo, omne malum
12 *quod fecit Ismael; et assumptis universis*
viris sibi subjectis ac sociatis, *profecti*
sunt ut bellarent adversus Ismaelem, et
invenerunt eum ad aquas multas quæ sunt
in Gabaon. Circa quas aquas pueri Joab
et Abner leguntur contra se pugnasse, et II *Reg.* II, 13-16.
pariter cecidisse. *Quumque vidisset omnis* 13
populus qui erat cum Ismael, id est capti
ab eo, *Johanan et principes, lætati sunt,*
videntes se eruendos de manibus Ismaelis,
qui voluit eos secum ducere ad regem
filiorum Ammon. *Et reversus est omnis* 14
populus quem ceperat Ismael, in Maspha.
Ismael autem fugit cum octo viris, duobus 15
de decem occisis aut debilitatis. *Tulit ergo* 16
Johanan et omnes principes bellatorum
qui erant cum eo, universas reliquias vul-
gi, quas reduxerat ab Ismaele de Maspha :
quia ut jam dictum est, reliquiæ istæ viso
Johanan, redierunt de Gabaon in Maspha;
sicque reduxit eas Johanan de Maspha ad
se, quas primo reduxerat de Gabaon. *Et* 17
abierunt Johanan et principes cum præ-
fatis reliquiis populi, *et sederunt peregri-*
nantes in terra *Chanaan,* id est in terra
Israel, quæ olim dicta est terra Chanaan,
Chananæis in ea manentibus, *ut introirent*
Ægyptum a facie Chaldæorum. Timue- 18
runt equidem a Chaldæis occidi, eo quod
Ismael vir Judæus, occidisset Godoliam of-
ficialem regis Babylonis, aliquos quoque
Chaldæos cum eo.

ARTICULUS LX

EXPOSITIO CAPITULI QUADRAGESIMI SECUNDI : ET ACCESSERUNT OMNES PRINCIPES BELLATORUM.

1 E*T accesserunt omnes principes bellato-* D
rum, et reliquum vulgus, a parvo us-
2 *que ad magnum; dixeruntque ad Jere-*
miam : Ora pro nobis ad Dominum Deum
tuum, qui licet sit omnium Deus, speciali-
ter tamen tuus propter præcipuam tuam
devotionem ad eum, et maxima ejus bene-
3 ficia super te ; *et annuntiet nobis Dominus*
Deus tuus viam per quam pergamus, et
verbum quod faciamus. Quamvis enim in-
tenderent fugere in Ægyptum, voluerunt
nihilo minus de hoc Dei oraculum consi-
liumque inquirere. *Dixit autem ad eos* 4
Jeremias : Audivi, id est, quod rogastis
me, faciam ; *ecce ego oro ad Dominum*
Deum vestrum secundum verba vestra, id
est juxta modum et formam vestræ peti-
tionis. *Omne verbum quodcumque respon-*

derit mihi, indicabo vobis. Quasi dicat :
Vultis etiam facere quod Dominus mihi
responderit? Jeremias autem tam familia-
ris exstitit Deo, quod non dubitavit quin
5 cito ab eo responsum acciperet. *At illi
dixerunt ad Jeremiam : Sit Dominus in-
ter nos testis veritatis et fidei,* id est fide-
litatis, quæ est pars justitiæ : quam homo
potissime Deo tenetur in tantum, ut gra-
vius sit frangere votum, quam crimen per-
jurii ; *si non,* id est imo, *juxta omne ver-
bum in quo miserit te Deus tuus ad nos,*
6 *sic faciemus, sive bonum est, sive malum,*
id est, sive sit prosperum, sive pœnale et
asperum.

7 *Quum autem completi essent dies sep-
tem,* vel decem, ut Lyra asserit in Hebræo
haberi : infra quos dies Jeremias intentus
fuit orationi pro habenda revelatione di-
vina. Quod si tantus Dei vates tam multis
diebus orationi instabat pro una respon-
sione, quid est quod nos imperfectissimi
atque pauperrimi, tam cito ab orationis
studio fatigamur atque cessamus, dum non
statim ad libitum exaudimur? *Factum est
verbum Domini,* id est divina responsio,
8-10 *ad Jeremiam. Vocavitque Johanan, et prin-
cipes, et populum; et dixit ad eos : Hæc
dicit Dominus : Si quiescentes* a peccati
tumultu et proposito eundi in Ægyptum,
manseritis in terra hac, ædificabo vos, id
est, de necessariis providebo vobis, *et non
destruam,* id est, per Chaldæos interfici
non permittam ; *jam enim placatus sum
super malo quod feci vobis,* id est, pecca-
ta vestra, secundum quod sufficit pietati
meæ, satis jam ultus sum, ita quod mala
pœnalia vobis illata, iram meam quasi ex-
stinxerunt. Loquitur autem Deus more ho-
minis, qui injuria sibi illata, ad libitum
A ulta, placatur. *Nolite timere a facie regis* 11
Babylonis, quia vobiscum sum ego per
gratiam defensionis, dummodo in terra is-
ta manseritis.

Si autem dixeritis, Ad terram Ægypti 13-16
*pergemus, audite verbum Domini : Si in-
traveritis Ægyptum, gladius quem for-
midatis,* id est gladius Chaldæorum, *ibi
comprehendet vos, et ibi moriemini.* Litte-
ra ista difficultatem non habet. *Omnesque* 17
*viri qui posuerint faciem suam ut ingre-
diantur Ægyptum, morientur gladio et*
B *fame et peste,* id est aliqua harum plaga-
rum. Quod si distributio ista stare non
potest pro singulis generum, accipienda
est pro generibus singulorum. Rex autem
Babylonis post in brevi vastavit Ægyptum,
et Judæos exsistentes ibidem. *Sicut con-* 18
flatus est furor meus, id est, rigor justitiæ
meæ debacchatus est, *super habitatores
Jerusalem, sic conflabitur indignatio mea
super vos, quum ingressi fueritis Ægy-
ptum,* id est, zelus justitiæ meæ ultio-
nem diram exercebit in vobis ; *et eritis in*
C *jusjurandum,* id est, forma jurandi per
exsecrationem, sumetur a vobis ob nimi-
am vestram calamitatem, ita quod multi
sic jurabunt : Nisi id fecero, patiar quod
passi sunt Judæi ad Ægyptum confugien-
tes ; *et in stuporem,* ita quod homines de
miseriarum vestrarum magnitudine mira-
buntur.

Consequenter Jeremias admonet eos ne 19
intrent Ægyptum, eo quod Dominus ista
locutus est; et quia miserunt Jeremiam ad 20
Deum pro habendo consilio, et quoniam
D juraverunt quod verbo Domini obedirent ;
et item quia nisi sic fecerint, male omni- 22
no habebunt : ex quibus residuum hujus
capituli clarum est.

ARTICULUS LXI

EXPOSITIO CAPITULI QUADRAGESIMI TERTII : FACTUM EST AUTEM
QUUM COMPLESSET JEREMIAS, ETC.

1 F*ACTUM est autem quum complesset* A
Jeremias loquens ad populum Judæo-
rum *universos sermones Domini,* etc., quod
scilicet remanerent in terra Judææ, nec
2 ingrederentur Ægyptum; *dixit Azarias, et*
Johanan, et omnes viri superbi, imo mul-
tum superbi, qui tot tribulationibus non
erant humiliati, et insuper sanctum Pro-
phetam tam contumeliose affati sunt, se-
cundum quod subditur : *Mendacium tu*
loqueris; non misit te Dominus Deus no-
ster, dicens, Ne ingrediamini Ægyptum.
3 *Sed Baruch te incitat adversum nos, ut* B
tradat nos manibus Chaldæorum. Viri isti
reputabant Jeremiam hominem simplicem,
non malitiosum : ideo a Baruch ejus nota-
rio et amico dixerunt eum callide infor-
matum. Denique horum superborum mali-
tiam multi sequuntur, qui aliquid facturi,
primo a sapientibus et devotis quærunt
consilium, adstruentes se eorum informa-
tionem recepturos ; sed quum ea ab his
audiunt, quæ sæpe carnalitati aut perver-
sitati seu propriæ voluntati contraria sunt,
indignantur, neque assentiunt : quin po- C
tius tales errare, mentiri, aut callide seu
malitiose loqui existimant.
5-7 *Sed tollens Johanan, et principes, uni-*
versos reliquiarum Juda, et filias regis, et
Jeremiam, et Baruch, ingressi sunt terram
Ægypti. Dicunt aliqui, quod Jeremias ex
compassione ivit cum eis ; alii, quod co-
actus. *Et venerunt usque ad Taphnis* ur-
bem præcipuam in Ægypto. Quia enim rex
Ægypti adversarius fuit regis Babylonis, et
confœderatus regibus Juda, Joakim scilicet
et Sedeciæ, putabant Judæi isti se a rege D
Ægypti bene tractandos, atque in ejus ter-
ritorio secure mansuros ; fuitque magna
nimis eorum perversitas, quod Jeremiæ
toties vero invento, non crediderunt.
Et factus est sermo Domini ad Jere- 8
miam in Taphnis, dicens : Sume lapides 9
grandes, et absconde eos in crypta quæ
est sub muro latericio, in porta domus Pha-
raonis in Taphnis, cernentibus Judæis. Et 10
dices ad eos : Hæc dicit Dominus : Ecce
ego mittam, et assumam Nabuchodonosor
regem Babylonis servum meum, quia di-
vinæ justitiæ exsecutorem contra iniquos.
Misit autem Dominus ad eum, quia divina
inspiratione factum est, quod venit contra
Ægyptum, in quantum divina justitia vo-
luit per eum Ægyptiorum punire peccata.
Et quantum ad hoc, intelligi potest quod
angelum bonum misit, qui ei hoc inspira-
vit ; in quantum vero rex Babylonis bonæ
inspirationi propriam adjecit malitiam, ex
crudelitate et cupiditate atque superbia
veniendo contra Ægyptum, faciensque ma-
la intentione quod Dominus bona inten-
tione fieri voluit, ab angelo malo creditur
instigatus. *Et ponam thronum ejus super*
lapides istos, et statuet solium suum super
eos, id est, in loco isto vel prope, tanquam
victor et dominus terræ Ægypti, sedebit.
Veniensque percutiet terram Ægypti, 11
id est Ægyptios ; *quos in mortem, in mor-*
tem ; et quos in captivitatem, in captivi-
tatem; et quos in gladium, in gladium : id
est, quosdam occidet, quosdam captivabit,
quosdam graviter vulnerabit. *Et succendet* 12
ignem in delubris deorum Ægypti, id est
fanis seu templis idolorum. *Et amicietur*
terra Ægypti, id est, multitudine populi
regis Babylonis operietur, *sicut amicitur,*
id est vestitur, *pastor pallio suo :* hoc est,
exercitibus adversariorum adimplebitur.

Et egredietur inde, scilicet de Ægypto rex A
Babylonis, *in pace,* optato potitus trium-
13 pho. *Et conteret statuas domus,* id est tem-
pli, *solis,* quem Ægyptii pro Deo colebant;
quæ sunt in terra Ægypti. In pluribus
namque locis Ægypti fuerunt simulacra
solis, præsertim in civitate Heliopoleos,
quæ vocatur ab ἥλιος, quod est sol, et πόλις,
civitas. Solem quoque gentiles communi-
ter coluerunt, quem Empedocles appella-
vit patrem deorum atque virorum. Pro-
pterea Epiphanius et doctores communiter
asserunt, quod dum Jeremias secundum
divinum præceptum lapides poneret in lo-
co præfato, exacerbati Judæi eum eisdem
lapidibus lapidaverunt occideruntque eum.
Unde quod de veteribus Sanctis ait Aposto- *Hebr.* XI,
lus, Lapidati sunt, de Jeremia exponitur. 37.

ARTICULUS LXII

ELUCIDATIO CAPITULI QUADRAGESIMI QUARTI : VERBUM QUOD FACTUM EST, ETC.

1 VERBUM Domini *quod factum est ad* B
Jeremiam, et ad omnes Judæos qui
habitabant in terra Ægypti. Verbum is-
tud primo fiebat divinitus ad Prophetam,
2 deinde per eum ad populum. *Hæc dicit*
Dominus : Vos vidistis corporalibus oculis
omne malum pœnale, id est genera pla-
garum, *quod adduxi super Jerusalem, et*
super omnes urbes Juda, id est urbium
habitatores, et etiam super structuras ; *et*
3 *ecce sunt desertæ, propter malitiam quam*
fecerunt habitatores earum, *ut colerent*
deos alienos.
7 *Et nunc hæc dicit Dominus : Quare vos*
fecistis malum hoc grande contra animas
vestras, id est ad vestram perditionem (vo-
bis enim, non mihi, vestra nocet iniqui-
8 tas), *sacrificando diis alienis in terra Ægy-*
pti ? id est, quum Judæorum idololatriam
puniri videritis, merito essetis emendati,
idololatriamque abjicientes, et nunc econ-
trario imitamini illorum facinora, etiam in
Ægypto deos alienos colendo ; *ut disper-*
eatis, et sitis in maledictionem et oppro-
7 *brium cunctis gentibus terræ, et ut inter-* D
eat ex vobis vir et mulier, parvulus et
lactens, de medio Judæ, id est ex grege
reliquiarum Judæ exsistentium in Ægy-
pto, *nec relinquatur vobis quidquam re-*
siduum. Isti enim idololatræ, et qui spon-
te intraverunt Ægyptum, postea a Chaldæis
ibidem oppressi fuerunt. Porro quod ait,
Ut dispereatis, et, Ut intereat, intelligen-
dum est concomitanter, non directe causa-
liter. *Numquid obliti estis mala patrum* 9
vestrorum ? quasi dicat : Non, sed ea per-
tinaciter continuatis.
Ideo hæc dicit Dominus : Ponam fa- 11
ciem meam in vobis in malum, id est, ad
puniendum vos intuebor, *et disperdam*
omnem Judam : quia omnes Judæorum
reliquiæ Ægyptum ingressæ, fuerunt per
C Chaldæos inde deletæ, quamvis non omnes
occisæ. *Et assumam reliquias Judæ, qui* 12
posuerunt facies suas ut ingrederentur
terram Ægypti, id est, sponte et facie ob-
firmata, seu animo pertinaci, eam ingres-
sæ sunt. *Et consumentur,* id est morien-
tur, *omnes in terra Ægypti in gladio et*
fame, a minimo usque ad maximum ; et
erunt in jusjurandum, et in miraculum,
id est stuporem. Istud capitulo quadrage- *Jer.* XLII, 18
simo secundo expositum est. *Et non erit* 14
qui effugiat, et revertatur in terram Ju-
da, ad quam ipsi elevant animas suas, ut
revertantur et habitent ibi. Isti namque
Judæi intraverunt Ægyptum, ut ibi ad tem-
pus peregrinarentur, deinde ad Judæam
redirent, sublato Chaldæorum timore at-
que incursu. *Non revertentur, nisi qui*

fugerint. Aliqui enim istorum Judæorum A
fuerunt ceteris meliores, et Jeremiæ magis
acquiescentes, qui etiam dicuntur invite
Ægyptum ingressi, sed a principibus esse
compulsi : qui divinæ pietatis moderami-
ne, Chaldæorum manus evaserunt, et post
vastitatem Ægypti, in Judæam reversi sunt,
quemadmodum Isaias et Ezechiel prædi-
xerant.

Denique quam irrationabiles et obstinati
fuerint hi Judæi sponte Ægyptum ingressi,
15 subjungitur : *Responderunt autem Jere-
miæ omnes viri,* scilicet Judæi, *scientes* B
*quod sacrificarent uxores eorum diis alie-
nis :* quarum peccatum redundabat in vi-
ros, qui eas compescere a tanto debuerunt
flagitio ; *et universæ mulieres, et omnis
populus habitantium,* scilicet Judæorum,
16 *in terra Ægypti : Sermonem quem locu-
tus es ad nos in nomine Dei nostri, non
audiemus ex te,* id est, admonitionibus
quibus nos hortaris relinquere idola, non
17 acquiescemus. *Sed facientes faciemus om-
ne verbum quod egredietur de ore nostro,*
id est, non verbis tuis, sed propriis verbis C
tribuemus effectum, *ut sacrificemus regi-
næ cœli,* id est lunæ, vel Junoni, *et libe-
mus ei libamina,* offerendo ei de materiis
liquidis, *sicut fecimus nos et patres nostri
in urbibus Juda ; et saturati sumus pani-
bus, et bene nobis erat* quando hoc feci-
18 mus. *Ex eo autem tempore quo cessavimus
sacrificare reginæ cœli, indiguimus omni-
bus, et gladio et fame consumpti sumus.*
Ecce quanta fuit istorum cæcitas atque
perversitas. Istorum quoque errori similis
fuit perversitas Romanorum quorumdam, D
qui urbem suam cernentes vastari, contra
Christianos clamare cœperunt ac dicere,
quod ex quo sacra deorum in Roma omissa
fuerunt, et cultus Christi invaluit, civitas
ipsa perisset. Et hoc fuit S. Augustino oc-
casio scribendi librum de Civitate Dei, ut
ipsemet in eodem libro testatur, ubi falsi-
tatem istorum demonstrat. Insuper feminæ
feminea levitate se excusando, vel potius
in malis defendendo ac justificando, adji-
19 ciunt : *Quod si,* pro quia, *nos sacrificamus
reginæ cœli, numquid sine viris nostris,*
id est non sine eorum consensu et com-
munione, *facimus ei,* scilicet lunæ, *pla-
centas,* eas offerendo eidem ?

Consequenter Propheta reprehendit va-
nissimam responsionem istorum. *Et dixit* 20
Jeremias ad omnem populum Juda præ-
fatum : *Numquid non sacrificium quod* 21
*sacrificastis in civitatibus Juda, recorda-
tus est Dominus, et ascendit super cor
ejus?* id est, sacrificiorum quæ idolis im-
molastis in Judæa, ostendit se Dominus
memorem, inferendo vobis pro eis debi-
tam pœnam. *Et non poterat Dominus ul-* 22
*tra portare vos propter malitiam studio-
rum vestrorum,* id est, propter idololatrias
et cetera vestra facinora, non decuit Deum
diutius differre vindictam. Sicque de Dei
potentia ordinata loquendo, non potuit
istud, quamvis secus sit, loquendo de ejus
absoluta potentia.

Et dixit Jeremias : Hæc dicit Dominus : 24
Vos locuti estis, dicentes, Faciamus vota 25
nostra, id est, promissa nostra impleamus,
ut sacrificemus reginæ cœli. Ecce ego ju- 26
ravi in nomine meo magno, ait Dominus,
id est per me ipsum immensum et sum-
mum, quia majorem per quem veritatem
protester, non habeo ; *quia nequaquam
ultra vocabitur,* id est exprimetur, *nomen
meum ex ore omnis viri Judæi :* id est,
viri isti pravissimi occidentur : quo facto,
me amplius nominare, ut ante, non pote-
runt in jurando, in præsentique sæcu-
lo. *Qui fugerint gladium,* scilicet Chal- 28
dæorum, *revertentur in terram Juda viri
pauci.* Hoc jam dictum atque expositum
est. *Et scient* prædicti rebelles, *cujus ser-
mo compleatur, meus, an illorum.* Nam
in angustiis constituti, per experientiam
pœnæ sibi illatæ noverunt Deum veracem,
se autem mendaces. *Et hoc vobis signum,* 29
quod scilicet præfatis plagis, o Judæi, in
Ægypto peribitis : *Ego tradam Pharao-* 30
*nem regem Ægypti in manu inimicorum
ejus,* videlicet Chaldæorum. Istud intelli-
gendum est de signo prænosticativo fu-
turi, non recordativo præsentis, sicut ad

Exod. III, 12. Moysen Dominus dixit : Hoc habebis signum quod miserim te : Quum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis *Is.* VII, 14. Domino in monte isto. Itemque Isaias : Dabit Dominus vobis signum : Ecce virgo concipiet et pariet filium.

vers. 22. Denique in eo quod ait Propheta, Non poterat Dominus ultra portare vos propter malitiam vestram, insinuat infinitam misericordiam Dei, quod quasi invitus atque coactus, peccata nostra ulciscitur, qui *Luc.* IX, 56. quantum in se est, mallet salvare quam perdere. Postremo, præinductis Judæis qui Jeremiæ dixerunt, Bene nobis fuit, dum sacrificavimus reginæ cœli, etc., assimilantur aliqui Christiani imperfectissimi vehementer, qui tempore suæ impiæ et mundanæ conversationis prosperantur, quumque ad vitam pœnitentialem parum conversi, et Deum colere orsi, viderint se adversitatibus exerceri, scandalizantur, et æqualiter intra se dicunt : Bene nobis fuit, quando vers. 17. sacrificavimus reginæ cœli et diis alienis, id est, quando rebus sæcularibus et terrenis carnalibusque inhæsimus, et creaturam magis quam Creatorem dileximus atque quæsivimus; ex quo autem ab hujuscemodi vita recessimus, apprehenderunt nos plurima mala. Sicque fracti et miserabiliter victi, ad vitam vertuntur priorem.

ARTICULUS LXIII

EXPOSITIO CAPITULI QUADRAGESIMI QUINTI : VERBUM QUOD LOCUTUS EST JEREMIAS.

1 VERBUM *quod locutus est Jeremias ad Baruch, quum scripsisset verba hæc,*
id est verba superius introducta de cladibus Judæorum, *in libro ex ore Jeremiæ :*
Jer. XXXVI, 4. quemadmodum dictum est capitulo tricesimo sexto; *anno quarto Joakim regis Juda:*
quod fuit ante destructionem Jerusalem diu. Quo constat, quod dictum est sæpe, in hoc Jeremiæ volumine ordinem temporis in descriptionibus rerum non observari.
2 *Hæc dicit Dominus ad Baruch : Dixisti :*
3 *Væ* temporalis afflictionis *mihi misero,* id est tribulationibus adversitatibusque repleto, et ita a veræ beatitudinis fonte multum distanti, *quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo,* id est, abundanter afflixit et multipliciter contristavit me, tum propter Jeremiæ magistri et patris mei persecutiones, et propter mala toti populo meo et civitati ac templo Jerusalem imminentia, tum propter proprias perse-
Ibid. 23, 26. cutiones. Nam Joakim rex librum Baruch combussit, ipsumque Baruch ac Jeremiam trucidare quæsivit. Nec mirum si Baruch ita locutus sit, quum et Jeremias superius dixisse scribatur : Væ mihi, mater mea : *Jer.* XV, 10.
cur genuisti me? Et, Maledicta dies in qua *Ibid.* XX, 14.
natus sum. Quæ quomodo intelligenda sint, dictum est, et eodem sensu verba Baruch accipi possunt. Aliqui dicunt, quod Baruch doluerit, et ideo verba hæc dixerit, quia spiritum prophetiæ assecutus non est, quum ministraverit Jeremiæ, quemadmodum minister Moysis Josue, Eliseus quoque *Exod.* XXIV, 13; III *Reg.* XIX, 21.
minister Eliæ. *Laboravi in gemitu meo,* propter hæc mala laboriose intus dolendo.
Hoc quoque ait Psalmista; quia et omnes *Ps.* VI, 7.
pœnitentes peccata sua debent cum interiore labore deflere, et per actus pœnitentiæ laboriosos satisfacere pro eisdem. *Et requiem non inveni,* id est tranquillitatem, sed tribulationes multiplices. Nam et quæ in præsenti requies est bonorum, brevis et imperfecta, multisque inquietudinibus est permixta : unde et ab eis non requies reputatur, præsertim futuræ quietis intuitu.

Hæc dicit Dominus : Sic dices, o Jeremia, *ad eum : Ecce quos ædificavi,* puta

populum Judæorum, *ego destruo,* id est, mox destruam per Chaldæos; *et quos plantavi* in terra hac, *evello* de ea per mortem et captivitatem, *et universam terram hanc*
5 Judææ vastabo. *Et tu quæris tibi grandia,*
id est prospera magna in vita præsenti et propria terra, secundum quod lex justis sæpe promittit, quod scilicet omnibus rebus abundarent, atque secure in terra sua demorarentur, nec hostili molestarentur incursu? *Noli quærere* grandia ista, quia temporalibus malis frequenter justi cum injustis premuntur. Ideo subditur : *quia ecce ego adducam malum,* id est punitionem et tribulationem multiplicem, *super omnem carnem, ait Dominus,* id est super totum populum Judæorum, de quo nunc sermo. Sicut enim per omnem terram, frequenter exprimitur in Scripturis terra determinata de qua mentio fit; ita et hic per omnem carnem, designatur totum Judaici populi genus. Vel si per omnem carnem, intelligantur et ceteræ nationes per Chaldæos vastatæ, hyperbolica erit locutio, ad designandum multitudinem afflictorum. *Et dabo tibi animam tuam in salutem,* id est, a morte te præservabo, *in omnibus locis ad quæcumque perrexeris.* Dedit etiam ei Deus bona gratiæ necessaria ad salutem.

Præterea Christiani adversitatibus pressi, his verbis se consolentur, intendendo quam multi electi et boni, eisque multo meliores, passi sint, atque quotidie patiantur magna adversa et tribulationes gravissimas. Id ergo sufficiat eis, si anima eorum ubique custodiatur a Deo, et ad veram perducatur salutem. Imo, in quantum adversa ad hoc eis conferunt, gaudeant in eisdem, juxta illud : Omne gaudium existimate, quum in diversas tentationes incideritis. Insuper ex verbis his docemur flere cum flentibus, nec tempore adversitatis confratrum velle inaniter gloriari. Ideo in Ecclesiastico legitur : Ne desis plorantibus in consolatione.

Jacob. I, 2

Rom. XII, 15.

Eccli. VII, 38.

ARTICULUS LXIV

ELUCIDATIO CAPITULI QUADRAGESIMI SEXTI : QUOD FACTUM EST VERBUM DOMINI AD JEREMIAM.

CONSUETUDO est Prophetis, ut postquam ea quæ populum suum, scilicet populum Judæorum, concernunt, descripserint, illarum gentium vastitatem prænuntient, quæ Judæis molestiam intulerunt. Ita nunc agit Jeremias, imo Spiritus Sanctus per eum. Et primo loquitur contra Ægyptios, qui Josiæ regis Juda filium captum in Ægyptum duxerunt, et populum Juda gravi afflixerunt tributo, deinde vanam eis confidentiam tribuerunt contra Chaldæos. Præmittitur autem in principio hujus capituli prologus brevis, ad sequen-
1 tia pertinens. *Quod factum est verbum Do-*
mini ad Jeremiam contra gentes. Nam consequenter fit sermo contra quinque gentes, ut patebit.

Deinde descenditur *Ad Ægyptum, ad-* 2
versus exercitum Pharaonis Nechao regis Ægypti. Porro Pharao commune est nomen regum Ægypti, sicut Delphinus, regum Franciæ. Nechao autem proprium nomen est regis Ægypti, contra quem nunc sermo dirigitur. *Qui* exercitus vel rex Ægypti, *erat juxta flumen Euphraten* currentem per Babylonem, *in Charcamis,* id est in loco sic dicto; *quem percussit Nabuchodonosor rex Babylonis in quarto anno Joakim regis Juda.* Deinde Ægyptiis ironice dicitur ex zelo justitiæ, quod etiam

per modum propheticæ prænuntiationis A
3 intelligi potest : *Præparate scutum et cly-
peum, ut armetis vos contra Chaldæos, *et*
4 *procedite ad bellum ; jungite equos,* ut or-
dinate procedant, *et ascendite* eos, o *equi-
tes ; state in galeis,* id est, galeati manete,
polite lanceas, acuendo eas et adornando,
et *induite vos loricis.* Quasi dicat : Quum
omnia ista feceritis, nil proderit vobis.
Ideo subditur :
5 *Quid igitur? Vidi* ego Jeremias, id est,
in spiritu præcognovi, et imaginaria visi-
one conspexi, *ipsos,* puta Ægyptios, *pavi-* B
dos in congressu contra Chaldæos, *et terga
vertentes* in bello jam inchoato; vidi et
fortes eorum cæsos, id est a Chaldæis occi-
sos. *Et fugerunt conciti,* id est festinantes,
nec respexerunt, id est, præ festinatione
et pavore retro adspicere non audebant.
6 *Non fugiet velox,* id est, veloces Ægyptii
effugere non valebunt, insequentibus eos
Chaldæis, *nec salvari,* id est de manibus
hostium erui, *se putet fortis* quivis de
exercitu Pharaonis. *Ad aquilonem,* id est
versus plagam aquilonarem, *juxta flumen* C
Euphraten victi sunt a Chaldæis, *et rue-
runt* Ægyptii. Quod autem de eadem re
loquantur Prophetæ sub eodem sermonis
contextu, nunc per verba præteriti, nunc
per verba præsentis, nunc per verba fu-
turi temporis, certum est.
7 *Quis est iste qui quasi flumen ascendit,*
id est, quis est iste Nechao rex Ægypti,
cum copioso exercitu cum impetu contra
Babylonios pergens, *et veluti fluviorum in-
tumescunt gurgites ejus,* id est, ejus pha-
langæ seu populi, inflante superbia, instar D
fluminum elevantur? quasi dicat : Quam-
vis cum apparatu pompatico pergat, supe-
rabitur tamen. Quod autem istud de Ægy-
ptiis asseratur, verba pandunt sequentia :
8 *Ægyptus fluminis instar ascendit,* id est,
Ægypti habitatores cum multitudine ad
similitudinem aquæ copiosæ contra Chal-
dæos procedent, *et velut flumina move-
buntur* in pergendo *fluctus,* id est copiosæ
turbæ *ejus.* Quod autem per flumina de-
signentur exercitus regum, in Isaia cete-
risque ubertim liquet Prophetis. *Et dicet*
rex Ægypti cum exercitibus suis : *Ascen-
dens* contra Chaldæos, *operiam terram* per
multitudinem hominum ad me pertinen-
tium, *perdam civitatem et habitatores ejus,*
id est, Babylonem Chaldæosque destruam.
Ascendite equos, o Ægyptii, *et exsultate* 9
in curribus, in quibus contra adversarios
tenditis. *Et procedant fortes,* id est, robu-
sti ex Ægypto contra adversarios profici-
scantur. Hoc ironice dicitur, tanquam di-
cat : Quum fecerint ita, eis non proderit.
Æthiopiæ et Libyæ tenentes scutum, id
est auxiliatores Ægyptiorum exsistentes de
Æthiopia et Libya, scutati, *et Lydii* qui
erant in Lydia, *arripientes et jacientes sa-
gittas,* id est validi sagittatores. Hi, in-
quam, procedant. Quasi dicat : Frustra hoc
facient, quia et ipsi pariter a Chaldæis su-
perabuntur. *Dies autem ille Domini Dei* 10
exercituum, dies ultionis, id est tempus
belli omnium horum contra Chaldæos a
Deo præordinatum, tempus vindictæ divi-
næ justitiæ, *ut sumat vindictam de inimi-
cis suis,* id est, peccata populorum istorum
puniat per Chaldæos. *Devorabit gladius,*
id est, gladius Chaldæorum istos occidet,
*et saturabitur, et inebriabitur sanguine
eorum,* id est, abundantissime eorum san-
guinem fundet. *Victima enim Domini in
terra aquilonis,* id est, populus iste præ-
fatus divino judicio adversariorum gladio
offerendus, erit in prædicto loco aquilona-
ri, *juxta flumen Euphraten.*
Insuper Ægyptiis ironice dicitur : *As-* 11
cende in Galaad, id est in terram illam in
qua medicinalia abundabant, *et tolle resi-
nam,* id est medicamentum pro vulnera-
torum curatione tuorum, *virgo filia Ægy-
pti,* id est popule Ægyptiorum. Vocatur
autem tota plebs, non solum fidelium, sed
infidelium quoque, Virgo filia, ad insinu-
andum puritatem naturæ humanæ in se,
et quod Creator diligat eam amore paterno
secundum id quod ab ipso sortita est, sic-
ut jam ante plenius recolo dictum. *Fru-* *Jer.* XIV, 17.
*stra multiplicasti medicamina, sanitas non
erit tibi,* id est, incurabiliter ab adversa-

12 riis es percussa. *Audierunt gentes igno-* A
miniam tuam, id est, ceteræ nationes tuam
inhonestam fugam ac dejectionem perce-
perunt; *et ululatus tuus,* id est cadentium
ac fugientium vox turbata, *replevit ter-*
ram : quia late diffusa est, et in remotis
locis percepta; *quia fortis impegit in for-*
tem, id est, unus fugientium bellatorum
tuorum, ad alium fugientem se trusit, *am-*
bo pariter conciderunt, id est, simul in
terram collapsi sunt.
13 *Verbum quod locutus est Dominus ad*
Jeremiam, super eo quod venturus esset B
Nabuchodonosor rex Babylonis, et percus-
surus terram Ægypti. Ista vastatio totius
Ægypti a rege Babylonio, facta est diu
Ant. Jud. lib. X, c. 9. post bellum præmemoratum, ut Josephus
14 scribit. Itaque Dominus ait : *Annuntiate,*
o Prophetæ seu alii rem cernentes, *Ægy-*
pto, et auditum facite in Magdalo, et reso-
net in Memphis, et in Taphnis dicite. Post-
quam generaliter nominavit Ægyptum, in
particulari exprimit præcipuas ejus urbes.
Sta et præpara te, o tota plebs Ægypti ur-
biumque istarum, contra Chaldæos ; *quia* C
devorabit gladius ea quæ per circuitum
tuum sunt, id est, Chaldæi omnia ad te
spectantia destruent.
15 *Quare computruit fortis tuus?* id est,
robusti tui cur occisi et in putredinem
versi sunt? *Non stetit,* id est, dejecti sunt ;
et subditur causa : *quoniam Dominus sub-*
vertit eum, id est, Chaldæis contulit pote-
16 statem superandi Ægyptios, *multiplicavit-*
que ruentes, id est, multos Ægyptios cadere
fecit, *ceciditque vir ad proximum suum,*
id est, unus Ægyptiorum juxta alium pas- D
sim ruit in prælio. *Et dicent* auxiliarii
Ægyptiorum, videntes sic labi Ægyptios :
Surgite, et revertamur de terra Ægypti, *ad*
populum nostrum, et ad terram nativita-
tis nostræ, videlicet ad Æthiopiam, Liby-
am, ac Lydiam, *a facie gladii columbæ,* id
est regis Babylonis, cui resistere non vale-
mus. Cur autem Nabuchodonosor columba
Jer. xxv, 38. dicatur, expositum est capitulo vicesimo
17 quinto in fine illius. *Vocate nomen Pha-*
raonis regis Ægypti, id est, in adjutorium
vestrum vocate regem vestrum, Ægyptii;
tumultum adduxit tempus, id est, tempus
divinitus præstitutum debellationi Ægy-
ptiorum, adduxit tumultuantem exercitum
Chaldæorum super Ægyptum. Dicitur au-
tem tempus facere ea quæ fiunt in tem-
pore, et ea denominant tempus : sicut
quum dicitur, Dies mali sunt, et, Tempus
adjuvat illum.
Vivo ego, inquit Rex universorum, Deus 18
omnipotens, *Dominus exercituum nomen*
ejus : quod jam supra expositum est; *quo-*
niam sicut Thabor in montibus, et sicut
Carmelus in mari, veniet : id est, tam vere
et clare eveniet quod de Ægypto prænun-
tio, quam verum et clarum est, montem
Thabor esse inter montes, atque Carme-
lum prope mare locatum. Plura autem fu-
isse loca nomine Carmeli vocata, docet
Scriptura ; sed nunc de uno eorum est
sermo. *Vasa transmigrationis fac tibi, ha-* 19
bitatrix filia Ægypti, id est, tu, popule
Ægyptum inhabitans, ad fugam dispone
te, faciendo tibi ea quæ secum ferre solent
transmigrantes ac fugientes ; *quia Mem-*
phis, id est regia illa Ægypti urbs, *in*
solitudine erit, id est similis deserto, ha-
bitatoribus ejus occisis, *et deseretur inha-*
bitabilis usque ad tempus.
Vitula elegans atque formosa Ægyptus, 20
id est populus ejus indomitus ac lascivus,
de quo ait Ezechiel : Quorum carnes ut Ezech.
carnes asinorum, et fluxus eorum ut flu- xxiii, 20.
xus equorum. *Stimulator ab aquilone ve-*
niet ei, scilicet rex et populus Chaldæ-
orum, refrenans ac domans seu pungens
Ægyptios. *Mercenarii quoque ejus,* puta 21
Ægypti, *qui versabantur in medio ejus,*
quærentes lucra et commoda sua in terra
Ægypti, *quasi vituli saginati,* id est locu-
pletati ac lubrici, quia Ægyptus fertilissi-
ma terra est, *versi sunt* ad latibula, *et*
fugerunt timore Chaldæorum, *quia dies*
interfectionis eorum venit super eos, quos
Chaldæi apprehendere potuerunt. *Vox ejus,* 22
utpote exercitus hujus Chaldæorum, *qua-*
si æris sonabit, id est, magnum fragorem
impetumque producet præ collisione ar-

morum, seu vociferatione hortantium ad A
pugnandum; *quoniam cum exercitu pro-*
perabunt Chaldæi contra Ægyptum, *et cum*
securibus venient ei, ad destruendum ci-
vitates ac machinas ejus. *Quasi ligna cæ-*
23 *dentes, succiderunt saltum ejus,* id est,
multitudinem populorum Ægypti interfece-
runt Chaldæi, sicut quis amputat ligna. Per
saltum autem, qui accipi solet pro infru-
ctuosarum multitudine arborum, signantur
hoc loco infructuosi ac vitiosi Ægyptii.
Qui populus Ægypti vel Chaldæorum *sup-*
putari non potest : quia hominum innu- B
merabilis fuit multitudo utriusque exer-
citus. *Multiplicati sunt super locustas, et*
non est in eis numerus homini certus. Per
quod maxima horum multitudo insinua-
24 tur : estque hyperbolica ista locutio. *Con-*
fusa est filia, id est plebs, *Ægypti, et tra-*
dita in manu populi aquilonis, scilicet
Chaldæorum.
25 *Ecce ego visitabo super tumultum Ale-*
xandriæ, id est, plurimos civitatis sic di-
ctæ in Ægypto exsistentis habitatores pu-
niam per Chaldæos, *et super Pharaonem,* C
et super Ægyptum, quantum ad reliquas
ejus urbes a Chaldæis vastandas, *et super*
deos ejus : quia Chaldæi Ægyptiorum fana
atque simulacra destruxerunt, et idolorum
pretiosas rapuerunt materias, argentum et
aurum; *et super reges ejus,* id est regulos
Pharaoni subjectos. Tales enim in Ægypto
Ps. civ, 30. fuerunt, juxta illud in Psalmo : Et dedit
terra eorum ranas in penetralibus regum
ipsorum. *Et super eos qui confidunt in eo,*
id est in Pharaone, sperantes ejus pote-
state a Chaldæis defendi, quales fuerunt D
26 reliquiæ Judæorum Ægyptum ingressæ. *Et*
dabo eos in manu regis Babylonis. Et post
hæc habitabitur, id est, Ægyptus reduce-
tur ad statum priorem, et populus ejus in
ea morabitur, *sicut diebus pristinis, ait*
Dominus : juxta illud Ezechielis : Dabo *Ezech.*
terram Ægypti desertam quadraginta an- xxix, 12, 13.
nis, dicit Dominus; post finem autem qua-
draginta annorum congregabo Ægyptum
de populis.

Consequenter inducitur consolatio Ju-
dæorum. *Et tu ne timeas, serve meus Ja-* 27
cob; et ne paveas, Israel : quia ecce ego
salvum te faciam de longinquo, et semen
tuum de terra captivitatis tuæ. Totum is-
tud capituli hujus residuum, usque ad ul-
timam ejus clausulam, supra etiam sub *Jer.* xxx,
eadem fere forma verborum scriptum est, 10, 11.
atque ibidem diffuse expositum. Quidam
autem exponunt ipsum de reditu Judæo-
rum de Babylonica captivitate; sed loco
præallegato plenius super hoc dictum est.
Castigabo te in judicio, id est, per tem- 28
porales adversitates te paternaliter ac dis-
crete corrigam et purgabo : quod et loco
præfato prolixius recordor tractatum; *nec*
quasi innocenti parcam tibi, id est, a ma-
lis pœnalibus non habebo te penitus sup-
portatum, quasi omnino innocens esses,
sed peccata tua in præsenti ulciscar, ne
tibi videaris innoxius.

Postremo de Ægyptiorum punitione, in
tribus capitulis Ezechielis, in Isaia quo- *Ezech.*
que, aliisque locis Prophetarum, multa xxix, xxx,
conscripta sunt, quæ hic poterant allegari. xxxii.
Sed propter brevitatem transii, præsertim
quum materia non sit magni ponderis, nec
fidem seu Christi mysteria directe respi-
ciens.

ARTICULUS LXV

DE MORALITATE EJUSDEM CAPITULI QUADRAGESIMI SEXTI.

QUOD universitatis Creator primo de A
populo Judæorum, deinde de aliis lo-
cutus est gentibus per Prophetas, id si-
gnat, quod de fidelibus suis specialis cura
et singularis providentia Deo sit, nihilo
minus ceterorum omnium judex, provisor
et Dominus ipse est. Insuper Babylon in-
terpretatur confusio, idcirco per regem
Babylonis diabolus significatur, auctor in-
Sap. ii, 24. ordinationis : cujus invidia mors culpæ
confusionis origo, intravit in orbem ter-
rarum. Ægyptus vero caligo seu tenebræ
interpretatur. Ideo per Ægyptum sive Ægy- B
ptios, sæculi amatores, vitiorum caligine
involuti, intelliguntur. Per Jeremiam quo-
que, prædicator seu quilibet animarum pa-
1 stor exprimitur. Fit itaque verbum ad Je-
remiam, videlicet ad virum spiritualem
2 hujusmodi, contra Ægyptum ejusque re-
gem, id est contra mundanos et domina-
tores eorum, quod a rege Babylonis, id est
diabolo et angelis ejus, sint impugnandi,
vincendi, et torquendi : et hoc, juxta fluvi-
um Euphraten, id est temporalium affluen-
I *Tim.* vi, 9. tiam rerum : qui enim volunt divites fieri, C
incidunt in tentationes et laqueum diaboli.
3 Hinc vir spiritualis admonet istos : *Præ-
parate scutum et clypeum,* id est, spiritua-
lia arma accipite : sicut Apostolus loqui-
Ephes. vi, 11. tur, Induite armaturam Dei, ut possitis
stare adversus insidias diaboli. Specialiter
quoque per scutum intelligitur fides et
I *Petr.* v, 9. propugnaculum ejus. Unde Petrus : Dia-
bolo, inquit, resistite, fortes in fide. *Et
procedite ad bellum,* contra invisibiles ho-
stes, resistendo tentationibus et peccatis :
Ephes. vi, 12. quia ut ait Apostolus, Non est nobis collu- D
ctatio adversus carnem et sanguinem, sed
adversus principes et potestates, contra
4 spiritualia nequitiæ in cœlestibus. *Jungite
equos,* id est, bestiales motus subjicite ra-
tionis judicio ; vel, Jungite equos, id est,
eos qui in via Dei fortes, veloces atque
ferventes sunt, semitam mandatorum ac
consiliorum instar equorum celerrimo gra-
du currentes, vobis in auxilium associate,
ut cum Sanctis sanctificemini. *Et ascendi-* *Ps.* xvii, 26.
te, equites, id est, horum orationi, consilio
et auxilio innitimini, ut ipsi vos portent
ac ditent : quemadmodum Elias et Eli- IV *Reg.* ii, 12; xiii, 14.
seus, currus Israel et auriga ejus fuisse
scribuntur. *State in galeis,* id est, firmi
ac longanimes estote in spe, dicente Apo-
stolo : Galeam spem salutis assumite. *Polite* *Ephes.* vi, 17.
lanceas, id est, sapientiales consideratio-
nes, quibus veritatis adversarii confodiun-
tur et vincuntur, acuite operibusque ful-
cite ; *induite vos loricis,* id est justitia,
Paulo hortante : Induti loricam justitiæ. *Ibid.* 14.
Hæc enim undique circumdat ac protegit
hominem.

Verum his saluberrimis documentis ho-
mines carnales, molles et effeminati non
acquiescunt. Ideo subditur : *Vidi ipsos pa-* 5
vidos ad congressum contra peccata, quia
ad ardua virtutum debiles sunt ac paven-
tes, juxta quod scriptum est : Illic trepi- *Ps.* xiii, 5; lii, 6.
daverunt timore ubi non erat timor. Si-
quidem carnis macerationem per devota
jejunia, vigilias in oratione nocturnas, di-
sciplinas, increpationes, et temporales af-
flictiones abhorrent. *Et terga vertentes,*
id est, virtutum exercitia fugientes. *Fortes
eorum cæsos,* id est in anima læsos ac in-
terfectos morte peccati. Fortes quippe sunt
propria æstimatione, corporalique robore,
et in actibus culpæ ; debiles vero ad ea
quæ Dei sunt ac suæ salutis. *Et fugerunt
conciti.* Conciti fugiunt, qui ab inchoatis
bonis operibus cito desistunt, tentationi-

busque diaboli mox præbent consensum : A
Luc. IX, 62. contra quos ait Salvator : Nemo mittens
manum ad aratrum, et respiciens retro,
aptus est regno Dei. *Nec respexerunt,* ut
se vitiorum aciei opponerent, et suam su-
6 perarent acediam. *Non fugiet velox,* id
est, isti ad peccata proclives, nec manum
Dei effugient, nec rete diaboli ; ejusque
potestati subduntur, cujus impugnationi
non renituntur. *Nec salvari se putet for-
tis,* id est, qui prætacto modo robusti sunt,
salutem non consequentur : quibus per
Amos II, 13, 14. Amos Dominus comminatur : Ecce ego stri- B
debo super vos, sicut stridet plaustrum
onustum fœno; et peribit fuga a veloce, et
fortis non salvabit animam suam. *Ad aqui-
lonem,* id est in frigore vitiorum, *victi
sunt* a diabolo, mundanis vanitatibus et
concupiscentiis propriæ carnis.
7 *Quis est iste qui quasi flumen ascendit?*
Quasi flumen ascendunt potentes ac divi-
tes hujus sæculi, in temporalibus floridi,
exterioribusque ornati ; *et veluti fluviorum
intumescunt gurgites ejus,* id est, deside-
riorum ejus profluvia superbiæ replentur C
8 tumore. *Ægyptus,* id est mundi amator,
fluminis instar ascendit, id est, in tempo-
ralibus prosperatur, *et velut flumina mo-
vebuntur fluctus ejus,* id est, fluctuantes
cogitationes ipsius instabiles erunt, vagæ
atque ad nihilum redigentur, juxta illud
I *Mach.* II, 62, 63. primi Machabæorum : Gloria peccatoris,
stercus et vermis; hodie extollitur, et cras
non invenitur, quia conversus est in ter-
ram suam, et cogitatio ejus periit. Item in
Ps. CXLV, 4. Psalmo : Exibit spiritus ejus, et revertetur
in terram suam ; in illa die peribunt om- D
nes cogitationes eorum. *Et dicet : Ascen-
dens operiam terram,* id est, in divitiis,
potestate et gloria dilatabor. Hoc modo
avari terram operire conantur, dum multa
terrarum spatia in suam redigere posses-
sionem exoptant. *Perdam civitatem et ha-
bitatores ejus.* Hoc contra eos qui domi-
nandi libidine victi, aliorum principum
terras et urbes sibi ipsis per violentiam
subjicere satagunt : qui cum auxiliariis
suis dispereunt, secundum quod subditur :

Dies autem ille Domini, dies ultionis 10
est : quia et nunc justo judicio sinit eos
ad tempus peccare, dæmonum voluntati
servire, atque innumerabilia peccata inci-
dere (quod est maxima ira Dei) ; deinde
pœnas infligit æternas ; *ut sumat vindi-
ctam de inimicis suis. Devorabit gladius,*
id est, divina sententia consumentur ; *et
saturabitur,* propter quod in Osee Domi-
nus loquitur : Juxta desiderium meum *Osee* X, 10.
corripiam eos. *Et inebriabitur sanguine
eorum,* id est, copiose eos damnabit. Hinc
in Deuteronomio testatur : Si acuero ut *Deut.* XXXII, 41, 42.
fulgur gladium meum, et arripuerit judi-
cium manus mea, reddam ultionem hosti-
bus meis, inebriabo sagittas meas sangui-
ne, etc. De quo et per Isaiam : Inebriatus *Is.* XXXIV, 5.
est, inquit, gladius meus in excelso. *Vi-
ctima enim Domini,* id est multitudo hæc
reproborum, quos Deus morte æternæ mi-
seriæ percutit, est *in terra aquilonis,* id
est in sæculo isto nequam, seu in mundo, I *Joann.* V, 19.
qui totus in maligno positus perhibetur ;
juxta flumen Euphraten, id est uberta-
tem abundantiamque terrenam. Euphra-
tes enim frugifer dicitur. Hinc per Isaiam
asseritur : Victima Domini in Bosra. Qui *Is.* XXXIV, 6.
enim terrena pro cœlestibus diligunt, oc-
cisi in anima traduntur diabolo, qui di-
cebat : Sedebo in lateribus aquilonis. *Ibid.* XIV, 13.
Verum ne peccatores in tanta incidant
mala, consulitur omni societati eorum :
Ascende in Galaad, id est in Ecclesiam, 11
seu ad sacram Scripturam, in qua est acer-
vus testimoniorum pro expurgatione cul-
parum. Galaad quippe acervus testimonii
interpretatur. *Et tolle resinam,* id est sa-
lutarem doctrinam contra peccati læsu-
ram. *Frustra multiplicasti medicamina,
sanitas non erit tibi.* Hoc contra eos qui
sibi contra corporalem infirmitatem, læ-
sionem vel infectionem, varia quærunt re-
media ; de animæ autem curatione non
curant, aut minus quam dignum est cu-
rant. Idcirco sanitas vera mentalis eis non
erit. Præterea vani et scioli, qui quærunt
sapientes ac docti videri, et aliis multa
pulchra loquuntur seu prædicant quæ ipsi

non operantur, frustra multiplicant sibi
medicamina Scripturarum, quibus curan-
tur animarum vulnera, dum propriis vitiis
Luc. iv, 23. non medentur : quibus et dicitur : Medice,
Matth. vii, 5. cura te ipsum ; et rursus, Hypocrita, ejice
primo trabem de oculo tuo, deinde festu-
12 cam de oculo alieno. Horum ignominia
omnibus innotescet, et ululatus eorum in
die perditionis terram implebit : *quia fortis*
impegit in fortem, quando videlicet unus
istorum trahit alium ad peccandum, *am-*
bo pariter conciderunt propria iniquitate,
quæ ruina est animæ, juxta illud in Isaia :
Is. ix, 16. Erunt qui beatificant populum istum, se-
ducentes ; et qui beatificantur, præcipi-
Matth. xv, 14. tati. Atque in Evangelio : Cæcus si cæco
ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt.
14 *Annuntiate,* o viri devoti et prædicato-
res idonei, *Ægypto, in Magdalo, in Mem-*
phis, in Taphnis, id est in universis sæ-
cularium hominum locis : *Sta* in gratia et
timore, *et præpara te* contra aciem vitio-
rum et tentamenta diaboli ; *quia,* nisi hoc
feceris, *devorabit gladius* divinæ senten-
tiæ vel impugnationis dæmoniacæ, *ea quæ*
per circuitum tuum sunt, id est univer-
sam operationum tuarum congeriem, ita
quod nihil proficies neque mereberis, sed
peribis.
15 *Quare computruit fortis tuus?* id est,
cur potens in sæculo, qui vitiorum con-
suetudine putrescit in anima, non stat in
stabilitate virtutum? *Quoniam Dominus*
subvertit eum, id est, justo judicio gra-
16 tiam ei subtraxit, *multiplicavitque ruen-*
tes, quia multos perire juste permittit.
Quod videntes medici et auxiliarii ani-
marum, invicem dicunt : *Revertamur ad*
populum nostrum, quando videlicet cer-
nunt se nil posse circa induratos profice-
re, *a facie gladii columbæ,* id est Christi
Ibid. x, 16. innocentis ac simplicis (qui ait : Estote
Apoc. v, 5. simplices sicut columbæ. Ipse enim est
leo, ipse columba, secundum proprietates
Ps. xvii, 27. distinctas), ne et ipsi a Christo relicti, cum
17 perversis pervertantur. *Vocate nomen Pha-*
raonis. Hoc impiis ironice dicitur, qui dum
vivunt, quærunt potentibus divitibusque

A placere : quibus hora mortis atque judicii
juvari non poterunt ; sed tum vere *veniet* 18
eorum damnatio, *sicut* est *Thabor in mon-*
tibus. Vasa transmigrationis fac tibi, ha- 19
bitatrix Ægypti, id est, o anima sæcu-
laris, de impiorum consortio ad eos qui
timorati sunt, fuge : sicut Apostolus ait,
Exite de medio eorum, et immundum ne II *Cor.* vi, 17.
tetigeritis. *Quia Memphis in solitudine*
erit, id est, congregationes carnalium di-
vinitus deserentur.
Vitula elegans atque formosa Ægyptus, 20
B id est, mundi amator lascivus et foris de-
corus apparet. *Stimulator ab aquilone,*
puta diabolus, *veniet ei :* quia quantum *Apoc.* xviii, 7.
glorificavit se ille in deliciis, tantum iste
dabit ei tormentum et luctum. *Mercenarii* 21
quoque ejus, qui versabantur in medio
ejus, id est adulantes ac servientes mun-
danis, et cooperantes eis in malo, propria
atque carnalia commoda requirentes, *qua-*
si vituli saginati sunt, crassi divitesve ef-
fecti, *et fugerunt,* non resistendo hostibus
suæ salutis, *quia dies interfectionis eorum*
C spiritualis ac corporalis, *venit super eos.*
Hos omnes succidunt diaboli de electorum
grege ac vita, sicut in saltu ligna cædun- 22
tur ; multiplicatique *sunt super locustas,* 23
tam reprobi qui vincuntur, quam ipsi qui
tentant. *Confusa est filia Ægypti,* id est 24
plebs ista mundana diabolo tradita, cujus
in omnibus suggestioni consentit. *Et post* 26
hæc habitabitur sicut diebus pristinis. Fre-
quenter namque contingit, ut impiis per-
euntibus ac deletis, in loco eorum justi
morentur.
D Verum ne ex his terribilibus Dei sermo-
nibus pusillanimitas, diffidentia, aut timor
inordinatus incutiatur electis, rite subjun-
gitur : *Et tu ne timeas, serve meus Jacob,* 27
id est, o Christiane pœnitens et peccata
supplantans. Jacob nempe supplantator in-
terpretatur. *Et ne paveas, Israel,* id est,
religiose et contemplator : *quia ecce ego*
salvum te faciam de longinquo, id est de
regione dissimilitudinis ac peccati, *et se-*
men tuum, id est conversationis tuæ ope-
ra, seu imitatores spiritualesque filios, *de*

terra captivitatis tuæ, id est de præsenti
exsilio, et terra peregrinationis præsentis,
in qua etiam electi vicissim funibus pec-
catorum capiuntur ac stringuntur. *Et re-
vertetur Jacob* iste præfatus, de peccato
ad gratiam, de via ad patriam, *et requiescet*
in Deo ac beneficiis ejus, *et prosperabitur.*
Rom. VIII, 28. Omnia enim diligentibus Deum electis co-
operantur in bonum : et jam prosperan-
tur in bonis gratiæ, deinceps in bonis glo-
riæ sempiternæ. *Et non erit qui exterreat
eum,* præsertim in patria, vel nunc formi-
dine inordinata, quum patientiæ fortitudi-
28 nisque virtutes adeptus exstiterit. *Consu-*
A *mam cunctas gentes ad quas ejeci te,* id
est reprobos inter quos nunc conversaris,
et a quibus affligeris ; *te vero non consu-
mam :* quia etsi te ad tempus errare aut
tribulari permitto, finaliter tamen conver-
tam et eruam te; *sed castigabo te* paterna
clementia, *in judicio* sapientiæ meæ, et
juxta discretionis meæ censuram, *nec qua-
si innocenti parcam tibi* in sæculo isto, ut
parcam tibi salubrius in futuro. Qui enim Prov. XIII, 24; Eccli. XXX, 1.
diligit filium suum, instanter corripit il-
lum ; et ego, quos amo, arguo et castigo. Apoc. III, 19.
B Idcirco qui extra disciplinam est, non fi- Hebr. XII, 8.
lius, sed adulter reprobusque vocatur.

ARTICULUS LXVI

ELUCIDATIO CAPITULI QUADRAGESIMI SEPTIMI : QUOD FACTUM EST VERBUM DOMINI.

CONSEQUENTER contra Palæstinos al-
lophylos seu Philistæos, sermo divinus
1 ac prophetalis dirigitur. *Quod factum est
verbum Domini ad Jeremiam prophetam*
[*contra Palæstinos*], *antequam percuteret
Pharao* rex Ægypti *Gazam* urbem Phili-
stinorum : quam aliqui dicunt ab Ægy-
ptiis spoliatam, quoniam egressi sunt ad
auxiliandum Sedeciæ regi Juda contra Chal-
dæos.
2 *Hæc dicit Dominus : Ecce aquæ,* id
est exercitus Chaldæorum instar aquarum
multarum copiosus, impetuosus, terribi-
lis, *ascendunt ab aquilone,* id est de Chal-
dæa ; *et erunt quasi torrens inundans,*
cum tumultu et strepitu accedendo, *et ope-
rient terram,* scilicet Philistinorum, de
qua nunc sermo, *et plenitudinem ejus, ur-
bem,* id est civitates terræ istius, *et habi-
tatores ejus.* Omnia enim terræ nascentia,
homines et jumenta terræ istius, occu-
paverunt rex Babylonis et populus ejus.
Juxta hanc similitudinem etiam ab Isaia
de rege atque exercitu Chaldæorum præ-
Is. VIII, 7, 8. dictum est : Adducet Dominus super eos,
scilicet super decem tribus Israel, aquas
C fluminis multas et fortes, et ibit per Ju-
dam inundans et transiens. *Clamabunt ho-
mines,* scilicet habitantes in terra Phili-
stiim, præ angustia et dolore, *et ululabunt
a strepitu pompæ armorum et bellatorum* 3
ejus, videlicet regis Babylonis, *a commo-
tione quadrigarum ejus et multitudine
rotarum illius.* Tam fortem enim, pom-
posum ac sonorum apparatum exercitus
et curruum Chaldæorum cernentes Phili-
stiim, ingemuerunt ac ulularunt.
*Non respexerunt patres filios manibus
D dissolutis,* id est, tanta fuit Philistinorum
angustia, quod patres populi hujus filios
suos in angustiis constitutos non attende-
runt : tantum quilibet habuit agere cum
se ipso, omni sua tabefacta virtute, et præ
timore collapsa ; *pro adventu diei,* id est 4
ex consideratione temporis jam imminen-
tis, *in quo vastabuntur* a Chaldæis *omnes
Philistiim.* Loquitur autem Propheta de
eodem negotio jam per verba temporis
præteriti, jam futuri, consuetudine pro-
phetali. Prophetalis nempe cognitio, est

resplendentia seu impressio et irradiatio A quædam divinæ scientiæ, in qua cuncta quasi principaliter innotescunt, et sine differentia temporis in ipso æternitatis Nunc invariabiliter elucescunt. *Et dissipabitur Tyrus et Sidon cum omnibus auxiliis suis,* id est, urbem Tyri et Sidonis auxiliariosque eorum vastabunt Chaldæi : de
Is. xxiii; *Ezech.* xxviii. qua re in Isaia et Ezechiele plura scribuntur. *Depopulatus,* id est demolitus, *est enim Dominus Palæstinos, reliquias insulæ Cappadociæ :* quia Palæstini descenderunt de gente terræ illius, de qua et Cappadoces, B
Gen. x, 14. ut legitur in Genesi. Et in Amos Dominus
Amos ix, 7. ait : Numquid non Israel ascendere feci de terra Ægypti, et Palæstinos de Cappadocia ?

5 *Venit calvitium super Gazam,* id est tribulatio magna super Gazæ habitatores. Calvitium enim fieri consuevit in signum mœroris. *Conticuit Ascalon,* id est, populus civitatis hujus Philistinorum Chaldæis resistere non valebit, *et reliquiæ vallis earum,* id est populi ei vicini, in bassioribus locis harum urbium siti. *Usquequo occideris,* seu *concideris ?* id est, quamdiu C tu, popule Philistiim, ita rues et interficieris ab istis Chaldæis? Hoc Propheta quadam compassionis affectione, et caritate et pietate dicebat, naturæ eorum (quos in spiritu vidit ruentes) compatiens : sicut et Isaias Babyloniis et Moabitis se compati
Is. xxi, 3. profitens, Corrui, inquit, quum audirem ;
Ibid. xvi, 11. et, Cor meum ad Moab quasi cithara sonabit. Simili pietate Jeremias subjungit :
6 *O mucro Domini,* id est, gladie Chaldæorum, divinæ instrumentum justitiæ, de quo D
Ezech. xxxii, 10. per Ezechielem Dominus ait : Quum cœperit gladius meus volare super terram Ægypti. *Usquequo non quiesces* a Palæstinorum occisione tam dira? *Ingredere in vaginam tuam, et refrigerare* ab ultionis fervore, *et sile* a sonitu ictuum. Loquitur autem Propheta ad gladium rem inanimatam, non ut gladius intelligat, sed ut pietatem suam nobis insinuet, et gladius materialiter intelligat, id est, utile aliquid nos intelligere faciat : juxta quem modum hortamur inanimata ut Creatorem benedicant ac laudent. Quod autem Propheta hæc dixerit potius ex naturali quadam compassione, quam ex illuminata et Deo se conformante ratione, insinuat subdens :

Quomodo quiescet mucro iste ab occi- 7
sione præfata, *quum Dominus præceperit ei adversus Ascalonem* urbem Philistiim, *et adversus maritimas ejus regiones,* id est partes hujus provinciæ juxta mare sitas, vel contra regiones Palæstinæ confœderatas ad resistendum Chaldæis, *ibique condixerit illi,* scilicet gladio Chaldæorum, ut istos occidat? Deus autem omnipotens omni præcipit creaturæ, quanquam per hoc quod gladio præcepisse adstruitur, intelligi queat quod Chaldæis id ipsum inspiraverit modo sæpe præhabito. Unde per Ezechielem ait : Et dixero gladio, Transi *Ezech.* xiv, 17.
per terram.

De hac Philistinorum punitione Sopho- *Soph.* ii, 1-7.
nias etiam breviter scribit. De quo in Isaia *Is* xiv, 28-32.
plura prædicta noscuntur.

Postremo morale hujus capituli ex præinductis frequenter patescit, et ex nominum interpretatione accipitur. Siquidem per Philistæos, qui interpretantur, libantes sanguinem, truculenti et cupidi designantur, qui aliorum bona diripiunt, labores consumunt, sanguinem fundunt. Contra hos venient principes totius confusionis et turbationis, diaboli, tanquam impetuosissima flumina, eosque operient, et in locum trahent gehennæ ululantibus miseris. Erit quoque tanta uniuscujusque istorum calamitas, ut se ipsum ferre non valens, alium quantumlibet propinquum, damnatum relevare non curet ob commodum ejus. Istis autem ceterisque in miseriis constitutis homo pius condolens, ait : *Mucro Domi-* 6
ni, usquequo non quiesces? Verum cuncta ex ordine æternæ sapientiæ ac summæ justitiæ Dei contemplans procedere, se ipsum consolatur.

ARTICULUS LXVII

EXPLANATIO CAPITULI QUADRAGESIMI OCTAVI : AD MOAB. HÆC DICIT DOMINUS EXERCITUUM.

HOC capitulo Propheta describit Moabi- A
tarum dejectionem. Dicuntque aliqui,
quod a principio hujus capituli usque ad
vers. 40. id, Hæc dicit Dominus, Ecce quasi aquila
volabit, describatur destructio Moab per
Assyrios; et ab illo loco, ejusdem populi
vastitas per Chaldæos : quod, ut videtur,
stare non potest. Jeremias enim hoc loco
prophetice loquitur de futuro, non histo-
rialiter de præterito. Vastitas autem Moa-
bitarum per Assyrios facta, diu præcessit
tempus vaticinii hujus, imo et nativitatem
Jeremiæ. Facta est enim per Sennacherib B
regem Assyriorum, qui fuit tempore Eze-
chiæ. Denique rex Babylonis tempore hu-
jus prophetiæ demolitus jam fuit regnum
Assyriorum. Quod autem per Sennacherib
victi fuerint Moabitæ, constat ex verbis
Hieronymi super Isaiam. Hinc arbitror to-
tum præsens capitulum eam Moabitarum
dejectionem prænuntiare, quæ per Chal-
dæos peracta est. Nec obstat quod istud
capitulum in multis coincidit cum his quæ
in Isaia de vastitate Moab per Assyrios facta
scribuntur : siquidem civitates quas rex C
Assyriorum vastavit, postea rex Babylonis
Nabuchodonosor cum Chaldæis oppressit.
1 *Ad Moab,* supple pertinent quæ sequun-
tur. Quorum punitio accidit, quia frequen-
ter adversati sunt filiis Israel, et de eorum
oppressione per Chaldæos lætati : quem-
admodum et filii Ammon, quorum ea-
dem ratione vastitas sequenti prophetatur
capitulo. Unde per Sophoniam Dominus
Soph. II, 8, 9. loquitur : Audivi opprobrium Moab, et bla-
sphemias filiorum Ammon, quæ expro-
braverunt populo meo, et magnificati sunt D
super terminos eorum. Propterea vivo ego,
dicit Dominus, quia Moab ut Sodoma erit,
et filii Ammon quasi Gomorrha. *Væ* tem-
poralis afflictionis *super Nabo* civitatem
Moabitarum : quo nomine habitatores ejus
intelliguntur; *quoniam vastata est et con-
fusa* per Chaldæos, qui post destructionem
regni Juda, regnum Moab debellarunt. *Ca-
pta est Cariathiarim**, id est civitas in ter- * Cariathaim
ra Moab sic dicta; *confusa est fortis,* id est
civitas ista robusta, *et tremuit* timore Chal-
dæorum, quibus resistere non valebat. *Et* 2
non est ultra exsultatio in Moab, id est, in
populo Moabitarum, ingredientibus terram
eorum Chaldæis, non exsultatio, sed vehe-
mens fuit tristitia. *Contra Hesebon* urbem
Moab, *cogitaverunt malum* Chaldæi, dicen-
tes : *Venite, et disperdamus eam de gen-
te,* populum ejus interimendo seu capti-
vando, vel ipsam demoliendo. *Ergo silens
conticesces,* o Moab, id est, adversariis tuis
repugnare aut reclamare non audebis, *se-
queturque gladius te,* id est, Chaldæi cum
gladiis fugientes Moabitas insequentur; vel,
post silentium gladio ferieris.
Vox clamoris de Oronaim, id est, de 3
civitate seu loco sic dicto procedet ac au-
dietur clamor pereuntium Moabitarum;
item *vastitas et contritio magna* eorum-
dem. *Contrita est Moab,* id est regio Mo- 4
abitarum devicta; *annuntiate clamorem
parvulis ejus,* id est, subditis sive juveni-
bus ejus dicite imminere clamorem, vel
majorum ejulatum eis narrate. *Per ascen-* 5
sum enim Luith, id est per iter civitatis
sic dictæ, vel montis, secundum quosdam,
plorans ascendit Moab *in fletu, quoniam
in descensu Oronaim* civitatis *hostes* Mo-
ab, puta Chaldæi, *ululatum contritionis*
Moabitarum *audierunt,* illum a longe per-
cipiendo.
Fugite, o Moabitæ, *salvate animas ve-* 6
stras, id est vos ipsos de manibus Chaldæo-

rum : quod vel ironice ex zelo justitiæ, vel
consultorie dicitur ex amore et compas-
sione. *Et eritis quasi myricæ in deserto,*
id est infructuosi ac miseri. Consequenter
præter causas prætactas ponuntur breviter
duæ aliæ causæ, quibus meruerunt Moabi-
7 tæ vastari. *Pro eo enim quod habuisti fidu-*
ciam in munitionibus, id est in fortalitiis
tuis, et in thesauris tuis, id est multitu-
dine divitiarum, *tu quoque capieris.* Hæc
enim fecerunt populo Moab confidentiam
vanam et impiam præsumptionem. *Et ibit*
Chamos deus seu idolum filiorum Moab, *in*
transmigrationem, id est ad terram aliam.
Chaldæi quippe idola Moabitarum propter
valorem materiæ secum ad propria detule-
runt. *Sacerdotes ejus et principes ejus si-*
mul : quia nonnulli istorum a Chaldæis in
8 captivitatem abducti sunt. *Et veniet præ-*
do, id est rex et populus Babylonis, *ad*
omnem urbem Moab, *et urbs nulla* ex ur-
bibus Moab *salvabitur,* evadendo hostium
manum. *Et peribunt valles, et dissipabun-*
tur campestria, id est, fructus seu habi-
tatores vallium atque camporum terræ
Moab, a Babyloniis occupabuntur. *Quoni-*
9 *am dicit Dominus : Date florem Moab,* id
est, virorem ac dignitatem ipsius Moabitici
populi date Chaldæis hostibus ejus, vel ip-
sum Moab comparate flori decidenti, *quia*
florens egredietur, id est, populus iste du-
dum potestate atque divitiis florens, a pro-
priis expelletur, et pristinum florem amit-
tet, *et civitates ejus desertæ erunt* a propriis
incolis, *et inhabitabiles* ad tempus, seu
destructæ.

10 *Maledictus qui facit opus Dei fraudu-*
lenter. Ad litteram sensus est, maledictum
esse exercitum Chaldæorum, si punitio-
nem Moabitarum juxta Dei voluntatem non
adimpleret. Nec tamen id faciendo bene-
dicti fuerunt, quia non recta id intentione
egerunt, sed animo cupido atque crudeli.
Et maledictus quicumque de bellatoribus
Chaldæorum, *qui prohibet gladium suum*
a sanguine, id est ab effusione sangui-
nis Moab.

11 *Fertilis* in propagatione filiorum et opi-
A bus ac fructibus terræ, *fuit Moab,* id est
populus natus de filio Lot nomine Moab, *Gen.* XIX 37.
ab adolescentia sua, id est a principio suæ
multiplicationis in propria terra; *et re-*
quievit in fæcibus suis, id est immunditiis
vitiorum et carnalitatibus seu rebus terre-
nis, quæ inquinant animam, et compara-
tione spiritualium bonorum quasi fæces
et stercora sunt spernenda; *nec transfusus*
est de vase in vas, id est, statum suum
non emendavit, nec de loco peccati ad
locum pœnitentiæ transiit, *et in transmi-*
B *grationem non abiit,* id est, per captivita-
tem ad aliam terram translatus non est.
Idcirco permansit gustus ejus in eo, id
est, sapor mentis suæ, quo ab antiquo car-
nalia, non spiritualia, sapuit, in ipso per-
severavit : et hic sapor est amor sive
affectio vel oblectatio in carnalibus et ca-
ducis; *et odor ejus non est immutatus,* id
est, fama sive perceptio ejus, turpis et
vitiosa remansit; vel, Odor, id est fœtor,
quo in peccatis sorduit coram Deo, non
est immutatus ad suavitatem virtutum ac
C famam honestam. Ex quibus constat, quod
temporalium opulentia atque prosperitas,
paxque carnalis, causæ sunt perseverandi
in vitiis itemque diffamiis. Vexatio enim *Is.* XXVIII 19.
dat intellectum; et paupertas peccatorum
multorum occasionem abrumpit. Loquitur
quoque Propheta de populo isto sub me-
taphora vini, quod dum in fæcibus suis
perdurat, neque de vase priore ad aliud
funditur, saporem pristinum retinet et
odorem, ac pejoratur.

Propterea ecce dies veniunt, dicit Do- 12
D *minus, et mittam ei,* scilicet populo Moab,
ordinatores, id est Chaldæos, qui super-
fluitatem et immoderantiam divitiarum de-
liciarumque Moab tollent ab eo, et ad
debitam mediocritatem penuriamque re-
ducent, *et stratores laguncularum,* id est
occisores corporum humanorum instar la-
gunculæ fragilium; *et sternent,* id est per-
cutient, *eum,* scilicet Moab, *et vasa ejus,*
id est divitiarum repositoria, *exhaurient,*
bona Moabitarum in usum proprium redi-
gendo, *et lagunculas eorum collident,* id

13 est, corpora dissipabunt. *Et confundetur*
Moab a Chamos, id est propter idololatriam qua coluit Chamos, *sicut confusa est*
domus Israel, id est decem tribus, *a Bethel,* id est propter idololatriam qua in
Bethel vitulum aureum adoravit, ut tertio
III Reg. xii, 29, 30. Regum libro habetur. Quemadmodum enim
ob id decem tribus datæ sunt manibus
Assyriorum, sic propter cultum Chamos
traditus est populus Moab Chaldæis. Ex his
patet, non de Assyriis loqui Prophetam eo
modo quo illi a Chaldæis distinguuntur.

Insuper increpantur Moabitæ, quod suam
14 fortitudinem jactitabant. *Quomodo dicitis,*
o Moabitæ, *Fortes sumus et viri robusti ad*
præliandum? quasi dicat : Nunc instante
Chaldæorum invasione, patet oppositum.
15 *Vastata est Moab,* id est terra illa, *et civitates illius ascenderunt* Chaldæi, intrando
super muros, *et electi,* id est elegantes, *juvenes ejus descenderunt in mortem,* id est,
a sua præsumptione usque ad mortem de-
16 jecti sunt. *Prope est interitus Moab ut veniat, et malum,* id est punitio, *ejus velociter*
accurrit nimis. Cito enim post hujus vaticinii tempus vastati sunt filii Moab, tribus
scilicet annis revolutis a destructione regni Juda per Chaldæos, secundum Hiero-
17 nymum. *Consolamini eum,* scilicet populum Moab desolatum, *omnes qui estis in*
circuitu ejus, et universi qui scitis nomen
ejus, id est, populum istum et ejus potestatem agnoscitis. *Dicite : Quomodo confracta est virga fortis,* id est regia dignitas
Moab, *baculus gloriosus,* id est rex seu populus iste olim inclytus et famosus? Istud
vel ironice dicitur, vel compassive, quia
et qui desolato ac flenti compati se ostendit, ei efficit relevamen.

18 *Descende de gloria,* id est de pristina
majestate, *sede in siti,* id est grandi inopia, *habitatio filiæ Dibon,* id est populus
habitans in Dibon urbe Moab : unde Isaias
Is. xv, 2. scribit, Ascendit domus et Dibon ; *quoniam vastator Moab,* scilicet rex Babylonis, *ascendet ad te; dissipabit munitiones*
19 *tuas,* id est turres et fortalitia reliqua. *In*
via sta, et prospice, habitatio Aroer, id
A est, popule in urbe sic dicta habitans, sta
et vide hinc inde si quem videas, a quo,
quid acciderit, posses percipere, quemadmodum in angustia positi facere solent.
Interroga fugientem, et ei qui evasit rabiem Chaldæorum, *dic ei, Quid accidit?*
Cujus responsio subditur : *Confusus est* 20
Moab, id est, populus noster succubuit,
quoniam victus est a Chaldæis. Ideo *ululate et clamate, annuntiate in Arnon,* id est
oppido sic vocato, *quoniam vastata est*
Moab, et judicium, id est ultio seu puni- 21
B tio justa, vel secundum judicium Dei inflicta, *venit ad terram campestrem,* id est
habitatores locorum campestrium, *super*
Helon et super Jasa, etc., id est urbes
Moab quæ nominantur in textu. *Abscissum* 25
est cornu Moab, id est celsitudo ejus regalis, *et brachium,* id est robur, *ejus contritum est.*

Inebriate eum, o Chaldæi, id est, pœnis 26
replete, utpote calice iræ Domini seu potione vindictæ divinæ justitiæ, cujus exsecutores circa Moabitas fuerunt Chaldæi.
C Porro particula illa, Calice iræ Domini, non
est de textu. *Quoniam contra Dominum*
erectus est Moab tumore superbiæ atque
blasphemiis ; *et allidet* Dominus *manum,*
id est virtutem, *Moab in vomitu suo,* id
est in dejectione et occisione ipsius Moab,
qua sanguinem suum effluet, sicut inebriatus ea quæ intra se habet, per vomitum
rejicit. Unde quia jam dixit, Inebriate eum,
servat metaphoram, per vomitum significans mortem. *Et erit in derisum etiam*
ipse Moab hostibus suis. *Fuit enim in de-* 27
D *risum tibi, Israel,* id est, tibi tempore
vastitatis tuæ ab Assyriis et Chaldæis illusit, *quasi inter fures reperisses eum,* id
est, sicut irridetur qui inter fures deprehenditur, vel quasi ipse te inter fures
invenisset, sicque a te inter fures esset
repertus, per hoc quod ibidem tibi occurrisset. *Propter verba ergo tua* irrisoria et
blasphema, *quæ adversum illum,* videlicet populum Israel, *locutus es, captivus*
duceris, o Moab. Unde per Isaiam Dominus
ait : Væ qui spernis, nonne et ipse sper- Is. xxxiii, 1.

Prov. III, 34. neris ? Et Salomon : Illusores, inquit, Do-
28 minus illudet. *Relinquite civitates* pro-
prias, fugiendo, *et habitate in petra,* id
est, ad loca firma saxeaque latibula con-
fugite, *et estote quasi columba nidificans*
in summo ore foraminis, id est subtilio-
ribus inaccessisque rupibus, ne vos de-
prehendant Chaldæi.

Deinde magnitudo elationis populi Moab
29 exprimitur : *Audivimus superbiam Moab :*
superbus est valde, scilicet in corde, in
verbis, in factis, in apparatu, et in cun-
ctis quæ eum circumstant. Ideo subditur :
sublimitatem ejus in ambitione, *et arro-*
gantiam, et superbiam, et altitudinem cor-
dis ejus in cogitando, et in appetendo, et
30 magna de se sentiendo. *Ego scio, ait Do-*
minus, jactantiam ejus et arrogantiam, et
quod non sit juxta eam virtus ejus, id
est, non tantum se extendit sua potentia
ut præsumpsit, nec fortitudo ejus tanta
fuit ut æstimavit. Superbus enim quo ex-
stat superbior, eo excæcatior invenitur :
ideo non vere cognoscit se ipsum nec pro-
priam vilitatem, et plus vero ac justo se
reputat, quum a luce veritatis sit alienus.
Nec juxta quod poterat, conata sit facere:
id est, ea quæ vires suas excedunt, hic
populus attentavit. Hoc et in Isaia habe-
Is. XVI, 6. tur : Superbia ejus et arrogantia ejus et
indignatio ejus, plus quam fortitudo ejus.

Consequenter in persona propria ait
31 Propheta : *Ideo super Moab ejulabo,* id
est, ejus calamitatem deflebo ; *et ad Moab*
universam, id est ad totam hanc plebem,
clamabo, compatiendo naturæ humanæ in
tanta sanguinis effusione, naturali affectu.
Naturale est namque, consorti naturæ in
adversitatibus condolere : gratia autem na-
turam non aufert, sed perficit. Maxime
autem idcirco Propheta eis condoluit, quia
de populo illo, scilicet Ruth Moabitide,
Christum cognovit nasciturum, juxta illud
Ibid. 1. Isaiæ : Emitte Agnum, Domine, dominato-
rem terræ, de petra deserti, ad montem
filiæ Sion. Itaque clamabo *ad viros muri*
fictilis lamentantes, id est ad flentes Moa-
bitas, quorum urbes clausæ fuerunt muris

A factis de coctis lateribus, juxta illud in
Isaia : His qui lætantur super muros cocti Is. XVI, 7.
lateris, loquimini plagas suas. *De planctu* 32
Jazer plorabo tibi, id est, de fletu populi
Jazer civitatis in terra Moab, habebo mate-
riam deplorandi te, o Moab, et, o *vinea Sa-*
bama, id est, popule urbis illius. *Propa-*
gines tuæ, id est filii in te habitantes et
nati, *transierunt mare* navigio, *usque ad*
mare Jazer, id est huic loco vicinum, *per-*
venerunt, eundo in captivitatem ; *super*
messem tuam et vindemiam tuam prædo
B *irruit,* id est, terræ nascentia tua exerci-
tus Chaldæorum vastavit.

Ablata est lætitia et exsultatio de Car- 33
melo, id est, a populo Moab ablatum est
gaudium quod habebat de fertilitate ac
amœnitate Carmeli, qui fuit locus in Moab,
alius a Carmelo Judææ. *Vinum de torcu-*
laribus sustuli, dando Chaldæis virtutem
destruendi vineas Moab ; *nequaquam cal-*
cator uvæ solitum celeuma cantabit, id
est, Moabitæ, qui uvas calcare consueve-
runt, ultra non canent carmen illud læti-
C tiæ, quod uvis expressis et vino abun-
dante, consueverunt cantare. *De clamore* 34
Hesebon usque Eleale et Jasa, id est ab
urbe Hesebon usque ad civitates Eleale et
Jasa dictas, *dederunt vocem suam* filii Mo-
ab plangentes ; item *et Segor usque ad*
Oronaim, id est locum ita vocatum, *vitu-*
lam consternantem. Ipsa etenim Segor, vi-
tula consternans vocatur, quia Sodomitico
fuit infecta peccato : eratque una urbium
cum Sodoma subversarum. Unde in Isaia
habetur : Usque Segor vitulam consternan- Ibid. XV, 5.
D tem *. *Aquæ Nemrim pessimæ erunt,* id * conter-
est infectæ et conturbatæ sanguine occi- nantem
sorum atque equitibus Chaldæorum. Nem-
rim autem nomen est civitatis Moab. *Et* 35
auferam de Moab, dicit Dominus, offeren-
tem in excelsis et sacrificantem in excel-
sis *diis suis,* id est sacerdotes et ceteros
Moabitas, qui in locis sublimioribus idola
coluerunt.

Propterea cor meum ad Moab quasi ti- 36
bia æris resonabit, id est, verba compas-
sionis alte producet; *et cor meum ad viros*

muri fictilis, id est Moabitas, quorum urbes
erant munitæ muris ex lateribus coctis con-
fectis, *dabit sonitum tibiarum,* id est voces
dolorosas altas, ut tibiarum sunt soni. *Quia
plus fecit* populus Moab in operibus vitio-
sis, *quam potuit,* id est, licuit, vel quam
quod moderanter valebat; vel, Quia plus
fecit, id est, facere studuit, quam potuit;
idcirco perierunt hi Moabitæ hostibus tra-
37 diti. *Omne enim caput, calvitium; et om-
nis barba, rasa erit:* id est, capita eorum
erunt rasa, similiter barba, in signum ca-
ptivitatis atque tristitiæ. Sic namque con-
sueverunt capti radi, juxta illud in cantico
Deut. xxxii, 42. Deuteronomii : De captivitate nudati ini-
micorum capitis. *In cunctis manibus col-
ligatio,* id est, Moabitæ captivi erunt ma-
nibus suis ligati, vel manus unius erunt
alterius manibus colligatæ, sicque pariter
capti ducentur; *et super omne dorsum ci-
licium,* id est, vestibus vilibus duris velut
saccis atque ciliciis, ab hostibus induen-
38 tur, propriis vestibus eis ablatis; *et super
omnia tecta Moab, et in plateis ejus om-
nis planctus.* Tecta enim ascenderant, ut
viderent si adversarii appropinquarent :
quibus visis, planxerunt. *Quoniam contri-
vi,* id est destruxi, *Moab sicut vas inutile,
39 ait Dominus. Quomodo victa est* plebs Mo-
abitica, *et ululaverunt* Moabitæ? *Quomo-
do dejecit cervicem,* deserviens superbiæ?
Eritque Moab in derisum et in exemplum
perditionis *omnibus in circuitu suo.*
40 *Hæc dicit Dominus.* Quæ sequuntur,
quidam exponunt de punitione Moab per
Chaldæos completa : et cur ista potius
quam præcedentia, referant ad Chaldæos,
nec ex textu, nec ex circumstantia ejus
elicere queo. *Ecce quasi aquila volabit,* id
est, Chaldæorum exercitus celerrime ter-
ram Moab intrabit : de quibus scriptum
Habac. i, 8. est Habacuc primo : Equites ejus de longe
venient; volabunt quasi aquila festinans
ad comedendum. *Et extendet alas suas,* id
est exercituum suorum partes, *ad Moab:*
juxta quem modum in Isaia de rege Assy-
Is. viii, 8. riorum scriptum est : Erit extensio alarum
ejus, implens latitudinem terræ tuæ, Em-

A manuel. *Capta est Carioth* civitas Moab, *et* 41
munitiones comprehensæ sunt, ea videli-
cet quibus se contra Chaldæos munivit.
*Et erit cor fortium Moab in die illa, sicut
cor mulieris parturientis,* id est, Moab ro-
bustioribus tunc inerit dolor gravissimus.
Et cessabit Moab esse populus, quantum 42
ad eos qui occidentur, et quia comparative
perpauci remanebunt, nec hi simul con-
sistent, ut proprie populus appellentur;
quoniam contra Dominum gloriatus est,
ea sibi ipsi et idolis adscribendo, quæ a
B vero Deo suscepit.
Pavor et fovea et laqueus super te, o ha- 43
bitator Moab, id est, popule terram Moab
inhabitans : id est, diversa tibi instabunt
pericula et adversa, ita ut si unum eva-
seris, aliud incidas. Ideo subditur : *Qui* 44
fugerit a facie pavoris, id est a terribili
adversariorum adspectu, *cadet in foveam,*
id est aliud genus periculi sibi a Chal-
dæis paratum; *et qui conscenderit de fo-
vea, capietur laqueo. Adducam enim super
Moab annum visitationis eorum,* id est
C tempus eorum punitioni præfixum, *ait Do-
minus. In umbra Hesebon steterunt de* 45
laqueo fugientes : id est, Moabitæ quum
multa evasissent periculorum genera, ad
fortem urbem, Hesebon nomine, confuge-
runt, ut in ea essent securi; seu, In ejus
umbra, id est protectione. Sed frustra,
*quia ignis egressus est de Hesebon, et flam-
ma de medio Seon* civitatis. Dicitur enim
exercitus Chaldæorum has urbes combus-
sisse et exsistentes in eis. Ideo sequitur :
et devoravit partem regni seu populi *Mo-*
D *ab, et virtutem* * *filiorum tumultus,* id est * verticem
fortitudinem inquietorum ac tumultuan-
tium Moabitarum. *Væ tibi, Moab; peristi,* 46
id est, a Chaldæis vastatus es, *popule Cha-
mos,* id est, colens idolum nomine Chamos.
Et convertam captivitatem Moab in no- 47
vissimis diebus, id est, post tempora mul-
ta subversis Chaldæis, populus Moab red-
ibit ad pristinum locum et statum, *ait
Dominus. Hucusque judicia Moab,* id est,
usque ad locum hunc descripta sunt justa
flagella, Moabitis ex divinæ æquitatis cen-

sura superventura. Sed huic verbo obviare videtur, quod Sophonias de Moab et populo Ammon asserit (Soph. II, 9.): Siccitas spinarum erit, et acervi salis, et desertum usque in æternum. Ad quod respondit Hieronymus super Sophoniam, quod dictio Hebraica, pro qua ipse transtulit, In æternum, significat duo, videlicet sæculum, id est longam quamlibet durationem, et item, in A æternum. Secundum primam itaque acceptionem, Moab et filii Ammon deserti fuerunt, quantum ad populi reparationem. Porro juxta secundam acceptionem, deserti fuerunt et sunt in æternum, quantum ad hoc, quod reges de proprio populo suo exortos, post vastitatem a Chaldæis inflictam, sortiti non sunt. De hoc super Sophoniam plenius dixi.

ARTICULUS LXVIII

DE MORALITATE EJUSDEM CAPITULI QUADRAGESIMI OCTAVI.

De expositione moralitatis præsentis capituli plurima possunt commemorari, de quibus pertranseo, tum quia virtualiter jam sæpe inducta sunt, tum quia super Isaiam in expositione morali capitulorum quintidecimi et sextidecimi, pro maxima parte jam dixi quæ hic essent dicenda; tum quia omnia hujus capituli verba per moralitatem extenuare, fastidium magis pareret quam profectum. Hinc non nisi quædam principalia præsentis capituli moralizabo.

1 *Ad Moab.* Moab interpretatur, ex patre. Quo nomine hoc passu impii designantur, de qualibus ait Salvator (Joann. VIII, 44.): Vos ex patre diabolo estis. Ad horum ergo punitionem atque æternam damnationem pertinent quæ sequuntur. *Hæc dicit Dominus: Væ super Nabo.* Nabo, sessio interpretatur: per quod delectatio, quies seu mora in vitiis designantur. Væ ergo damnationis æternæ debetur et imminet his qui delectantur et perseverant in suis vanitatibus et peccatis: quia etsi humanum sit peccare, diabolicum tamen est in peccatis persistere. *Quoniam vastata est* anima talis
2 ab invisibilibus hostibus. *Et non est ultra exsultatio in Moab,* id est generatione perversa, quæ impietatem diaboli imitando, eum habere patrem censetur: quæ B etsi nunc in rebus pessimis gaudet (Prov. II, 14.), tamen id gaudium est instar puncti, atque ad æternum perducit mœrorem. His quoque verum spiritualeque gaudium, quod ab Apostolo inter fructus Spiritus computatur (Galat. V, 22.), non competit. *Contra Hesebon cogitaverunt malum:* id est, cogitantibus iniqua per consensum, cogitant hostes maligni inferre pœnam perpetuam, juxta illud (Mich. II, 1.): Væ qui cogitatis inutile. *Ergo silens conticesces:* juxta quod scriptum est (I Reg. II, 9.), Impii in tenebris conticescent. Et per Prophetam C Dominus loquitur (Ezech. XVI, 63.): Non erit tibi aperire os præ confusione. Denique omnis reprobus in hora judicii sui particularis et universalis, quando Deus statuet eum contra faciem suam, silebit, respondere non valens. Nec aliquis nostrum putet se Omnipotenti posse respondere, præsertim quum scriptum sit in libro Job (Job IX, 3.): Si voluerit homo contendere cum Deo, non poterit respondere unum pro mille.

4 *Annuntiate clamorem parvulis ejus,* id est, posteris seu filiis insinuate clamorem D patrum suorum Deo rebellium, quem sustinent in inferno, ne eorum sectentur peccata.

7 *Pro eo quod habuisti fiduciam in munitionibus tuis, et in thesauris tuis,* id est divitiis corporalibus vel spiritualibus, et

virtutibus, machinamentis quoque illici- A
tis, *capieris*, id est, funibus vitiorum strin-
geris, et subjectus eris dæmonibus, atque
in carcerem corrues infernalem. Hoc con-
Ps. LI, 9. tra eos qui non ponunt Deum adjutorem
suum, sed sperant in multitudine divitia-
rum suarum, et prævalent in vanitate sua,
vel de propriis meritis nimis præsumunt;
contra eos insuper, qui in creaturis magis
quam in Creatore confidunt, et qui iniqui-
tates suas magistraliter excusare palliare-
que norunt, ac increpantem argumento-
rum suorum munitionibus retundere atque
9 convincere. *Date florem Moab*, id est, ini-
quos sinite ad tempus florere, ut tempo-
rali prosperitate calamitatem quæ finem
non habet, conquirant : sicut Hieronymus
loquitur, Gaudeant nunc reprobi. Vel, flo-
ribus mox marcescentibus eos assimilate :
Ps. XXXVI, 2. juxta quod ait Psalmista, Quoniam tanquam
fœnum velociter arescent, et quemadmo-
dum olera herbarum cito decident.
10 *Maledictus qui facit opus Dei fraudu-
lenter*, id est, Deo, quod sibi debetur, non
exhibet : qui divinæ majestatis honoratio- C
ni debitum subtrahit, qui in cultu divino
fraudem committit, qui simulator et calli-
dus est, qui Altissimo non obedit : juxta
Ps. CXVIII, 21. illud in Psalmo, Maledicti qui declinant
a mandatis tuis. Huic maledictioni sub-
jacent, qui opus Dei faciunt negligenter,
irreverenter, sine timore, sine cura, sine
custodia, sine affectu. Consideremus ergo
ubique et semper æternæ sapientiæ intui-
tum super nos fixum, infallibilem Judicem
nos indesinenter adspicientem, Creatoris
nostri majestatem prorsus immensam : sic- D
que omni diligentia, casto pudore, filiali
timore, incalescenti amore adsistamus et
obsequamur Deo sublimi et benedicto; at-
que ad id peragendum, sui auxilii gratiam
humili mente infatigabiliter invocemus.
Maledictus qui prohibet gladium suum, id
est sacræ Scripturæ verbum sibi cognitum :
Ephes. VI, 17. siquidem teste Apostolo, Gladius spiritus
est verbum Dei ; *a sanguine*, id est vitio-
rum operumque carnis et sanguinis incre-
patione, seu propinquorum informatione,

quando locus, tempus et causa id exigunt.
Correptio namque fraterna, uno modo cadit
sub præcepto.
Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua : 11
quia ut cernimus, reprobi in temporalibus
prosperantur; *et requievit in fæcibus suis :*
id est, quicumque non pœnitet, sed mun-
danam conversationem continuat, in suis
fæcibus requiescit : quod præsertim car-
nalibus obscenisque competit, contra quos
Dominus ait in Sophonia : Visitabo super Soph. I, 12.
viros defixos in fæcibus suis. *Nec trans-*
B *fusus de vase in vas.* Vasa nostra sunt cor-
pora nostra, de quibus Apostolus : Habe- II Cor. IV, 7.
mus, inquit, thesaurum istum in vasis
fictilibus. Qui ergo carnaliter vivunt, de
vase suo non transfunduntur : de quibus
ad Romanos ait Apostolus : Qui in carne Rom. VIII, 8.
sunt, Deo placere non possunt. Qui autem
ab omni inquinamento carnis se purgat, et
corpus suum prius fœdum vitiisque deser-
viens ac subditum, subdit spiritui, de vase
in vas transfunditur. Imo de corpore dia-
boli ad mysticum corpus Christi transfer-
tur, et de vase digno damnatione, transit
ad vas dignum salvatione. Ad quod Paulus
nos admonens : Hæc est, ait, voluntas Dei, I Thess. IV, 3-5.
sanctificatio vestra, ut sciat unusquisque
vestrum vas suum possidere in sanctifica-
tione et honore, non in passione deside-
rii. Sed et corda nostra vasa nostra vocan-
tur, et qui de impuritate venit ad puritatem
mentalem, salubriter prorsus transfundi-
tur. *Et in transmigrationem non abiit*, de
vitiis scilicet ad virtutes.
Idcirco permansit gustus ejus in eo, id
est sensus carnalis, terrenorumque sapor.
Etenim, juxta Apostolum, Animalis homo I Cor. II, 14.
non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei.
Tales gustare non valent, quam dulcis est Ps. XXXIII, 9.
Dominus. Unde etsi verba Dei audiant, eis
non sapiunt, nec dulciter afficiuntur ad
Deum. Denique ipsi vitiosi affectus mun-
dani atque carnales, sunt velut humores
febriles, cordis palatum inficientes, et felle
venenatissimo intoxicantes : ita ut spiri-
tualia et divina, quæ vere super mel et Ps. XVIII, 11.
favum exstant suavia, ei videantur amara.

vel saltem non dulcia; carnalia autem, im- A
munda atque caduca, ei dulcescunt. *Et
odor ejus non est immutatus,* id est, fama
ejus meliorata non est. Peccata enim fa-
ciunt peccantem diffamem, et aliis scan-
dalosum; et fama mala plurimum est vi-
Eccli. XLI, 15. tanda, quum dicat Scriptura : Curam habe
de bono nomine; hoc enim plus proderit
tibi, quam mille thesauri. Vel, Odor pra-
vorum, est fœtor eorum in vitiis. Porro
qui vitam emendat, et virtuosus efficitur,
immutat odorem, potestque dicere cum
II *Cor.* II, 15. Apostolo : Christi bonus odor sumus. Talis B
est odor Sponsæ, de qua fertur in Canti-
Cant. IV, 11. cis : Cujus inæstimabilis odor erat nimis
in vestimentis ejus, puta virtutibus, qui-
bus anima induitur et ornatur. De quo et
Gen. XXVII, 27. Isaac loquens de Jacob : Ecce, inquit, odor
filii mei sicut odor agri pleni.
12 *Propterea dies veniunt, dicit Dominus,
et mittam ei ordinatores et stratores la-
guncularum.* Hoc accipi potest in bono, et
item in malo. In bono equidem ordinato-
res, sunt prædicatores atque pastores vir-
tuosi, qui proximos peccatis deordinatos, C
ad formam virtutum, ordinatamque vitam
reducunt : qui etiam stratores lagunculа-
rum, id est mortalium ac fragilium corpo-
rum humanorum, vocantur, per hoc quod
ea quotidianæ mortificationi in actibus pœ-
nitentialibus exhibent et exponunt, quem-
admodum Paulus hortatur ad Colossen-
Coloss. III, 5. ses : Mortificate membra vestra quæ sunt
super terram. In malo autem, per ordina-
tores et stratores laguncularum, nominan-
tur invisibiles hostes, vel ceteri per quos
Deus omnipotens reproborum peccata ul- D
ciscitur, et quod in eis inordinatum est
per peccatum, ordinat juste per pœnam.
13 *Et confundetur Moab a Chamos.* Moabitis
idolum Chamos dictum colentibus assimi-
lantur, quicumque temporalibus, carnali-
bus, mundanisque rebus magis inhærent,
intendunt, junguntur, quam Deo adoran-
Philipp. III, 19. do et glorioso : ut gulosi, quorum deus
venter est ; avari, quorum deus pecu-
nia; superbi, quorum deus honor inanis;
lubrici, quorum deus fœtidissima caro.

Hi omnes confundentur a caducis quibus
insistunt.
Quomodo dicitis, Fortes sumus et viri 14
robusti ad præliandum? Hoc contra eos
qui in oculis suis spirituales, sapientes ac *Is.* V, 21.
virtuosi sunt, seque ad resistendum diabo-
lo, mundo et carni arbitrantur robustos;
nihilo minus facili tentatione turbantur,
passionibus agitantur, vanitatibus delectan-
tur. *Prope est interitus Moab ut veniat, et* 16
malum ejus velociter accurrit nimis. Pla-
ne nil verius. Quamvis enim iniqui diu in
sæculo videantur florere, si tamen futuri
sæculi æternitatem pensemus, agnoscimus
quam momentaneum sit quod nunc dele-
ctat, et quod vapor ac fumus ad modicum *Jacob.* IV, 15.
parens, sit vita gaudiumque ipsorum; quod
item post labilissimam istam brevissimam-
que in mundo hoc consolationem, ituri
sint ad irreparabilem perditionem. *Descen-* 18
de de gloria, sede in siti, id est, o homo
mundane, de excellentia et præsumptio-
ne tua desiste, et humiliare, requiesce in
temporali penuria, ut in æternum diteris,
siti justitiam, ut spiritualiter satieris. *In* *Matth.* V, 6.
via sta, id est in observatione præcepto- 19
rum, et imitatione vestigiorum præceden-
tium patrum, *et prospice,* considerando
novissima tua. *Interroga fugientem,* qui
relicto sæculo, ad conversationem confugit
claustralem, *et ei qui evasit* impugnatio-
nes diaboli, *dic, Quid accidit* amatoribus
sæculi? Quibus dicendum est : *Confusus est* 20
Moab, quoniam victus est, id est, omnis
iniquus deperiit, succumbens diabolo et
desideriis carnis.
Inebriate eum pœnis damnationis, videli- 26
cet calice iræ Domini, *quoniam contra Do-
minum erectus est.* Omnis quippe superbus,
quia divinæ voluntati propriam præfert, et
præcepta Altissimi desideriis suis postpo-
nit, nec Deo secundum formam mandato-
rum legis divinæ se subjicit, contra Deum
erigitur. Cui dicendum est illud in Job :
Quid te elevat cor tuum, et contra Deum *Job* XV, 12, 13.
tumet spiritus tuus? De quo in eodem li-
bro asseritur : In diem perditionis servatur *Ibid.* XXI, 30, 20.
malus, et ad diem furoris ducetur, et de

furore Omnipotentis bibet. *Erit in derisum* A
27 *etiam ipse; fuit enim in derisum tibi, Israel.*
Ex quo innotescit, quod aliorum, potissime
devotorum atque simplicium, irrisores, et
de proximorum ruina gaudentes, irrideri
et perire merentur. Ideo in Isaia habetur :
Is. xxviii, 22. Nolite illudere, ne constringantur vincula
Malach. ii, 15. vestra. Malachias quoque ait : Custodite
28 spiritum vestrum, et nolite despicere. *Re-*
linquite civitates, scilicet loca deliciarum :
Osee xi, 9. unde per Osee Dominus ait, Non ingre-
diar civitatem; *et habitate in petra,* puta
in Christo, seu loco claustrali contra pec- B
cata firmato. *Estote quasi columba nidi-*
ficans in summo ore foraminis, id est, in
vulnere pectoris Christi figite mentem.
29 *Audivimus superbiam Moab,* id est pec-
catoris impœnitentis, ex dæmone (quan-
tum ad hoc) procedentis, dicente Joanne
I *Joann.* iii, 8. apostolo in prima sua Canonica : Omnis
qui peccat, ex diabolo est. *Superbus est*
valde, quod tam pertinaciter parvi pendit
et negligit divina præcepta, et universa
Spiritus Sancti eloquia, quæ audit quoti-
die et cognoscit. *Sublimitatem, arrogan-* C
30 *tiam et superbiam ejus. Ego scio, ait Do-*
minus, et *jactantiam ejus, et quod non sit*
juxta eam virtus ejus. Pensent et timeant
ista summi Judicis verba, universi superbi
Hebr. x, 31. et præsumptuosi, qui horribiliter incident
manus Dei viventis, contra quem tam au-
dacter quam impudenter, se extenderunt
et cucurrerunt : qui tanto pœnalius pre- *Apoc.* xviii, 7.
muntur infimis locis carceris infernalis,
quanto se nunc liberius efferunt in rebus
caducis. Istis, quamdiu in via sunt, con-
dolere debemus. Debemus et orare pro
ipsis, secundum quod subditur : *Ideo su-* 31
per Moab evigilabo. Super messem tuam* 32
prædo irruit. Quia etsi isti aliqua ope- * *ejulabo*
ra de genere bona facere videantur, per
vanam gloriam tentante diabolo perdunt,
sicut ait Salvator : Receperunt mercedem *Matth.* vi, 2, 5, 16.
suam.
Quia plus fecit quam potuit, idcirco 36
perierunt. Hoc contra eos qui in Dei obse-
quio indiscreto se jejunio seu labore con-
ficiunt, qui per lucem prudentiæ (quæ
virtutum auriga est) non reguntur : quibus
clamat Apostolus, Rationabile obsequium *Rom.* xii, 1.
vestrum; et item, Honeste et secundum I *Cor.* xiv, 40.
ordinem omnia fiant in vobis. Nempe quæ *Rom.* xiii, 1.
a Deo sunt, ordinata sunt. Hinc ait Ber-
nardus : Paulatim proficere volo, subito
summus fieri nolo. Dociles ergo et dirigibi-
les simus, senioribus superioribusque cre-
damus, nec propriæ prudentiæ innitamur,
juxta illud Proverbiorum : Habe fiduciam *Prov.* iii, 5.
in Domino ex toto corde tuo, et ne inni-
taris prudentiæ tuæ.

ARTICULUS LXIX

EXPLANATIO CAPITULI QUADRAGESIMI NONI : ITEM AD FILIOS AMMON.

CAPITULO isto plurimarum gentium vastitas prophetatur : et primo Ammonitarum, quorum punitionis dejectionisque causa per Chaldæos factæ, a Sophonia (*Soph.* ii, 8, 10.) (ut dictum est) ponitur. Ezechiel autem plenius aperit, quum dicit, quod filii Ammon (*Ezech.* xxv, 3, 6.) toto affectu gavisi sunt de subversione templi ac populi Israel, et pede percusserunt terram, manibusque plauserunt D præ gaudio : in quo graviter peccaverunt, quum essent nati de Lot nepote Abrahæ (*Gen.* xix, 38.) patris filiorum Israel, et quoniam Abraham plurima beneficia contulit Lot, sicut (*Ibid.* xiv, 14-16.) in Genesi scribitur.

Item (vel *Ite*) *ad filios Ammon.* Aliqui 1
textus habent, Item, sicque ad præceden-
tia continuatur præsens capitulum ; ali-
qui, Ite, et sic est verbum Dei ad Chal-

dæos, ut pergant contra Ammonitas. *Hæc* A
dicit Dominus : Numquid non filii sunt
Israel? id est, an patriarchæ sancto Jacob,
Gen. xxxii, 28. qui alio nomine dictus est Israel, non su-
persunt in mundo aliqui filii ? vel, an ipsi
filii Israel penitus perierunt ? *Aut heres*
non est ei ? id est, an Jacob seu Israel non
habet heredem ? quasi dicat, Quum sint
multi viventes de filiis Israel. *Cur ergo*
hereditate possedit Melchom, id est rex
seu deus filiorum Ammon, *Gad,* scilicet
terram seu sortem tribus Gad ? Hæc siqui-
Deut. iii, 12, 13, 16; xxix, 7, 8. dem tribus, sicut in Deuteronomio scri- B
ptum est, cum tribu Ruben, et media tribu
Manasse, hereditatem accepit trans Jorda-
nem, non longe a terra filiorum Ammon.
I *Reg.* xi, 1. Unde et postea Ammonitæ terram Gad in-
vaserunt. Porro idolum Ammonitarum, Mel-
chom vocatum est. Et quoniam Melchom
interpretatur, rex eorum, sæpe pro rege
Ammon accipitur. Si autem pro deo seu
idolo illorum accipitur, non est intelligen-
dum, quod idolum illorum fuerit aliquid
in terra hac possidens, sed nomine idoli
ejus exprimuntur cultores. Unde in libro C
Judicum Jephthe mandavit regi Ammon :
Judic. xi, 24. Nonne ea quæ possidet Chamos deus tuus,
tibi jure debentur ? Putabant quippe gen-
tiles collata sibi a diis, quæ a vero Deo
habuerunt. Nec obstat quod hoc loco dici-
tur Melchom deus Ammonitarum, quum
præfato loco Chamos dicatur deus regis
III *Reg.* xi, 5. Ammon : nam et tertio Regum fertur Sa-
lomon coluisse Moloch idolum filiorum
Ammon. Plurimis enim idolis servierunt,
vel vicissim per temporum intervalla, vel
simul. *Et populus ejus,* scilicet regis Am- D
mon, *habitavit in urbibus ejus,* videlicet
filiorum Gad ? Quasi dicat : Hoc injuste
est factum. Hinc præter causam superius
assignatam, ponitur alia causa punitionis
filiorum Ammon.
2 *Ideo ecce dies veniunt in te,* o popule
Ammon, *dicit Dominus, et auditum fa-*
ciam super Rabbath urbem regiam atque
metropolim *filiorum Ammon, fremitum*
prælii, scilicet fervorem exercitus Chal-
dæorum ; *et erit in tumultum* (seu *tumu-*
lum) *dissipata,* id est destructa usque con-
geriem ruinarum, *filiæque ejus,* id est
civitates urbi præfatæ subjectæ, *igne suc-*
cendentur. Unde in libro Josue civitates *Josue* xv-
inferiores, principalioris urbis filiæ ap- xix, passim. Cf. I *Par.*
pellantur. *Et possidebit Israel possessores* vii, 28, 29;
suos, id est, terram et populum Ammon, viii, 12.
ejus terram injuste possidentem, habebit
subjectum. Quod tempore Machabæi vide-
tur impletum, juxta illud primi libri Ma-
chabæorum : Et transivit Judas ad filios I *Mach.* v,
Ammon, et invenit manum fortem ; com- 6-8
misit prælia multa, et contriti sunt filii
Ammon ab eo, et cepit civitatem Gazer et
filios ejus. *Ulula, Hesebon,* id est, habita- 3
tores civitatis illius, *quoniam vastata est*
*Ar**, id est locus sic dictus. Unde in Deu- * alias *Hai*
teronomio ait Dominus : Filiis Lot dedi *Deut.* ii, 9.
Ar in possessionem. *Clamate, filiæ Rab-*
bath : de quibus jam dictum est, intelligen-
do nominibus urbium, habitatores earum.
Accingite vos ciliciis in signum doloris,
plangite et circuite per sepes, hinc inde
vagantes ac fugientes ; *quoniam Melchom*
in transmigrationem ducetur : Chaldæi
enim idola Ammonitarum propter pretio-
sitatem materiæ et ornamentorum, secum
tulerunt ; *sacerdotes ejus,* scilicet idoli hu-
jus, *et principes ejus simul.* Quosdam enim
istorum abduxerunt Chaldæi captivos.
Quid gloriaris in vallibus, id est ferti- 4
litate et fructibus locorum illorum magis
quam in Creatore eorum ? *Defluxit vallis*
tua, id est, vallium terræ nascentia ab ho-
stibus diripientur, *filia delicata,* id est,
gens Ammonitarum carnalis et mollis, *quæ*
confidebas in thesauris, id est in divitiis
tuis, et dicebas, Quis veniet ad me ? id
est, quis me impugnare audebit ? Quod
quia superbe mendoseque dixerat, subdi-
tur : *Ecce ego inducam super te terrorem,* 5
ait Dominus, ab omnibus qui sunt in cir-
cuitu tuo, id est, ex Chaldæorum adventu
te perterrebo : inter quos erant auxiliarii
ex diversis nationibus in gyro territorii
Ammon ; *et dispergemini singuli a con-*
spectu vestro, id est, unus filiorum Am-
mon ab alio elongabitur captivitate, morte

6 seu fuga. *Et post hæc reverti faciam fu-*
gientes et captivos filiorum Ammon, ait
Dominus, id est, Ammonitas ad propriam
terram reducam, vel eosdem qui fuerunt
abducti, aut natos ipsorum. Sed huic con-
trariari videtur, quod per Ezechielem Do-
Ezech. XXV, 10. minus loquitur : Dabo eam in heredita-
tem, ut non sit memoria ultra filiorum
Ammon in gentibus. Ad hoc ex præceden-
Art. LXVII, in fine. tis capituli expositione patet responsio,
ubi de filiis Moab inducta est objectio si-
milis. Vel dicendum, quod filii Ammon
post vastitatem præfatam non fuerunt tan-
tæ famæ ut ante. Sed et dictio, Ultra, non
semper perpetuitatem, sed vicissim lon-
gam sive insolitam durationem importat :
quod jam aliis locis sæpius dixi.

Consequenter prophetia inducitur contra
Gen. XXXVI, 43. Idumæos, qui quum essent nati de Esau
fratre Jacob, debuerunt filiis Israel esse
benevoli, sed frequenter erant eis contra-
7 rii. *Ad Idumæam,* id est terram et popu-
lum filiorum Esau, pertinent quæ sequun-
tur. *Hæc dicit Dominus : Numquid non*
ultra est sapientia in Theman ? id est,
sapientia Idumæorum in urbe nomine The-
man morantium periit, infatuataque est.
Periit consilium a filiis, scilicet Esau, vel
urbis præfatæ; *inutilis facta est sapientia*
eorum : id est, nil profuit eis ad resisten-
dum Chaldæis, quibus terram eorum in-
gredientibus, ita territi ac turbati fue-
runt, quod mens et consilium fugit ab eis.
Excessivæ enim passiones animæ, actum
impediunt rationis. Unde in visione Abdiæ
Abdiæ 8. Dominus ait : In die illa perdam sapientes
de Idumæa, et prudentiam de monte Esau.
Nec intelligenda sunt hæc, quod ante Chal-
dæorum adventum fuerit in Idumæa et
Theman sapientia spiritualis ac vera, sed
carnalis et sæcularis; vel etiam philoso-
phicalis, cujus studium in Theman viguis-
se asseritur : propter quod scriptum est
Baruch III, 22. apud Baruch, Disciplina non est audita in
8 terra Chanaan, neque visa in Theman. *Fu-*
gite et terga vertite, o Idumæi, quia nec
fortitudine nec sapientia potestis resiste-
re ; *descendite in voraginem,* id est in

A antra et subterranea quælibet loca, *habita-*
tores Dedan urbis Idumææ; *quoniam per-*
ditionem Esau, id est vastitatem populi
hujus, *adduxi super eum, tempus visita-*
tionis, id est punitionis, *ejus* per exerci-
tum Chaldæorum.

Denique quæ de Idumæorum pressura
subduntur, pene omnia et quasi eisdem
verbis, in visione Abdiæ, qui diu Jeremi-
am præcessit, habentur; et quia ibidem
ea prolixe exposui, nunc pertransire in-
tendo. *Si vindemiatores ejus,* qui uvas 9
B abscindunt, *venissent super te,* o Idumæa,
reliquissent racemum, id est, aliquas uvas
in vineis tuis reliquissent. *Si fures in no-*
cte domus tuas intrassent, *rapuissent quod*
sufficeret sibi, id est non totum, sed quod
portare potuissent, vel ausi fuissent, se-
cum tulissent. *Ego vero discooperui Esau,* 10
id est, bona ejus occultata, feci a Chaldæis
inveniri; *revelavi abscondita ejus :* quia
Chaldæi, Deo disponente, secretissima loca
istorum scrutati fuerunt; *et celari non*
poterit populus Idumææ, vel ejus posses-
C sio. *Vastatum est semen ejus,* id est gene-
ratio seu filii Idumææ, *et fratres ejus, et*
vicini ejus, id est proximi et propinqui;
et non erit populus iste, quantum ad in-
terfectos, vel in fortitudine pristina.

Relinque pupillos, id est infantes et pu- 11
eros *tuos, et ego faciam eos vivere,* id
est, a Chaldæis non sinam occidi, *et viduæ*
tuæ in me sperabunt, id est, me protegen-
te, de manibus Chaldæorum evadent. Par-
vuli namque et viduæ præservari solent a
morte, viris parentibusque occisis. Quo in-
D sinuatur, quod viri Idumææ erant genera-
liter devastandi, cujus et ratio subditur :
Quia hæc dicit Dominus : Ecce quibus 12
non erat judicium ut biberent [*calicem*],
id est, qui propriis culpis a Chaldæis seu
aliis persecutionem pati non meruerunt,
bibentes bibent, id est, pœnam necemque
sentient, prout in Ezechiele ad Jerusalem
loquitur Deus : Ejiciam gladium meum de *Ezech.* XXI, 3.
vagina sua, et occidam in te justum et
impium. *Et tu,* Idumæa vitiis plena, *qua-*
si innocens, id est impunita, *relinqueris ?*

Non eris innocens, sed bibens bibes, id est, A
13 calicem iræ Dei senties ; *quia per memet-
ipsum juravi, dicit Dominus,* qui majo-
rem non habet per quem juret, idcirco se
ipsum in testem verborum suorum assu-
mit; *quia in solitudinem,* per habitatorum
carentiam, *et in opprobrium et in derisum
et in maledictionem erit Bosra.* Per quod
hoc loco intelligitur Idumæa. Verumta-
men, secundum Hieronymum super illud
Is. LXIII, 1. Isaiæ, Quis est iste qui venit de Edom,
tinctis vestibus de Bosra? Bosra non fuit
in terra Edom seu Idumææ, sed erat ci- B
Gen. XXXVI, 33, 31. vitas terræ Moab, de qua fuit Jobab rex
Edom, quemadmodum in Genesi habetur ;
et quia hic Jobab rex Idumææ, fuit de
Bosra, per Bosra exprimitur Idumæa. *Et
omnes civitates ejus erunt in solitudines
Ezech. XXXV, 9. *sempiternas.* Hoc idem ab Ezechiele prædi-
Abdiæ 10. ctum est, et Abdias dixit ad Edom : Pro-
pter iniquitatem tuam in fratrem tuum Ja-
cob, peribis in æternum. Quibus repugnare
videtur, quod gens Idumææ post suam
a Chaldæis dejectionem legitur reparata.
Ad quod respondetur, quod dictio Hebrai- C
ca, pro qua Hieronymus sæpe transtu-
lit, Sempiternum, etiam significat Sæcu-
lum, ut ipsemet ait Hieronymus : unde et
nunc per sempiternum, intelligitur dura-
tio longa.

Consequenter loquitur Jeremias de se
14 ipso. *Auditum,* id est verbum propheticæ
revelationis de vastitate Idumææ, *audivi a
Domino,* ministerio angeli sancti, interiori
auditu, quemadmodum Zacharias testatur :
Zach. I, 9; II, 3; IV, 1; V, 5. Angelus loquebatur in me. *Et legatus ad
gentes missus sum,* id est divinitus depu- D
tatus loqui de Chaldæis, quod contra Idu-
mæam ituri sint. Non autem ivit Jeremias
corporaliter ad Chaldæos, ut eis proprio
ore ista denuntiaret. *Congregamini, et ve-
nite contra eam, et consurgamus in præli-
um.* Istud potest esse verbum Chaldæorum,
se mutuo exhortantium ad conveniendum
et præliandum contra Idumæam. Vel est
verbum Dei ad Chaldæos, quibus Dominus
se connumerat, dicens, Consurgamus : ad
insinuandum quod eum habeant adjuto-
rem, bellique ducem contra Idumæos. Un-
de in persona Dei subjungitur :

Ecce enim parvulum dedi te in genti- 15
bus, id est, modicum in numero feci te,
populum Idumææ, inter gentes, multis de
tuis per Chaldæos occisis, *contemptibilem
inter homines,* quia Chaldæis te vehemen-
ter subjeci. *Arrogantia tua decepit te,* id 16
est, cor tuum excæcavit, et nimis de te
ipso præsumere fecit, *et superbia cordis
tui,* ita quod mente et verbis ac apparatu
et facto fuisti superbus, *qui habitas in ca-
vernis petræ,* id est speluncis saxorum
propter ardorem solis valde vigentem in
Idumæa, vel in habitaculis fortibus, quæ
faciliter accedi et expugnari non valent, *et
apprehendere niteris altitudinem collis,* id
est, immoderate omnino conaris exaltare
te ipsum. *Quum exaltaveris quasi aquila
nidum tuum,* id est, quantumcumque in
honore et potestate ascenderis, *inde de-
traham te, dicit Dominus,* id est, per Chal-
dæos dejiciam et occidam. *Et erit Idumæa* 17
deserta, id est hominum habitatione pri-
vata. *Omnis qui transibit per eam, stupe-
bit et sibilabit super omnes plagas ejus,* id
est, de tanti regni tam multiplici vastitate
mirabitur, et in signum stuporis seu irri-
sionis faciet sibilum oris. *Sicut subversa* 18
*est Sodoma, et Gomorrha, et vicinæ ejus,
ait Dominus,* id est aliæ tres civitates si-
mul cum illis subversæ, utpote Adama,
Seboim, Segor. *Non habitabit ibi,* scilicet
in Idumæa, *vir, et non incolet eam filius
hominis.* Quod intelligendum est de Sem-
piterno præfato, scilicet sæculo : estque
similitudo ista aliqualis, non autem omni-
moda; partim quoque hyperbolica est ista
locutio.

Ecce quasi leo ascendet rex Babylonis 19
de superbia Jordanis, id est de animosi-
tate sua, seu post animositatem quam ex-
ercuit in terra Judææ, ubi fluit Jordanis :
quia quum hanc vastasset, postea ingressus
est Idumæam; *ad pulchritudinem robu-
stam,* id est terram urbibus, populis, di-
vitiisque ornatam. Vel sic : De superbia
Jordanis, id est instar tumoris seu elatio-

nis, vel inundationis ipsius Jordanis, qui A
intumescendo operit terram vicinam. Quo
insinuatur, quod rex Babylonis esset cum
magna potestate et pompa contra Idumæam
venturus : et juxta hunc sensum verbum
Jer. L, 44. hoc sequenti capitulo, de rege Persarum
sive Medorum contra Babylonem veniente,
conscriptum est. Propter quod subditur :
quia subito currere, id est celeriter tendere, *faciam eum ad illam. Et quis erit electus quem præponam ei?* id est, quis ex Idumæis tam elegans erit, ut præferam eum regi Babylonis in potestate? quasi B dicat, Nullus. *Quis enim* in creaturis *similis mei* similitudine naturali, seu æqualitatis? *Et quis sustinebit me,* quum eum voluero separare sive punire? *Et quis est iste pastor,* id est Idumæorum princeps, *qui resistat vultui meo,* id est præsentiæ meæ aliquid operari seu ulcisci volenti? quasi dicat : Quum tam summus atque omnipotens sim, victoriam cui voluero dabo.
20 *Propterea audite consilium Domini quod iniit,* id est, mente tractavit seu inquisitionis discursu, *de Edom,* id est populo C Idumææ. Quemadmodum enim Esau vocatus est etiam Edom, et Seir, ita et populus
Gen. xxv, 30; *Ezech.* xxv, 8. ab ipso descendens, his tribus designatur nominibus. *Et cogitationes ejus, quas cogitavit de habitatoribus Theman,* id est urbis sic dictæ, qui fuerunt principalior pars populi Idumææ. *Si non dejecerint eos,* scilicet habitatores Idumææ, *parvuli gregis,* id est minores de exercitu Chaldæorum, justitiam meam exsequentes; *nisi dissipaverint cum eis habitaculum eorum,* id est urbes et domus Idumæorum. Quasi D
21 dicat : Imo dejicient. *A voce ruinæ eorum commota est terra,* id est, habitatores diversarum regionum audito rumore vastitatis Idumæorum, terrore et admiratione turbati sunt; *clamor in mari Rubro auditus est vocis ejus,* id est, clamorem vocum populi Idumææ vastati, perceperunt navi-
22 gantes in mari Rubro. *Ecce quasi aquila,* id est valde velociter, *ascendet* Nabuchodonosor rex Babylonis, *et evolabit* de loco suo; *et expandet alas suas,* id est populi sui acies, *super Bosram,* id est Idumæam. *Et erit cor fortium Idumææ in die illa, quasi cor mulieris parturientis,* id est pavidum valde ac dolorosum.

Consequenter loquitur Propheta contra Syriam, cujus præcipua urbs fuit Damascus, juxta illud Isaiæ : Caput Syriæ Da- *Is.* VII, 8.
mascus. Ad quam pertinent quæ sequun-
tur : *Confusa est Emath et Arphad,* id est 23
gens habitans in istis civitatibus Syriæ; *quia auditum pessimum,* id est rumorem gravissimum, *audierunt* de Chaldæorum adventu. *Turbati sunt in mari,* id est, negotiantes et occupati ibidem; *præ sollicitudine quiescere non potuit,* id est populus in mari circa Syriam consistens, in tantum anxiabitur propter advenientes Chaldæos, quorum crudelitatem potentiamque cogno-
vit. *Dissoluta,* id est viribus destituta, *est* 24
Damascus, id est populus ejus, timens Chaldæos; *versa est in fugam, tremor apprehendit eam,* ita quod ex vehementi interiori pavore torporeque intremuit; *angustiæ et dolores tenuerunt eam quasi parturientem.* Quid enim tam pœnale, ut exspectare adversarios, quibus se posse resistere homo desperet?

Quomodo dereliquerunt fugientes ex Da- 25
masco *civitatem laudabilem, urbem lætitiæ,* id est ipsam Damascum, elegantem,
opulentam, et deliciosam. *Ideo cadent ju-* 26
venes ejus in plateis ejus, occisi illico a Chaldæis; *omnes viri prælii,* id est pugnatores Damasci, *conticescent in die illa,* id est, reclamare hostibus non audebunt.
Et succendam ignem in muro Damasci, 27
eam per Chaldæos incendendo, *et devorabit mœnia Benadad,* id est structuras quas olim in Damasco fecit Benadad rex ejus. Huic simile est quod in Amos Dominus
loquitur : Mittam ignem in domum Ha- *Amos* I, 4.
zael, et devorabit domos Benadad. In Isaia quoque de destructione Damasci legitur
prophetatum : Ecce Damascus desinet es- *Is.* XVII, 1.
se civitas. Fuerunt equidem reges Syriæ III *Reg.* XX;
filiis Israel ultra modum molesti, quem- IV *Reg.* VI, VIII, X, XIII.
admodum tertio et quarto libro Regum scribitur.

Insuper sermo prophetalis dirigitur con-
28 tra Asorenos. *Ad Cedar.* Primogenitus Is-
Gen. xxv, 13. mael fuit Nabajoth, post quem natus est
Cedar, cujus posteritas jam nomine Cedar
exprimitur, quemadmodum populus Ju-
dæorum frequenter nomine Jacob et Israel
designatur. *Et ad regna Asor,* id est po-
pulos quorum metropolis fuit Asor; *quæ
percussit,* id est, quæ percutiet : loquitur
enim Propheta de futuro instar præteriti;
*Nabuchodonosor rex Babylonis. Hæc dicit
Dominus : Surgite,* o Chaldæi, *ascendite
ad Cedar,* id est Asorenos, *et vastate filios
orientis,* videlicet Asorenos in orientalibus
29 partibus demorantes. *Tabernacula eorum
et greges eorum,* scilicet pecora, *capient*
Chaldæi; *pelles eorum ac omnia vasa eo-
rum, et camelos eorum tollent sibi* Chal-
dæi; *et vocabunt,* id est, suo adventu in-
ducent, *super eos formidinem.* Habitabant
autem hi Asoreni in tabernaculis seu ten-
toriis, in locis pascualibus seu desertis
una cum gregibus suis.

30 *Fugite, abite vehementer, in voragini-
bus sedete,* id est, speluncis et subterraneis
latibulis vos abscondite, *qui habitatis Asor,
ait Dominus. Iniit enim contra vos rex
31 Babylonis consilium* dicens ad suos : *Con-
surgite, et ascendite ad gentem quietam,
et habitantem confidenter,* id est nil ad-
versi suspicantem, videlicet contra Asore-
nos. *Non ostia nec vectes eis,* id est, contra
adversarios non est machinis firmis mu-
nita : *soli habitant,* id est separati ab aliis
32 gentibus. *Et erunt cameli eorum in dire-
ptionem, et multitudo jumentorum in præ-
dam,* id est, omnia pecora eorum obtine-
bunt Chaldæi. *Et dispergam eos,* scilicet
Asorenos, *in omnem ventum,* id est per
loca terrarum hinc inde diversa, *qui sunt
attonsi in comam,* id est, comam curiose
nutrierunt, habentes (ut aliqui dicunt) cri-
nes recisos ut pugiles; *et ex omni confinio
eorum adducam interitum super eos :* id
est, in exercitu hostium vastantium eos,
A erunt auxiliarii ex regionibus per gyrum
Cedar, a quibus partim occisi fuerunt. *Et* 33
erit Asor, scilicet civitas memorata, *in ha-
bitaculum draconum, deserta usque in
æternum,* id est irreparabiliter demolita,
vel saltem in longum tempus.

Præterea vaticinatur Jeremias contra Ela-
mitas. *Quod factum est verbum Domini* 34
ad Jeremiam adversus Elam, id est Ela-
mitas. Elam, secundum Hieronymum, est
regio Persidis. Elamitæ ergo sunt Persæ.
In principio regni Sedeciæ regis Juda,
B *dicens : Hæc dicit Dominus : Ecce ego* 35
confringam per Chaldæos *arcum Elam,* id
est arma et robur Elamitarum, qui (ut di-
citur) validi sagittatores fuerunt; *et indu-* 36
cam super Elam quatuor ventos, id est va-
statores ex quatuor partibus terræ, unde
quatuor principales flant venti, *a quatuor
plagis cœli,* id est sub cœlo, vel aerio cœlo
contiguis; *et ventilabo eos* per fugam seu
captivitatem, *in omnes ventos istos,* id est
ad præfatas plagas terræ; *et non erit gens
ad quam non perveniant profugi Elam.*
C Hoc hyperbolice dicitur, ad insinuandum
quod ad provincias varias plurimasque
confugerent. *Et pavere faciam Elam co-* 37
ram inimicis suis : quia cernebant se non
posse prævalere Chaldæis; *et mittam post
eos gladium, donec consumam eos,* vel in
parte magna, sive in toto. *Et ponam so-* 38
lium meum in Elam, id est, præsidentiam
seu dominandi auctoritatem in terra Elam,
alteri mihi in hoc placenti præstabo, utpo-
te regi Babylonis; *et perdam inde reges et
principes* ex proprio populo illo descen-
D dentes, ita quod alieni regnabunt ibidem
ad tempus, non semper. Ideo subditur : *In* 39
novissimis autem diebus, id est post lon-
gum tempus, vel in fine regni Chaldæo-
rum per Medos Persasque destructi, *reverti
faciam captivos Elam* ad propriam terram,
dicit Dominus : vel eosdem numero, qui
fuerunt inde abducti, aut posteritatem
eorum.

ARTICULUS LXX

EXPOSITIO MORALIS EJUSDEM CAPITULI QUADRAGESIMI NONI.

AMMON interpretatur, populus turbi-
dus : quo nomine passionati, potissime
impatientes, ac iracundi signantur. Ira
enim et impatientia præcipue hominem
inquietant, perturbant, et stulto assimi-
Prov. xiv, 17. lant. Propter quod Salomon loquitur : Im-
Eccle. vii, 10. patiens operatur stultitiam; et, Ira in sinu
stulti requiescit. Porro Melchom interpreta-
tur, rex eorum : per quod principes talium
1 exprimuntur. Itaque per Ammonitas et
Melchom, terram Israeliticam et tribus Gad
violenter possidentes, significantur injusti,
vitiosi et inquieti, qui justorum atque sim-
plicium seu minus potentium bona diripi-
2 unt, possident, aut consumunt. Hinc super
Rabbath, id est avaritia violentiaque isto-
rum filiorum Ammon, seu hominum turbi-
dorum, auditum faciet Dominus fremitum
prælii, quia permittet eos ab invisibilibus
hostibus impugnari, superari, torqueri.
Rabbath autem interpretatur, grande pec-
catum; et juxta rei proprietatem, per Rab-
bath metropolim filiorum Ammon, signati
sunt principales in talibus malis, qui cete-
ris gravius punientur, juxta illud Sapien-
Sap. vi, 7, 9. tiæ : Potentes potenter tormenta patientur,
et fortioribus fortior instat cruciatus. *Et
possidebit Israel possessores suos,* id est,
fideles et justi, qui in præsenti sæculo ab
impiis opprimuntur ac possidentur, in
futuro habebunt eos sibi subjectos, præ-
sertim in die judicii, juxta illud Sapien-
Ibid. iii, 8. tiæ : Dijudicabunt justi nationes, et domi-
Ps. cxlix, 6, 7. nabuntur populis; atque in Psalmo, Gladii
ancipites in manibus eorum ad faciendam
vindictam in nationibus. Propter quod ait
I Cor. vi, 2. Apostolus : Nescitis quia Sancti de hoc
mundo judicabunt?
3 *Ulula, Hesebon, quoniam vastata est Ar.*
Hesebon interpretatur cogitatio; Ar autem,

A apprehendens. Itaque ululant cogitantes
iniqua, quoniam apprehendentes ea, sci-
licet eis consentientes, in anima vastantur,
atque dispereunt. *Clamate* ex pœnitentiali
dolore, *filiæ Rabbath,* id est, congregati-
ones seu animæ magnis vitiis implicatæ.
Accingite vos ciliciis, pro satisfactione ;
plangite vestra peccata. Beati enim qui Matth. v, 5.
lugent. Et qui in hoc mundo peccata sua
non deflent, ad eum devenient locum, ubi,
Christo testante, est fletus et stridor den- Ibid. viii, 12; xiii, 50; etc.
tium, haud dubium quin æternus. *Circuite*
B *per sepes,* id est disciplinæ custodias seu
actus virtuosos, quibus spirituales mentis
divitiæ ab adversariis nostræ proteguntur
salutis. Nempe ut in Ecclesiastico scriptum
est, Ubi non est sepes, diripietur posses- Eccli. xxxvi, 27.
sio. Salomon quoque testatur : Qui dissipat Eccle. x, 8.
sepem, mordebit eum coluber. *Quoniam
Melchom,* quod interpretatur, rex eorum,
id est princeps prædictorum peccantium,
nec eos virtuose regens, *in transmigratio-
nem ducetur :* quia simul cum subditis
suis peribit, ductus ad carcerem, ad quem
C qui semel descenderit, nunquam liberan-
dus exibit ; *sacerdotes ejus, et principes
ejus simul,* qui eum non increpant neque
erudiunt, aut ejus vitia imitantur. *Quid* 4
gloriaris in vallibus, id est in subjectis
tibi familiis, seu rebus terrenis, lutosis,
ac infimis? *Filia delicata,* id est, anima
sæcularis, mollis, superba, quæ opera ser-
vilia atque humilia tangere aspernaris, *de-
fluxit vallis tua,* id est, familia tua, seu
facultas terrena, tecum pariter defluet, nec
veram ac stabilem tibi conferre potest fe-
D licitatem : secundum quod scriptum est :
Quid profuit nobis superbia? aut divitia- Sap. v, 8.
rum jactantia quid contulit nobis?
Ad Idumæam, id est contra terrenos 7

atque carnales. *Numquid non ultra est* A
sapientia in Theman? Theman, Auster
seu Africus interpretatur. Per quod hoc
loco sapientes sæculi designantur, qui sa-
pientes et in lumine eminentiæ alicujus se
arbitrantur, præsuntque in civili regimi-
ne : in quibus non est vera ac salutaris
sapientia, dum exterioribus et terrenis
magis quam æternis intenti sunt, et de
temporalibus potius quam divinis ac spi-
ritualibus curant. Rursus per Theman,
spirituales et religiosi seu contemplativi
intelliguntur, qui si inaniter gloriari ince- B
perint, vel carnaliter affici, infusam ve-
ramque sapientiam perdunt. *Periit con-*
Is. XI, 2. *silium,* illud utique quod est unum de
donis Spiritus Sancti, *a filiis* hujus sæculi;
inutilis facta est sapientia eorum carnalis :
imo multum nociva, quia a vera felicitate
Rom. VIII, 6. retraxerunt. Prudentia enim carnis, mors
8 est. *Descendite in voraginem,* id est, pro-
funde vos humiliate, et iram Dei omnipo-
tentis declinare curate, *habitatores Dedan,*
id est, mundani, qui de carnis nobilitate
vos jactatis, aut carnalibus affectibus in- C
hæretis. Dedan quippe cognitio interpre-
tatur. Istis ergo dicendum est illud Mala-
Malach. II, 10. chiæ : Nonne pater unus omnium nostrum?
nonne Deus unus creavit nos? *Quoniam*
perditionem Esau, id est eorum qui fortes
sunt ad perpetrandum opera vitiosa, *ad-*
duxi super eum, videlicet damnationem
æternam. Esau autem quercus interpreta-
10 tur. *Ego vero discooperui Esau, revelavi*
abscondita ejus, et celari non poterit. Om-
nia enim impiorum peccata deducentur
Matth. X, 26; Marc. IV, 22. in publicum, Christo testante : Nihil abs- D
conditum quod non reveletur. Hinc monet
I Cor. IV, 5. Apostolus : Nolite ante tempus judicare,
quoadusque veniat Dominus, qui manife-
stabit consilia cordium, et revelabit abs-
condita tenebrarum.

11 *Relinque pupillos tuos,* id est, ad imita-
tionem pravitatis non attrahas eos : sicut
Ps. XVI, 14. de quibusdam ait Psalmista, Dimiserunt
reliquias suas parvulis suis; *et ego faciam*
eos vivere, vita virtutum per caritatem et
gratiam. Vel, Relinque eos, permittendo
et persuadendo, ut religionem sanctam in-
troeant, ubi si ordinem digne observent,
erunt filii Dei carissimi. Porro, quod trans-
gressores legis divinæ vindictam Dei nequa-
quam effugiant, ipsemet Dominus monstrat
per hoc, quod etiam innocentes, electos
ac virtuosos, variis adversitatibus tribula-
tionibusque exercet. *Per memetipsum ju-* 13
ravi, dicit Dominus, quia in maledictio-
nem erit Bosra, id est omnis anima vel
persona contra æquitatem munita, quæ
justitiæ se opponit, nec veritati stabiliter
acquiescit, *et omnes civitates ejus,* id est
societates ei conformes. Bosra autem in-
terpretatur munita.

Auditum audivi a Domino, id est ver- 14
bum salubre, *et legatus ad gentes missus*
sum. Hoc dicat prælatus seu princeps fi-
delis, quem Deus ad custodiendum gregem
sibi commissum transmittit : qui ad spiri-
tuales pugnas hortari debet suos, dicendo :
Congregamini per caritatem et sapientiam
salutarem, ut id ipsum dicatis omnes, et I Cor. I, 10.
non sint in vobis schismata; *consurgamus*
in prœlium contra aciem vitiorum et in-
visibilium æmulorum.

Ecce parvulum dedi te in gentibus, con- 15
temptibilem inter homines. Hoc Dominus
loquitur omni terreno, superbo et vitioso,
qui quanto amplius se magnificare, cete-
risque præferre conatur, tanto a Deo altis-
simo minor ac vilior reputatur. Ideo in
Proverbiis Salomon ait : Justitia elevat Prov. XIV, 34.
gentem, miseros facit populos peccatum.
Arrogantia tua decepit te, qui habitas in 16
cavernis petræ, id est in duritia proprii
sensus, in pertinacia animi, in derisione
cordis tui lapidei, *et apprehendere niteris*
altitudinem collis, id est dignitatem eccle-
siasticam, scientiamque inflantem, seu emi-
nentiam aliquam. Horum corda non intrat
Spiritus Sanctus, qui super humiles re- Is. LXVI, 2.
quiescit. In tantum autem superbia nostra
decipit nos, ut proprias iniquitates, vilita-
tes, ingratitudines, defectuositates, atque
pericula non pensemus : quod si facere-
mus, humiles utique efficeremur, et sub-
esse potius quam præesse appeteremus.

Nunc autem ista est natura superbiæ, ut A
pro eo quod homo deberet se Deo tanto
humilius subdere, quanto plura ab ipso
bona sortitus est, et quo plura mala commisit;
econtrario de bonis a Deo concessis
Jer. II, 36. vanissime extollatur, nec quam vilis factus
sit per peccata, intueatur. Unde, non
obstante quod revera vilissimus sit, aliis
cupit præferri et præfici. *Quum exaltaveris
quasi aquila nidum tuum, inde detraham
te, dicit Dominus.* Qui et in Evangelio
Luc. XIV, 11; XVIII, 14. protestatur : Qui se exaltat, humiliabitur.
Jacob. IV, 6; Superbis enim Deus resistit. Hinc in Job : B
I Petr. V, 5. Si ascenderit usque ad cœlum superbia
Job XX, 6, 7. impii, et caput ejus nubes tetigerit, quasi
17 sterquilinium in fine perdetur. *Et erit
Idumæa,* id est plebs terrena quærens carnalia
commoda, *deserta* a Spiritu Sancto,
et data diabolo, in tantum ut omnis qui
ejus calamitates mente gustaverit, obstupescat.

19 *Ecce quasi leo ascendet* ipse diabolus
de superbia Jordanis, id est de illorum
tumore, spiritualique pompa, qui de ipsa
sua humilitate spiritualique vita super- C
biunt. Jordanis quippe, descensus humilis
interpretatur. Et quidam incauti, de suo
spirituali profectu et diuturno labore adepta
humilitate, stultissime intumescunt,
aliosque despiciunt : quibus a se vastatis
I Petr. V, 8. ac victis, ascendit diabolus tanquam leo
rugiens, quærens quem devoret. *Ad pulchritudinem
robustam,* id est ad auferendum
per suas tentationes spiritualem decorem,
de corde eorum qui fortes ac perfecti
videntur. Non enim satiatur sanguine animarum
Job XL, 18. atrocissimus homicida, habens fi- D
duciam quod influat Jordanis in os ejus.
Unde et uno spirituali dejecto, animatur
ad impugnandum alium, quamvis perfectiorem.
*Et quis erit electus quem præponam
ei,* puta diabolo? quasi dicat Dominus
Deus : Nemo suis viribus prævalebit.

20 *Audite consilium Domini quod iniit de
Edom,* id est contra crudeles, et viros
sanguinum immisericordes. Edom equidem
cruentus interpretatur. *Si non dejecerint,*
id est, imo dejicient, *eos parvuli
gregis,* id est inferiores et minores spiritus
maligni, qui sunt de grege primi apostatæ
angeli; *nisi dissipaverint cum eis
habitaculum,* id est corpora *eorum.* Hi
enim homines vitiosi a quacumque tentatione
facillime superantur, eorumque corpora
vitiis substernuntur : quorum damnatio
atque punitio tanta est, ut quicumque
eam audierint, expavescant.

Moralitas ista nimis extenditur, idcirco
percurrere cogor, et in summa aliquid dicere.
Ad Damascum. Damascus civitas de- 23-26
liciosissima fuit et est. interpretaturque,
sanguinem bibens. Nomine ergo Damasci,
voluptuosi, carnales, gulosi signantur : qui
omnes inordinatis replentur affectibus, et
diabolicarum tentationum gladiis incessanter
gravissime in anima vulnerantur, et
tanto miserabilius, quo minus attendunt
aut sentiunt. Denique isti dissolventur in
morte, et loca pristinæ voluptatis relinquent.
Quærentes quoque judicium Dei effugere,
angustiis atque doloribus instar
parturientium tenebuntur. Juvenes autem
Damasci cadent in ejus plateis, dum in lata
sæculi via et voluptatis libertate ruunt
lapsu peccati.

Ad Cedar, et ad regna Asor. Cedar, ca- 28-33
ligo seu tenebræ; Asor vero, sagitta luminis
interpretatur. Per Cedar itaque, diffames
et vitiis denigrati, atque erroribus
implicati; per Asor autem, pungitivi et
callidi, qui suam pravitatem justitia palliant
apparenti, et verbis mordacibus quasi
sagittis apparenter lucidis, sed vere provocativis,
alios lædunt, intelliguntur. Hos
vastat, impugnat, occidit rex Babylonis, id
est princeps totius inordinationis diabolus;
daturque ei a Deo licentia irruendi in
eos, et cuncta eorum opera inficiendi intentione
perversa, suggestione pestifera,
affectione illicita. Qui camelos eorum et
pecora, id est desideria sensualitatis, et
opera carnis, in suam redigit potestatem :
captivi enim ab ipso tenentur ad ipsius II Tim. II, 26.
voluntatem, secundum Apostolum. Insuper
disperguntur in omnem ventum passionum
atque inanium doctrinarum. Fiunt

quoque habitaculum draconum, id est ma- A
lignorum spirituum, venenatorum et calli-
Ps. xc, 13. dorum, de quibus fertur in Psalmo : Con-
vers. 32. culcabis leonem et draconem. *Et dispergam
eos qui sunt attonsi in comam.* Hoc qui-
busdam clericis præsertim timendum est,
qui contra Decretalem crispantes fovent
capillos.

Adversus Elam. Elam interpretatur de- 34
spiciens. Itaque contra aliorum despecto-
res et irrisores, qui in tantum viliores
sunt his quos despiciunt, quo amplius in-
tumescunt, quo vehementius spernunt, quo
sibi plus placent : contra hos, inquam, fit
sermo Dei, quod omne eorum robur per-
ibit, et gravissimis suppliciis affligentur.

ARTICULUS LXXI

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI QUINQUAGESIMI : VERBUM QUOD LOCUTUS EST DOMINUS DE BABYLONE.

POSTQUAM Jeremias in diversis capitu- B
lis de plurimorum populorum vasta-
tione per Chaldæos seu Babylonios facta
prophetavit, nunc postremo contra Baby-
lonem vaticinatur, et imperii ejus destru-
ctionem describit, quoniam potestate sibi
concessa abusi fuerunt Chaldæi, et contra
Deum erecti. Fuerunt autem quasi virga
et flagellum Dei in punitione peccantium;
sed sicut virga, correcto filio, in ignem
projicitur, ita et ipsi quum satis percus-
sissent ac tenuissent Judæos, a fonte toti-
us justitiæ Deo æterno hostibus suis sunt C
traditi.
1 *Verbum quod locutus est Dominus de
Babylone et de terra Chaldæorum, in ma-*
2 *nu,* id est per ministerium, *Jeremiæ. An-
nuntiate in gentibus,* id est, ubique vul-
gate, qui nova percipere et promulgare
soletis ; *levate signum,* quod Chaldæi de-
victi sunt, ostendendo vexillum eorum qui
ipsos vicerunt. *Dicite : Capta est Babylon*
per Persas ac Medos, *confusus est Bel* deus
seu idolum Babylonis, *victus est Merodach.*
Per quem quidam intelligunt regem Baby- D
Dan. v, 30. lonis nomine Balthasar, a Medis ac Persis
occisum. Alii asserunt quod Merodach no-
men sit idoli Babyloniorum, sicut et Bel :
quæ idola in destructione Babylonis con-
fusa et victa narrantur, quoniam terram
et populum se colentem, tunc adjuvare
non potuerunt. Hinc subditur : *confusa
sunt omnia sculptilia eorum, superata sunt
idola eorum. Quoniam ascendet contra* 3
eam, scilicet Babylonem, *gens ab aquilo-
ne,* scilicet Persæ ac Medi, qui respectu
Babylonis versus aquilonem situati ferun-
tur, *quæ ponet terram ejus in solitudi-
nem,* occidendo et auferendo inde Chal-
dæos ; *et non erit qui habitet in ea,* id est
Babylonia seu Babylonica urbe, quæ inte-
rim inhabitata non fuit, *ab homine usque
ad pecus ; et moti sunt, et abierunt,* id
est, tam ipsi Chaldæi, quam eorum peco-
ra, de terra ista ablati sunt. Loquebatur
autem Jeremias de futuro per modum præ-
teriti.
In diebus illis venient filii Israel, id 4
est illi qui de decem tribubus simul cum
duabus tribubus in Babylonia tenebantur,
et filii Juda, id est duæ tribus, etiam cum
tribu sacerdotali Levitica, qui omnes per
Juda frequenter signantur ; *ambulantes et
flentes,* vel ex dolore peccatorum, vel ex
recordatione destructionis templi atque Je-
rusalem, vel ex ingenti lætitia, quod libe-
rati de captivitate gentilium, ad solum
natale et locum cultus divini redirent, *pro-
perabunt,* desiderio Terræ sanctæ, et pro-
pter viarum discrimina, *et domum Domini*

5 *sui* quærent in Sion,* id est Jerusalem, vel
* Dominum Deum suum in monte in quo templum primum stete-
rat, et secundum reparatum est tempore
Esdræ. Ibi enim Deum devotionaliter colu-
erunt sub Esdra et Nehemia, Aggæo et Za-
II *Esdr.* IX, 3. charia, juxta illud Nehemiæ : Quater in
die et quater in nocte confitebantur, et
adorabant Dominum Deum suum.

Interrogabunt viam : quæ inter Babylo-
niam et Judæam longissima, eisque ignota
erat. *Huc,* scilicet ad Jerusalem, *facies eo-*
rum venient. Babylone namque destructa,
regnavit Darius rex senex modico tempo-
I *Esdr.* I, 1-4. re : post quem imperavit Cyrus, qui primo
sui imperii anno dedit Judæis licentiam
redeundi ad propria, et instaurandi Jeru-
salem, templumque in ea, ut scribitur pri-
mo Esdræ libro. *Et apponentur ad Do-*
minum fœdere sempiterno, quod nulla
oblivione delebitur, id est, firmo pacto et
stabili amicitia Deo adhærebunt, nec ultra
ad idololatriam declinabunt generaliter sic-
ut ante. Istud quantum ad electos illius
plebis oportet accipere. In Christi autem
adventu electi ex illis Deo perfectissime
sunt uniti, increduli autem ab ipso omnino
I *Thess.* II, 16. relicti sunt, de quibus ait Apostolus: Perve-
nit ira Dei super eos usque in finem. Quod
Jer. XXXI, 31-40. etiam supra iste Propheta prædixit. Nec
ipsi Judæi queunt negare, quin a destru-
ctione Jerusalem per Romanos, a Deo sint
relicti in hac captivitate longissima atque
gravissima. Aliqui tamen affirmant, quod
in Hebræo habetur, Fœdere in sæculum :
et forte dictio illa Hebraica utrumque si-
gnificat.

6 *Grex perditus factus est populus meus,*
id est Judæi quando a Chaldæis partim
occidebantur, partim in captivitatem Ba-
bylonicam ducebantur. *Pastores eorum,*
videlicet reges et sacerdotes, idololatræ ac
pseudoprophetæ, *seduxerunt eos* malo ex-
emplo et informatione perversa, ut dictum
est sæpe, *feceruntque vagari in montibus,*
in quibus vagam idololatriam exercebant.
De monte in collem transierunt : quia in
locis excelsis idola coluerunt; *obliti sunt*
cubilis sui, id est templi, in quo fideles in

A Deo requiescere, et per contemplationem
quasi obdormire in Domino debent. *Omnes* 7
qui invenerunt, comederunt eos, et hostes
eorum, puta Chaldæi et ceteri, *dixerunt :*
Non peccavimus, vastando Judæos, *pro eo*
quod ipsi Judæi *peccaverunt Domino de-*
cori justitiæ, id est primæ et exemplari
pulchritudini totius æquitatis et sanctita-
tis, qui essentialiter justus est, et ipsa
justitia, fonsque universæ justitiæ ac vir-
tutis, *et exspectationi patrum eorum Do-*
mino, id est ipsi Domino, quem patres
B eorum exspectaverunt constanti fiducia,
juxta illud Isaiæ : Deus judicii Dominus, *Is.* XXX, 18.
beati omnes qui exspectant eum; et in
Psalmo, Exspectans exspectavi Dominum. *Ps* XXXIX, 2.
Quoniam itaque Judæi frequenter Deum
patrum suorum dereliquerunt, idola vene-
rantes, reputabant inimici eorum se non
peccare persequendo occidendoque eos :
in quo tamen erraverunt, quia crudeliter
nimis et impia intentione, cupiditate, et
ambitione illud fecerunt.

Recedite, o Judæi, *de medio Babylonis,* 8
C *et de terra Chaldæorum egredimini,* habita
a Cyro rege redeundi licentia; *et estote*
quasi hœdi ante gregem, id est, imperter-
rito, forti, et hilari animo redite. *Quoniam* 9
ecce suscito et adducam in Babylonem con-
gregationem multarum gentium, id est
exercitus Darii regis Medorum et Cyri re-
gis Persarum, *de terra aquilonis* respectu
Chaldææ; *et præparabuntur adversus eam,*
scilicet Babylonem, *et in die capietur* Ba-
bylon, scilicet clara luce, sicut infra dice-
tur. *Sagitta ejus,* videlicet congregationis
D gentium venientium contra Babylonem,
quasi viri fortissimi interfectoris, id est,
acuta et penetrans erit : sicque adverbium,
Quasi, dicit hic veritatem, non similitu-
dinem tantum. *Non revertetur vacua,* id
est, sine effectu non erit, sed tanget at-
que occidet. Fuerunt enim in regum isto-
rum exercitu validissimi sagittatores. *Et* 10
erit Chaldæa in prædam, id est, ab ho-
stibus suis prædabitur; *omnes vastantes*
eam Persæ et Medi *replebuntur* spoliis
Chaldæorum, *ait Dominus.* Cujus ratio

subditur, dirigitque Propheta eloquium ad A Chaldæos :

11 *Quoniam exsultatis, et magna loquimini, diripientes hereditatem meam,* id est, in devastatione, expugnatione, et spoliatione Judææ seu plebis Judaicæ, malitiose gavisi estis, et præsumptuose locuti, quasi vestris viribus cuncta perfeceritis; *quoniam effusi estis sicut vituli super herbam,* id est, cum grandi aviditate et voracitate irruistis super populum meum, quemadmodum vituli esurientes effundunt se super gramina, *et mugistis ut tauri,* eos hor- B ribilibus clamorosisque verbis terrendo.

12 Hinc *Confusa est,* id est, per Persas et Medos confundetur, *mater vestra nimis,* utpote Babylon, quæ fuit in regno Chaldææ metropolis, quemadmodum secundo

II *Reg.* xx, 19. Regum mulier sapiens dixit ad Joab : Quæris subvertere matrem civitatum in Israel? *Et adæquata pulveri,* id est omnino dejecta, quantum ad principales ipsius partes, *quæ genuit vos :* quia in Babylone magna pars Chaldæorum genita fuit; vel, Genuit vos, quantum ad præsidentialem hanc su- C blimitatem, qua ceteris gentibus imperatis. *Ecce novissima erit in gentibus,* id est, vilissima reputabitur, quæ prima et gloriosissima fuit, *deserta* a proprio populo, *invia,* id est, publicus transitus non erit per eam propter animalia venenosissima in ea, *et arens,* id est privata fluentis Euphratæ fluvii, quem Persæ et Medi per diversos meatus a Babylone retraxerunt, et

13 pristinum ejus alveum siccaverunt. *Ab ira Domini,* id est effectu et ultione divinæ justitiæ, *non inhabitabitur, sed redigetur* D *tota in solitudinem,* id est, hominibus inhabitabilis fiet. *Omnis qui transibit per Babylonem.* Jam dixit quod invia erit, quomodo ergo transietur per eam? Et respondendum, quod armati et congregati ad invicem tendunt per eam, secundum Hieronymum, qui asserit quod tempore suo et ante fuit locus venationis. *Stupebit, et sibilabit super universis plagis ejus,* id est, de tam gravi ac varia vastitate ipsius mirabitur, et præ stupore sibilum oris formabit.

Præparamini contra Babylonem per circuitum, omnes qui tenditis arcum, id est, 14
emissarii universi; *non parcatis jaculis, quia Domino peccavit* per crudelitatem, superbiam, etc. *Clamate adversus eam,* co- 15
hortando vos mutuo contra eam. *Ubique dedit manum,* id est, ad omnia pene regna vastanda potestatem suam extendit; vel, Ubique dedit manum, promittendo auxilium sibi confœderatis et caris. *Ceciderunt fundamenta ejus, et destructi sunt muri ejus.* Loquebatur autem Jeremias de futuro tanquam præterito, propter certitudinem prophetiæ. *Quoniam ultio Domini est :* id est, divina voluntate et ope completa est ista Babylonis destructio per Medos Persasque. *Ultionem accipite de ea :* secundum quod ultio est effectus justitiæ, non iræ per vitium. Non enim ad peccandum Deus licentiat vel hortatur. *Sicut fecit* aliis gentibus et terris vestris, *facite ei.*

Dispergite satorem de Babylone, et tenentem falcem in tempore messis, id est, semi- 16
natores agrorum, collectoresque fructuum tollite inde, ut terra inculta remaneat. *A facie gladii columbæ,* id est ob nimiam ferocitatem ac cædem Babylonii regis : qui *Jer.* xxv, 38.
cur vocetur columba, dictum est vicesimo quinto capitulo. Qui etiam columba forsitan nuncupatur, ob stoliditatem seu veræ sapientiæ defectum, præsertim in idololatria apparentem, quemadmodum in Osee de populo decem tribuum legitur : Ephraim *Osee* vii, 11
quasi columba seducta, non habens cor. *Unusquisque ad populum suum convertetur, et singuli ad terram suam fugient.* Hoc intelligendum est de gentibus alienis quæ fuerunt in Babylone, et ea vastata, redierunt ad sua, atque fugerunt ut poterant. Et istud in Isaia sub eadem forma *Is.* xiii, 14.
verborum habetur : imo pene omnia quæ in isto capitulo itemque sequenti capitulo, de Babylonis pressura scribuntur, in diversis capitulis Isaiæ leguntur. Allegationes autem causa brevitatis omitto.

Grex dispersus Israel, id est, duodecim 17
tribus per diversas terras divisæ et captæ tenentur. *Leones ejecerunt eum,* id est, re-

ges fortes et atroces, de propria terra hunc A
populum expulerunt. De quibus regibus
sequitur : *Primus comedit eum rex Assur,*
id est, ante regem Babylonis rex Assyrio-
rum populum Israel, potissime decem tri-
bus, graviter oppressit, cepit, ac devoravit,
IV *Reg.* xv-xviii. quemadmodum quarto Regum describitur.
Novissimus exossavit eum Nabuchodonosor
rex Babylonis, id est, vehementius deva-
stavit, afflixit, et debilitavit. Non enim
decem tribus tam dire afflictæ fuerunt ab
Ibid. xxv. aliquo rege Assyriorum, ut duæ a rege
18 Babylonis. *Propterea hæc dicit Dominus :*
Ecce ego visitabo, id est puniam, *regem*
Babylonis, et terram, id est populum *ejus.*
Dan. v, 30. Quod fuit in Balthasar rege a Persis occiso
impletum : qui licet tempore destructionis
Judææ nondum exstiterit, tamen patrum
suorum peccatis consensit, tenuitque Ju-
dæos captivos : idcirco juste punitus est.
Sicut visitavi regem Assur. Regnum quip-
pe Assyriorum Deus per Chaldæos et Na-
19 buchodonosor regem destruxit. *Et reducam*
Israel, id est captivos de regno Juda, *ad*
habitaculum suum, videlicet ad Judæam,
tempore Esdræ; *et pascetur Carmelus et*
Basan, id est populus in his locis habi-
tans, *in monte Ephraim et Galaad, et sa-*
turabitur anima ejus, id est, abundanter
aletur. Quod si corporaliter impletum non
est in Judæis post reversionem de Babylo-
ne, spiritualiter tamen impletum est post
Christi adventum per Apostolorum prædi-
cationem, qui in locis his plurimos con-
verterunt, spiritualibusque divitiis ac epu-
lis saginaverunt, sicut de hoc superius
plenius dictum est.

20 *In diebus illis, et in tempore illo, ait*
Dominus, quæretur iniquitas Israel, et, id
est, si quæsita fuerit, *non erit; et pecca-*
tum Juda, et non invenietur : quoniam
propitius ero, id est, clementer ignoscam,
eis quos reliquero, id est, ab hostibus suis
eruero ac reduxero. Distinguit autem Do-
minus hoc loco inter Judam et Israel, id-
circo per Israel intelliguntur hi qui de
decem tribubus inter alias duas fuerunt
captivi, et in Judæam reducti : qui tempo-
re Esdræ et postea sæpe Domino fideliter
servierunt. Melius tamen et verius istud
ad tempus Christi refertur, quando electæ
reliquiæ duodecim tribuum per electionem *Rom.* xi, 5.
gratiæ salvæ factæ sunt, Christique sangui-
ne ac Baptismo penitus emundati, quem-
admodum supra copiose deductum est.

Super terram dominantium, id est Chal- 21
dæorum plurimis nationibus imperantium,
ascende tu, popule Cyri ac Darii regum, *et*
super habitatores ejus visita, id est, vindi-
ctam inflige; *dissipa et interfice eos qui*
B *post eos sunt, ait Dominus,* id est auxilia-
tores eorum, juxta illud Isaiæ : Omnis qui *Is.* xiii, 15.
supervenerit, gladio cadet. *Et fac juxta*
omnia quæ præcepi tibi per inspirationem
occultam sive angelicam, vel per prophe-
ticam prænuntiationem. *Vox belli* audietur 22
in terra, scilicet Chaldæorum, *et contritio,*
id est destructio, *magna. Quomodo con-* 23
fractus est et contritus malleus universæ
terræ, id est regnum Babyloniæ, quod di-
versas gentes vastavit? Unde quod ait, Uni-
versæ terræ, hyperbolice sumitur. *Quomodo*
C *versa est in desertum,* id est in solitudi-
nem redacta, *Babylon in gentibus,* id est
præcipua inter gentes? *Illaqueavi te,* id 24
est, per Persas et Medos te improvise oc-
cupavi et cepi. Quum enim Euphraten
hinc inde divisissent, per arentem alveum
ejus ingressi sunt Babylonem. *Et capta es,*
Babylon, et nesciebas, id est, de tali modo
vincendi urbem nil suspicabaris. *Inventa*
es et apprehensa ab hostibus tuis, *quoniam*
Dominum provocasti. Quasi diceret : Non
humana, sed divina virtute sic victa es.
D Imo secundum doctores, mirabilius fuit
quod Babylon capta fuit, quam quod ædi-
ficata.

Aperuit Dominus thesaurum suum, id 25
est, divitias omnipotentiæ suæ in Chaldæo-
rum punitione monstravit, *et protulit va-*
sa iræ suæ, id est, instrumenta suæ vindi-
ctæ super Chaldæos effudit; vel, Protulit
vasa iræ suæ, dando adversariis Chaldæo-
rum arma, quibus dejicerent eos; *quoniam*
opus, id est effectus justitiæ, *est Domino*
in terra Chaldæorum. Venite ad eam ab 26

extremis terræ, id est a finibus regnorum
Cyri ac Darii ; *aperite* portas civitatum ve-
strarum, *ut exeant* de eis, *qui conculcent*
eam, scilicet Babylonem. *Tollite de via la-*
pides, et redigite in acervos, id est, im-
pedimenta veniendi auferte, *et interficite*
eam, id est habitantes in Babylone ; *nec*
sit quidquam reliquum, id est, nil in ea
27 vivum permaneat. *Væ eis, quoniam venit*
dies visitationis, id est punitionis *eorum.*

Consequenter ponitur ratio, cur Deo dis-
ponente, aliqui de Babylonia evaserunt.
28 *Vox fugientium et eorum qui evaserunt*
de terra Babylonis, ut annuntient in Sion,
id est in Jerusalem, *ultionem Domini Dei*
nostri, ultionem templi ejus, id est, ad
hoc effugient et loquentur, ut in Jerusa-
lem profiteantur Babylonem destructam
in ultionem peccati Chaldæorum, quo tem-
plum Dei in Jerusalem combusserunt.

29 *Annuntiate in Babylonem,* id est contra
eam, *plurimis,* scilicet *omnibus qui ten-*
dunt arcum. Consistite, o sagittarii, *ad-*
versus eam per gyrum, et nullus evadat,
nullus scilicet de genere Chaldæorum exsi-
stentium in Babylone. *Reddite ei secundum*
opus suum, id est, juxta quod meruit,
quia contra Dominum erecta est per su-
perbiam atque blasphemiam, *adversus Sanc-*
tum Israel, id est Deum, sanctificatorem
Israelis, et Sanctum Sanctorum, quem Is-
rael colit : de quo scriptum est in Isaia,
Is. XLVII, 4. Redemptor noster Dominus exercituum,
30 Sanctus Israel nomen ejus. *Idcirco cadent*
juvenes ejus, scilicet Babylonis, *in medio*
ejus, gladio Persarum atque Medorum ; *et*
omnes viri bellatores ejus conticescent, id
est, adversariis resistere non audebunt, sed
31 ut victi obmutescent. *Ecce ego ad te, su-*
perbe Balthasar rex Babylonis, *dicit Domi-*
nus, quia venit dies tuus, utpote *dies vi-*
32 *sitationis,* id est occisionis *tuæ. Et cadet*
superbus iste, *et corruet, et non erit qui*
Dan. v, 30. *suscitet eum,* nisi in die judicii. Fuit enim
a Persis seu Medis occisus, ut legitur Da-
Ibid. 22, 23. nielis quinto, ubi Daniel loquitur ei : Tu
quoque non humiliasti cor tuum, sed ad-
versus Dominatorem cœli elevatus es. *Et*

A *succendam* per manus hostium *ignem in*
urbibus ejus, et devorabit omnia in cir-
cuitu ejus. Circa quod aliqui dicunt, quod
Persæ et Medi non combusserunt nec de-
struxerunt urbes regis Babylonis, sed alia
quæ in circuitu urbium erant.

Hæc dicit Dominus : Calumniam susti- 33
nent filii Israel, scilicet de decem tribu-
bus, capti in Babylonia, *et filii Juda si-*
mul. Omnes qui ceperunt eos, tenent in
captivitate eosdem, *nolunt dimittere eos.*
Redemptor eorum fortis, imo omnipotens, 34
B *Dominus exercituum nomen ejus :* ideo
facile ei est liberare. *Judicio,* id est cen-
sura sapientiæ suæ, *defendet causam eo-*
rum, quæ inter eos vertitur et Chaldæos,
ut exterreat terram Chaldææ, id est ha-
bitantes in ea, *et commoveat habitatores*
Babylonis, modo quo subditur :

Gladius Persarum et Medorum veniet 35
ad Chaldæos, ait Dominus, et ad habita-
tores Babylonis, et ad principes et ad sa-
pientes ejus. Gladius ad divinos ejus : qui 36
sibi usurpabant quod Dei est, scilicet præ-
C nuntiare futura pure contingentia ; *qui*
stulti erunt : quia invenientur mentiti
Babylone vastata, cui prospera divinabant.
De quibus in Isaia multa scribuntur. *Gla-* *Is.* XLVII, 9, 12-15.
dius ad thesauros ejus, qui diripientur : 37
quia virtute belli obtinuerunt Persæ ac
Medi divitias Babylonis. Nec obstat quod
per Isaiam Dominus ait : Ecce ego susci- *Ibid.* XIII, 17.
tabo super eos (utpote Babylonios), Medos,
qui argentum non quærant, nec aurum
velint. Nempe hoc dicitur, quod principa-
liter quærebant interitum Chaldæorum et
D Babylonis ruinam. *Siccitas super aquas* 38
ejus erit, id est super Euphraten, qui per
medium Babylonis currebat, *et arescent :*
non quod aqua, manendo aqua, sicca fiat
sive arescat, quum humiditas sit ei conna-
turalis ; sed idcirco hoc dicitur, quia flu-
vius Euphrates a solito loco fuit abductus,
ejusque alveus desiccatus. *Quia terra scul-*
ptilium est Chaldæa, id est idololatriis
dedita, *et in portentis gloriatur,* id est, in
mendacibus signis, impiisque figmentis,
divinationibus atque auguriis, prout in

Is. XLVII, 12. Isaia legitur : Sta cum incantatoribus tuis, A
et cum multitudine maleficiorum tuorum,
in quibus laborasti ab adolescentia tua.
39 *Propterea habitabunt dracones* in Baby-
* faunis ficariis lone *cum fatuis sicariis* :* per quos in-
telligunt quidam homines silvestres, alii
dæmones in effigie talium apparentes, jux-
Ibid. XXXIV, 14. ta quod in Isaia fertur ad Edom : Occur-
rent dæmonia, onocentaurus et pilosus cla-
mabit alter ad alterum. In eodem Isaia
Ibid. XIII, 21, 22. quoque fertur de Babylone : Pilosi salta-
bunt ibi, et respondebunt ibi ululæ et
sirenes in delubris voluptatis. *Et inhabi-*
tabunt in ea struthiones : quæ pennas ha-
bent, sed volare non valent : de quarum
Job XXXIX, 13-18. natura in Job habetur. *Et non inhabitabi-*
tur Babylon ab hominibus *in æternum,*
40 *sicut subvertit Dominus Sodomam et Go-*
morrham : id est, quantum ad hoc quod
non inhabitabitur Babylon, similis erit sub-
versio ejus subversioni Sodomæ et Go-
morrhæ.
41 *Ecce populus veniet ab aquilone,* scilicet
exercitus Cyri ac Darii, *et gens magna, et*
reges multi, videlicet Cyrus et Darius, et
qui eis se in auxilium junxerunt, *consur-*
Matth. XII, 42. *gent a finibus terræ,* id est a diversis re-
gionibus valde remotis : sicut regina Saba
dicitur venisse in Jerusalem a finibus ter-
ræ. *Arcum et scutum apprehendent; cru-* 42
deles sunt et immisericordes. Unde in Isaia
de eis prædicitur, quod parvulis atque la- Is. XIII, 18.
ctantibus non miserebuntur. *Vox eorum*
quasi mare sonabit, præ multitudine voci-
ferantium contra Chaldæos, et collisione
armorum. *Super equos ascendent contra*
te, filia, id est plebs, *Babylonis. Audivit* 43
rex Babylonis, videlicet Balthasar, *famam*
eorum, et dissolutæ sunt manus ejus, id
est, virtus ejus contabuit præ pavore; *an-*
B *gustia apprehendit eum.*
Postremo, quod sequitur, Ecce quasi leo 44
ascendet de superbia Jordanis ad pulchri-
tudinem robustam, usque ad id, A voce
captivitatis Babylonis commota est terra,
supra sub eadem forma scriptum est at- Jer. XLIX, 19, 20.
que expositum. Unde sicut ibidem expo-
situm est de rege Babylonis contra Idu-
mæam, ita hic exponendum est de rege
Medorum sive Persarum contra Babylonem
veniente. *A voce,* id est a rumore, *capti-* 46
vitatis Babylonis, commota est terra, id
C est, habitantes in terra ubique vehementer
mirati sunt, *et clamor inter gentes audi-*
tus est, aliis gaudentibus, aliis dolentibus,
quamvis dolentes de hoc fuerint pauciores.

ARTICULUS LXXII

DE TROPOLOGIA EJUSDEM CAPITULI QUINQUAGESIMI.

QUOD Babylonii, quum varias gentes D et populum Dei vastassent, a Persis et Medis vincuntur, et tunc populus Dei eripitur, atque ad sua regreditur, et Deum suum quærit in Sion : id figuravit, quod hi qui sunt flagella Dei in punitione peccantium, potissime electorum, et id ipsum crudeliter vitioseque faciunt, quum alios puniunt, tunc et ipsi dispereunt atque damnantur, quemadmodum pater correcto filio virgam jactat in ignem. Hoc in Hunnis ac Vandalis, ceteris quoque nonnullis nationibus et tyrannis Christianos vastantibus, constat impletum. Propterea in Isaia
Dominus loquitur : Væ Assur, virga furo- Is. X, 5, 12.
ris mei et baculus ipse est; et erit, Quum impleverit Dominus cuncta opera sua in Sion, visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur.

Porro istis ita deletis, fideles qui opprimebantur per eos, vexationibus eruditi, convertuntur ad Deum, et in ecclesiasti-

A ca congregatione eum requirunt. Insuper
Babylon, quæ interpretatur confusio, figu-
ra est mundi, vitiorum inordinationibus
pleni. Idcirco per irrecuperabilem Babylo-
nis dejectionem, totius mundi hujus infe-
rioris finalis exterminatio, irrecuperabilis-
que destructio figuratur : de qua scriptum
Is. XXIV, 1, 4. est in Isaia, Ecce Dominus nudabit ter-
ram, et dissipabit eam, defluxit orbis ;
Apoc. XVIII, 10. itemque in Apocalypsi, Væ, væ Babylon
civitas illa magna et fortis, quia una hora
venit judicium ejus.
B 6 *Grex perditus factus est populus meus,*
scilicet christianus, qui peccando perit, et
dæmoni servit. Cujus perditionis subditur
causa : *Pastores eorum seduxerunt eos,*
vel mala eorum laudando, vel vitia non
reprehendendo, vel impia conversatione
peccandi audaciam tribuendo, vel debitam
informationem non impendendo, vel dire-
cte ad illicita inducendo. De hoc præin-
ducta sunt multa. *Feceruntque vagari in
montibus* superbiæ, præsumptionis, ambi-
Ps. CXXX, 1. tionis, atque in altis, magnis, et mirabili-
C bus super se. *Obliti sunt cubilis sui,* id
est ecclesiæ, vel claustri, seu cujuslibet
loci ad devotionem ordinati et congrui,
malentes esse in foro hominumque tumul-
tu, quam in ecclesia, claustro, aut loco
secreto, ad vacandum soli Deo, ut dulciter
requiescant in eo, quum tamen dicat Sal-
Matth. VI, 6. vator : Intra cubiculum, et clauso ostio,
7 ora Patrem tuum in abscondito. *Omnes qui
invenerunt, comederunt eos.* Tales enim ab
invisibilibus hostibus spiritualiter devo-
rantur. Etenim dæmonum cibus sunt im-
D *Job* XL, 18. pii : fluvium quippe absorbent.
8 *Recedite de medio Babylonis,* id est a
confusione peccati et consortio mundano-
II *Cor.* VI, 17. rum, dicente Apostolo : Exite de medio
eorum. A quibus ad minus recedendum
est mente, ne consensu eorum vitiosis
communicemus operibus ; et dum conve-
nienter fieri potest, expedit prorsus ut
corporaliter se ab illis homo elonget ac
Eccli. XIII, 1. subtrahat. Nempe qui tangit picem, inqui-
nabitur ab ea, et qui communicat super-
Ps. XVII, 27. bo, induet superbiam ; cum perversisque

pervertetur quispiam. *Et estote quasi hœ-
di ante gregem,* ut sicut hœdus gregem
prævenit, et saliendo præcurrit, sic alios
in humilitate, patientia, mansuetudine præ-
veniatis, atque cum corde promptissimo
ac ferventi Domino ministretis : sicque
ante illos in via mandatorum et semita *Ps.* CXVIII, 32.
consiliorum præcurrere studeatis, et ve-
stro fervore, alacritate ac perseverantia,
corda inflammetis pigrorum. Talis fuit san-
ctus David, totis viribus ludens et saliens II *Reg.* VI, 5, 14.
ante arcam.
Exsultatis, et magna, id est præsum- 11
ptuosa, *loquimini, diripientes hereditatem
meam.* Hoc contra injustos qui fidelium
bona diripiunt, aut fideles dejiciunt, et
præsertim contra hos qui ecclesiastica bo-
na aut religiosorum possessiones sibi usur-
pant. *Effusi estis sicut vituli super herbam.*
Hoc competit his qui concupiscentiarum
suarum fervorem sequuntur, et super car-
nalia bestialiter effunduntur. *Mugistis ut
tauri.* Hoc agunt crudeles et animosi, qui
clamando et comminando alios terrere ni-
tuntur. *Confusa est mater vestra,* id est 12
ecclesia malignantium, societasque iniqua,
et adæquata pulveri ; novissima erit cor-
ruens in infernum.
Grex dispersus Israel, id est, populus 17
christianus per vitia et errores divisus
est. *Leones,* id est dæmones tentatores cru-
deles et fortes, *ejecerunt eum* de ecclesia-
stica unitate, de individua caritate, de my-
stico corpore Christi. *Primus comedit eum
rex Assur,* id est spiritus superbiæ ad im-
pia dirigens. Assyrii namque dirigentes
interpretantur. *Novissimus exossavit eum
Nabuchodonosor rex Babylonis,* id est spi-
ritus luxuriæ, qui hominem totum de-
ordinat, enervat, consumit, bestialemque
efficit. *Reducam Israel ad habitaculum* 19
suum : quia nonnullos per superbiam lu-
xuriamque a dæmonibus absorptos, Deus
omnipotens misericorditer reparat, sanat
et salvat, ut fide et caritate sint in habita-
culo Ecclesiæ militantis, deinde fruitione
et visione beata in habitaculo Ecclesiæ
triumphantis.

22 *Vox belli in terra.* Militia est enim vita A
Job vii, 1. hominis super terram, in qua electi con-
tra diabolum, mundum, et propriam car-
nem incessabiliter præliantur. *Et contritio*
magna. Major siquidem pars hominum,
23 hostibus istis succumbit. *Quomodo confra-*
ctus est et contritus malleus universæ ter-
ræ? Hoc electi de diabolo maxime dicent
I Cor. xv, 55. in die judicii, quando et dicent : Ubi est,
mors, aculeus tuus? Ad quod illud Apo-
Apoc. xii, 9. calypsis pertinet : Projectus est draco ille
magnus, serpens antiquus, qui seducit uni-
Is. xxiv, 21, 22. versum orbem ; illud quoque Isaiæ, Vi- B
sitabit Dominus super militiam cœli, et
claudentur in carcere. *Quomodo versa est*
in desertum Babylon? id est, omnis ter-
rena voluptas, inordinata confusione pec-
24 cati repleta est. *Illaqueavi te, et capta es,*
Babylon, et nesciebas. Sic peccatores, qui
Deum provocare non metuunt, repente et
improvise tolluntur de medio, a dæmoni-
bus mentaliter strangulantur, eorumque
laqueis irretiti, ad inferos pertrahuntur,
quemadmodum in Evangelio diviti dici-
Luc. xii, 20. tur : Stulte, hac nocte animam tuam re- C
petunt a te : quæ autem parasti, cujus
I Thess. v, 3. erunt? Et Apostolus ait : Quum dixerint,
Pax et securitas, tunc repentinus eis su-
perveniet interitus. Hoc est quod Eccle-
Eccle. ix, 12. siastes inducit : Nescit homo finem suum ;
sed sicut pisces capiuntur hamo et aves
laqueo, sic homines capiuntur tempore
malo, quum eis extemplo supervenerit. *In-*
venta es ab adversariis tuæ salutis, *et ap-*
prehensa in iniquitatibus tuis. Hoc contra
eos qui tempore juventutis et sospitatis
negligunt per arctam viam incedere, tem- D
pore infirmitatis aut senii pœnitentiam
25 agere proponentes. *Aperuit Dominus the-*
saurum suum, et protulit vasa iræ suæ :
quod in die judicii apertissime fiet, sin-
gulis quoque reprobis in morte contingit,
Rom. ii, 5. qui secundum suam duritiam et impœni-
tens cor, thesaurizant sibi iram in die justi
judicii Dei.
28 *Vox fugientium et eorum qui evaserunt*
de terra Babylonis, id est, qui mundum
et ea quæ mundi sunt, fugiunt, nec cum
reprobis, mundi vanitatibus tentationibus-
que vincuntur ; *ut annuntient in Sion,* id
est inter electos, devotos et religiosos, seu
in Ecclesia, *ultionem Domini Dei nostri,*
ultionem templi ejus, id est damnatio-
nem ac pœnas perpetuas eorum qui Deo
contempto, vanis atque caducis inhæse-
runt, et alios scandalizando spiritualiter
destruxerunt, suaque corpora, quæ tem-
plum Spiritus Sancti esse debuerunt, et
interdum fuerunt, mancipaverunt diabolo, Rom. vi, 13.
exhibendo ea arma iniquitatis peccato.
Consistite adversus eam, scilicet Baby- 29
lonem, *per gyrum, et nullus evadat. Red-*
dite ei secundum opus suum; juxta omnia
quæ fecit, facite ei, quia contra Dominum
erecta est. Hic loquitur Dominus contra
collectionem hominum mundanorum, car-
nalium, superborum, qui a dæmonibus
obsidentur, ita quod nullus eorum pœnas
æternas evadere valet. Sed et angeli san-
cti contra eos mittuntur, et qua mensura Matth. vii, 2.
mensi sunt, remetietur eis : ita quod quan- Apoc. xviii, 7.
tum glorificaverunt se, in deliciisque vi-
xerunt, tantum de luctu atque suppliciis
rependitur ipsis.
Ecce ego ad te, superbe, dicit Dominus, 31
qui superbis resistit, et humilibus dat gra- Jacob. iv, 6; I Petr. v, 5.
tiam ; *quia venit dies tuus,* scilicet dies
mortis ac damnationis, quando pro tem-
porali ista, infelici, ac obtenebrata super-
bia, æternaliter deprimeris et opprimeris,
multo pœnalius quam si universa terræ
moles super pectus alicujus jaceret. *Et* 32
cadet superbus, et non erit qui susci-
tet eum ad veniam. Timeant hæc superbi,
qui idcirco superbiunt, quia mente cæcati
sunt.
Hæc dicit Dominus : Calumniam susti- 33
nent filii Israel, id est electi, qui in sæcu-
lo isto multipliciter infestantur a pravis,
a quibus vastantur, tenentur, nec volunt
eos in pace dimittere. *Redemptor eorum* 34
fortis ; judicio defendet causam eorum.
Unde in Evangelio ait Salvator, quod Deus Luc. xviii, 8.
cito faciet vindictam servorum suorum.
Cui ait Psalmista : Quoniam tu fecisti ju- Ps. ix, 5.
dicium meum et causam meam. Job quo-

Job xxxvi, 17. que ab Eliu dictum est : Causa tua quasi A
impii judicata est, causam judiciumque
recipies. Haud dubium quin ab eo, de quo
fatetur Psalmista : Qui custodit veritatem *Ps.* cxlv, 7.
in sæculum, facit judicium injuriam pa-
tientibus.

ARTICULUS LXXIII

EXPLANATIO CAPITULI QUINQUAGESIMI PRIMI : HÆC DICIT DOMINUS : ECCE EGO SUSCITABO.

ADHUC contra Babylonem agit sermo B
divinus, ejus destructionem nunc pla-
1 ne, nunc sub parabolis exprimens. *Hæc
dicit Dominus : Ecce ego suscitabo super
Babylonem, et super habitatores ejus, qui
cor suum levaverunt contra me* per tumo-
rem superbiæ, per idololatrias atque bla-
sphemias, *quasi ventum pestilentem,* ita
quod cor eorum simile fuit hujuscemodi
vento infectivo, quoniam alios multiplici-
ter infecerunt ac subverterunt Chaldæi.
Vel, Quasi ventum pestilentem, id est ex-
ercitum Cyri ac Darii, qui instar nocen- C
tissimi venti subverterunt Babylonem et
2 populum ejus. *Et mittam in Babylonem
ventilatores,* videlicet Persas ac Medos, qui
Babylonios hinc inde currere atque diffu-
gere faciebant. Ideo sequitur : *et ventilabunt
eam, et demolientur terram ejus,* domos
destruendo, terræ nascentia occupando, di-
vitias rapiendo, homines occidendo ; *quo-
niam venerunt,* id est venient, *super eam
undique in die afflictionis suæ,* id est tem-
pore divinitus præordinato ad destruen-
3 dam Babylonem. *Non habitabit* (sive *Non* D
*tendat) qui tendit arcum suum, et non
ascendet loricatus :* id est, sagittarii et
armati seu loricati Babylonis, contra Me-
dos et Persas resistere non valebunt, nec
jacula mittere, atque consurgere. *Nolite,*
o Medi et Persæ, *parcere juvenibus ejus,*
videlicet Babylonis, *interficite omnem mi-
4 litiam ejus; et cadent interfecti in terra
Chaldæorum, et vulnerati in regionibus
ejus,* id est provinciis ei subjectis ; vel una
totalis regio pluraliter nominatur, juxta
diversas suas portiones regulis sive prin-
cipibus subditas.

Quoniam non fuit viduatus, id est om- 5
nino relictus, *Israel et Juda,* id est duo-
decim tribus, quantum ad eos qui a Chal-
dæis vexati fuerunt, *a Domino Deo suo,* qui
fuit sponsus et vir Synagogæ, quemadmo-
dum nunc Ecclesiæ : qui etsi populum
suum temporaliter affligi permisit, non
tamen in toto deseruit. *Terra autem eo-
rum,* scilicet filiorum Israel, *repleta est
delicto a Sancto Israel,* id est permissive
a Deo : juxta illud Isaiæ, Quare nos errare *Is.* lxiii, 17.
fecisti de viis tuis ? Vel, per hoc quod
recesserunt a Deo sanctificante Israelem,
idcirco permisit eos ad tempus affligi ut
purgarentur, non ut penitus interirent.
Effugite de medio Babylonis, filii Israel, 6
ut salvet unusquisque animam suam, id
est, vitam suam a morte præservet. *Nolite
tacere super iniquitatem ejus,* id est, cul-
pam et pœnam pro culpa illatam Chaldæis,
ubique ad gloriam Dei et ad declarationem
justitiæ ejus narrate ; *quoniam tempus ul-
tionis ejus,* scilicet Babylonis, *est Domino :*
quoniam ad Dominum pertinet debito tem-
pore peccata illius ulcisci. *Vicissitudinem
ipse* Dominus *retribuet ei,* id est pœnam
pro culpa, seu talia genera tormentorum,
qualia aliis gentibus illa inflixit.

Calix aureus Babylon in manu Domini, 7
id est, rex seu populus Babylonis similis
fuit aureo calici in manu Dei, qui per re-
gnum Babyloniæ cetera regna vastavit.
Hinc subditur : *inebrians omnem terram,*
id est, habitantes in terra diversis tribula-

tionibus abundanter adimplens. Unde quod A
ait, Omnem terram, per hyperbolen di-
ctum est, quomodo libro primo Esdræ Cy-
I Esdr. I, 2. rus rex ait, Omnia regna terræ dedit mihi
Deus cœli. *De vino ejus biberunt gentes,*
id est, poculum persecutionis ejus expertæ
sunt, *et inde commotæ sunt,* per captivita-
tem et mortem, ac varias animæ affectio-
8 nes. *Subito cecidit Babylon, et contrita*
est : quia ut præcedenti dicebatur capitulo,
Jer. L, 24. improvise capta est. *Tollite resinam ad*
dolorem ejus, id est, ad medendum ejus
doloribus medicinalia adhibete, *si forte* B
sanetur : quod ex zelo justitiæ ironice di-
citur.
9 *Curavimus Babylonem, et non est sa-*
nata, etc. Istud secundum Glossam est
verbum angelorum sanctorum, qui ad cu-
stodiam Babylonis fuerant delegati, dicen-
tes : *Curavimus,* id est, curare et bene
gubernare voluimus, *Babylonem,* instigan-
do eam ad bona, et pro ejus protectione
satis agendo ; *et non est sanata* a læsioni-
bus gravissimorum facinorum, quoniam
bonis instinctibus non acquievit. *Derelin-* C
quamus eam, cessando ab ejus defensione
atque custodia, propter incorrigibilitatem
ipsius, et quia divina æquitas id requirit
ut inimicis tradatur, *et eamus unusquisque*
ad terram suam, id est ad mansiones terræ
viventium ac patriæ Beatorum, vel ad alia
loca terræ, in quibus ex commissione di-
vina aliqua operari habemus. Juxta hunc
modum refert Josephus in templo Jerusa-
lem a Romanis destructo, destructione ejus
jam imminente, voces angelorum auditas :
Transeamus ex his sedibus. *Quoniam perve-* D
nit usque ad cœlos judicium ejus, id est, a
Deo exsecutionem requirit, ita quod suis
criminibus meretur damnationis judicium
sibi inferri. Quemadmodum enim opera
virtuosa dicuntur ad cœlos ascendere, cœ-
losque penetrare, et coram Deo commemo-
rari ; ita et quædam graviora peccata : sicut
Gen. IV, 10. ad Cain Dominus protestatur, Vox sangui-
nis fratris tui clamat ad me. *Et elevatum*
est usque ad nubes, id est, causa dam-
nationis eorum vehementer excrevit.

Protulit, id est, in lucem deduxit, et se 10
acceptare monstravit, *Dominus justitias*
nostras. Hoc dicitur in persona justorum
Judæorum, a Babylonica captivitate redeun-
tium, qui orationes suas et actus virtutum
in aliena terra a Deo acceptos confite-
bantur.
Acuite sagittas vestras, o Persæ et Medi, 11
implete pharetras sagittis contra Chaldæos.
Suscitavit Dominus spiritum regum Medo-
rum, id est, Dario regi Medorum, et regibus
sibi opem ferentibus Dominus inspiravit ut
veniant contra Chaldæam ; *et contra Baby-*
lonem mens ejus est, id est propositum Dei,
ut perdat eam, quoniam ultio Domini est,
ultio templi sui, id est, æquitas Dei requi-
rit peccata Babyloniorum puniri, maxime
quod templum ejus irreverenter destruxe-
runt, et vasa templi Dei in fana idolorum
suorum posuerunt. Deinde Balthasar usus Dan. V, 3.
est eis sine reverentia in luxuriosis suis
conviviis, ut legitur in Daniele. *Rex Me-*
dorum, utpote Darius, *contra Babylonem*
a Domino suscitatus est, id est motus et
roboratus. *Super muros Babylonis levate* 12
signum vos, cives Babylonis, sicut venien-
tibus adversariis, levatur signum in muro ;
augete custodiam contra Medos et Persas,
levate custodes in turribus, ut circumspi-
ciant undique, *præparate insidias* contra
hostes. Quod autem totum hoc ironice di-
catur, ostendunt verba subjecta : *quia co-*
gitavit Dominus et fecit, id est, statim
nunc faciet, *quodcumque locutus est* per
Prophetas *contra habitatores Babylonis.*
Quæ habitas super aquas multas, id est, 13
plebs Babylonica super fluvium Euphraten
habitans, *locuples in thesauris :* quia multa
regna tributaria erant sub rege Babylonis ;
venit finis tuus pedalis præcisionis tuæ, id
est, qua penitus et quasi radicitus usque
ad infimum delearis. *Juravit Dominus* 14
Deus exercituum per animam suam. Hoc,
quantum ad animam, metaphorice dicitur,
intelligendo per animam, mentem seu spi-
ritum, qui est ipsemet Deus. *Quoniam*
replebo te, o Babylon, *hominibus,* scilicet
hostibus tuis, *quasi brucho,* id est in copia

Is. xxxiii,4. magna : juxta illud in Isaia, Congregabun- A
tur spolia vestra sicut colligitur bruchus.
Super te celeuma cantabitur, id est, de
tua occisione hostes gaudebunt. Celeuma
autem vocatur canticum vindemiatorum,
quod vino copioso expresso, decantant
cum gaudio.
15 *Qui fecit terram in fortitudine sua,* id
est propria potestate, *præparavit,* id est,
convenienter produxit atque disposuit, *or-*
bem in sapientia sua; et prudentia sua, id
est practica sua rerum creatarum scien-
tia increata, *extendit cœlos,* id est, certam B
quantitatem et dimensiones congruas se-
cundum dictamen suæ immensæ scientiæ
16 tribuens eis. *Dante eo vocem,* id est ad
ejus præceptum, *multiplicantur aquæ in*
cœlo, scilicet nubes, nives, et pluviæ in
aere. *Qui levat nubes ab extremo terræ,* id
est, virtute caloris solis, et per causas na-
turales, elevat vapores a mari Oceano, ter-
ram cingente seu ambiente, et etiam ab
aliis locis aquaticis; *fulgura in pluviam*
fecit, id est, terminavit, quia in magnis
imbribus fulgura cessant, *et produxit ven-* C
tos de thesauris suis, id est de suæ pote-
statis divitiis, seu locis nobis occultis. Ista
Jer. x, 12, 13. superius habita sunt atque exposita.
17 *Stultus factus est omnis homo a scien-*
tia, id est, comparatione divinæ, increatæ,
infinitæ sapientiæ Dei, omnis homo insipi-
ens est, et quasi scientia carens. Vel, Stultus
factus est a scientia utique sua carnali et
superstitiosa. Vel, Stultus factus est a scien-
tia, in quantum per scientiam suam infla-
Is. xlvii,10. tus est, juxta illud Isaiæ : Sapientia tua et
scientia tua decepit te. *Confusus est omnis* D
conflator in sculptili, id est artifices ido-
lorum atque figurarum sive imaginum su-
perstitiose factorum, *quia mendax est con-*
flatio ejus, id est, idolum quod formavit,
vanum est, nec tale quale putatur. Responsa
quoque quæ dantur per idola, frequenter
* nec mendosa sunt. Quia *non* est spiritus in*
eis, id est, in sculptilibus istis seu idolis
non est spiritus vitæ sive anima, ita quod
materia illa informetur ab aliqua forma
vitali : spiritus tamen maligni inhabitant

eam, atque adsistunt. *Vana sunt opera,* id 18
est idola ista, quia mendacia, nec numinis
quidquam habentia: fiuntque frustra, quia
ad beatitudinem non perducunt, sed ab ea
impediunt; *et risu digna,* id est deriden-
da. Quid enim tam fatuum, ut opus ma-
nuum mortalis artificis adorare? *Et tem-*
pore visitationis suæ peribunt, id est, dum
Babylon fuerit capta, ejus idola destruen-
tur. Vel, si generaliter intelligatur, sensus
est, quod in Christi adventu per Aposto-
lorum prædicationem, idola gentium sint
per universum mundum destructa, secun-
dum illud Zachariæ : In die illa, dicit *Zach.* xiii, 2.
Dominus, disperdam nomina idolorum de
terra.
Non sicut hæc, pars Jacob, id est, Deus, 19
qui est pars quam Jacob patriarcha, et
populus ex eo descendens, elegit et coluit,
non est sicut hæc opera vana seu idola.
De ipso nempe ait Psalmista : Deus cordis *Ps.* lxxii, 26.
mei, et pars mea Deus in æternum. Et in-
fra in Threnis : Pars mea Dominus, dixit *Thren.* iii, 24.
anima mea. *Quia qui fecit omnia,* scilicet
Deus verus, universorum creator, *ipse est,*
id est, verum, plenum, et incommutabile
esse habet. Qui ait ad Moysen : Sic dices *Exod.* iii, 14.
filiis Israel : Qui est, misit me ad vos. Vel,
Ipse est Deus verus, et pars Jacob. *Et Is-*
rael, id est fideles et electi ex populo
Israel, sunt *sceptrum hereditatis ejus,* id
est regia ejus hereditas seu hereditarius
populus, tanquam a Deo gratiose posses-
sus, atque ad bona gloriæ præordinatus.
De qua cantatur in Psalmo : Redemisti *Ps.* lxxiii,2.
virgam hereditatis tuæ; et in Isaia, Here- *Is.* xix, 25.
ditas mea Israel. Cui et in Deuteronomio
Moyses loquitur : Te elegit Dominus, ut sis *Deut.* vii,6.
ei populus peculiaris de cunctis populis
qui sunt super terram. *Dominus exerci-*
tuum, id est angelicarum virtutum super-
norumque agminum, *nomen ejus.*
Deinde Babyloni ejusque regi Dominus
ait : *Collidis tu mihi,* ad ostensionem ju- 20
stitiæ meæ secundum meam ordinationem,
vasa belli, id est bellica instrumenta gen-
tium alienarum, et etiam ipsas gentes, *et*
ego collidam in te, o Babylon, *gentes,* id

est habitantes in te : quas occiderunt Me- A
di : *et disperdam in te regna,* id est ho-
mines regnorum tibi subjectorum ; vel,
te destruendo, regna quoque tibi subjecta
21 hostibus tuis subdentur. *Collidam,* id est,
per Persas et Medos occidam seu destruam,
in te equum et equitem ejus, id est equos
et sessores eorum. Et juxta hunc sensum
subditur : *collidam in te currum et ascen-
sorem ejus :* per singulare intelligendo
22 plurale. *Collidam in te virum et mulie-
rem, senem et puerum, juvenem et vir-*
23 *ginem; et collidam in te duces et magi-* B
24 *stratus. Et reddam Babyloni et cunctis
habitatoribus Chaldææ omne malum,* id
est pœnam pro omni malo, *quod fecerunt
in Sion,* templum destruendo, et Judæos
crudelissime perimendo, *in oculis vestris,*
o Judæi, qui in Babylonia estis captivi.
25 *Ecce ego ad te, mons pestifer,* id est,
urbs Babylon, *qui corrumpis universam
terram,* id est, plurimas nationes occidis,
atque ad vitia pertrahis, et gravissime
scandalizas. Dicitur autem Babylon mons,
propter eminentiam suæ potentiæ ac præ- C
sidentiæ. *Et extendam manum meam super
te* per Persas ac Medos, *et evolvam te de pe-
tris,* id est de firmitatibus tuæ structuræ, *et
dabo te in montem combustionis,* id est, ab
hostibus combureris, erisque similis monti
26 combusto. *Et non tollent de te lapidem in
angulum, et lapidem in fundamento,* id
est, de materiis tuæ ruinæ non denuo con-
strueris ; *sed perditus eris,* id est, destru-
ctus manebis, *in æternum.* Aliqua horum
conveniunt Babyloni, quantum ad ædifi-
cia ; aliqua, quantum ad habitantes in ea, D
sicut corrumpere universam terram.
27 *Levate,* o adversarii Babylonis, *signum
in terra,* id est indicia vestra sive vexilla
ad pugnam ; *clangite buccina in monti-
bus,* animando et provocando vos contra
Chaldæos. *Sanctificate,* id est, ad divinæ
justitiæ demonstrationem ordinate et con-
firmate, *super eam,* id est contra Babylo-
nem, *gentes* vestri exercitus ; *annuntiate
contra illam regibus Ararat,* id est Arme-
niæ, *Menni et Ascenez,* id est regionum
illarum ; *numerate contra eam Taphsar,* id
est exercitum ; *adducite equum quasi bru-
chum aculeatum,* id est equos in copia,
qui sint audaces atque veloces. *Sanctifica-* 28
*te contra eam gentes, reges Mediæ, duces
ejus,* etc. *Et commovebitur terra* Chaldææ, 29
et turbabitur : per terram habitatores ejus
intelligendo ; *quia evigilabit,* id est, publi-
ce in actum procedet, *contra Babylonem
cogitatio Domini,* quæ ante quasi dormi-
ens apparebat differendo vindictam, *ut po-
nat terram Babylonis desertam.*
Cessaverunt fortes Babylonis a prælio, 30
Deo eis resistente, qui ante auxiliabatur
eis ; *habitaverunt in præsidiis,* non au-
dentes egredi contra hostes. *Devoratum
est robur eorum,* id est ab hostibus supe-
ratum, Deo corda eorum infirmante ac
perterrente, *et facti sunt quasi mulieres,*
id est infirmi ac pavidi. *Incensa sunt ta-
bernacula ejus,* videlicet Babylonis, *contriti
sunt vectes ejus* ab hostibus portas Babylo-
nis frangentibus. *Currens obviam curren-* 31
*ti veniet, et nuntius obvius nuntianti, ut
annuntient regi Babylonis* Balthasar, *quia
capta est civitas ejus* a Persis ac Medis, *a
summo usque ad summum,* id est ab una
ejus extremitate usque ad aliam. In civi-
tate enim tam grandi, et in tam magno
negotio, diversi hinc inde currebant ut
regi improvisam urbis vastitatem insinua-
rent. *Et vada præoccupata sunt,* id est aquæ 32
Euphratæ, per cujus alveum introierunt
Medi, vada Euphratæ per alios meatus ab
urbe divertentes, *et paludes incensæ sunt,*
id est habitacula in eis locata, *et viri bella-
tores* ipsius Babylonis *conturbati sunt* de
adversariorum ingressu atque adspectu.
Quia hæc dicit Dominus : Filia Babylo- 33
nis, id est plebs urbis istius, *quasi area,*
id est domus frugibus plena ; *tempus tritu-
ræ ejus,* id est, tempus venit quo habitato-
res ejus excutiantur de ea, quemadmodum
blada excutiuntur de culmis et area. *Ad-
huc modicum* temporis restat, *et veniet
tempus messionis ejus,* id est deletionis
ejus totalis a terra.

Consequenter ipsa Jerusalem, scilicet

populus ejus, contra Babylonem conqueri-
34 tur : *Comedit me,* et *devoravit me Nabu-*
chodonosor rex Babylonis, id est, populum
Jerusalem variis modis consumpsit ac spo-
liavit; *reddidit me quasi vas inane,* popu-
lum vulnerando, et civitatem inhabitabilem
faciendo. *Absorbuit me quasi draco,* mul-
tos crudeliter perimendo, *replevit ventrem*
suum teneritudine mea, id est me tenera
et delicata ac nobili per cultum unius Dei
ac templum,† quæ in Jerusalem frequenter
vigebant, satiando affectum suum suppli-
ciis meis; *et ejecit me* de pristino statu ac
35 loco. *Iniquitas adversum me,* id est perse-
cutio mihi ab eo et suis injuste, scilicet
prava intentione crudeliterque illata, *et*
caro mea, id est corpus meum ab ipso tam
dire afflictum, *super Babylonem,* id est,
contra eam clamat, et ultionem requirit,
dicit habitatio Sion, id est populus Judæo-
rum in monte Sion moratus, et templum
consistens in eo; *et sanguis meus* a Baby-
loniis fusus, *super habitatores Chaldææ*
vindictam expostulat, *dicit Jerusalem.*

Hanc autem orationem ostendit se Do-
36 minus exaudisse. *Propterea hæc dicit Do-*
minus: Ecce ego judicabo causam tuam
justo judicio, et ulciscar ultionem tuam,
id est, exsequar vindictam iniquitatis com-
missæ in te; *et desertum faciam mare ejus,*
id est, fluvium Euphraten ab alveo suo
avertam, *et siccabo venam ejus,* id est lo-
cum per quem introiit Babylonem : a quo
loco retraxerunt Persæ ac Medi Euphratæ
aquas. Est autem consuetudo linguæ He-
brææ, quamlibet magnam congregationem
aquarum, mare vocare, sicut in Evangelio
Joann. XXI, 1. legitur, mare Tiberiadis. *Et erit Babylon*
37 *in tumulos,* ædificiis ejus in terram col-
lapsis, *habitatio draconum, stupor et sibi-*
lus, id est objectum seu materia stuporis
et sibili admirantium de ejus ruina, *eo*
quod non sit habitator in ea, in qua ante
tam innumerabiles commorabantur.

38 *Simul ut leones rugient,* id est, Babylo-
nii victi, præ doloribus atque miseriis suis
horribiles sonos emittent, sicut leones dum
superantur, et *excutient comas,* id est, cri-
A nes suos præ angustiis extrahent, *veluti*
catuli leonum, qui dum capti sunt, ex in-
dignatione ac dolore capillos suos extra-
here asseruntur. *In calore eorum ponam* 39
potus eorum : id est, vino quod bibent
Babylonii, calefient, *et inebriabo eos* per-
missive, *ut sopiantur* dormiendo, ut moris
est ebriorum, *et dormiant somnum sem-*
piternum, id est interficiantur, *et non*
consurgant ad vivendum in sæculo isto.
Quemadmodum enim in Daniele habetur,
Balthasar rex Babylonis urbe sua obsessa, *Dan.* V, 1,
B grande fecit convivium optimatibus suis, 2, 30.
et factus jam temulentus, jussit vasa templi
Dei ad mensam suam afferri, eademque
nocte occisus est et ceteri secum. *Dedu-* 40
cam eos quasi agnos ad victimam, et quasi
arietes cum hœdis : id est, sine repugna-
tione et reclamatione ab hostibus necabun-
tur, quemadmodum oves quum ad mortem
ducuntur, obmutescunt neque resistunt.

Quomodo capta est Sesach, id est Baby- 41
lon? quæ et supra ita vocata est : quo in- *Jer.* XXV,
notescit, ineptum esse quod quidam ibi- 26.
C dem per Sesach intelligit regem Ægypti; *et*
comprehensa est inclyta universæ terræ, id
est Babylon, quæ fuit inter civitates cun-
ctas præclara? *Et ascendit super Babylo-* 42
nem mare, id est copiosus tumultuosusque
populus Medorum atque Persarum; *multi-*
tudine fluctuum, id est acierum seu infe-
stationum, *ejus operta est* Babylon, quia suc-
cubuit eis. *Factæ sunt civitates ejus,* id 43
est urbes Chaldææ, quarum Babylon erat
metropolis, *in stuporem,* ita quod de ea-
rum dejectione admirati sunt plurimi ;
D *terra inhabitabilis,* etc., quantum ad Ba-
bylonem, *in qua nullus habitet, nec trans-*
eat per eam filius hominis, id est aliquis
homo frequenter seu solito more, seu seor-
sum, sicut prædictum est plenius. *Et visi-* 44
tabo super Bel in Babylone, id est, idolum
Babyloniorum nomine Bel per Medos con-
fringam, ejusque cultores occidam, *et eji-*
ciam quod absorbuerat, de ore ejus, id
est, divitias Babyloniorum idolum istud
colentium, quas ab aliis violenter tulerunt,
Persis Medisque dabo; *et non confluent ad*

eum, puta ad Bel, *ultra gentes* in Babylo-
nem, ut ibi ipsum adorent.
45 *Egredimini de medio ejus,* videlicet Ba-
bylonis, *populus meus,* id est, Judæi in ea
morantes, *ut salvet unusquisque animam
suam,* id est, vitam præservet, *ab ira fu-
roris Domini,* id est a punitione imminen-
te Chaldæis ex divina justitia. Dicuntque
aliqui, quod Judæi ex revelatione divina
præmoniti, et forsitan per Danielem pro-
phetam, egressi sunt Babylonem antequam
46 vastaretur. *Et ne forte mollescat cor ve-
strum,* id est, timore resolvatur ex perce-
ptione advenientium contra Babylonem, *et
timeatis auditum,* id est rumorem, *qui
audietur in terra* Chaldææ de ferocitate ac
robore Persarum ac Medorum contra Chal-
dæam properantium. *Et veniet in anno
auditio* de interfectione regis Babylonis ac
populi ejus, ideo eum non habetis timere;
et post hunc annum auditio, id est pro-
mulgatio de licentia vobis data per Cyrum
redeundi ad propria, *et iniquitas in terra,*
quia Persæ ac Medi crudelissime et impia
intentione perversoque fine vastaverunt
Chaldæam, idolis quoque servierunt, *et do-
minator super dominatorem,* quoniam Da-
rio tempore modico imperanti, statim in
imperio Cyrus successit.
48 *Et laudabunt super Babylonem,* id est,
de ejus destructione divinam collaudabunt
justitiam, *cœli et terra,* id est habitantes
in eis, videlicet Beati in patria, et fideles
in via, *et omnia quæ in eis sunt,* id est
universæ virtutes et vires justorum, juxta
Ps. cii, 1. illud in Psalmo : Benedic, anima mea, Do-
mino, et omnia quæ intra me sunt, nomini
sancto ejus. *Quia ab aquilone,* id est plaga
aquilonari, *venient ei prædones,* videlicet
49 Medi et Persæ; *et quomodo fecit Babylon
ut caderent occisi in Israel,* id est, sicut
Babylonii Judæos in terra sua interfece-
runt, *sic de Babylone cadent occisi in uni-
versa terra* Chaldææ, vel in quacumque a
Medis fuerint inventi.
50 Deinde sermo dirigitur ad Judæos : *Qui
fugistis gladium* Medorum irruentium su-
per Chaldæos, inter quos habitastis, *veni-*

A *te,* redeundo in Judæam, et *nolite stare* in
Chaldæa. *Recordamini procul Domini,* id
est, a terra Chaldææ memores estote Dei
qui in Jerusalem habitationem sibi elegit,
et Jerusalem ascendat super cor vestrum,
attendendo qualiter sit destructa, et curan-
do de ejus reparatione. Ad quod respon-
dent Judæi : *Confusi sumus, quoniam au- 51
divimus opprobrium,* id est irreverentiam
templo Dei a Chaldæis illatam, et contu-
meliosam nostræ plebis dejectionem. *Ope-
ruit ignominia facies nostras, quia vene-*
B *runt alieni,* videlicet infideles et reprobi,
super sanctificationem domus Domini, id
est super templum Dei in Jerusalem, quod
Chaldæi funditus subverterunt. *Propterea* 52
*ecce dies veniunt, dicit Dominus, et visi-
tabo super sculptilia Babylonis,* idola ejus
conterendo, *et in omni terra ejus mugiet
vulneratus,* id est, per totam Chaldæam
ab hostibus suis sic vulnerabuntur Chal-
dæi, quod præ dolore miserabiliter instar
bestiæ mugient, verba formare non valen-
tes. *Si ascenderit Babylon in cœlum, et* 53
C *firmaverit in excelso robur suum,* id est,
quantumlibet se jactaverit atque præsum-
pserit, roborataque fuerit, *ad me venient
vastatores ejus, ait Dominus,* id est, Persæ
et Medi ad me exsistentem ubique, speci-
aliter autem ibi, ubi aliquid specialiter
operor, confluent; qui quum Babylonio-
rum peccata ulcisci cœpero, in Babylone
specialiter ero, et ibi venient isti vastato-
res ad me, tanquam exsecutores justitiæ
meæ.
Vox clamantis de Babylone, id est, ho- 54
D minum in Babylone cadentium miserabi-
les voces hinc inde audientur, *et contritio,*
id est destructio, *magna de terra Chal-
dæorum* audienda est; *quoniam vastavit* 55
*Dominus Babylonem, et perdidit ex ea
vocem magnam,* id est, præsumptuosa ver-
ba Babyloniorum compescuit et fecit ces-
sare; *et sonabunt fluctus eorum,* id est
populi Babyloniorum, *quasi aquæ multæ,*
graviter ejulando, gemendo, clamando ;
dedit sonitum vox eorum, id est, in altum
excrevit. *Quia venit super eam, id est su-* 56

per Babylonem, prædo, videlicet rex si-
ve exercitus Medorum prædantium terram
Chaldææ, *et apprehensi sunt fortes ejus* ab
hostibus, *et emarcuit arcus eorum,* id est,
bellicis suis instrumentis uti non value-
runt; *quia fortis ultor Dominus,* qui nullum
peccatum relinquit impunitum, *reddens*
retribuit Babyloni quod meruit, Babyloni-
orumque corda formidolosa fecit ac tabi-
da. Deo enim corda terrente ac tabefaci-
57 ente, nemo potest resistere. *Et inebriabo*
principes et sapientes ejus, duces et magi-
stratus, id est, doloribus eos replebo vel
vers. 39. vino : quia (ut dictum est) in convivio a
Balthasar celebrato, vino æstuaverunt, et
nocte immediate sequenti fuerunt perem-
pti. Ideo sequitur : *et dormient somnum*
sempiternum, et non expergiscentur ante
diem judicii, *ait Rex* universorum, qui
solus propria auctoritate præsidet cunctis,
et legem regiminis præstituit universis ;
Dominus exercituum, nomen ejus : quem
et Platonici appellaverunt patrem regem-
que deorum, quem et numina, ut inqui-
unt, perhorrescunt.
58 *Hæc dicit Dominus : Murus Babylonis*
ille latissimus suffossione suffodietur, et
portæ ejus excelsæ igne comburentur. Hæc
fecerunt Persæ ac Medi muro et portis Ba-
bylonis, de cujus dispositione et forma ali-
quid in fine hujus capituli inseram. *Et*
labores populorum ad nihilum, et gentium
in ignem erunt, id est, ædificia Babylonis,
maximis populorum ac gentium laboribus,
divitiis atque expensis constructa, redigen-
tur in pulverem.

Postremo describit Jeremias historiam
brevem, in qua destructio Babylonis sen-
59 sibili facto præfigurata narratur. *Verbum*
quod præcepit Jeremias propheta Saraiæ
filio Neriæ, quum pergeret cum Sedecia
rege Juda *in Babylonem in anno quarto*
A *regni ejus.* Tunc enim, ut dictum est su-
pra, Sedecias ad Nabuchodonosor regem
profectus est in Babylonem pacifice, ut ei
ferret encænia, et de quibusdam secum
tractaret ac responderet. *Saraias autem*
erat princeps prophetiæ. Quod quidam ex-
ponendo, affirmant quod fuit inter Levi-
tas, divina præconia, psalmos, et vaticinia
Prophetarum in templo canentes, princi-
palis ; vel, Princeps prophetiæ vocatur,
tanquam præcipuus exsecutor prophetalis
sermonis in sibi commissis. Videtur enim
B fuisse vir devotus et virtuosus, et sancti
Jeremiæ consocialis. *Et scripsit Jeremias* 60
omne malum quod venturum erat super
Babylonem, in libro uno, scilicet in epi-
stola vel libello, *omnia verba hæc quæ*
scripta sunt contra Babylonem in capitulo
isto ac præcedenti.

Et dixit Jeremias ad Saraiam : Quum 61
veneris in Babylonem, et videris, id est,
diligenter consideraveris atque inspexeris,
et legeris omnia verba hæc, forsitan coram
aliquibus Judæorum, pro consolatione eo-
C rum ; *dices : Domine, tu locutus es contra* 62
locum istum, ut disperderes eum, ne sit
qui in eo habitet, etc. *Quumque compleve-* 63
ris legere librum istum, id est, totum per-
legeris, *ligabis ad eum lapidem, et projicies*
illum in medium Euphraten currentem
per Babylonem ; *et dices : Sic submerge-* 64
tur, id est, vastitate et destructionibus op-
primetur, seu aquis tribulationum operie-
tur, *Babylon, et non consurget* ad pristinum
statum, *a facie afflictionis,* id est ab ipsa
afflictione sibi præsenti, *quam ego adduco*
D *super eam,* dejiciendo eam per Medos, *et*
dissolvetur a sua integritate, firmitate et
nexu.

Hucusque verba Jeremiæ tenduntur. Un-
de sequens capitulum, epilogus est libri
Jeremiæ hucusque protenti.

ARTICULUS LXXIV

DE MORALITATE EJUSDEM CAPITULI QUINQUAGESIMI PRIMI.

POTERANT quidem de tropologia expla- A
nati capituli multa induci; sed quia
jam præhabita sunt, reiteranda non reor :
unde non nisi aliqua principaliora hujus
capituli loca breviter tropologice tangam.
4 *Cadent interfecti in terra Chaldæorum,* id
est in consortio impiorum populum Dei
vastantium, qui propriis suis crudelitati-
bus animas suas occidunt, atque ab invi-
5 sibilibus hostibus conculcantur. *Quoniam*
non fuit viduatus Israel, id est populus
christianus Deum fide contemplans, *et Ju-*
da, id est plebs fidelis confitens Deo, *a* B
Deo suo. Horum enim Ecclesia sponsa est
Christi : quæ etsi vicissim exigentibus suis
peccatis, vel ob majorem suam felicitatem
permittatur a Christo temporalibus adver-
sitatibus affici ac impleri, non tamen vi-
duatur ab ipso, quia non in finem eam
relinquit, imo purgatam gratiosius recipit.
7 *Calix aureus Babylon,* id est societas re-
proborum ac injustorum, *in manu Domi-*
ni, inebrians omnem terram, id est Eccle-
siam militantem peregrinantem in terra,
quia per reprobos purgat, probat, exercet C
Deus electos. Ideo Abel esse renuit, quem
Cain malitia non exercet.
9 *Curavimus Babylonem, et non est sa-*
nata. Ex hoc innuitur, quod angeli qui
animabus nostris quasi medici adhiben-
tur, obstinationem et incorrigibilitatem si-
bi commissorum cernentes, deserunt eos
saltem in parte. Istud quoque prælati et
prædicatores dicere possunt, dum peccato-
res quibus verba Dei proponunt, et omni-
bus sibi possibilibus modis pro eorum
conversione diu laborant, intuentur nulla- D
tenus velle converti. Unde et Christus ait
Luc. IX, 5. discipulis : Quicumque non receperint vos,
exeuntes de civitate illa, etiam pulverem
pedum vestrorum excutite super eos. *Pro-* 10
tulit Dominus justitias nostras. Hoc est
quod ait Psalmista : Educet quasi lumen *Ps.* XXXVI, 6.
justitiam tuam; et Isaias, Et erumpet qua- *Is.* LVIII, 8.
si lumen justitia tua.
Quæ habitas super aquas multas, id est 13
in carnalium affectionum profluviis, et in
fluxu luxuriæ vel abundantia sæcularis
prudentiæ, *locuples in thesauris* tuis, *venit*
finis tuus (brevis nempe est delectatio vitæ
carnalis) *pedalis præcisionis tuæ,* ut peni-
tus de electorum consortio eradiceris. Me-
tuant id, qui divitias atque delicias sæculi
quærunt et diligunt : quorum interior ob-
turatus est oculus, non appretians digneve
ponderans spiritualia Spiritus Sancti do-
na. *Stultus factus est omnis homo a scien-* 17
tia : qui scilicet se sapientem reputat, ina-
niter glorians in se ipso, et alios spernere
pronus, quia Salomon ait : In multa sapi- *Eccle.* I, 18.
entia multa est indignatio. Paulus quo-
que : Qui se existimat, inquit, aliquid I *Cor.* VIII, 2.
scire, nondum cognovit quemadmodum
oporteat eum scire. *Et reddam Babyloni* 24
omne malum quod fecit *in Sion,* id est, in
sæcularibus vindicabo quidquid molestiæ
devotis spiritualibusque intulerint.
Ecce ego ad te, mons pestifer, ait Do- 25
minus, qui corrumpis universam terram.
Quamvis hoc contra diabolum dictum in-
telligi queat (cui per Zachariam Dominus
loquitur : Quis tu, mons magne, coram *Zach.* IV, 7.
Zorobabel in planum?) qui habitantes in
terra seducit, convenienter tamen accipi-
tur contra principes injustos atque indi-
gnos prælatos, qui ratione potestatis, au-
ctoritatis et præsidentiæ, montes dicuntur;
et quoniam alios scandalizant, pestiferi
nuncupantur : qui directe aut indirecte
universam terram sibi subjectam, id est

gregem sibi creditum, mente corrumpunt
peccati læsura, a veritatis atque justitiæ
integritate eos trahendo. Quos utique mon-
tes Deus altissimus nimis horribiliter visi-
tabit, quemadmodum subditur : *Evolvam*
te de petris, id est cordis tui duritiis, vel
firmitate habitaculi, ceterisque munitioni-
bus quibus inniteris, et contra Deum ac
æquitatem te armas; *et dabo te in montem*
combustionis, id est, in ignem gehennæ te
26 mittam. *Et non tollent de te lapidem in*
angulum, et lapidem in fundamento : id
est, nullum relinques filium tibi in pravi-
tate conformem, qui aptus sit præesse et
esse lapis angularis, ceteros per caritatem
et pacem conjungens, vel aliorum fun-
damentum, quod illorum imbecillitatem
portet ac roboret.
30 *Devoratum est robur eorum, et facti*
sunt quasi mulieres. Hoc cunctis iniquis
impœnitentibus, potissime carnalibus, com-
petit : quorum corda privavit diabolus do-
nis gratiæ atque virtutum, ita ut infirmis-
simi sint ad resistendum peccatis; imo ut
mulier, concupiscentiis suis, vanitatibus,
tentationibusque vincuntur. Quibus com-
Osee vii, 9. petit illud Osee : Comederunt alieni robur
33 ejus, et ipse nescivit. *Hæc dicit Dominus :*
Filia Babylonis, id est plebs mundana
peccatis confusa, *quasi area; tempus tri-*
turæ, id est hora castigationis seu puni-
tionis *ejus,* propinquat et instat. *Adhuc*
modicum, et veniet tempus messionis ejus,
ut de societate et horreo Ecclesiæ militan-
tis tollatur, in tartarumque labatur. Unde
Jacob. v, 9. Jacobus protestatur : Ecce Judex ante ja-
nuam adsistit.
Deinde in persona Ecclesiæ afflictæ, seu
animæ tentationibus victæ, subjungitur :
34 *Comedit me, devoravit me Nabuchodono-*
sor rex Babylonis, id est diabolus princeps
confusionis, vel quicumque persecutor ini-
quus, qui me ad peccata inducendo, spi-
ritualiter me consumpsit ac depauperavit
omnino; *reddidit me quasi vas inane,* ita
quod vasis iræ ac perditionis similis sum
effecta, nec apta ad actus virtutum, nisi
reformer a Deo. *Absorbuit me quasi dra-*
co, replevit ventrem suum teneritudine
mea, id est me ipsa, quæ dum fui in cari-
tate et gratia, eram Dei sponsa ac filia,
habens cor molle et carneum, ad compun-
ctionem omnemque devotionem bene dis-
positum.
In calore eorum ponam potus eorum. 39
Hoc reprobis accidit in inferno, ubi de
potu sulfureo bibent. *Ut leones rugient,* 38
excutient comas suas : juxta illud Apoca-
lypsis, Manducaverunt linguas suas præ Apoc. xvi,
dolore, et blasphemaverunt Deum cœli 10, 11.
præ doloribus et vulneribus suis. *Dedu-* 40
cam eos quasi agnos ad victimam : id est,
in infernum corruent, non valentes resi-
stere, juxta illud Psalmi : Sicut oves in Ps. xlviii,
inferno positi sunt; mors depascet eos. 15.
Quomodo capta est Sesach, id est quicum- 41
que dives, pretiose indutus et splendide Luc. xvi, 19.
epulans? qui vinculis dæmonum undique
circumligatur, et cum epulone in inferno Ibid. 22.
sepelietur. Sesach autem byssus sacci in-
terpretatur. *Et visitabo super Bel in Ba-* 44
bylone. Per Bel, qui interpretatur vetu-
stas, designatur diabolus hostis antiquus,
vel quicumque in vitiis inveteratus, qui
alios traxit ad culpam. *Et ejiciam quod*
absorbuerat, de ore ejus, id est, animas
quæ per simplicitatem, aut simili modo ab
istis deceptæ sunt, per gratiam recupera-
bo, et Christo incorporabo.
Egredimini de medio Babylonis, id est 45
sæcularis conversationis, *ut salvet unus-*
quisque animam suam, evadendo pœnas
inferni, et promerendo gaudia cœli. *Et ne* 46
mollescat cor vestrum formidolosa molli-
tie, quæ contrariatur constantiæ atque fi-
duciæ mentis in Deo, *et timeatis auditum*
qui audietur in terra, quod scilicet omnes II Tim. iii,
qui volunt pie vivere in Christo, persecu- 12.
tionem patientur, quod item per multas Act. xiv, 21.
tribulationes oportet salvari; item, quod
arcta sit via salutis, gravis quoque infe- Matth. vii,
statio dæmonis. *Et veniet in anno audi-* 14.
tio : ideo non timeatis, quoniam cito primo
vestræ conversionis anno, percipietis quod
Dominus conteret Satanam sub pedibus Rom. xvi,
vestris velociter, quod etiam jugum Do- 20.

Matth. XI, 30. mini sit suave : quod ipse quoque affirmat, A
Ibid. 28. Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. *Et post hunc annum auditio,* id est consolatio magna de reditu vestro ad patriam Beatorum
Ps. CXXI, 1. (juxta illud : Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, In domum Domini lætantes ibimus), vel consolatio de spirituali profectu, ita quod omnia quæ ante cum difficultate fecistis, jam cum ingenti alacritate agatis, mundo vobis in nauseam verso, atque quam dulcis sit Deus gustato ; *et iniquitas in terra,* id est in eis qui terrena B amantes nolunt converti, *et dominator super dominatorem,* id est, Christum dominatorem habebitis, qui incomparabiliter fortior est ad salvandum vos, diabolo cui
48 ante servistis. *Laudabunt super Babylonem cœli et terra,* id est, de impiorum et persecutorum damnatione laudabunt omnipotentis Dei justitiam omnes justi in cœlo et in terra, juxta illud Apocalypsis :
Apoc. XVIII, 20. Exsultate, cœli, et sancti Apostoli et Prophetæ, quoniam judicavit Deus judicium vestrum de illa, scilicet Babylone. C
50 *Qui fugistis gladium,* quo mundus iste percutitur, scilicet impugnationem diaboli, *venite,* proficiendo de virtute in virtutem, et *nolite stare,* appropinquando ad Deum affectione amoris. *Recordamini procul Domini,* scilicet de præsenti exsilio,
II Cor. V, 6. quia dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino, et longe distamus a Deo dissimilitudine, non loco ; *et Jerusalem* illa cœlestis *ascendat super cor vestrum,*
Ibid. IV, 18. ut contemplemini non ea quæ videntur, sed quæ non videntur, adspirantes semper D
Philipp. I, 23. ad patriam, cupientesque dissolvi et esse
51 cum Christo. *Operuit ignominia facies nostras, quia venerunt alieni super sanctificationem domus Domini,* id est invisibiles hostes, vel ceteri animarum corruptores atque indigni prælati, super congregationem fidelium, quibus Apostolus ait :

A Templum Dei sanctum est, quod estis vos. I Cor. III, 17.

Postremo per Saraiam principem pro- 59-64
phetiæ, et projicientem libellum Jeremiæ in Euphraten, ad designandum Babylonis ruinam, significantur viri divini, laudibus Dei semper intenti, et contra mundi vanitatem jugiter prædicantes sive scribentes, ejus instabilitatem, fallaciam, damnationemque pandentes : qui et sensibilibus signis lapsum ejus demonstrant.

His vero quæ in istis duobus capitulis contra Babylonem dicuntur, consonant quæ B in Apocalypsi de Babylone mystice conscribuntur. Ubi et dicitur : Sustulit unus Apoc. XVIII, 21. angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, et misit in mare, dicens : Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, et ultra non invenietur.

Qualis autem fuerit Babylon, historiographi scribunt, dicentes : Babylon erat civitas ita excellens, ut pene incredibile videatur eam potuisse construi aut destrui humano opere aut arte humana. Erat etenim sita in amplitudine latissimi atque C planissimi campi, undique conspicua, in quadro posita, atque ex natura loci lætissima. Latitudo muri quinquaginta cubitorum, altitudo vero ducentorum exstitit cubitorum. A fronte murorum habuit centum æreas portas. Murus quoque ex cocto latere et interfuso erat bitumine. Quodlibet autem latus civitatis sedecim milliaria, id est octo leucas, in longitudine habuit. Capitolium vero ipsius, fuit turris illa Babel Gen. XI, 4-9. post diluvium facta, habens in altitudine quatuor millia passuum. In hac urbe erant D templa marmorea, statuæ aureæ, plateæ auro lapidibusque fulgentes. Nunc vero infra mœnia est vastissima solitudo et bestiarum tumultus. Et sicut B. Hieronymus percepisse se dicit, sunt ibi venationes regales : unde et muri coctiles aliquando instaurantur propter bestias includendas, ut facilius capiantur.

ARTICULUS LXXV

EXPLANATIO CAPITULI QUINQUAGESIMI SECUNDI : FILIUS VIGINTI ET UNIUS ANNI ERAT SEDECIAS.

OMNIA quæ nunc in hoc declarando A
conscribuntur capitulo, ex præindu-
IV *Reg.* xxiv, xxv. ctis et item ex his quæ quarto Regum li-
bro leguntur, patescunt. Est nempe ca-
pitulum istud recapitulatio compendiosa
eorum quæ in hoc ipso volumine habita
sunt atque exposita.

Primo igitur dicitur, quo vitæ suæ anno
1 Sedecias rex Juda sumpserit regnum. *Fi-
lius viginti et unius anni,* id est filius
Josiæ habens viginti unum annos, *erat
Sedecias quum regnare cœpisset,* a Nabu-
chodonosor rege constitutus in regno ; *et* B
undecim annis regnavit in Jerusalem me-
tropolitana urbe regni Judææ. Undecimus
tamen annus regni Sedeciæ non fuit com-
Jer. xxxix, 2. pletus : quia, ut dictum est, undecimo an-
no regni Sedeciæ, mense quarto, quinta
die mensis, aperta est civitas ipsa Jerusa-
2 lem. *Et fecit in oculis Domini mala** cul-
* *malum* pæ, *juxta omnia quæ fecerat Joakim* fra-
3 ter ejus, rex Juda, filiusque Josiæ. *Quoniam
furor Domini erat in Jerusalem et in Ju-
da,* id est, quia rigor divinæ justitiæ eum
et populum ejus juste reliquit, ipsam quo- C
que Jerusalem et Judæam abjicere voluit.
Unde furor seu rigor æquitatis divinæ,
non fuit causa vitiorum Sedeciæ, nisi per-
missive, seu non influendo dona gratiæ ac
virtutum : quemadmodum sol recedendo
a nobis, fertur causa congelationis, et nau-
ta per suam absentiam, causa est submer-
sionis. Juxta quem modum Isaias loquitur
Is. LXIII, 17. Deo : Quare errare nos fecisti de viis tuis ?
indurasti corda nostra ne timeremus te ?
Usquequo projiceret eos, id est Sedeciam
et populum ejus, *a facie sua,* id est a sua D
gratia, defensione ac pio respectu. *Et re-
cessit Sedecias a rege Babylonis,* inobe-
diendo, rebellando, pactum seu juramen-
tum frangendo.

Porro quo tempore rex Babylonis venerit
contra Sedeciam, obsederitque Jerusalem,
declaratur quum subditur : *Factum est* 4-6
autem in nono anno regni ejus, scilicet
Sedeciæ, *venit rex,* etc. Quæ omnia dicta *Jer.* xxxix, 1.
sunt supra. *Mense autem quarto,* undeci-
mi scilicet anni regni Sedeciæ, *obtinuit
fames civitatem,* id est, habitatores Jeru-
salem compulsi sunt fame dare se victos
ac fugere. *Exieruntque omnes viri bella-* 7-11
tores de civitate nocte per viam portæ, etc.
Totum istud scriptum est supra atque *Ibid.* 4-7.
expositum.

In mense autem quinto undecimi anni 12
Sedeciæ, *venit Nabuzardan princeps mi-
litiæ in Jerusalem ; et incendit domum* 13
Domini et domum regis, id est templum
itemque palatium. Quamvis autem civitas
fuerit capta mense quarto anni præfati,
quinto tamen ejusdem anni mense com-
busta est : cujus ratio est inducta. *Colum-* 17
*nas quoque æreas quæ erant in domo Do-
mini,* quas Salomon fieri jussit, et in III *Reg.* VII, 15, 21.
porticu templi constituit, *et bases* colum-
narum istarum, *et mare æneum,* quod
erat vas rotundum et magnum in quo la-
vabant se sacerdotes, *quod erat in domo
Domini,* puta in atrio sacerdotum, *confre-
gerunt Chaldæi, et tulerunt omne æs eo-
rum in Babylonem.* Integra enim conve-
nienter ferre non poterant ; vel forte in
contemptum Judæorum ea fregerunt. *Et* 18
lebetes, id est ollas sive caldarias, in qui-
bus sacrificiorum carnes coqui solebant,
et creagras, id est fuscinulas ad extrahen-
dum carnes oblatas, *et psalteria,* id est
musica instrumenta, in quibus canebant

Levitæ, *et phialas,* id est vasa unguento- A
rum, ex quibus reges et sacerdotes, vasa-
que templi (ut dicitur) ungebantur, *et mor-*
tariola, in quibus scilicet comminuebantur
19 materiæ unguentorum; *et hydrias,* in qui-
bus vinum et oleum servabantur, *et ur-*
ceos, et pelves, et candelabra, et cyathos, id
est vasa in quibus (ut dicitur) probabantur
vinum et oleum, an essent apta in sacri-
20 ficium ; *et vitulos duodecim æreos, qui*
erant sub basibus, id est suppositi basibus
seu partibus fundi maris ænei, secundum
quosdam. *Non erat pondus æris omnium* B
vasorum horum. Hoc per hyperbolen dici-
tur, ad designandum magnam valde quan-
titatem materiæ vasorum illorum, sicut in
libro Josue, filii Ruben et Gad leguntur
Josue XXII, 10. construxisse altare magnitudinis infinitæ.
Consequenter diversarum prædictarum
ærearum forma describitur columnarum.
21 *De columnis autem* duabus præfatis, *de-*
cem et octo cubiti altitudinis erant in co-
lumna una, similiter in alia, et hoc, quan-
tum ad stipitem columnarum; *et funiculus*
duodecim cubitorum circuibat eam, quoad C
ejus rotunditatem. *Porro grossitudo ejus,*
quatuor digitorum : per grossitudinem,
spissitudinem columnæ intelligendo. Co-
lumnæ enim erant interius cavæ : ideo
sequitur, *et intrinsecus cava erat* colum-
22 na, non solida. *Et capitella,* scilicet parva
capita *super utramque* columnam, *ærea.*
Quælibet enim habuit proprium capitel-
lum artificiose formatum. *Et altitudo capi-*
telli unius quinque cubitorum. Tot cubitos
habuit capitellum utrumque. *Et retiacula,*
et malogranata super vel supra *coronam,* D
id est capitellum consistens super caput
columnæ : siquidem ad capitelli decorem
apposita ei fuerunt ærea malogranata ac
23 retiacula. *Et fuerunt malogranata nona-*
ginta et sex dependentia a quolibet capi-
tello prædicto, *et centum retiaculis cir-*
cumdabantur omnia malogranata hæc.
Fuit quippe in qualibet columna unum
totale retiaculum ; tamen in eo fuisse scri-
buntur centum distinctiones, quot et or-
dines in malogranatis ponuntur.

De istis hoc loco superficialiter trans-
eo, quia non hic, sed in libris Regum et III *Reg.* VII, 15 *et seq.;*
Paralipomenon, specialem obtinent locum. II *Par.* III, 15-17; IV, passim.
Et tulit magister militiæ Saraiam sacer-
dotem primum, et Sophoniam sacerdotem 24
secundum. David namque constituit vigin-
ti quatuor ordines sacerdotum in ministe-
rio templi, ut legitur primo Paralipome- I *Par.* XXIV, 4-19.
non. *Et tres custodes vestibuli* templi. *Et* 25
de civitate Jerusalem *eunuchum unum, qui*
erat præpositus super viros bellatores, et
septem viros de his qui videbant faciem
regis Sedeciæ, id est, ei familiarius adsti-
terunt. Verumtamen quarto Regum legun-
tur quinque fuisse ; sed numerus minor IV *Reg.* XXV, 19.
non excludit majorem, nisi cum signo ad-
juncto. *Qui inventi sunt in civitate* Jeru-
salem, in qua se absconderunt. *Et scribam*
principem militum, qui probabat tirones,
an scilicet apti essent ad actus militares
exercitiumque armorum. Iste princeps mi-
litiæ, quarto Regum dicitur Sopher. *Et* *Ibidem.*
sexaginta viros de populo terræ Judææ. *Et* 26
adduxit eos ad regem Babylonis in Re-
blatha. Et percussit, id est, occidi fecit, 27
eos rex Babylonis.
Et translatus est Juda, id est populus
regni Juda, *de terra sua* in Babylonem.
Cœpitque translatio ista sub Jechonia fi-
lio Joakim rege Juda, ut legitur quarto *Ibid.* XXIV, 14-16.
Regum. Ideo subditur : *Iste est populus* 28
quem transtulit Nabuchodonosor in anno
septimo regni sui, *Judæos tria millia et*
viginti tres. Istud fuit quando transtulit
Jechoniam. Verumtamen quarto Regum le- *Ibidem.*
guntur multo plures tunc fuisse translati :
ibi quoque habetur, quod octavo anno re- *Ibid.* 12.
gni sui transtulerit eos. Ad quorum pri-
mum aliqui dicunt, quod hic solummodo
exprimuntur illi qui fuerunt de tribu Ju-
da, ibi vero et illi qui de aliis tribubus
Israel erant. Ad secundum dicunt, quod
hic ponuntur anni Nabuchodonosor ab eo
tempore, quo sibi subjecit Joakim regem
Juda, ibi vero anni ejus a principio regni
sui. Uno autem anno ante hanc subjecti-
onem regnavit. Posset etiam responderi,
quod in talibus computationibus interdum

pars anni pro anno annumeratur, et inter- A
dum ob suam incompletionem omittitur.
29 *In anno octavodecimo* imperii sui *Nabu-
chodonosor transtulit de Jerusalem animas
octingentas triginta duas,* id est totidem
homines, sumendo partem pro toto, præ-
sertim quum principalior pars hominis
anima sit, dicente Philosopho quod homo
maxime esse videtur suus intellectus. Isti
fuerunt cum Sedecia rege translati. Quod
autem hic dicitur, factum hoc esse anno
IV *Reg.* XXV, 8. octavodecimo Nabuchodonosor, quum jam
in præcedenti capitulo dictum sit combu- B
stam Jerusalem nonodecimo anno Nabu-
chodonosor, concordandum est secundum
30 duplicem responsionem prætactam. *In an-
no vicesimo tertio Nabuchodonosor, trans-
tulit Nabuzardan magister militiæ Ju-
dæorum animas septingentas quadraginta
quinque.* Hoc factum asseritur, quando Na-
buchodonosor vastavit ac vicit civitates ac
regiones Judææ vicinas, ad quas multi Ju-
dæorum confugerant : qui illico deprehen-
si, in Babylonem abducti feruntur.

Omnes ergo animæ, id est, numerus is- C
torum diversis temporibus translatorum,
quatuor millia sexcentæ. Ista est summa
eorum de quibus jam facta est mentio.
Dicunt quoque aliqui, quod multo plures
fuerunt, quam vel hic, vel quarto Regum
determinatur ; sed notabiliores hoc loco
et in libro Regum sunt computati.

31 *Et factum est in tricesimo septimo an-
no transmigrationis Joachin regis Juda,*
qui alio nomine dictus est Jechonias, *ele-
vavit Evilmerodach rex Babylonis,* filius
Nabuchodonosor, qui patri suo successit D
in regno, *duodecimo mense* anni tricesimi
* vicesima quinta septimi jam præfati, *nona** die *mensis* duo-
decimi, *ipso anno regni sui,* id est primo
anno sui imperii (unde quarto Regum le-
IV *Reg.* XXV, 27. gitur : Anno quo regnare cœpit, subleva-
vit, etc.), *caput Joachin regis Juda, et edu-
32 xit eum de domo carceris. Et locutus est
cum eo bona. Et posuit thronum ejus su-
per thronos regum qui erant post se in
Babylone,* id est, ceteris regibus ipsi Evil-
merodach in Babylone subjectis, præpo-
suit Joachin regem. *Et mutavit vestimenta* 33
carceris, id est, vestibus tristibus abjectis,
induit eum vestimentis jucunditatis, pre-
tiosis, regalibus sive purpureis. *Et come-
debat panem coram eo semper cunctis die-
bus vitæ suæ,* quamdiu incolumis fuit et
simul vixerunt : et nomine panis, omne
genus cibi ac potus exprimitur. *Et cibaria* 34
perpetua dabantur ei a rege Babylonis
prænominato *per singulos dies, usque ad
diem mortis suæ.* Hanc autem prosperita-
tem Jechoniæ Jeremias supra prædixit.
Præterea, sicut quidam probabiliter di-
cunt, quum Nabuchodonosor in amentiam
versus fuisset, filius ejus Evilmerodach re-
gnum assumpsit, et crudeliter se habebat,
multaque mala commisit, et de patris sui
plagatione gavisus est. Hinc Nabuchodo-
nosor ad se reversus, et restitutus in re-
gno, auditis impietatibus filii sui, eum in-
carceravit in domo ubi et Joachin fuit :
sicque cum eo familiaritatem contraxit,
unde et eum promovit.

*Et factum est postquam in captivitatem
ductus est Israel,* id est populus regni Ju-
da, et qui de ceteris tribubus Israel fue-
runt in regno Juda, *et Jerusalem destructa
est, sedit Jeremias flens, et planxit lamen-
tationem hanc in Jerusalem,* id est in lo-
co ubi ante stabat Jerusalem ; *et amaro
animo suspirans et ejulans, dixit.* Totum
istud, secundum expositores, ab aliquo
forsitan expositorum adjectum est, ad con-
tinuandum sequentia, scilicet Threnos Je-
remiæ, libro ejus, ita quod non est de
integritate libri. Consequenter ergo ad ex-
positionem Threnorum est procedendum.
Ad gloriam omnipotentis superdignissimi
Creatoris, qui est super omnia Deus subli-
mis et benedictus. Amen.

FINIS COMMENTARIORUM IN LIBRUM PROPHETICUM JEREMIÆ

ENARRATIO
IN THRENOS

PRÆFATIO

VIDENS *Jesus civitatem, flevit super eam.* Luc. XIX, 41.

Jeremiam figuram fuisse Salvatoris, vitæ sanctitate et tribulationum acerbitate, prædicationis instantia dilectionisque eminentia, ex præinductis patere non dubium est. Quemadmodum itaque Dominus Jesus Christus Unigenitus Dei Patris, urbem ac plebem Jerusalem sibi inimicam, et sanguinem ejus crudeliter sitientem, a qua jam plura fuit perpessus adversa, acerbissimam quoque mortem passurus, indicibili caritate deplanxit, propter vastitatem et calamitatem sibi a Romanis infligendam; sic Jeremias civitatem populumque Jerusalem jam a Chaldæis vastatos deflevit : quos utique et antequam dejicerentur, sæpius luxit, Deducant (inquiens) oculi mei lacri- *Jer.* XIV, 17.
mas die ac nocte. Idque eximiæ exstitit caritatis, quod eos a quibus tanta sustinuit, deploravit.

Itaque de suæ plorationis materia edidit versus, atque internum dolorem metris expressit. Ipsos quoque versiculos a litteris Hebraici alphabeti secundum earum ordinem inchoavit, ita quod littera versui præposita, erat exordium, primaque littera primi verbi versiculi. Denique secundum Hieronymum, ruinam Jerusalem quadruplici planxit alphabeto, id est eodem alphabeto quater prolato, secundum quod quatuor exsistunt capitula planctus seu lamentationis istius, et in quolibet capitulo incipiunt versus a litteris alphabeti, protenduntur etiam usque ad ultimam litteram Hebraici alphabeti. Verumtamen in primo ac secundo capitulis sub eadem littera plures ponuntur versiculi. In tertio autem, quælibet littera alphabeti ter secundum ordinem ponitur. Et quia Hieronymus in translatione inchoationem verborum seu versuum Latinorum secundum ordinem alphabeti Latini convenienter servare nequivit, ipsas litteras alphabeti Hebraici versibus Latinis præponit, ad innuendum quod versus in Hebræo secundum ordinem litterarum habent exordium.

Insuper aliqui asserunt, quod Jeremias non solum sui temporis Jerusalem jam destructam deplanxit, sed eam quoque quam a Romanis spiritu intuebatur demoliendam. Siquidem Jerusalem vidit præsentem, luxit præteritam, prophetavit futuram : quam a Romanis non ignoravit vastandam. Hinc et quatuor ponit lamentationum capitula, quia Jerusalem tribus vicibus a rege Babylonis est impugnata : primo, dum Joakim regem filium Josiæ devicit; secundo, dum filium ejus Jechoniam duxit in Babylonem ; tertio, dum Sedeciam cepit, exoculavit, transtulit, et urbem prorsus evertit. Quarto Jerusalem a Romanis est demolita. Metrico igitur carmine Jeremias urbem populumque deplanxit, quia (ut dictum est sæpe) quædam sunt symphoniæ et carmina fletum provocantia, ipseque fletus exterior mœrentibus præbet solatium : minuit nempe dolorem internum, dum dolor ipse inclusus quasi erumpit, et cordis intentio ad alia se diffundit.

Postremo, quidquid in Threnis, id est verbis lugubribus seu lamentationibus istis, ad litteram de civitate illa Jerusalem dicitur, de Ecclesia allegorice, et de anima fideli tropologice explanatur.

ENARRATIO

IN THRENOS

ID EST

LAMENTATIONES JEREMIÆ PROPHETÆ

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI PRIMI : QUOMODO SEDET SOLA CIVITAS, ETC.

1 *QUOMODO sedet sola civitas plena populo?* Verbum est admirantis atque dolentis, non ignorantis, aut sciscitantis. Ut sit sensus : Quomodo civitas Jerusalem, quæ paulo ante fuit habitatoribus plena, fortis, ac pulchra, nunc habitatoribus caret, estque destructa ? Unde hoc loco, Sedere, non sumitur secundum quod distinctum ac proprium situm importat, sed pro consistentia quadam : quemadmodum dicimus, Iste sedit in pontificatu quindecim annis. Nec in hoc quod civitas ista dicitur sedere sola, asseritur esse, sed esse desolata ac demolita.

Facta est quasi vidua domina gentium. Quæ in lamentationibus istis de Jerusalem describuntur, interdum ad habitatores ejus, interdum ad ædificia seu structuram, interdum ad utrumque, videlicet partim ad populum, partim ad habitacula referuntur. Quod ergo nunc dicitur, Facta est quasi vidua, ad plebem in Jerusalem olim morantem refertur, ita quod Jerusalem domina gentium appellatur, quoniam David et Salomon, et quidam successorum eorum A in Jerusalem regnantes ac habitantes, non Judæis dumtaxat, sed et aliis diversis gentibus dominabantur, sicut in libris Regum et Paralipomenon recitatur. Nec ait Propheta, Facta est vidua ; sed, Quasi vidua domina gentium : quia ut dictum est, Non fuit viduatus Israel et Juda a Domino Deo suo. *Jer.* LI, 5. Nam etsi ad tempus permisit Deus altissimus, qui fuit maritus et sponsus suæ plebis, seu Synagogæ fidelis, Synagogam a Chaldæis dire affligi, non tamen totaliter eam reliquit : imo ea per Babylonicam B captivitatem purgata, ad pristinam amicitiam ipsam recepit, ad terram natalem reduxit, civitatem et templum restituit. *Princeps provinciarum,* id est Jerusalem, quæ præfatis diebus varias provincias subjectas ac tributarias habuit, scilicet Idumæam, filios Ammon, Moab, Syriam, Philistæos, *facta est sub tributo* regis Babylonis, tempore Joakim et Sedeciæ.

2 *Plorans ploravit,* id est, vehementer luxit et doluit populus in Jerusalem habitans, *in nocte :* ad litteram, aliis occupa- C tionibus et curis cessantibus; vel, In no-

cte, id est adversitatis caligine seu tempore suæ angustiæ, præsertim tempore obsidionis a Chaldæis sub Sedecia, videns se obsidentium manus non posse effugere, quando et maxima fames, pestis ac desolatio fuerunt in civitate. *Et lacrimæ ejus in maxillis ejus,* id est, ex abundantia fletus, lacrimæ abundanter per genas fluebant. *Non est qui consoletur eam ex omnibus caris ejus,* id est ex populis quos dilexit, quorum et idola coluit. Sed per Ezechielem Dominus sæpe ad Jerusalem ait : Adducam super te omnes amatores tuos, de quibus satiata est anima tua ; et trucidabunt te. (*Ezech.* XXIII, 22, 25; XVI, 37, 40.) Ægyptii quoque, et alii quidam Judæorum populo confœderati, contra regem Chaldæorum non impenderunt eis auxilium. *Omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ei inimici.* Qui enim ante fuerunt ei faventes, postea a Chaldæis victi, eisque juncti, adversati sunt ei. Quod etiam intelligi potest de Judæis qui ante destructionem Jerusalem ad Chaldæos confugerunt, et his qui in civitate manserant, adversabantur : propter quod Sedecias rex timuit Judæorum manus incidere et illudi, ut dictum est. (*Jer.* XXXVIII, 19.) Insuper accipi potest de angelis sanctis, Judæorum custodiæ delegatis, qui zelo justitiæ recesserunt ab eis, et facti sunt eis inimici, in quantum tam pessimi erant.

3 *Migravit Judas,* id est populus Judæorum de Jerusalem ac Judæa ablatus, *propter afflictionem* sibi a Chaldæis illatam, a quibus compulsus est subjicere se hostibus suis; vel, Propter afflictionem famis, scilicet ex defectu venalium, juxta illud quarti Regum : Prævaluit fames in civitate, nec erat panis populo terræ. (IV *Reg.* XXV, 3.) *Et multitudinem servitutis,* id est idololatriæ suæ, ob quam Chaldæis est traditus. Vel, Propter multitudinem servitutis, quia ad hoc a Chaldæis in Babylonem deductus est, ut ibidem in duris operibus serviret regi Babylonis, quemadmodum in Ægypto Pharaoni. Vel, Propter multitudinem servitutis, id est idcirco quia Judæi potentes ac divites, fratres suos et proximos in ser-

A vos et ancillas crudeliter redegerunt contra legem : propter quod hostibus tradi ac subjici meruerunt, prout tricesimo quarto capitulo diffuse expositum est. (*Jer.* XXXIV, 8 *et seq.*)

Habitavit inter gentes, scilicet inter Babylonios, aliosque gentiles in Chaldæa, *nec invenit requiem :* quia ab hostibus ibi oppressus est. *Omnes persecutores ejus,* id est Chaldæi ac populi eis adjuncti, de quibus primo capitulo Dominus dixit : Ecce ego convocabo omnes cognationes regnorum aquilonis, et venient, et ponet unusquisque solium suum in introitu portarum Jerusalem (*Ibid.* I, 15.); *apprehenderunt eam,* puta Jerusalem ejusque plebem, *inter angustias,* id est per pressuras famis et pestilentiæ regnantium in Jerusalem; vel, Inter angustias viarum per quas fugere conabantur aliqui Judæorum, juxta illud in visione Abdiæ ad Idumæam : Neque stabis in exitibus viarum, ut interficias eos qui fugerint, et non concludes reliquos ejus in die perditionis. (*Abdiæ* 14.)

4 *Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solennitatem.* Templum Jerusalem fuit in monte Sion : ad quod, ipso combusto, populoque Juda abducto, nullus venit ad solennia Paschæ et Pentecostes ac Tabernaculorum, in quibus tribus festivitatibus Judæi secundum legem confluebant ad templum. Idcirco viæ ducentes ad montem Sion ac templum, per metaphoram lugere feruntur, quemadmodum in multitudine venientium lætari asserebantur, in quantum videlicet materiam luctus sive lætitiæ præbuerunt Judæis seu aliis : secundum quod primo Machabæorum libro legitur, quod Judas et fratres ejus, visis virgultis in atriis templi exortis, planxerint. (I *Mach.* IV, 38, 39.) Unde secundum Lyram, in Hebræo habetur, Viæ Sion herbosæ, videlicet nullo per eas pergente. Verum in talibus ejus dictis potius puto verbum Hebraicum esse æquivocum. Juxta hunc modum scriptum est in Osee : Lugebit terra. (*Osee* IV, 3.) Et Amos propheta : Luxerunt, inquit, speciosa pastorum. (*Amos* I, 2.) *Omnes portæ ejus destructæ,* id est a Chaldæis combustæ ; *sacerdotes ejus ge-*

mentes præ desolatione et doloribus sibi illatis; *virgines ejus squalidæ,* id est discoloratæ, et pristino destitutæ decore. Puellas autem squalentes videre, specialiter miserabile est ac dolorosum. *Et ipsa* Jerusalem *oppressa amaritudine,* id est acerbitate tribulationum dejecta ac victa, nequiens se erigere, sicut qui gravissimo pondere aggravatur.

5 *Facti sunt hostes ejus in capite,* id est, Chaldæi superiores fuerunt, et capita habitatorum in Jerusalem conculcaverunt ac vulneraverunt. *Inimici ejus locupletati sunt.* Omnia enim bona Judæorum diripuerunt Chaldæi. *Quia Dominus locutus est super eam,* id est contra Jerusalem, quod taliter puniretur, *propter multitudinem iniquitatum ejus :* nam variis idolis, cunctisque vitiis ministravit. Quasi dicat : Justo Dei judicio, non propria virtute Chaldæorum, id accidit. *Parvuli ejus ducti sunt in captivitatem,* scilicet in Chaldæam, ut illico maturam ætatem sortiti, servirent regi Babylonis : eratque flebile hoc videre; *ante faciem tribulantis,* id est coram eo qui ipsos duxit captivos, qui solet ante se minare captivos, ne fugiant.

6 *Et egressus est a filia Sion,* id est a populo Judæorum, *omnis decor ejus :* quia privatus est regno ac sacerdotio, urbe et templo, pristina facultate, pulchritudine et virtute, donis quoque et gratia Spiritus Sancti. Porro consuetudo est Scripturæ, totum populum filiam appellare, vel propter puritatem naturæ in se, vel quia a Deo paterno amore diligitur, quoad ea quæ habet ab ipso. Unde in Sophonia legitur : Soph. III, 14. Lauda, filia Sion; et in Zacharia, Jubila, Zach. IX, 9. filia Jerusalem. *Facti sunt principes ejus velut arietes non invenientes pascua,* id est esurientes ac robore destituti, gregem populi præcedere non valentes ad defendendum; *et abierunt* in captivitatem *absque fortitudine, ante faciem subsequentis,* id est Chaldæi ducentis et minantis eos ante se versus Chaldæam, vel ad regem Nabuchodonosor in Reblatha.

7 *Recordata est Jerusalem,* id est populus A ejus, *dierum afflictionis suæ et prævaricationis,* id est, quanta tempore obsidionis et ante pertulerit, et qualiter per peccata sua pœnas illas meruerit, *et omnium desiderabilium suorum,* id est multiplicium beneficiorum sibi divinitus præstitorum in spiritualibus et corporalibus bonis, in naturalibus et supernaturalibus donis, præsertim in templo et tabernaculo, *quæ habuerat a diebus antiquis,* scilicet a tempore Moysis, David, et Salomonis. Horum ergo est recordata, *quum caderet populus* B *ejus in manu hostili,* id est, Chaldæorum manus incideret, ac periret, *et non esset auxiliator.* Tunc enim vexatio Is. XXVIII, 19. dedit intellectum : sicut et idem est sensus oppositorum, eadem quoque sententia contrariorum, ita quod unum ad alterius memoriam ducit, et oppositis juxta se positis, utrumque magis percipitur. De desiderabilibus istis fertur in Psalmo : Quanta audivimus, et cognovimus ea; et Ps. LXXVII, 3. alibi, Non fecit taliter omni nationi. Horum vero recordata fuit Jerusalem, id est Ps. CXLVII, 20. C aliqui habitatorum ejus pœnitentes, non omnes, utpote indurati, de quibus et dictum est : Induraverunt facies suas supra Jer. V, 3. petram, et noluerunt reverti; rursusque, Noluerunt accipere disciplinam. Ibidem. *Viderunt eam hostes,* puta Chaldæi, *et deriserunt sabbata ejus.* Erant enim idololatræ, et cultum ac cærimonias Judæorum spreverunt, eosque inaniter custodisse sabbata legis arbitrabantur, quia a Deo suo non essent protecti.

8 *Peccatum peccavit Jerusalem,* id est, D vehementer transgressa est. Talis enim ingeminatio seu duplicatio, vehementiam rei seu facti importat, et per singulare, plurale datur intelligi : innumerabilia enim commisit facinora, quæ Ezechielis vicesimo Ezech. XXII, passim. secundo specificantur. Vel per peccatum, idololatria, in qua gravius peccavit, accipitur. *Propterea instabilis facta est,* id est destructa, capta, translata, menteque vaga. *Omnes qui glorificabant eam* olim in prosperis, *spreverunt eam* in adversis, *quia viderunt ignominiam ejus,* id est oppro-

briosam ejus dejectionem. De istis jam A
vers. 2. dixit : Omnes amici ejus spreverunt eam.
Ipsa autem gemens præ dolore atque an-
gustiis, *conversa est retrorsum,* id est vi-
Baruch II, 5. liter dejecta, juxta illud Baruch : Facti
sumus subtus, et non supra.
9 *Sordes ejus in pedibus ejus :* id est,
maculæ ejus sibi adhæserunt, et per lutosa
itinera ducta est in Chaldæam. Imo juxta
Is. I, 6. Isaiam, A planta pedis usque ad verticem,
non fuit in eo sanitas. *Nec recordata est*
finis sui, id est, propter quid creata esset
a Deo non consideravit, nec mortis suæ B
horam pensavit, neque præcogitavit puni-
tionem sibi pro suis sceleribus finaliter
Ps. XXXVIII, 5. infligendam. Quocontra ait Psalmista : Lo-
cutus sum in lingua mea : Notum fac mihi,
Domine, finem meum. *Deposita est vehe-*
menter a pristino statu, honore, et gloria,
id est per Chaldæos maxime humiliata, *non*
habens consolatorem. Ideo ipsa, vel in ejus
persona Jeremias, precatur : *Vide, Do-*
mine, oculo pietatis, *afflictionem meam,*
illam clementer sublevando, *quoniam ere-*
ctus est contra me per victoriam, fortitudi- C
nem, atque superbiam, *inimicus,* id est
rex sive exercitus Chaldæorum. De quo
10 subditur : *Manum suam misit hostis ad*
omnia desiderabilia ejus, id est, templum
ejusque ornamenta, videlicet vasa, volu-
mina, ac reliqua quælibet pretiosa invasit :
cujus signum est, *quia vidit* Jerusalem,
scilicet populus ejus, *gentes,* puta Chal-
dæos, et nationes gentilium eis commixtas,
ingressas sanctuarium, id est templum
Deut. XXIII, 3. *tuum, de quibus præceperas* per Moysen,
ne intrarent in ecclesiam tuam, id est in D
templum.
11 *Omnis populus ejus gemens, et quærens*
panem. Tempore enim obsidionis sub Se-
IV Reg. XXV, 3 decia, fuit in Jerusalem fames quam ma-
xima. *Dederunt pretiosa quæque pro cibo*
ad refocillandam animam, id est ad recre-
andam et sustentandam eam aliqualiter.
Divites quippe a ditioribus alimenta per-
modica pro maximis pretiis emerant, juxta
Ibid. VI, 25. quod libro quarto Regum recitatur : Tam-
diu obsessa est Samaria, donec venderetur
caput asini octoginta argenteis, et quarta
pars cabi stercoris columbarum, quinque
argenteis. Carior nempe est homini vita
sua, quam quælibet exteriora : sed et famis
afflictio, vehemens et protenta est nimis.
Vide, Domine, misericorditer succurrendo,
et considera, infallibiliter ac distinctissime
intuendo, *quoniam facta sum vilis,* id est
multum abjecta, hostibusque subjecta, et
vitiis vilificata. Hoc in persona pœniten-
tium dicitur. In quorum quoque persona
subjungitur :
O vos omnes qui transitis per viam cir- 12
ca Jerusalem, vel ubicumque me cernitis,
attendite oculis cordis, *et videte* oculis cor-
poreis, *si est dolor sicut dolor meus.* Quasi
dicat : Tantam afflictionem in aliquo po-
pulo nunquam vidistis, nec percepistis.
Quoniam vindemiavit me, ut locutus est
Dominus, in die iræ furoris sui : id est,
ipse Dominus per Chaldæos, habitatores
meos abscidit, quemadmodum uvæ præ-
scinduntur a vinea, sicut per Prophetas
prædixit. Et factum est istud, in die furo-
ris, videlicet tempore rigoris divinæ justi-
tiæ super me. Jerusalem autem seu Sy-
nagoga, vinea Dei vocata est, juxta illud
Isaiæ : Vinea Domini exercituum, domus Is. V, 7.
Israel est; et vir Juda, germen delectabile
ejus. Porro de incomparabili isto dolore
Jerusalem, scriptum est in Daniele : Ut su- Dan. IX, 12
perinduceret in nos malum magnum, quale
nunquam fuit sub omni cœlo, secundum
quod factum est in Jerusalem. Unde in
Ezechiele Dominus prædixit : Faciam in te Ezech. V, 8, 9.
judicia, qualia non feci, nec faciam. Item-
que in Isaia : Ite, angeli (id est nuntii) ve- Is. XVIII, 2.
loces, ad gentem convulsam et dilaceratam,
ad gentem terribilem (scilicet in miseriis),
post quam non est alia, supple, tam mi-
sera. Estque sermo ad litteram de Judæis
pro tempore Sedeciæ.
De excelso misit ignem in ossibus meis, 13
id est, de sublimitate suæ justitiæ, et de
censura suæ altissimæ sapientiæ, misit Do-
minus per Chaldæos acerbissimam tribula-
tionem in robustioribus partibus corporis
mei : quæ tribulatio nomine ignis expri-

mitur, dicente Deo per Ezechielem ad habitatores Jerusalem (Ezech. XXII, 21, 22.) : Congregabo vos, et succendam vos in igne furoris mei, et conflabimini in medio ejus, sicut conflatur argentum in medio fornacis. Vel, quia Jerusalem loquitur, per ossa ejus intelligi possunt templum atque palatium, quæ erant vere ossa, seu firmiora ipsius : quæ combusserunt Chaldæi. *Et erudivit me* per ista adversa, ut vexatio daret intellectum auditui (Is. XXVIII, 19.), sicque peccatorum meorum enormitatem perpenderem, divinam justitiam considerarem, veritatem prophetalium sermonum pensarem, et de cetero cautior essem. Hinc supra scriptum est (Jer. XXXI, 18.) : Castigasti me, Domine, et eruditus sum. *Expandit rete pedibus meis,* id est, a Chaldæis permisit me capi et illaqueari, a pseudoque decipi. Unde per Ezechielem Dominus ait frequenter (Ezech. XII, 13; XVII, 20; XXXII, 3.) : Expandam super eum rete meum, et capietur in sagena mea. Ubi etiam per rete accipi potest exercitus Chaldæorum. *Convertit me retrorsum,* id est, conculcari et deprimi fecit. *Posuit me desolatam, tota die mœrore confectam,* tempore obsidionis, præsertim quando cives Jerusalem viderunt se superandos, nec posse effugere.

14 *Vigilavit,* id est, vigilanter seu diligenter consideratum est, *jugum iniquitatum mearum in manu ejus,* id est in potestate et sapientia Dei, qui peccata mea tam districte punivit. Hinc supra sæpius comminatus est Dominus (Jer. XLIV, 27.) : Vigilabo super eos in malum, et non in bonum. Et in Sophonia (Soph. I, 12.) : Scrutabor, inquit, Jerusalem in lucernis. Porro jugum iniquitatum sunt ipsæmet iniquitates, peccantem infeliciter vincientes, atque in dæmonum captivitate tenentes, secundum illud Proverbiorum (Prov. V, 22.) : Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur. *Convolutæ sunt et impositæ collo meo :* id est, omnes iniquitates meæ mihi pariter inexcusabiliter sunt reputatæ, et pœna eis debita, mihi est evidenter inflicta, quemadmodum chorda imponitur collo furis. Hoc est quod toties per Ezechielem Dominus prædixit : Iniquitates vestras ponam in caput vestrum (Ezech. IX, XI, XVI, XVII, XXII.). Ideo dictum est ante : Sicut confunditur fur quum deprehenditur, ita confusa est domus Israel (Jer. II, 26.). *Infirmata est virtus mea,* id est corporis fortitudo, ex fame atque formidine, multoque plus virtus animæ per peccata. *Dedit me Dominus in manu de qua non potero surgere,* id est, manibus Chaldæorum me tradidit, qui nec templo, nec civitati, nec populo pepercerunt.

15 *Abstulit Dominus omnes magnificos meos de medio mei,* videlicet reges, sacerdotes, et principes, qui de Jerusalem sunt sublati, et hostibus dati. *Vocavit adversum me tempus,* id est, tempus ultionis mihi induxit, *ut conterat,* id est, destruat per Chaldæos, *electos meos,* id est elegantes præcipuosque habitatores Jerusalem. Hoc est quod per Ezechielem Dominus loquitur (Ezech. VII, 7, 8.) : Venit tempus, prope est dies occisionis ; nunc de propinquo effundam iram meam super te. *Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Juda :* id est, instrumenta punitionis seu gladium occisionis Deus per Chaldæos super populum Judæorum adduxit sive inflixit, eorum sanguinem effundendo, sicut de uvis educitur vinum per vindemiatorem torcular moventem. Cur autem totus populus filia appelletur, jam dixi ; et eadem ratione dicitur virgo, propter puritatem naturæ secundum se, vel quia in electis Dei exstitit sponsa et animo integra.

16 *Idcirco ego* Jerusalem sum *plorans, et oculus meus deducens aquam,* id est lacrimas exuberantes ; *quia longe factus est a me consolator convertens animam meam,* id est, Deus gratiam suæ defensionis mihi subtraxit, qui solus animam meam potest ab omni malo convertere. Longe autem fit Deus ab homine, non loco, sed dissimilitudine, et gratiosi influxus cessatione, Salomone in Proverbiis asserente, Abominabile Domino cor pravum (Prov. XI, 20.) : et, Longe est Dominus ab impiis (Ibid. XV, 29.). *Facti sunt filii mei perditi,* id est, habitantes in me, fame, peste et gladio perierunt, *quoniam*

invaluit inimicus contra me, scilicet rex sive exercitus Chaldæorum.

17 *Expandit Sion manus suas :* id est, populus Jerusalem suppliciter manibus junctis auxilium a Deo, et misericordiam a Chaldæis quæsivit ; *non est qui consoletur eam :* quoniam a Deo exaudiri non meruit, sola necessitate ac servili timore precando, nec Chaldæi propitii facti sunt ei. *Mandavit,* id est instigavit, *Dominus adversum Jacob,* id est populum Juda. *In circuitu ejus hostes ejus,* puta Chaldæi, qui urbem Jerusalem per gyrum vallabant, vel gentes in circuitu Judææ, quæ simul cum Babyloniis contra Jerusalem confluxerunt. *Facta est Jerusalem quasi polluta menstruis inter eos,* id est vilissima reputata, confusibiliterque tractata : juxta illud in Ezechi-

Ezech. XVI, 38. ele, Judicio mulierum adulterarum judicabo te. Deinde in persona propria loquitur

18 Jeremias : *Justus est Dominus,* in punitione Jerusalem, *quia os,* id est sapientiam *ejus,* per quam loquitur nobis, *ad iracundiam provocavit,* id est, dire offendit, ita quod per modum irati et provocati vindictam exercuit : quamvis certum sit, incommutabilem Deum nec provocari, neque

Jer. VII, 19. irasci, sicut dictum est : Numquid me ad iracundiam provocant ? ait Dominus ; nonne semetipsos in confusione vultus sui ?

Sap. XII, 18. Idcirco in libro Sapientiæ legitur : Tu dominator, cum tranquillitate judicas.

Insuper Jerusalem ait : *Audite, obsecro, universi populi, dolorem meum,* id est cordis afflictionem : nam *virgines meæ et juvenes mei,* qui habitaverunt in me, *abierunt in captivitatem,* ita quod nec ætati, nec sexui pepercerunt adversarii mei.

19 *Vocavi amicos meos,* in quibus inordinate confisa sum, scilicet in Ægyptiis ac ceteris gentibus mihi confœderatis, a quibus postulavi subsidium ; *et ipsi deceperunt me,* præbendo vanam fiduciam, propter quam merui a Deo relinqui, nec impendendo suffragium. *Sacerdotes mei et senes mei in urbe consumpti sunt.* Aliqui namque eorum in Jerusalem fame perierunt. *Quia quæsierunt cibum sibi, ut refocillarent* *animam suam,* id est, saltem mediocriter vires resumerent.

Vide, Domine, quoniam tribulor a Chaldæis. 20
Conturbatus est venter meus, id est, tantus fuit cordis dolor, quod redundavit in corpus, et dolui ventrem : juxta illud Isaiæ, Propterea impleti sunt lumbi mei *Is.* XXI, 3. dolore. *Subversum est cor meum in memetipsa,* id est, præ excessiva afflictione usu rationis pene privata sum, et quid agerem, ignoravi. Siquidem immoderatæ passiones usum mentis præpediunt, juxta illud : Omnis sapientia eorum devorata est ; *Ps.* CVI, 27. et, Neque enim possum metuens respondere. *Job* IX, 35. *Quoniam amaritudine plena sum :* per quod sensus cordis quasi absorptus est. *Foris interficit* Judæos *gladius* Chaldæorum ; *et domi,* id est infra mœnia Jerusalem, *mors similis est :* quia in civitate quidam fame et pestilentia corruerunt, quemadmodum in Ezechiele inducitur : Heu ad omnes abominationes domus *Ezech.* VI, 11, 12. Israel, quia gladio, fame, peste ruituri sunt : qui longe est, peste morietur ; qui autem prope, gladio corruet ; et qui relictus fuerit et obsessus, fame morietur. Totum istud refertur ad tempus obsidionis Jerusalem a Chaldæis. *Audierunt* Chaldæi 21
me obsidentes, *quia ingemisco ego* præ dolore et timore ; *et non est qui consoletur me. Omnes inimici mei* præfati et eorum fautores, *audierunt malum meum,* id est calamitatem quam incidi. *Lætati sunt, quoniam tu fecisti,* id est, ita me reliquisti, et eos contra me roborasti.

Consequenter Jeremias in persona Jerusalem loquens, Chaldæorum dejectionem prænuntiat, loquens de futuro tunc instar præteriti. *Adduxisti diem consolationis,* id est, tempus destructionis Babylonis adduces : de qua gavisi sunt boni Judæi zelo justitiæ congratulando æquitati divinæ, et quia per hoc a pristina captivitate eruebantur, atque ad propria redire per Cyrum licentiati fuerunt ; *et fient similes mei,* id est, sic vastabuntur Chaldæi a Medis ac Persis, sicut nunc vastor ab eis. *Ingrediatur omne malum eorum coram te,* id est, 22

peccata eorum a te ad puniendum adspiciantur; *et vindemia eos,* id est, de suis urbibus amputa, sicut uvæ amputantur a vinea, *sicut vindemiasti me propter iniquitates meas.* Istud non rancore aut ultionis affectu, sed amore justitiæ petitur; et item ut impii in præsenti corrigantur, quatenus postea melius habeant; atque ob id, ne bonum commune et cultum divini- A tatis valeant impedire. Juxta quem sensum Nehemias contra Samaritanos expetit: Deus noster, converte opprobrium super caput ipsorum; ne operias iniquitatem eorum, et peccata eorum coram facie tua non deleantur, quia irriserunt ædificantes. *Multi enim gemitus mei, et cor meum mœrens.* Ideo consolationem requiro, et vindemiatam me assero.

II *Esdr.* IV, 4, 5.

ARTICULUS II

ELUCIDATIO ALLEGORICA EJUSDEM CAPITULI PRIMI.

Ps. LXXXVI, 3. — Hebr. XII, 22. — Matth. V, 14.

Ecclesia militans, civitas appellatur, de qua fertur in Psalmo: Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei; ad Hebræos quoque, Accessistis ad montem Sion, et civitatem Dei viventis; et item in Evangelio, Non potest civitas abscondi supra montem posita. Quemadmodum ergo terrenam illam Jerusalem, ejusque populi ruinam, imo et vitia Jeremias deplanxit; ita militantis Ecclesiæ adversitates, vastationes, scissuras, peccata, atque multiplicem lapsum dolorosa mente deplangere debet omnis devotus. Nec solum Ecclesiam in communi, sed et particulares Ecclesias seu congregationes fidelium debet deflere. Considerans igitur verus Christicola, præsertim prælatus, prædicator seu doctor, vel religiosus, calamitates, tentationes, persecutiones Ecclesiæ, potissime autem justorum, dicat ex animo:

1 *Quomodo sedet sola,* id est pristinis devotis et sanctis personis, quæ aliquando in Ecclesia abundabant, privata, *civitas,* id est Ecclesia? De qua ad litteram loquitur Isaias: Urbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator ponetur in ea murus et antemurale. Quam in ultima sua obscurissima visione describit mystico sermone Ezechiel. *Plena populo,* id est aliquando hominibus B rationabiliter se habentibus repleta, nunc autem carnalibus copiosa, qui instar brutorum concupiscentias assequuntur, passionibusque vincuntur. Denique jam multa regna a fide Christi aversa sunt, ita quod in regionibus ubi olim fuit Ecclesia populo plena, sedet nunc sola: quod valde deflendum est, potissime quantum ad Terram sanctam. De qualibet etiam civitate et congregatione ubi aliquando devotio viguit, et modo refriguit, istud flebile dici potest. Quemadmodum autem in civi- C tate terrena sunt nobiles et ignobiles, justi et fures; ita in Ecclesia sunt fideles cœlestes, et ad sensibilia ista depressi, electi, ac reprobi. Et sicut qui sedet, partim erigitur, et partim deprimitur: ita Ecclesia quoad virtuosos, ad cœlestia elevatur; quoad carnales, ad infima declinatur. Sed et electi ac boni, quantum ad superiorem animæ partem, ad superna se erigunt; nihilo minus quantum ad inferiorem sensitivamque partem, frequenter ad inferiora trahuntur, dicente Apostolo ad Romanos: D Ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.

Is. XXVI, 1. — Ezech. XL-XLVIII. — Rom. VII, 25.

Facta est quasi vidua, id est a Sponso cœlesti Unigenito Dei Jesu Christo, ad tempus seu partim relicta, *domina gentium,* id

est Ecclesia, cui omnes nationes ad fidem A conversæ, obedire tenentur : et qui istud renuunt, pereunt. Ideo Isaias dicit ei :
Is. LX, 12. Gens et regnum quod non servierit tibi,
Mich. V, 9. peribit ; et Michæas, Exaltabitur manus tua super hostes tuos, et omnes inimici tui peribunt. Præterea tempore Caroli Magni et quorumdam principum christianorum, fideles multis gentibus prævaluerunt, et dominati fuerunt. Quamvis autem Ecclesia interdum ad tempus a Christo relinquitur, non tamen in toto nec semper, quum
Matth. XXVIII, 20. ipse testetur : Ego vobiscum sum cunctis B diebus usque ad consummationem sæculi. *Princeps provinciarum,* id est Ecclesia principatum aliquando provinciarum sortita, *facta est sub tributo :* quod corporaliter verum est, quantum ad Christianos inter gentiles sub gravi tributo degentes. Spiritualiter autem id agitur, dum Christiani vitiis serviunt, et dæmonum jugo se
II Tim. II, 26. subdunt, a quibus ad ipsorum voluntatem, secundum Apostolum, captivi tenentur : et quidquid eis dæmon suggerit, vel tentando requirit, ipsi consentiendo aut operando, C quasi tributa quædam impietatisque nummos exsolvunt.

2 *Plorans ploravit in nocte.* In nocte adversitatis et caligine tentationis, plorat Ecclesia tam sua quam aliorum peccata, desiderio quoque felicitatis futuræ, et Christo pro se passo compatiendo. Sic in primitiva Ecclesia justi planxerunt martyres sanctos, et nimias persecutiones justorum a perfidis atque hæreticis : sicut in Actibus
Act. VIII, 2. de Stephano legitur : Curaverunt eum viri timorati, et fecerunt planctum magnum D
Ibid. XII, 5. super eum. Petro quoque capto, oratio sine intermissione fiebat ab Ecclesia ad Deum pro eo. Non utique fiebant ista damno cadentium, quorum beatitudini fuit congratulandum, sed desiderio recedentium, quorum præsentia fuit tam grata, fructuosa, ac plurimis necessaria. *Et lacrimæ ejus*
II Cor. II, 4. *in maxillis ejus :* sicut Paulus fatetur, Scripsi (inquiens) vobis per multas lacrimas ;
Ibid. XI, 29. itemque : Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? O quantum luxit electorum Ecclesia, erumpente Arianorum aliorumque hæresiarcharum errore ac rabie, quando tot jugulabantur Catholici, et tot simplices inficiebantur! Nunc quoque nonne cordialissime flendum est omni Ecclesiæ veraciter christifideli, propter schisma nunc præsens, et propter multarum religionum ruinam, potissime quoque ob lapsum prælatorum Ecclesiæ, insuper propter clericorum, canonicorum, sacerdotum carnalem ac miserabilem conversationem, imo communiter propter populi christiani multiplicem iniquitatem, tamque gravissimam ruinam ab illa perfectione virtutum, in qua olim christianus populus generaliter floruit, quando et passim tam multi convertebantur ad fidem? Tunc enim Christiani impleverunt illud primæ Petri : Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo quod detrectant I Petr. II, 12. de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis; et rursus, Sic est voluntas Dei, ut benefacientes, obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Ibid. 15.

Non est qui consoletur eam ex omnibus caris ejus. Omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ei inimici. Ecclesia Christi omnes etiam adversarios diligit. Quod ergo nunc dicitur, tempore persecutionum contingebat Ecclesiæ sive electis fidelibus, quibus Christus prædixit : Trademini a Luc. XXI, 16, 17. parentibus et fratribus et cognatis et amicis, et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Multi quoque nunc sunt in Ecclesia falsi fratres ac ficti amici, a quibus justi vexantur et contemnuntur : sed et tempore adversitatis aliqui adversantur Ecclesiæ, qui tempore prosperitatis videbantur amici, Christo dicente : Inimici hominis, domestici ejus. Hinc in Matth. X, 36. Ecclesiastico habetur : Si possides amicum, in tentatione posside illum, et non Eccli. VI, 7, 8. facile credas ei te ipsum; est enim amicus secundum tempus suum, et non permanebit in tempore tribulationis.

3 *Migravit Judas propter afflictionem et*
multitudinem servitutis. Per Judam, qui
interpretatur confessio, designatur Eccle-
sia confitens Deo duplici confessione, vi-
delicet laudis divinæ, de qua ait Salvator,
Matth. xi, 25. Confiteor tibi, Pater; ac propriæ culpæ, de
Jacob. v, 16. qua Jacobus loquitur, Confitemini alteru-
trum peccata vestra. Itaque primitiva Ec-
clesia a Judæa migravit ad gentes propter
afflictionem et servitutem, quibus a perfi-
dis opprimebatur Judæis : et hæc bona fuit
migratio. Est quoque Ecclesiæ mala migra-
tio, dum propter sua peccata desinit esse
in mystico corpore Christi, et incorpora-
tur diabolo, migrans de virtutibus ad pec-
cata propter afflictionem pœnitentialem,
et multitudinem servitutis in obedientia
præceptorum : quæ afflictio et servitus,
pigris, vanis ac reprobis tam duræ viden-
Ephes. iv, 27. tur, ut dent locum diabolo, et Babylonem,
id est vitiorum confusionem, introeant.

Habitavit inter gentes, nec invenit re-
quiem. Quum enim Ecclesia Judæam relin-
quens, inter gentiles habitare cœpisset, a
tyrannis paganis graviter cœpit vastari,
occidi, dispergi. Quum vero peccantes a
Christo separantur, et corpori seu genera-
tioni reproborum miscentur, putantes in
sæculo rebusque terrenis invenire quie-
tem, falluntur, et sæpe in adversa labun-
tur. Quod etsi vicissim pacem carnalem
vitiosamque requiem habeant, veram ta-
men quietem in caducis rebus nequeunt
invenire, Augustino testante : Domine, cre-
asti nos propter te, et inquietum est cor
nostrum, donec quiescat in te. Præterea
electos suos a se per vitiorum itinera re-
cedentes, Christus frequenter tot adversi-
tatibus visitat, ut quasi compellantur re-
verti, quemadmodum loquitur per Osee :
Osee ii, 6. Sepiam viam tuam spinis. Tunc electus
inter gentes, id est malos Christianos gen-
tiliter, non christiformiter, conversantes,
quietem non invenit, imo ad Salvatorem
convertitur. Rursus, quum civitas vel re-
gio christiana corporaliter captivatur at-
que transfertur, hæc de ipsa congruenter
dicuntur : *Omnes persecutores ejus,* id est

A tyranni, hæretici, schismatici, falsi fra-
tres, et homines passionati, *apprehende-*
runt eam inter angustias, id est in vitæ
præsentis pressuris : quod et de invisibi-
libus hostibus verificatur, qui infatigabi-
liter persequuntur Ecclesiam, plurimos-
que fidelium inter angustias tentationum
apprehendunt, vincunt et capiunt.

Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui 4
veniant ad solennitatem. Hoc juxta expo
sitionem præhabitam, metaphorice dici po-
test, quando ad festa Ecclesiæ negligunt
B Christiani venire, vel materiales ecclesiæ
hinc inde destructæ sunt. Spiritualius au-
tem, Viæ Sion, id est præcepta Ecclesiæ,
quæ sunt semitæ pulchræ et arctæ, lugent,
id est, materiam flendi virtuosis homini-
bus præbent, eo quod non sint qui veniant
ad solennitatem, id est, celebritates ab Ec-
clesia institutas rite observent, vel qui ad
triumphantis Ecclesiæ solennitatem festi-
nent. Pauci namque per vias salutis ince-
dunt. Viæ quoque boni sunt prælati ac
prædicatores, et ceteri aliis exemplares,
C per quos ceteri, quasi per vias et media
ducuntur ac tendunt ad patriam : qui lu-
gent, subditorum ac proximorum negli-
gentias considerando. *Omnes portæ ejus*
destructæ. Portæ Ecclesiæ sunt virtutes,
quibus intratur ad patriam : quæ per pec-
cata destruuntur. Portæ quoque Ecclesiæ
sunt ipsi Apostoli, qui in visione Joannis
ac Ezechielis per duodecim portas civita- Apoc. xxi,
tis signantur ; et ipsi martyrium sustinen- 12, 21 ; Ezech. xl.
do corpore destructi fuerunt. Et jam, heu!
in plurimis locis ac regnis civitates et
D portæ materiales Christianorum, propter
eorum peccata a perfidis sunt destructæ.

Sacerdotes ejus gementes, ob tanta ad-
versa, et propter sua et aliorum peccata.
Verumtamen, proh dolor! multi sunt nunc
in Ecclesia sacerdotes, temporalia et terre-
na magis quam æterna atque cœlestia di-
ligentes, qui exteriora et corporalia damna
potius quam spiritualia ac æterna dispen-
dia sive incommoda deflent : quorum ob-
turatus est oculus, mensque densissimis
tenebris involuta, quia non erigunt oculos Dan. xiii, 9.

suos in cœlum, nec recordantur justi judicii Dei, cujus manus horribiliter incident. (*Hebr.* x, 31.) *Virgines ejus squalidæ,* id est, tempore persecutionum multæ sanctissimæ virgines pro fide, carceris squalore, fame, ac ceteris afflictionibus sunt affectæ. Spiritualiter vero sunt virgines, quæ fide, spe, caritate Sponso cœlesti adhærent : sic enim tota Ecclesia virgo vocatur, quum ei integra mente inhæret. Et istæ carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigendo (*Galat.* v, 24.) ac macerando, squalidæ fiunt : in quibus pallor et macies sunt signa amoris. *Et ipsa oppressa amaritudine.* Multæ enim tribulationes justorum. (*Ps.* xxxiii, 20.) Et Paulus : Supra modum, inquit, gravati sumus, ita ut tæderet nos etiam vivere. (II *Cor.* i, 8.) Quibus et Christus loquitur : In mundo pressuram habebitis. (*Joann.* xvi, 33.) Denique viri sancti gravius dolent, atque amarius affliguntur propter mala culpæ suæ ac proximorum, quam propter mala pœnæ suæ ac illorum : tum quia Deum plus diligunt quam alia universa, ideo de ejus inhonoratione, offensa sive injuria maxime dolent ; tum quia malum culpæ incomparabiliter pejus est malo pœnæ, quod solum pœna consistit : unde et zelus justitiæ istud requirit.

5 *Facti sunt hostes ejus in capite.* Hoc fit, dum tentationibus dæmonum Christiani consentiunt, dum mundi vanitatibus et propriis passionibus acquiescunt ; item dum justi ab impiis conculcantur, vel mali Christiani exigentibus suis peccatis, ab inimicis suis seu paganis vincuntur. *Inimici ejus locupletati sunt, quia Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum ejus.* Locupletari se arbitrantur diaboli, dum grandem prædam diripiunt, id est, multos supplantant ac possident, ad inferosque deducunt : sic et visibiles hostes, bona Ecclesiæ invadendo ditantur. Sic autem ab hostibus his Deus fideles vastari propter eorum excessus permittit. *Parvuli,* id est inferiores, *ducti sunt in captivitatem* spiritualem seu corporalem, *ante faciem tribulantis,* id est dæmonis tentantis, vel ad infernum trahentis, seu hominis persequentis. Superiores autem, sunt frequenter causæ ruinæ infimorum.

Et egressus est a filia Sion, id est ab 6
Ecclesia, de qua ait Apostolus : Accessistis ad montem Sion ; (*Hebr.* xii, 22.) *omnis decor ejus,* id est spiritualis ista speciositas diversorum charismatum Spiritus Sancti in donis gratiæ gratum facientis et gratiæ gratis datæ consistens, quibus olim multiformiter ornabatur Ecclesia, sicut Apostolus scribit : Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ, etc. (I *Cor.* xii, 8.) Hæc ornamenta amisit Ecclesia per negligentiam suam et impugnationem diaboli, carnis ac mundi. *Facti sunt principes ejus velut arietes non invenientes pascua.* Arietes Ecclesiæ, sunt principes et prælati, quorum est oves dominicas alere, præcedere, custodire : qui nunc similes facti sunt arietibus non invenientibus pascua, quoniam spiritualiter macri et inopes sunt, pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris carentes. (*Eccli.* xv, 3.) *Et abierunt,* recedendo a Deo ac via justitiæ, imitandoque carnales affectus, *absque fortitudine* gratiæ ac virtutum, quum dicat Apostolus : Optimum est gratia stabiliri cor ; (*Hebr.* xiii, 9.) *ante faciem subsequentis,* id est dæmonis eos ad vitia impellentis seu instigantis, cujus etiam tentationes frequenter præveniunt, et ipsi sibi ipsis dæmones sunt, ex propria malignitate se provocantes ad pessima.

Et *recordata est Jerusalem,* id est Eccle- 7
sia, *dierum afflictionis suæ,* id est tentationis et persecutionis seu contristationis, *et prævaricationis* contra evangelicam legem, *et omnium desiderabilium suorum,* id est ineffabilium beneficiorum Christi in sacramentis, donis, gratiis atque virtutibus, potissime in Sacramento altaris, in quo benefactor noster donat se ipsum, *quæ habuerat a diebus antiquis,* id est a tempore Apostolorum ; *quum caderet populus ejus in manu hostili, et non esset auxiliator :* quia tunc Sancti a tyrannis nullo resistente trucidabantur. Vel : Recordata est horum nunc, quum caderet populus ejus in manu hostili, id est, quum videret fi-

lios suos ab invisibilibus hostibus tam graviter supplantari (unde ad memoriam revocat quam fortiter consueverunt fideles hostibus suæ salutis reniti ac dominari,
Ps. xc, 7. juxta quod scriptum est in Psalmo : Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis), et non esset auxiliator : imo qui se mutuo juvare deberent in conflictu præfato, se invicem scandalizant, impediuntque a salute. *Viderunt eam hostes, et deriserunt sabbata ejus.* Etenim invisibiles hostes, videntes Christianos diebus festis a servilibus operibus, non a peccatis, cessare, imo tunc multo plus inaniter agere, solennitates eorum et eos derident : quod etiam infideles facerent, si insanias Christianorum diebus solennibus contingentes, conspicerent.

8 *Peccatum peccavit Jerusalem,* id est, Ecclesia nimis multa peccata incurrit. Ponitur enim singulare loco pluralis. *Propterea instabilis facta est.* Nam ideo Terram sanctam et Domini sui sepulcrum amisit. Hinc etiam corde fit vaga, nec in Deo permanet fixa. Quemadmodum enim gratia mentem in Deo figit ac roborat, sic culpa eam vagam ac debilem reddit. Unde passionati ac vitiosi, undique animo diffunduntur, nec aliquid divinorum stabiliter exsequuntur; cito moventur, turbantur, leviter exhilarantur, et contristantur, omnique vento passionum faciliter agitantur. Porro justi et animo reformati, inter prospera et adversa stabiles perseverant, Deo sublimi et benedicto forti mente intendunt, a medio rationis non flectuntur. Propter quod in
Prov. x, 25. Proverbiorum libro legitur : Justus quasi fundamentum æternum; impius quasi
Job xi, 14, 15. tempestas transiens; in Job quoque, Si iniquitatem abstuleris, levare poteris faciem tuam, et eris stabilis, nec timebis.
I Reg. I, 18. Hinc de Anna scriptum est : Vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati. *Omnes qui glorificabant eam, spreverunt eam.*
vers. 2. Hoc est quod jam disseruit : Omnes amici ejus spreverunt eam, facti sunt ei inimici.

9 *Sordes ejus in pedibus ejus.* Pedes Ecclesiæ, quandoque prædicatores vocantur, A undique verbum Domini circumferentes, qui dum non vivunt ut prædicant, dupliciter prorsus sordescunt ac inquinantur. Rursus, pedes Ecclesiæ, quæ mysticum Christi corpus est, sunt conjugati aut sæculares, quemadmodum religiosi ac contemplativi quasi oculi sunt in corpore isto Ecclesiæ. Conjugati autem et sæculares, tractando terrena pluries maculantur. Spiritualiter quoque pedes Ecclesiæ fidelisque animæ, sunt ejus affectiones, quibus potissime ad cœlum vel inferos pergit. B Sordes ergo Ecclesiæ in pedibus ejus, quoniam ratio culpæ præsertim in interiori consistit affectu, nec opera mala censentur, nisi ex interiori corruptione affectus ac mentis. Quum ergo Ecclesia ista temporalia, vana ac vilia quærit ac diligit, pedes ejus sordidissimi fiunt : de quibus ait Sponsa in Canticis, Lavi pedes meos, quomodo inquinabo eos? Cant. v, 3. *Nec recordata est finis sui,* ob quem a Christo creata atque redempta est, ut scilicet contemptis terrenis, et cunctis creatis transcensis, Deo inC hæreat ac vacet, uniatur, fruatur. Qui autem hunc finem et cetera sua novissima sagaciter intuetur, a vitiis abstinebit, juxta illud Ecclesiastici : In omnibus operibus Eccli. vii, 40. tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. Verum multi sunt hæc parvi pendentes, et coram Deo stultissimi : de quibus Salomon inquit, Stultorum in- Eccle. I, 15. finitus est numerus; Moyses quoque in Deuteronomio : Gens absque consilio est et Deut. xxxii, 28, 29. sine prudentia; utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent. D *Deposita est vehementer,* id est, ad magnam ruinam venit Ecclesia, et ab honorabilissimo illo statu virtutum, in quo fuit aliquando, nimis defecit; *non habens consolatorem :* sicut jam dictum est, Non est qui vers. 2. consoletur eam ex omnibus caris ejus. Sed inter hæc rediens ad se ipsam, Dominum deprecatur : *Vide, Domine, afflictionem meam,* id est, dolorem quo peccata mea deplango, accepta, et ab adversis me libera, *quoniam erectus est inimicus* meæ salutis adversum me.

10 *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus.* Diabolus namque Ecclesiam omnibus virtutum divitiis et gratiæ pretiosissimis ornamentis, nititur spoliare, idque in pluribus fecit. *Quia vidit gentes ingressas sanctuarium tuum, de quibus præceperas ne intrarent in ecclesiam tuam.* Per gentes intelligi dæmones possunt, quum de diabolo Christus in Evan-
Matth. xiii, 28. gelio dicat : Inimicus homo hoc fecit. Istos cernit Ecclesia intrasse sanctuarium Dei, id est corda quæ fuerant Christo dedicata ; jussitque Deus ne fideles darent eis in-
Ephes. iv, 27. gressum, dicente Paulo ad Ephesios, Nolite
Jacob. iv, 7. locum dare diabolo; Jacobo quoque, Resistite diabolo, et fugiet a vobis. Vel gentes, sunt impii Christiani, qui sanctuarium Dei ingrediuntur, quando devotis, qui vere sunt templum Spiritus Sancti, se miscent ut eos subvertant, quod Deus prohibuit : quod contra hæreticos atque schismaticos maxime dicitur, imo contra omnes qui scandalizant pusillos.

11 *Omnis populus ejus gemens, et quærens panem; dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam.* Populus Ecclesiæ, qui olim avida mente spiritualia alimenta et panem cœlestem petivit a Deo, et propter virtutum defectum ingemuit, caritate divina succensus, nunc potius quærit panem terrenum et carnales delicias ; dantque pretiosa pro istis, dum opera de genere bona, propter terrena commoda fa-
Matth. vi, 2, 5, 16. ciunt. De quibus loquitur Christus : Receperunt mercedem suam; et Apostolus,
Rom. xvi, 18. Hujusmodi non Christo, sed suo ventri deserviunt. Nuncque impletur quod idem
Philipp. ii, 21. scribit : Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi. Itaque quicumque spirituali præferunt corporale, pretiosa dant pro cibo carnali, et recreantur in eo, qui in Deo delectari non norunt. Et ecce quam multi pro beneficiis laborant, ad temporale commodum magis quam ad Dei cultum adspicientes! quod in his qui ad plura beneficia adspirant, facile est pensare, potissime dum simplici victui atque vestitui sufficit unum. *Vide, Domine, et*
A *considera, quoniam facta sum vilis,* id est a dæmonibus superata, peccatis seducta, passionibus victa : quod prorsus vilissimum est. Et ut nihil nobilius, quam Deum gloriosum et sanctum amare ac venerari, cui servire, regnare est; sic vilius nihil, quam ipsum negligere, offendere, inhonorare. Hinc peccator decies millies vilior atque deterior est jumento. Ab his vilitatibus petit salvari Ecclesia.

O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor 12
B *meus.* Maximus namque est dolor Ecclesiæ, potissime propter inundantiam iniquitatum quibus replentur credentes; et quia in omni pene statu et gradu inveniuntur diversi lapsus, defectus, excessus; et quia tam multi quotidie pereunt, Deumque tam dire offendunt; item propter persecutiones justorum, tentationes infirmorum, scandala pusillorum. Istud quoque dici potest in persona Christi in cruce pendentis, cujus fuit acerbissimus dolor : unde nos admonet ut quanta pro nobis passus sit intuea-
C mur, compatiamur, et imitemur, tollentes Luc. ix, 23.
crucem nostram quotidie. *Quoniam vindemiavit me, ut locutus est Dominus,* id est, affligi, tentari, vinci permisit, *in die iræ furoris sui,* id est tempore justæ ultionis. Ecclesia nempe est vinea Dei, a qua quasi tot botri per dæmones præscinduntur, quot credentes ruunt ac condemnantur.

De excelso misit ignem tribulationis *in* 13
ossibus meis, id est usque ad interiora fortioraque mea; *et erudivit me* per adversa: secundum illud Proverbiorum, Virga atque Prov. xxix, 15.
D correptio tribuit sapientiam. Vel, Ignem, id est caritatis ardorem, misit in ossibus meis, id est virtutibus ceteris, quæ nisi caritatis igne vivificentur, informes et inefficaces redduntur. De quo igne Salvator testatur : Ignem veni mittere in terram. Luc. xii, 49.
Ossa quoque sunt sancti Apostoli, quibus in igneis linguis missus est Spiritus San- Act. ii, 3, 4.
ctus et fervor amoris, in die Pentecostes ; tuncque per eos Deus erudivit Ecclesiam. *Expandit rete pedibus meis.* In medio enim laqueorum nunc ambulamus, et variis mo-

dis Deus suos exercet, atque ut in libro
Sap. xiv, 11. Sapientiæ legitur : Creaturæ Dei factæ sunt in tentationem animæ hominum, et in muscipulam pedibus insipientium. Rete quoque adversitas est, qua Deus multos ad viam salutis reducit. *Posuit me desolatam, tota die mœrore confectam :* propter causas prædictas. Denique etiam justis interdum consolatio divina subtrahitur, et gra-
Ps. xli, 4. viter affliguntur, ita ut sint eis lacrimæ suæ panes die ac nocte.

14 *Vigilavit jugum iniquitatum mearum in manu ejus,* etc. Istud, secundum expositionem præhabitam, Ecclesiæ convenit, quam Deus ob sua peccata adversitatibus subjicit, tentari et de uno peccato in aliud gravius labi, permittit. Præterea est jugum legis divinæ, de quo admonet Christus,
Matth. xi, 29. Tollite jugum meum super vos ; et est jugum pœnæ, de quo in Ecclesiastico fertur,
Eccli. xl, 1. Grave jugum super omnes filios Adæ; est et jugum culpæ, de quo nunc sermo. Et de utroque hoc jugo accipi potest, quod
Is. x, 27. loquitur Isaias : Putrescet jugum a facie olei. A divinæ enim pietatis adspectu pœna et culpa tolluntur. *Infirmata est virtus mea :* id est, gratiæ fortitudo seu virtus infusa, quæ per mortale aufertur, per venialia debilitatur; tempore quoque persecutionum, quorumdam constantia infirma-
Ps. lxvii, 10. batur. Unde habetur in Psalmo : Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hereditati tuæ, et infirmata est; tu vero perfecisti eam. *Dedit me Dominus in manu* tentatorum, *de qua non potero surgere* propria potestate. Qui enim tentationi succumbit, nisi misericorditer præveniatur a Deo, non emendatur. Insuper manus tyrannorum primitiva Ecclesia propria virtute nequaquam ferre quivisset, nec de tantis persecutionibus ad tantam fidelium multiplicationem venisset, nisi maximo Dei auxilio.

15 *Abstulit Dominus omnes magnificos meos de medio mei.* Hoc dicere potuit Ecclesia, quando Apostoli et alii sancti episcopi ac prædicatores evangelicæ legis passim trucidabantur; nunc quoque dolorosius id dicere debet, propter idoneorum prælato-
A rum principumque justorum defectum. *Vocavit adversum me tempus, ut conterat electos meos,* id est, tribulari permittat aut juste damnari, eos qui ceteris eminentiores videntur : de qualibus fertur in Psalmo, Non communicabo cum electis eorum. Ps. cxl, 4.
Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Juda, id est Ecclesiæ, secundum expositionem præcedentis articuli. Mystice autem Dominus Christus calcavit torcular, id est, sua passione mortem destruxit ac vicit, virgini filiæ Juda, id est ad profectum Ec-
B clesiæ, secundum quod in Isaia profitetur: Torcular calcavi solus. De quo in Apocaly- Is. lxiii, 3.
psi scribitur : Indutus erat veste adspersa Apoc. xix, 13, 15.
sanguine, et ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.

Idcirco ego Ecclesia *plorans,* considerando defectum bonorum pastorum, et Christi passionibus condolendo, *quia longe factus est a me consolator convertens animam meam,* id est Christus, quantum ad hoc quod idoneos prælatos mihi non præstitit. Unde et ipsemet ait : Rogate do- Luc. x, 2. 16
C minum messis, ut mittat operarios in messem suam. *Facti sunt filii mei perditi.* Defectus quippe rectorum, causa est periclitationis filiorum Ecclesiæ. *Quoniam invaluit inimicus* diabolus, qui postquam dejecit pastores, devoravit et oves.

Expandit Sion, id est Ecclesia Deum fide speculans, *manus suas,* quærendo succursum; *non est qui consoletur eam* consolatione perfecta, nisi ipsemet Deus, qui solus potest conferre quo Ecclesia eget. *Mandavit Dominus adversum Jacob,* id 17
D est populum christianum vitia supplantantem. Jacob siquidem interpretatur supplantator. *In circuitu ejus hostes ejus :* quod fit, dum ordinatione seu permissione divina fideles ab invisibilibus ac visibilibus hostibus multipliciter infestantur. *Facta est Jerusalem,* id est Ecclesia, in qua est visio pacis, sicut interpretatur Jerusalem, *quasi polluta menstruis inter eos,* id est aspernata et irreverenter tractata : quia ut Salomon protestatur, Viri sanguinum Prov. xxix, 10, 27.
oderunt simplicem, et impii abominantur

justum. Præterea, quando Ecclesia tenta-
tionibus acquiescit, cum dæmonibus for-
nicatur, et quasi menstruis spiritualibus
inquinatur : similiter omnis anima chri-
stiana. Et quia hæc mala pro suis peccatis
18 suffert Ecclesia, subditur : *Justus est Do-*
minus, quia os ejus ad iracundiam pro-
vocavit.

Deinde Ecclesia ait : *Audite, obsecro,*
universi populi, dolorem meum. Virgines
meæ et juvenes mei abierunt in captivita-
tem peccati atque diaboli, concupiscentiis
adhærendo, vanæ gloriæ consentiendo, a
pristina innocentia decidendo. Juvenes au-
tem et virgines ad mala ista proclives
19 sunt. *Vocavi amicos meos* carnales et si-
mulatos, de quibus prædictum est ; *et ipsi*
I Cor. vii, 33, 34. *deceperunt me.* Tales enim consulunt ea
quæ mundi sunt, scilicet divitias, delicias
Ibid. ii, 14. et honores. Animalis enim homo non per-
cipit ea quæ Dei sunt. *Sacerdotes mei et se-*
nes mei in urbe consumpti sunt. Sacerdo-
tes ac senes in urbibus commorantes, dum
carnaliter ac pueriliter vivunt, ordinem
et ætatem dignis moribus non ornantes,
sed jocis, ludis ac risibus insistentes, ava-
ritiæ, acediæ, voluptati intendentes, spiri-
tualiter mortui sunt et consumpti. Animæ
enim mors, culpa est, Christo dicente :
Matth. viii, 22. Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.
Quia quæsierunt cibum sibi, id est, de
corporali alimento superflue sollicitaban-
Ibid. vi, 34. tur, quum tamen dicat Salvator, Nolite
solliciti esse in crastinum; *ut refocillarent*
animam suam delectatione carnali, quæ
spiritualem consolationem experiri non
promeretur.

20 *Vide, Domine, quoniam tribulor,* con-
siderando mala culpæ in præfatis fidelium
gradibus. *Conturbatus est venter meus.*
Quum tota Ecclesia unum mysticum cor-
pus vocetur, venter ejus dici possunt, qui
mediocris sunt conditionis et in proficien-
tium statu locati : qui quum nondum per-
fecti sint, sæpius conturbantur ex variis
proficiendi obstaculis, occurrentibusque
adversis. *Subversum est cor meum in me-*
metipsa. Nomine cordis, quo reliqua mem-
A bra vivificantur seu gubernantur, rectores
atque doctores intelliguntur : qui si vir-
tuosi consistant, aliis tam cordialiter com-
patiuntur et mala eorum sic deflent, ut
cor eorum pene deficiat, et quid facere
debeant vix agnoscant. Si autem carnales
negligentesque fuerint, subvertitur cor eo-
rum sensualitatem sequendo, et carni, cui
dominari debuerant, obediendo, quemad-
modum Daniel ait seni presbytero : Con- Dan. xiii, 56.
cupiscentia subvertit cor tuum. *Quoniam*
amaritudine plena sum, id est variis af-
B flictionibus ex caritate atque justitia pro-
fluentibus, sicut jam dictum est. Est autem
et mala amaritudo, de qua ait Apostolus
ad Ephesios : Omnis amaritudo, et ira, et Ephes. iv, 31.
indignatio, et clamor tollatur a vobis. Qui
hanc amaritudinem in se admittit, sapien-
tia caret, juxta illud Ecclesiastici : Non est Eccli. xxi, 15.
sensus ubi abundat amaritudo.

Foris interficit gladius, id est persecu-
tio manifesta; *et domi mors similis est,* id
est persecutio latens. Vel : Foris interfi-
cit gladius, id est impugnatio mundi, quæ
C nunc per prospera, nunc per adversa, nunc
per dulcia, nunc per amara nititur fideles
a Dei amore et æquitate avertere : et hoc
loco nomine mundi, mundani homines va-
nitatesque sæculi designantur. Et domi
mors similis est, scilicet impugnatio hostis
domestici, quæ est caro adversus spiritum
concupiscens, et animam aggravans, juxta
illud ad Galatas : Caro concupiscit adversus Galat. v, 17.
spiritum, et spiritus adversus carnem :
hæc enim sibi invicem adversantur, ut non
quæcumque vultis, illa faciatis. Rursus,
D domi mors est, quando in claustro sive
collegio seu congregatione quacumque fi-
delium, fratres inter se dissonant et dis-
cordant, caritate et humilitate carentes.
Quibus clamat Apostolus : Quod si invicem Ibid. 15.
mordetis et comeditis, videte ne ab invi-
cem consumamini. Et ad Philippenses :
Nihil, inquit, agatis per contentionem, ne- Philipp. ii, 3, 4.
que per inanem gloriam, sed in humilitate
superiores sibi invicem arbitrantes, non
quæ sua sunt singuli considerantes, sed
quæ aliorum.

21 *Audierunt quia ingemisco ego; omnes* A
inimici mei audierunt malum meum, id
est pœnas et culpas quibus subjaceo. *Lætati sunt, quoniam tu fecisti,* effective vel permissive. Impii enim, potissime dæmones, de adversitatibus bonorum lætantur. Malorum autem pœnalium causa est Deus,
Amos III, 6. juxta illud Amos : Si erit malum in civitate quod Dominus non fecit?

Adduxisti, id est, adduces et partim jam adduxisti, *diem consolationis,* id est tempus punitionis adversariorum meorum. *Et fient similes mei,* quoniam quidquid mali B mihi intulerunt, redundabit in eos, eruntque miseri et afflicti, imo æternaliter damnabuntur. Hæc autem et sequentia verba profert Ecclesia ex zelo justitiæ, conformans se æquitati divinæ, sicut præcedenti dicebatur articulo. Justa autem perditio sive punitio impiorum hoc modo est justis materia gaudiorum, secundum illud Psal-
Ps. XC, 8. mistæ : Retributionem peccatorum vide-
Ps. LVII, 11. bis; et, Lætabitur justus quum viderit
Job XXII, 19. vindictam; in Job quoque, Videbunt justi
et lætabuntur, et innocens subsannabit C
22 eos. *Ingrediatur omne malum eorum co-*
ram te, etc., secundum sensum in præcedenti articulo positum. *Multi enim gemitus mei,* quia multa adversa me premunt, et pene innumerabiles habeo causas gemendi, dolendi, plangendi, quoniam circumdederunt me mala quorum non est numerus, Ps. XXXIX, 13.
comprehenderunt me iniquitates meæ. Ideo pœnitens profitetur : Afflictus sum et Ps. XXXVII, 9.
humiliatus sum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei; et item, A voce gemitus mei Ps. CI, 6.
adhæsit os meum carni meæ. Et sanctus Job ait : Antequam comedam suspiro, et Job III, 24.
quasi inundantis aquæ, sic rugitus meus. *Et cor meum mœrens.* Constituti enim sumus in valle lacrimarum, in loco exsilii, in terra periculosissimæ peregrinationis. Væ ergo filiis hujus sæculi qui gaudent cum mundo, et de loco plorationis locum sibi efficiunt voluptatis. Quibus clamat Salvator : Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram; væ vobis qui Luc. VI, 24-26.
ridetis nunc, quia plorabitis et flebitis; væ vobis qui saturati estis; væ quum benedixerint vobis homines. Idcirco nunc procidamus ante Deum, ploremus coram Ps. XCIV, 6.
Domino qui fecit nos, tam propria quam proximorum peccata et cetera Ecclesiæ mala.

ARTICULUS III

EXPLANATIO EJUSDEM CAPITULI PRIMI TROPOLOGICA.

PER Jerusalem litteraliter significari urbem illam regum Israel, allegorice Ecclesiam militantem, anagogice Ecclesiam triumphantem, tropologice animam viatricem fidelem seu christianam, omnibus palam est. Quomodo autem anima civitas atque Jerusalem appelletur, in libro de Spiritu et anima pulchre docetur, quum
Ps. LXXXVI, 3. dicitur : Nobilis creatura est anima. Civitas namque est Dei, de qua tam gloriosa dicta
Gen. I, 26. sunt, quod ad imaginem et similitudinem Dei est facta. Hæc civitas, Jerusalem me- D rito appellanda est, quia ad fruendum visione summæ pacis creata est. Mens paradisus est animæ, in qua quum cœlestia meditatur, quasi in paradiso voluptatis delectatur. Domus etiam summi patrisfamilias est anima, propter unitatem atque concordiam morum, sponsa Christi per dilectionem, templum Spiritus Sancti per sanctificationem.

Igitur præsens capitulum ad animam referendo, homo devotus animæ olim virtuosæ ruinam deplangens, ait : *Quomodo sedet* 1

sola, id est, qualiter ita depressa est, ac A pristinis intra se habitantibus perfectionibus destituta, *civitas,* id est anima christiana, in qua fuit et esse deberet affectionum quasi civium suorum concordia ordinata, ut omnes divino amori subjicerentur ac deservirent, *plena populo,* id est, quæ ante lapsum in vitia, fuit donis Spiritus Sancti ac virtutibus quasi rationabilibus entibus plena. Qui enim unam habet virtutem, habet omnes; et qui unam perdit per peccatum mortale, omnes amittere perhibetur, propter virtutum connexi- B onem, præsertim quantum ad esse earum formatum ac meritorium.

Quemadmodum autem in civitatibus bene dispositis sunt sapientes ad consulendum, milites ad propugnandum, artifices ad ministrandum ; ita in anima, quæ spiritualiter civitas dicitur, cives sunt naturales atque ingenitæ ejus vires, earumque habitus et actus, quarum triplex est gradus. Nam quædam sunt supremæ ac intellectuales, aliæ mediæ ac rationales, tertiæ autem inferiores ac animales. Ani- C males seu sensuales sunt circa sensibilia, rationales vero destruunt discretionisque oculo despiciunt illa, intellectuales protrahunt ad divina. Intellectuales itaque vigores sunt tanquam consiliarii animæ, *Eccle.* XII, 13. dicentes : Deum time, et mandata ejus observa. Rationales sunt tanquam milites animæ, qui hostiles concupiscentias impugnant per arma justitiæ. Animales sunt tanquam rustici et artifices, qui corporalibus rudimentis insistunt, et corpori necessaria ministrant. Unde quum vires hæ D donis gratiæ atque virtutibus perficiuntur, actusque debitos ordinate prosequuntur, anima seu civitas ista plena est populo. Murus vero civitatis istius, dici potest angelica custodia.

Facta est quasi vidua, amittendo Sponsum cœlestem, cui erat per caritatem et fidem formatam desponsata, juxta illud *Osee* II, 20. Osee : Sponsabo te mihi in fide. Omnis autem anima, vel Christi est sponsa, vel diaboli adultera. Mente enim ad summum atque incommutabile bonum virtuose ac gratiose conversa, sponsa est Christi; mente vero ad caduca ista terrena ac vana conversa, diaboli exstat adultera. Nihilo minus anima talis dicitur quasi virgo magis quam vidua, quia sponsus et vir ejus non est mortuus : imo pœnitentem ac redeuntem amplecti paratus est, et quod clementius sonat, etiam aversam ac fornicantem ad redeundum invitat dicendo : Tu *Jer.* III, 1. fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me. *Domina gentium.* Anima nempe quamdiu suo animo, carni, mundo ac dæmoni per Dei gratiam prævalet, domina est omnium qui carnaliter sive gentiliter conversantur. Sicque *princeps provinciarum,* quarum conversatio est terrena, *facta est sub tributo,* dando in se locum *Ephes.* IV, 27. diabolo, cui tanquam crudelissimo principi famulatur; solvitque tributum, agendo quod ipse tentando requirit.

2 *Plorans ploravit in nocte,* id est ex subtractione consolationis divinæ, et propter carentiam perfectionis ac gratiæ pristinæ, quando videlicet a Spiritu Sancto misericorditer prævenitur, ac tangitur ad pœnitendum; *et lacrimæ ejus in maxillis ejus,* id est interiori facie seu conscientia, dum cordialiter dolet quod unquam cœlestem Sponsum offendit, et eo abjecto dæmonibus se conjunxit. *Non est qui consoletur eam ex omnibus caris ejus.* Quum enim luctus iste salubris sit, expedit ei manere in eo : idcirco nec Deus, nec angeli statim consolationem adducunt. Vel, Non est qui consoletur eam ex omnibus caris ejus, quos tempore suæ transgressionis dilexit; suntque carnales et mundani affectus, diabolici cogitatus, impuræ delectationes : quæ omnia pœnitenti animæ dolorem augent, non minuunt. *Omnes amici ejus spreverunt eam,* quando videlicet dæmonum tentamentis consensit, atque a Deo aversa, fœdus percussit cum morte, vitia quibus quotidie necabatur, amplectens. Tunc enim aspernabilis fuit Deo et angelis sanctis. *Et facti sunt ei inimici :* sicut de Deo ait Psalmista, Odisti omnes qui operantur iniquita- *Ps.* V, 7.

Ps. v, 7. tem ; et rursus, Virum sanguinum et do-
losum abominabitur Dominus.

3 *Migravit Judas,* id est, anima confitens
Deo, a via virtutum recessit, rediitque ad
vitam mundanam, *propter afflictionem,* id
est asperitatem quam sensit in Dei obse-
quio, *et multitudinem servitutis* latriæ.
Quum enim virtus sit circa ardua, inci-
pientibus et imperfectis interdum laborio-
sum est, pristinis libertatibus, vanitatibus,
delectationibusque carere, et semper sub
jugo divinæ legis manere. Idcirco ani-
mæ quædam a bono inchoato desistunt, et
Galat. III, 3. quum spiritu cœperint, carne consumman-
Matth. XI, 12. tur : non attendentes quod regnum cœlo-
rum vim patitur, et violenti rapiunt illud;
Ps. XVI, 4. quod item fatetur Psalmista, Propter verba
labiorum tuorum ego custodivi vias duras.
Hoc contra eos qui nunc volunt gaudere
cum sæculo, et post regnare cum Christo.
Habitavit inter gentes, id est, carnalium
hominum conversationi se miscuit, quum
Ephes. V, 11. tamen dicat Apostolus : Nolite communi-
care operibus infructuosis eorum, magis
autem redarguite. *Nec invenit requiem* ve-
ram ac plenam inter istos, vel in rebus
Matth. XIII, 22. caducis. Imo divitiæ sæculi, a Christo spi-
næ vocantur. Unde in Ecclesiaste habetur :
Eccle. II, 26. Homini bono dedit Deus sapientiam et læ-
titiam, peccatori autem afflictionem et cu-
ram superfluam. In Job quoque legitur :
Job XV, 21. Sonitus terroris semper in auribus impii, et
quum pax sit, ille insidias suspicatur. Porro
nihil quietius, quam universis quæ mundi
sunt spretis, pura mente Deo vacare. *Om-
nes persecutores ejus,* id est invisibiles ho-
stes, mundus et propria caro, *apprehende-
runt,* id est, multipliciter vulneraverunt,
atque in legem peccati captivam duxerunt
eam inter angustias, id est impugnatio-
num instantias. Ab his namque anima
omni hora gravissime læditur, quum fuerit
donis gratiæ spoliata.

4 *Viæ Sion lugent.* Anima speculando di-
vina, est Sion, cujus viæ, id est virtutes,
potissime caritas et misericordia, lugent,
*eo quod non sint qui veniant ad solennita-
tem,* id est ad eam Deo celebriter inten-

A dentem, juxta illud : Reliquiæ cogitationis *Ps.* LXXV, 11.
diem festum agent tibi. Anima namque
affectuosa et pia, Dei gratiam in se expe-
riens, aliis cupit, quod sibi datum est,
communicare, quemadmodum Petrus hor-
tatur, Unusquisque sicut accepit gratiam, in *I Petr.* IV, 10.
alterutrum illam administrantes ; et dolet,
dum non est qui curet suscipere. Dolet in-
super, quod tam pauci sunt qui veniant ad
solennitatem Ecclesiæ militantis ac trium-
phantis. *Omnes portæ ejus destructæ.* Per
portas animæ, exteriores sensus possunt
B intelligi : quos in sanctis martyribus per-
secutores corporaliter destruxerunt ; spiri-
tualiter etiam destruuntur, dum vitiis ob-
sequuntur, et per eos anima inquinatur.
Facti sunt hostes in capite, id est, rationi 5
prædominantes, quam ad vitiosum trahunt
consensum, ita quod domina fit pedisequa,
ratione sensualitati subjecta. *Inimici ejus
locupletati sunt :* quia de animæ seductio-
ne spiritualiumque divitiarum ejus abla-
tione lætantur, ac ditatos se reputant dæ-
mones. *Parvuli ejus,* id est affectiones
C sensitivæ partis, *ducti sunt in captivitatem*
peccati, non manendo sub lege ac ordine
rationis : propter quod hostium incidunt
manus.

Et egressus, id est ablatus, *est a filia* 6
Sion, id est ab anima, *omnis decor ejus,*
id est spiritualis pulchritudo, in donis vir-
tutibusque consistens. De quo habetur in
Psalmo : Concupiscet rex decorem tuum. *Ps.* XLIV, 12.
Qui peccato mortali aufertur. *Facti sunt*
principes ejus, id est principales animæ
vires, in quibus superbenedictæ Trinitatis
D consistit imago, *velut arietes non inveni-
entes pascua.* Hoc fit, dum intellectus di-
vinorum contemplatione non pascitur, nec
eorumdem amore voluntas accenditur, nec
in his memoria stabilitur : siquidem in
cognitione primæ virtutis, dilectioneque
summæ bonitatis, et fixione in utroque,
perfectio animæ est locata. *Et abierunt
absque fortitudine* gratiæ ac virtutum, *an-
te faciem subsequentis,* sine resistentia con-
sentiendo cogitationibus affectionibusque
injustis, a dæmone inspiratis : dum enim

Spiritus Sanctus infirmitatem animæ non fulcit, mox vincitur. Quocontra devotis pro-
Rom. XVI, 20. mittit Apostolus : Deus conteret Satanam sub pedibus vestris velociter.

7 Et *recordata est Jerusalem,* id est anima in qua est visio pacis, *dierum afflictionis suæ,* etc., juxta sensum præcedentis articuli. Dum enim anima prius devota, sensit populum suum, id est cogitatus atque affectus, cadere in manu hostili, id est per impugnationem diaboli deordinari, et a mercede evacuari, tunc reminiscitur quid sit passa, et qualiter sit transgressa. *Et omnium desiderabilium suorum,* id est charismatum gratiæ, *quæ habuerat a diebus antiquis,* id est a die baptismatis, vel a principio suæ conversionis. *Viderunt eam hostes,* puta diaboli, *et deriserunt sabbata ejus,* id est quietem suæ contemplationis : quando videlicet inordinato tempore vult contemplationi insistere, dum scilicet caritas fraterna vel obedientia exigit eam in operibus vitæ occupari activæ, vel dum est species fictæ devotionis, vel contemplatio inflationi permixta, sive dum vult contemplationi vacare, passionibus nondum reformatis per virtutes morales.

8 *Peccatum peccavit Jerusalem,* scilicet
anima se a Deo avertens ; *propterea in-*
Ps. XI, 9. *stabilis facta est :* juxta illud, In circuitu
impii ambulant. Nempe a fonte virtutum
aversa, per omnium vitiorum vagatur ab-
rupta, et pondere unius peccati ad aliud
trahitur, atque ad innumerabiles se vani-
tates diffundit. *Omnes qui glorificabant*
eam, id est Deus, angeli sancti, et homi-
nes virtuosi, animam tempore suæ laudabi-
lis conversationis beatificantes, *spreverunt*
eam, a Sponso cœlesti aversam, *quia vide-*
runt ignominiam ejus, id est turpitudinem
qua cum vitiis atque dæmonibus fornica-
tur. *Ipsa autem gemens* inordinate, pro-
pter damna vel aspera ista terrena, non
propter prædicta, *conversa est retrorsum,*
9 quia a Deo aversa, qui sursum est. *Sor-*
des ejus in pedibus, id est affectionibus
ejus : sicut expositum est. Quocontra ani-
A mæ ad Deum ordinate tendenti, in Canticis
dicitur : Quam pulchri sunt gressus tui in *Cant.* VII, 1.
calceamentis, filia principis! Christus quo-
que discipulis ait : Qui lotus est, non in- *Joann.* XIII, 10.
diget nisi ut pedes lavet. *Nec recordata*
est finis sui nobilissimi, ob quem est cre-
ata. *Deposita est vehementer :* nam de
sponsa, amica, ac filia Christi, facta est
adultera filiaque diaboli. Verum tacta a
Spiritu Sancto, ac pœnitens, orat : *Vide,*
Domine, afflictionem meam, qua me ip-
sam pœnitendo affligo, qua item ab ini-
B micis meæ salutis afflicta sum, *quoniam*
erectus est inimicus, inflatus superbia, et
me impugnare paratus.

Manum suam, id est tentandi potestatem atque industriam, *misit hostis,* diabolus, *ad omnia desiderabilia ejus,* id est, omnia gratiæ dona auferre molitus est animæ, *quia vidit gentes ingressas sanctuarium tuum,* id est, consideravit quod anima, quæ fuit et esse tenetur sanctuarium Dei, in se intrare permisit affectus carnales, per quos gentes seu homines sæ- 10
C culares animam intrasse feruntur ; *de quibus præceperas ne intrarent in ecclesiam tuam,* id est, ne carnaliter a fidelibus diligerentur, nec per talem amorem animæ intima ingrederentur.

Omnis populus ejus gemens, et quærens 11
panem : id est, præfatæ vires simul cum anima doluerunt, et panem cœlestem quæsierunt. *Dederunt pretiosa quæque* in eleemosynas, *pro cibo,* id est, ut per hoc a Spiritu Sancto refici mererentur. *Vide, Domine, et considera, quoniam facta sum*
D *vilis.* Quemadmodum nemo in vita hac comprehendere valet, quanta sit peccati enormitas, gravitas seu offensa ; sic nec concipere, nec eloqui potest, quantum peccando inquinetur vilificeturque anima. Nam et summæ Trinitatis imago in ea deformatur, ipsa cum dæmone fornicatur, omnibusque beneficiis Dei ingrata efficitur, nec est digna pane quo vescitur, nec sustentaculo terræ.

O vos omnes qui transitis per viam, at- 12
tendite, et videte si est dolor sicut dolor

meus. Maxime equidem anima debet do- A
lere, quod cœlestem Sponsum abjecit, et
peccatis dæmonibusque permixta est. Imo,
quemadmodum malum culpæ incomparabi-
biliter pejus est malo pœnæ, omnique
damno terreno et vulnere corporali, ita
incomparabiliter amplius dolendum est de
peccato, quam de aliis malis pœnalibus
jam expressis. *Quoniam vindemiavit me*
Dominus, id est, tentari ac superari per-
13 misit secundum quod merui. *De excelso*
misit ignem in ossibus meis, id est, fortio-
res vires meas, videlicet intellectum ac B
voluntatem, Spiritu Sancto accendit ; *et*
erudivit me : quia per caritatem ardentem
maxime disponitur anima ad fortissimas
illuminationes Spiritus Sancti. Caritas quip-
pe animam efficit Dei amicam ; amicis au-
tem revelantur secreta, et quanto fuerit
anima carior Deo, tanto exuberantius dona
illius participat. Hinc per inardescentem
purum amorem fit velut secretaria et con-
Ps. LXXXIV, 9. siliaria Dei, auditque omni hora quid Do-
minus Deus loquatur in ipsa. *Posuit me*
desolatam. Interdum enim præsentiæ suæ C
solatiosum adspectum Sponsus cœlestis
subtrahit animæ, propter multiplicem ejus
profectum ac fructum, præsertim ut ipse
fructuosius ab ea desideretur, instantius
requiratur, abundantius salubriusque in-
veniatur : idcirco subtractione ista duran-
te, habenda est patientia, nec vilis conso-
latio admittenda, sed precibus instandum
est continuis.
14 *Vigilavit jugum iniquitatum mearum*
in manu ejus. Quo enim Christus animam
amplius amat, eo citius ac felicius pec-
cantem castigat et revocat, quum magnæ
dilectionis indicium sit, peccanti statim
ultionem correctoriam adhibere. *Abstulit* 15
Dominus omnes magnificos meos, id est,
superiorum virium actibus atque habiti-
bus supernaturalibus gratiosis infusis, me,
quando peccavi, privavit ; atque per hoc,
contrivit *electos meos,* id est elegantiores
mentis meæ perfectiones. *Idcirco ego plo-* 16
rans : quia de spiritualium harum amis-
sione divitiarum potissime est plangen-
dum, quia per eas fit anima Deo accepta, et
ad promerendum vitam æternam idonea,
deiformis, et omni naturali decore, perfe-
ctione ac dono præclarior. *Facti sunt filii*
mei perditi : id est, actus mei priores
virtuosi ac meritorii, per peccatum mor-
tale sequens mortificati sunt, præmioque
privati ; *quoniam invaluit inimicus,* puta
tentator, seu concupiscentia carnalis, vel
mundus, rationi prævaluit, atque ad con-
sensum perduxit illicitum. *Virgines meæ* 18
et juvenes mei abierunt in captivitatem.
Virgines animæ, dici possunt castæ inten-
tiones, atque virgineæ affectiones ipsius ;
juvenes vero, opera bona post conversio-
nem mox facta. Pergunt in captivitatem,
dum vana gloria inficiuntur, aut simili
modo per tentationem diabolicam cœlesti
mercede privantur.

Cetera ex præcedentis expositione articuli clara sunt. Multa enim hujus capituli verba, secundum eumdem sensum Ecclesiæ et unicuique christianæ animæ lapsæ conveniunt.

ARTICULUS IV

ELUCIDATIO CAPITULI SECUNDI : QUOMODO OBTEXIT CALIGINE IN FURORE SUO DOMINUS FILIAM SION ?

CONSTAT in his quæ ex ingenti proferuntur dolore, non observari, neque debere attendi artificialem aut magistra- D lem processum, sed mœsti spiritus amorosum affectum, eumdem sensum sub aliis ac aliis verbis sæpius iterantem, et modum

loquendi ubertim mutantem, secundum variam apprehensionem dilecti, multiplicemque amorosum impulsum ad ipsum. Ita in lamentationibus istis progreditur Jeremias ; et ruina Jerusalem sub primo alphabeto jam deplorata, nunc in secundo isto capitulo eam sub secundo alphabeto, id est alphabeto Hebraico secunda vice per ordinem introducto, deplanxit.

1 Itaque mirans gemensque ait : *Quomodo obtexit caligine,* id est, tenebris adversitatis ac tribulationis, vel etiam iniquitatis permissive, operuit, *in furore suo,* id est divinæ æquitatis rigore atque terribili ultione, *Dominus filiam Sion,* id est plebem et urbem Jerusalem ? *Projecit de cœlo in terram,* id est de cœliformi eminentia, ac honestissimo atque altissimo statu ad maximam calamitatem, *inclytam Israel,* id est Jerusalem totius Israelitici regni olim metropolim, vel populum Israel, ex nobili sanctorum Patriarcharum semine natum, *et non est recordatus,* id est, per gratiam defensionis non ostendit se memorem, *scabelli pedum suorum :* per quod intelliguntur duo Cherubim gloriæ, obumbrantia propitiatorium (unde et dicitur, Qui sedes super Cherubim) ; vel ipsum templum, in quo arca et propitiatorium erant. Pedes autem in Deo, spiritualiter nominantur impressiones quædam extremæ suæ virtutis. *In die furoris sui,* id est, tempore quo permittit a Chaldæis scabellum hoc destrui.

Exod. XXXVII, 8, 9. *Ps.* LXXIX, 2.

2 *Præcipitavit Dominus,* id est, per Chaldæos dejecit, *nec pepercit, omnia speciosa Jacob,* id est pulchra atque præcipua Judæorum, videlicet templum et contenta in ipso, urbes ac populum : de quibus præcedenti capitulo dictum est, Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus. *Destruxit in furore suo munitiones virginis Juda,* etc., id est muros, turres, castra, fortalitia, machinas Judaicæ plebis. *Polluit,* id est, vitiosa monstravit, et irreverenter tractari fecit, *regnum* Juda *et principes ejus,* quos manibus tradidit Chaldæorum.

Thren. I, 10.

3 *Confregit in ira furoris sui,* id est ex rigore suæ metuendæ justitiæ, cujus effectus seu ultio tam pavenda, impetuosa ac dira est, quasi ex furore procederet, *omne cornu Israel,* id est sublimitates ac fortitudines Judæorum, vel reges eorum filios Josiæ, quantum ad hoc quod privati sunt regno. *Avertit retrorsum dexteram suam,* id est, protectionem suam subtraxit Judæis, *a facie inimici,* id est præsente hostili exercitu Chaldæorum ; *et succendit in Jacob,* id est urbibus Judæorum, *quasi,* imo veraciter, *ignem flammæ devorantis in gyro.* Nam per Chaldæos templum et civitatem Jerusalem, multaque loca Judææ combussit.

Tetendit arcum suum quasi inimicus, 4
id est, per occultos modos atque insidias Chaldæorum invasit Judæos : quorum et arcus contra Judæos extendit ut hostis, scilicet ad necandum et condemnandum, quantum ad reprobos ; quantum vero ad electos, multum rigorose, ita quod apparuit esse hostile negotium, quamvis secundum veritatem fuerit paternum ac pium, ut scilicet præsentibus purgarentur adversis. Et juxta hunc sensum subjungitur : *Firmavit dexteram suam quasi hostis,* id est, valde dure percussit Judæos. Quum enim dextera fortius cædat quam sinistra, quum Deus per dexteram, pœnam inferre describitur, per dexteram dura percussio designatur, juxta illud in Psalmo : Dextera tua inveniat omnes qui te oderunt. Quum vero per dexteram Dei, clemens subventio insinuatur, singularis et magna per eam misericordia importatur, ut ibi : Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ. *Et occidit omne quod pulchrum erat visu,* id est juvenes, virgines, ceterosque qui dudum egregiæ formæ fuerunt, *in tabernaculis filiæ Sion,* id est in domibus Judæorum, quas Chaldæi ingressi, occiderunt habitantes in eis. Verumtamen distributio ista intelligenda est pro generibus singulorum, non pro singulis generum. Unde et in doloribus constituti, ut Jeremias quando hæc edidit, sæpe per excessum loquuntur. *Effudit quasi ignem*

Ps. XX, 9. *Ps.* LXXIX, 18.

indignationem suam, id est, zelum justi-
tiæ suæ terribilibus modis velociterque
exercuit.
5 *Factus est Dominus velut inimicus* pec-
cantium Judæorum, secundum expositio-
nem præhabitam. Fitque Deus hominum
inimicus sine sua mutatione, mutatis ho-
minibus a bono in malum, dum his quibus
gratiosus atque beneficus fuit, ulciscens
ac metuendus efficitur. *Præcipitavit Is-
rael,* id est populum ipsum per Chaldæos.
*Præcipitavit omnia mœnia ejus, dissipavit
munitiones ejus, et replevit in filia Juda,*
id est plebe Judaica, *humiliatum et hu-
miliatam,* id est, utriusque sexus multas
personas per Chaldæos dejecit et capti-
vavit.
6 *Et dissipavit quasi hortum tentorium
suum,* id est templum, quod ante in amœ-
nitate et pulchritudine horto simile fuit;
vel, Quasi hortum, id est celeriter nemine
resistente. Vel per tentorium, Judæorum
tentoria a Chaldæis vastata dantur intelli-
gi. *Demolitus est tabernaculum suum,* vi-
delicet templum. *Oblivioni tradidit Domi-
nus in Sion festivitatem et sabbatum,* id
est, solennitatum ac sabbatorum legalium
observantiam fecit cessare in Jerusalem,
quousque post reditum de Babylone, recu-
perata sunt ista; *et in opprobrium, et in
indignationem furoris sui,* id est proce-
dentem ex suæ rigore justitiæ, oblivioni
tradidit *regem et sacerdotem,* id est reges
Juda ac sacerdotes, quos opprobriosis Chal-
7 dæorum subjecit suppliciis. *Repulit Do-
minus altare suum,* id est, altaria templi
permisit incendi; *maledixit,* id est, ma-
lum inferri fecit : ejus enim dicere, facere
est; *sanctificationi suæ,* id est templo, ubi
Judæi per orationes et sacrificia purifica-
bantur. Fuitque hic locus Domino conse-
cratus : unde primo Machabæorum legitur
I *Mach.* I, 23. Antiochus intrasse sanctificationem cum
superbia. *Tradidit in manus inimici mu-
ros turrium ejus,* quæ erant ad templi
ornatum, et loci protectionem : quos de-
struxerunt Chaldæi. *Vocem dederunt in
domo Domini,* id est, Chaldæi in templo
A alte atque hilariter conclamabant, de ejus
destructione lætando, *sicut in die solenni,*
id est, quemadmodum ministri templi con-
sueverunt diebus festis in Dei laudibus
exclamare.
Cogitavit Dominus cogitatione practica 8
et æterna, quæ tempore præstituto proces-
sit in opus, *dissipare murum filiæ Sion,*
id est muros Jerusalem. Quasi dicat : Non
impetu, sed sapienti id egit consilio. *Te-
tendit funiculum suum,* id est, æquitatis
suæ mensuram super peccatores Judæos
B expandit, puniendo eos secundum exigen-
tiam seu lineam vel mensuram suæ justi-
tiæ, ut in qua mensura mensi fuerunt, *Matth.* VII, 2.
remetiretur eis, juxta illud in Isaia : In *Is.* XXVII, 8.
mensura contra mensuram, quum abjecta
fuerit, judicabis eam : in mensura, inquam,
suæ justitiæ, contra mensuram culpæ il-
lius. Juxta hunc sensum legitur David
mensus duos funiculos in filiis Ammon, II *Reg.* VIII, 2.
unum ad occidendum, alium ad vivifican-
dum. *Et non avertit manum suam a per-
ditione* Judæorum, quousque de terra pro-
C pria tollerentur. *Luxitque,* id est, materiam
flendi præbuit sua destructione, *antemu-
rale :* quod fuit in gyro Jerusalem, extra
murum interiorem ac principalem; *et mu-
rus pariter dissipatus est :* quia et prin-
cipalem murum Jerusalem destruxerunt
Chaldæi.
Defixæ sunt in terra portæ ejus, id est 9
a suis locis amotæ, atque in terram proje-
ctæ. *Perdidit et contrivit* Dominus per
Chaldæos, *vectes ejus,* puta Jerusalem, *re-
gem* (vel *reges*) *ejus,* videlicet Joachin et
D Sedeciam, *et principes ejus in gentibus,*
quia in Babylonem deducti sunt : per Joa-
chin intelligendo Jechoniam, cujus pater
nomine Joakim, fuit a Chaldæis occisus, ut
dictum est. *Non est lex,* id est observantia
legis in populo Judæorum. Vel hoc ideo
dicitur, quia Chaldæi, seu auxiliatores eo-
rum, libros legis combussisse, doctoresque
ejus occidisse leguntur. *Et prophetæ ejus
non invenerunt visionem a Domino.* Hoc
de pseudo asseritur, quibus revelationes
divinæ non fiebant.

10 *Sederunt in terra,* in signum humilia- A
tionis, ut respicerentur a Deo ; *conticue-*
runt senes filiæ Sion, id est Judaicæ plebis,
qui ante in soliis residebant, et documenta
atque judicia proferebant : et hoc misera-
bile erat videre. *Consperserunt cinere ca-*
pita sua, accincti sunt ciliciis, in signum
doloris ac pœnitentiæ, ut misericordiam
impetrarent. Sic enim tempore magnæ af-
flictionis facere consueverunt Judæi, imo
Job XLII, 6. et alii. Unde et sanctus Job : Pœnitentiam,
inquit, ago in favilla et cinere. De Ninivitis
Jonæ III, 5, 6. quoque habetur in Jona : Induti sunt sac- B
cis, et rex Ninive surrexit de solio suo, et
indutus est sacco, et sedit in cinere. *Abje-*
cerunt in terra capita sua virgines Juda
ex desolatione et fame.

Insuper, quam intime Jeremias compas-
11 sus est istis, subjungitur. *Defecerunt præ*
lacrimis oculi mei, id est, plorando lassati
atque afflicti sunt. Unde superius dixit :
Jer. XIV, 17. Deducant oculi mei lacrimas per diem et
noctem, et non taceant. *Conturbata sunt*
viscera mea, id est vehementer commota,
dolore cordis intentissimo fortiter redun- C
dante in corpus. Vel, Conturbata sunt spi-
ritualia viscera animæ meæ, videlicet ca-
ritas et misericordia, quæ in validissimam
compassionem eruperunt. *Effusum est in*
terra jecur meum. Hoc per hyperbolen di-
citur : tanquam dicat, In tantum compassus
sum, ut viderentur mihi interiora seu in-
testina in terram casura. *Super contritione*
filiæ populi mei, id est de destructione ac
multiplici angustia plebis Juda, *quum defi-*
ceret, id est, præ fame moreretur, *parvulus*
et lactens, id est ubera sugens, *in plateis* D
oppidi Jerusalem. Ponit autem singulare
pro plurali, quoniam multi infantes ex
12 materni alimenti carentia defecerunt. *Ma-*
tribus suis dixerunt parvuli qui jam vo-
cem formare valebant : *Ubi est triticum*
et vinum, quæ in Jerusalem abundare so-
lebant? *Quum deficerent* fame, *quasi vul-*
nerati in plateis civitatis Jerusalem ; *quum*
exhalarent, id est, statim effusuri erant,
animas suas in sinu matrum suarum. Hoc
de parvulis ac matribus egenis ac mendi-
cantibus potissime verum est, quæ ostia-
tim pergendo præ inedia corruerunt : quod
fuit lamentabile vehementer; sed et sola
recordatio provocat fletum, præsertim quo-
niam Jeremias omnia hæc multum affe-
ctuose ac dolorose describit.

Cui comparabo te, comparatione æquipa- 13
rantiæ? *vel cui assimilabo te,* comparatione
participantiæ, *filia Jerusalem,* id est, plebs
degens in ea? *Cui adæquabo te, et conso-*
labor te, aliorum afflictionem atque mise-
riam tibi in exemplum patientiæ, vel in
relevamen doloris proponendo, *virgo filia*
Sion? Desolati namque, audientes quod
alii sibi similia aut majora sustineant, ad
patientiam provocantur. Hæc quærit Pro-
pheta, ut innuat se non invenire gentem
tam miseram. Ideo addit : *magna est enim*
velut mare contritio, id est destructio *tua :*
ideo afflictionibus aliorum quam maxime
gravior, sicut et mare valde in quantitate
ceteras aquas excedit. *Quis medebitur tui?*
id est, humano auxilio liberari aut repa-
rari non vales. Unde superius dictum est :
Insanabilis fractura tua; et in Michæa, De- *Jer.* XXX, 12.
sperata est plaga ejus, et venit usque ad *Mich.* I, 9.
Judam, et tetigit portam populi mei usque
Jerusalem.

Prophetæ tui, non Dei, videlicet pseudo, 14
viderunt tibi falsa et stulta, id est diabo-
lica illusione aut propria imaginatione seu
adinventione concepta; *nec aperiebant ini-*
quitatem tuam, te vere, juste, et caritative
reprehendendo, *ut te ad pœnitentiam pro-*
vocarent. Non enim animarum salutem et
Dei honorem, sed propriam utilitatem men-
dacem quærebant, scilicet lucrum terre-
num, temporalem honorem, humanum fa-
vorem, delicias sensus. *Viderunt autem*
tibi assumptiones falsas, id est assertiones
a proprio corde assumptas, *et ejectiones,*
quia illis credendo, ejici de terra propria
meruisti. De istis pseudoprophetis dictum
est copiosius supra et aliis locis.

Plauserunt super te manibus suis, tibi 15
insultando, et tuis miseriis congaudendo,
omnes transeuntes per viam; sibilaverunt,
et moverunt capita sua super filiam Jeru-

salem, de ejus tam maxima desolatione
stupentes : *Hæccine est urbs, dicentes, per-*
fecti decoris? id est, ecce civitas ista nunc
demolita, fuit præ ceteris urbibus specio-
sa, *gaudium,* id est materia gaudendi, *uni-*
versæ terræ Judææ, id est cunctis Judæis ;
vel, Universæ terræ, seu cunctis homini-
bus qui ejus pulchritudinem viderunt aut
perceperunt. Fuit quippe Jerusalem a Sa-
lomone pulcherrime ordinata, a Josaphat
quoque et aliis quibusdam regibus ejus
16 multipliciter decorata. *Aperuerunt super*
te, o Jerusalem, *os suum omnes inimici*
tui Chaldæi, tibi comminando et insultan-
do. *Sibilaverunt, et fremuerunt dentibus*
suis ex ira furenti, *et dixerunt : Devora-*
bimus, id est, civitatem et populum istum
totaliter perimemus. *En ista est dies,* dies
scilicet qua urbem ingredimur, *quam ex-*
spectabamus; invenimus quod quæsivi-
mus, *vidimus,* id est, sortiti sumus quod
præstolabamur.
17 *Fecit Dominus quæ cogitavit,* destruen-
do Jerusalem sicut decrevit; *complevit fu-*
rorem suum, id est, justam suam vindictam
exsecutus est per Chaldæos, *quem præce-*
perat a diebus antiquis, id est, quam per
Moysen aliosque Prophetas idololatrantibus
Judæis futuram prænuntiavit, inferrique
jussit; *destruxit* civitatem et populum,
et non pepercit : tamen citra condignum
punivit; *lætificavit super te inimicum,* id
est Chaldæos, te eorum voluntati traden-
do, *et exaltavit cornu,* id est regem seu
18 fortitudinem, *hostium tuorum. Clamavit*
cor eorum, scilicet inimicorum istorum,
ad Dominum super muros filiæ Sion. Chal-
dæi enim cum victoria ascendentes mu-
ros Jerusalem, ad Deum locuti sunt va-
riis modis. Nam quidam eorum fatebantur
se virtute Dei Israelis prævaluisse, quem-
admodum supra princeps militiæ Chaldæ-
Jer. xi, 2, 3. orum locutus est Jeremiæ : Dominus Deus
tuus locutus est malum super locum is-
tum, et fecit sicut locutus est, quia pecca-
stis Domino. Alii autem non Deo, sed idolis
adscripserunt victoriam : et isti locuti sunt
ad Dominum, blasphemando scilicet contra
eum. Potest quoque de Judæis exponi, quo-
rum nonnulli videntes se superandos, Dei
subsidium invocabant.

Sed quia nonnulli de populo Jerusalem
remanserunt urbe destructa, ideo plebi
huic consulit Jeremias : *Deduc quasi tor-*
rentem lacrimas per diem et noctem, id
est, copiosissime plora indesinenter, seu
competentibus horis. *Non des requiem ti-*
bi, id est somnum, vel corporalem repau-
sationem, vel a bonis actibus cessationem;
neque taceat pupilla oculi tui a motu
plangendi. *Consurge,* id est, mente et cor- 19
pore ad cœlum te erige, ad Deum te omni-
bus simul viribus dirige. Consurge quoque
a vitiis et ab immoderato mœrore, atque
in adversis gratias age. Ideo sequitur :
Lauda divinam justitiam, quæ te juste pu-
nivit, ejus quoque paternam clementiam,
qua te in præsenti sæculo castigavit. Mul-
tum utique placet Deo gratias agere in
adversis, et vehementer conatur diabolus
tunc ad murmurationem, pusillanimitatem,
desperationem inducere, ut patet in sancto Job i, ii.
Job. *In nocte :* quia ad litteram tempus
nocturnum aptissimum est ad vacandum
Deo, juxta istud Isaiæ : Anima mea desi- Is. xxvi, 9.
deravit te in nocte; itemque in Psalmo,
Media nocte surgebam ad confitendum ti- Ps. cxviii, 62.
bi. Tunc enim quietiores sunt sensus, et
strepitus conquiescunt, mensque intra se
colligitur, et simplificata in Deum mox
fertur. Propter quod ait Michæas : Quum Mich. vii, 8.
sedero in tenebris, Dominus lux mea est.
In principio vigiliarum, id est in prima
vigilia noctis. Siquidem quatuor distin-
guebantur vigiliæ noctis, secundum excu-
bias quibus tempore belli milites alterna-
tim vigilabant. Prima dicitur conticinium;
secunda, intempesta; tertia, gallicinium;
quarta vero, antelucanum. Et (ut dicitur
super illud Psalmi, Custodia in nocte) quæ- Ps. lxxxix, 4.
libet vigilia tres horas continebat.

Effunde sicut aquam cor tuum ante
conspectum Domini, id est, cum omni fi-
ducia ac devotione præcipua, desideria
tua offer Deo, indigentias calamitatesque
tuas confitere eidem, et pete ab eo quod

cupis in caritate constanti, nec quidquam A a Deo abscondere velis. Hoc est quod monet Psalmista : *Ps.* XXXVI, 5. Revela Domino viam tuam, et spera in eo, et ipse faciet; itemque, *Ps.* CXLI, 3. Effundo, inquit, in conspectu ejus orationem meam, et tribulationem meam ante ipsum pronuntio. Sicut et sancta Anna loquitur : I *Reg.* I, 15. Effudi animam meam ante conspectum Domini. Vel : Effunde sicut aquam cor tuum, id est, quantum ad suam malitiam, projice istud omnino a te, ita quod nihil peccati remaneat, sicut dum aqua de vase effunditur, nec saporis nec caloris vestigium in illo manere videtur.

Leva ad eum manus tuas corporales, illas in oratione extendendo ad eum ex vehementi affectu, quia et illa extentio provocat, auget, conservat devotionem. Propter quod ait Psalmista : *Ps.* CXLII, 6. Expandi manus meas ad te ; et, *Ps.* CXL, 2. Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. De Salomone quoque tertio Regum inducitur, III *Reg.* VIII, 22. quod manus in oratione expandit ad cœlum. Imo quam fructuosa et efficax sit ista extentio, innotescit ex eo quod scriptum est in Exodo : C *Exod.* XVII, 11. Quum elevaret Moyses manus, vincebat Israel; si autem paululum remisisset, vincebat Amalec. Denique non solum orando, sed et laudando Deum, manus ad eum levare debemus, juxta illud : *Ps.* LXII, 5. Sic benedicam te in vita mea, et in nomine tuo levabo manus meas. Hinc et Apostolus ad Timotheum : I *Tim.* II, 8. Volo, inquit, viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione. Verumtamen in his per manus intelligi possunt opera et desideria virtuosa, quæ cum bona intentione, humilitate, D fide ac perseverantia, ad Deum sunt elevanda, ne favor aut gloria hominum stulte quæratur. Itaque, Leva ad Deum manus tuas, *pro animabus parvulorum tuorum,* ut scilicet in sinu Abrahæ suscipiantur, vel ut Deus innocentium mortem attendendo, tibi fiat propitius, et hostibus tuis adversans. Verum, sicut nunc non est orandum pro animabus infantium baptizatorum, ante usum rationis migrantium, quoniam nulla pœna post mortem afficiuntur; sic in veteri Testamento orandum non fuit pro parvulis circumcisis defunctis nondum adultis, sed pro his qui proprio peccato pœnæ fuerunt obnoxii. Vicissim autem fideles mortem innocenter occisorum, in oratione commemorant coram Deo, ut adversariis adversetur, et sic propitietur : quemadmodum secundo Machabæorum libro Judas et sui inter cetera oraverunt, ut Deus memoraretur iniquissimas mortes II *Mach.* VIII, 4. innocentium parvulorum, et indignaretur super his. *Qui fame perierunt in capite* B *omnium compitorum,* ex instante obsidione Chaldæorum. Porro compitum vocatur locus quo diversæ viæ conveniunt.

Præterea, quamvis ista ad litteram ad plebem Jerusalem dicta sint, tamen per hæc salubriter ipsa Ecclesia et quilibet Christianus monetur, semper in statu vitæ præsentis laqueis plenæ modo præfato consurgere (dicente Apostolo : Surge, qui *Ephes.* V, 14. dormis; et, Tempus est jam nos de somno *Rom.* XIII, 11. surgere; et, Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, quæ sursum *Coloss.* III, 1, 2. sunt sapite); Deum quoque in adversis laudare, non tantum prædicta hora vigiliæ noctis, imo singulis horis diei ac noctis; cor etiam nostrum coram ipso effundere, et reliqua quæ nunc scripta sunt, observare, omni abjecto torpore acediæ.

Vide, Domine, et considera quem vindemiaveris ita, 20 quod scilicet populum tuum olim tibi tam peculiarem et prædilectum, *Deut.* VII, 6; XIV, 2; XXVI, 18. nunc ita prædari, vastari, et auferri permiseris. *Ergone comedent mulieres fructum suum parvulos ad mensuram palmæ?* Hoc ait Propheta dolendo ac admirando. Quasi dicat : Si ita homines tribulari permiseris, matres ex magnitudine famis compellentur comedere suos infantes quotidie certa mensura : quod et tempore obsidionis in Jerusalem contigisse, sequenti patebit capitulo, *Thren.* IV, 10; IV *Reg.* VI, 29. sicut et quarto Regum in Samaria legitur factum. *Si occiditur in sanctuario Domini,* id est in templo, *sacerdos et propheta :* id est, tanta fuit nostra calamitas, quod Chaldæi in domo Dei interfecerunt sacerdotes et prophetas : quod de pseudo

intelligi potest, vel forte de aliquo vero Pro- A
pheta, quia in Jerusalem aliqui justi cum
impiis fuerunt occisi, ut supra ex Ezechi-
21 ele ostensum est. *Jacuerunt in terra foris*
puer et senex : quod intelligi potest vel de
Thren. I. 19. his qui (ut præcedenti capitulo scriptum
est) in plateis præ inedia corruerunt, vel
de cadaveribus eorum inhumatis. *Virgines*
meæ et juvenes mei ceciderunt in gladio,
interfecti in die furoris tui, o Deus, id est
districtæ ultionis : fuitque tam dura Chal-
dæorum crudelitas, quod nec virginibus
pepercerunt. *Percussisti* omnes hos per B
Chaldæos, peste quoque et fame, *nec mi-*
sertus es a corporali hac vastitate, quan-
quam pœnitentibus, quantum ad anima-
rum salutem, misertus sis.
22 *Vocasti quasi ad diem solennem,* id
est, cum gaudio adduxisti, sicut ad festa confluunt homines, *qui terrerent me de circuitu,* id est eos qui cum Chaldæis contra me venerunt de provinciis circa Judæam jacentibus. Hæc ait Jerusalem in persona habitatorum suorum. *Et non fuit qui effugeret* manus istorum, *in die furoris Domini, et relinqueretur* in vita, vel in proprio loco. Hoc intelligendum est de his quos hostes poterant invenire; vel si generaliter sumitur, per hyperbolen dictum est, ad innuendum quod comparative loquendo evaserunt pauci. *Quos educavi et enutrivi,* id est habitantes in me et infra me, a suis parentibus educatos, *inimicus meus,* puta exercitus Chaldæorum, *consumpsit eos* gladio, obsidione, fame, captivitate.

ARTICULUS V

ELUCIDATIO MYSTICA EJUSDEM SECUNDI CAPITULI.

QUEMADMODUM litteralis præsentis C capituli intellectus, a præcedenti modice differt, imo quasi totaliter continetur in illo; ita et de mystico censendum est intellectu. Hinc minus arbitror immorandum, et allegoricam tropologicamque intelligentiam sub uno comprehendam articulo.

Itaque vir devotus calamitates Ecclesiæ
militantis vel animæ christianæ, in malis
pœnæ et culpæ considerans, easque deplo-
1 rans, ait stupens ac mœrens : *Quomodo*
obtexit caligine, id est tenebris ignorantiæ D
et peccati, nebulis passionum, tetris even-
tibus adversitatum, tristitiarum ac tenta-
tionum, *in furore suo Dominus?* de quo
Nahum I. 2. scriptum est : Deus æmulator, et ulciscens
Dominus; ulciscens Dominus, et habens
furorem, ulciscens ipse in hostes suos.
Quæ omnia de invariabili, dulcissimo, de-
liciosissimo, et superquietissimo Deo me-
taphorice proferuntur per similitudinem operis, non per veritatem affectus, seu exsistentiam passionis. *Filiam Sion,* id est Ecclesiam, quæ statim post Christi passionem cœpit multipliciter tribulari, et de Sanctorum suorum crudelissimis persecutionibus mortibusque tristari : secundum quod divinus Dionysius in morte magistri sui B. Pauli dolebat. Et nunc ista Ecclesia præfatis tenebris errorum ac vitiorum infeliciter cernitur involuta. Vel, Filiam Sion, id est animam speculativam, quæ vicissim malis istis afficitur. *Projecit de cœlo in terram,* id est, a conversatione cœlesti ad vitam carnalem mundanam labi permisit, *inclytam Israel,* id est nobilem suam Ecclesiam, sponsam præclaram, seu animam summæ Trinitatis imagine insignitam. Istud deflendum est magis quam exponendum, quum oculis pateat, a quanta excellentia sanctitatis ac gratiæ sit colla-

psa Ecclesia. *Et non est recordatus scabelli pedum suorum,* id est Ecclesiæ in terra peregrinantis, vel animæ, quæ per gratiam fuit Dei locus atque stramentum, *in die furoris sui,* id est tempore tentationis, quo justo judicio reliquit scabellum istud a dæmonibus expugnari, passionibus vinci, spiritualiterque occidi.

Præterea scabellum Verbi, est humanitas Christi, cujus Verbum quasi oblivisci videbatur, quum tempore passionis solitam consolationem eidem subtraxit, ita ut ex
Matth. xxvii, 46. parte naturæ assumptæ clamaret : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?
Ps. lxxxvii, 5, 6. Et in Psalmo : Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber; sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius. Idque factum est in die furoris Dei, quando juxta Isaiæ oraculum,
Is. liii, 6. Dominus posuit in Christo iniquitatem om-
Ibid. 8. nium nostrum, et propter scelus populi sui percussit eum, ita ut Christus testetur
Ps. lxxxvii, 8. alloquens Patrem : Super me confirmatus est furor tuus. Unde et tunc obtexit caligine afflictionum filiam Sion, scilicet animam Christi, sicut verbis inductis adjecit:
Ibidem. Omnes fluctus tuos induxisti super me. Quam demum tunc projecit de cœlo, id est de collegio Apostolorum sanctorum, in terram, id est inter sceleratissimos peccatores, secundum quod passione instante
Marc. xiv, 41. dixit discipulis : Venit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

2 *Præcipitavit Dominus, nec pepercit, omnia speciosa Jacob,* id est ornamenta gratiæ in Christianis, quorum est vitia supplantare. Jacob namque supplantator interpretatur. *Dextruxit munitiones virginis Juda,* id est virtutes ac dona Ecclesiæ seu animæ lapsæ, quibus contra vitia fuit munita. *Polluit regnum et principes,* id est populum cum præsidentibus. Hæc dicitur Deus permissive fecisse, quando permisit Ecclesiam seu animam mortalibus inquinari peccatis. In tantum quippe omne bonum nostrum dependet a Deo, ut contrarium ejus esse dicatur ab illo, juxta illud
Ps. xliii, 19. in Psalmo : Declinasti semitas nostras a via tua. Et per Moysen Dominus : Indurabo, inquit, cor Pharaonis; obfirmabo cor Sehon regis Amorrhæorum. *Exod.* iv, 21; vii, 3; xiv, 4. *Deut.* ii, 30. Quomodo autem Ecclesia in diversis locis mala ista corporaliter passa est ab infidelibus seu aliis persecutoribus, tam clarum est, ut superfluum sit ea conscribere. *Confregit* 3
in ira furoris sui omne cornu Israel, id est prælatos Ecclesiæ, quos in mala culpæ ac pœnæ corruere permisit; vel, Omne cornu, id est potestatem et animositatem eorum, quæ per cornua designantur. Unde et Amos : Væ qui dicitis, Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua? *Amos* vi, 14. *Avertit retrorsum dexteram suam a facie inimici,* id est, ab impugnatione diaboli Ecclesiam seu animam non salvavit; *et succendit in Jacob,* de quo jam dictum est, *quasi ignem flammæ devorantis in gyro,* id est, ardore libidinis flammaque vitiorum corda populi sui succendi permisit. De quo igne scriptum est in Osee : Omnes adulterantes quasi clibanus succensus a coquente. *Osee* vii, 4.

Tetendit arcum suum, id est instrumen- 4
ta vindictæ, vel antiqui hostis insidias sive tormenta, *quasi inimicus :* juxta sensum præcedentis articuli. Unde in Psalmo : Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit; arcum suum tetendit, et paravit eum, et in eo paravit vasa mortis. *Ps.* vii, 13, 14. *Firmavit dexteram suam quasi hostis,* ad inferendum mala pœnæ effective, et mala culpæ permissive. Quandoque enim fecit hæc quasi pater atque amator, scilicet in electis, quibus omnia cooperantur in bonum; *Rom.* viii, 28. quandoque ut judex metuendus ac hostis, puta in reprobis, quos cædit ut pereant. *Et occidit omne quod pulchrum erat visu,* id est, charismata gratiarum prædecora, internoque visu amœna, subtraxit, *in tabernaculis filiæ Sion,* id est ab intimis animæ, seu congregationibus Ecclesiæ.

Factus est Dominus velut inimicus, præ- 5
sertim quantum ad impœnitentes, vel etiam quantum ad electos ac virtuosos, quos vicissim tot afflictionibus dispensative exercet, ut se a Deo relictos ac odio habitos

Jer. xxx, 14. suspicentur. Unde et dixit : Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli. Et sanctus Job loquitur Deo (*Job* xxx, 20, 21.) : Clamo ad te, et non exaudis me; sto, et non respicis me; mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi. Verumtamen fiducia nostra maneat semper fixa in Deo, ut cum sancto Job profiteamur (*Ibid.* xiii, 15.) : Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. *Præcipitavit Israel,* id est Ecclesiam seu animam, quæ fuit per fidem formatam et gratiam cernens Deum. *Præcipitavit omnia mœnia ejus,* id est, bonorum prælatorum custodiis eam privavit, qui regnare facit hypocritam propter peccata populi (*Ibid.* xxxiv, 30.); *et replevit in filia Juda,* id est Ecclesia Deo confitente, *humiliatum et humiliatam,* id est, de utroque sexu multos cadere seu perire permisit.

6 *Et dissipavit quasi hortum tentorium suum,* Ecclesiam illam per donorum gratiæ subtractionem spiritualiter annihilando. Peccatum enim nihil est, et peccator peccando fit nihil. Et ista Ecclesia est hortus deliciosus, quantum ad spirituales vere devotos, de quibus Deus per Salomonem testatur (*Prov.* viii, 31.) : Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. *Demolitus est tabernaculum suum,* id est animam lapsam, quæ fuit membrum, tabernaculum, sedesque Christi, et nunc peccando facta est locus diaboli (*Ephes.* iv, 27.). *Oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem et sabbatum,* id est, vitiosæ congregationis, Ecclesiæ, seu animæ impiæ celebritates non habet acceptas, quas animo explet polluto, et in terrenis quiescit; *et in opprobrium, et in indignationem furoris sui,* oblitus est *regem et sacerdotem,* id est reges et sacerdotes debitum suum officium non implentes. Vel, rex animæ dicitur intellectus; sacerdos, voluntas, qua se ipsam debet Deo offerre.

7 *Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ.* Hoc corporaliter fit, dum sacra loca Ecclesiæ dissipari permittit; item, dum sacerdotum mysteria * sibi non placent, et populo sibi in Baptismate consecrato magna mala infligit. Porro spiritualiter Dei altare, est mens, vel fides, in qua omne quod Deo offerimus, offerre oportet : quæ tunc a Deo repellitur, dum desinit esse formata, seu caritate actibusque virtutum polita. Sed et sanctificationi suæ Dominus maledicit, dum laudes, quibus eum sanctum fatemur, reprobat, eo quod ore, non corde, ipsum honoremus. Qui enim avertit aurem suam ne audiat legem, oratio (haud dubium quin et laudatio) ejus erit exsecrabilis (*Prov.* xxviii, 9.). Ideo cum puritate animi Deum laudare, et sanctificare eumdem cum reverentia mentis debemus, dicente Psalmista (*Ps.* xcv, 6.) : Sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus. *Tradidit in manus inimici muros turrium ejus,* id est fortitudinem et altitudinem prælatorum ac principum. *Vocem dederunt in domo Domini, sicut in die solenni :* id est, invisibiles hostes de ruina et vitiis horum vehementer gavisi sunt, juxta illud (*Ps.* xii, 5.) : Qui tribulant me, exsultabunt si motus fuero. Etenim quo virtuosa conversatio præsidentium amplius in Dei gloriam ac subditorum redundat salutem, eo de illorum casu magis tripudiat hostis nequissimus. Oret ergo omnis præsidens illud Ecclesiastici (*Eccli.* xxiii, 1, 3.) : Dominator vitæ meæ, Domine pater, ne derelinquas me in cogitatu et consilio illorum, et incidam in conspectu adversariorum meorum, et gaudeat inimicus meus. Sed et omnes qui concupiscentiis acquiescunt, risus sunt dæmonum, juxta illud Ecclesiastici (*Ibid.* xviii, 31.) : Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. Quo constat, hos prorsus diabolicos esse, qui de aliorum ruina, discordia, excessu lætantur.

8 *Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion,* id est indignum prælatum Ecclesiæ, vel duritiam animæ. Nec subito facit hoc, sed longanimiter præstolatur, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam (*Sap.* xi, 24.). Hinc ait Præcursor (*Matth.* iii, 10.) : Securis ad radicem arborum posita est. *Tetendit funiculum suum :* juxta præcedentis articuli intellectum; *et non avertit manum suam a perditione* ingratorum ac impiorum, quos

* ministeria

in inferno æternaliter punit. *Luxitque an-*
temurale, et murus pariter dissipatus est.
Quemadmodum per murum prælatus seu
princeps, sic per antemurale ejus vicarius
designatur, qui simul lugebunt in pœnis,
si indigne se habeant. Sed et Christus, de
Is. XXVI, 1. quo loquitur Isaias, Salvator ponetur in
ea murus et antemurale ; nostra luxit pec-
cata, atque pro nobis occisus est.

9 *Defixæ sunt in terra portæ ejus,* id est,
opera prælatorum ac principum, qui aliis
essent exempla ac januæ intrandi regnum
cœleste, temporalibus inhæserunt. Vel, por-
tæ Ecclesiæ ac animæ, sunt sensus exte-
riores, qui si ad terrena atque carnalia
totaliter convertantur, figuntur in terra.
Portæ quoque sunt ipsæ virtutes, quæ in
terra defixæ sunt quum actus earum pro-
pter humanum favorem, honorem, aut com-
Matth. VI, 1. modum fiunt. Idcirco Christus hortatur : Ne
faciatis justitias vestras coram hominibus,
ut videamini ab eis. *Perdidit et contrivit*
vectes ejus, id est clausuras custodiasque
virtutum ac sensuum. Hæc Deus effecit
permissive, gratiam custodiendi virtutes
ac sensus juste tollendo sive non influen-
do. *Reges ejus et principes ejus in genti-*
bus, id est conversatione gentium sæculari,
ita quod instar gentium vivunt, juxta istud
Is. XXIV, 2. Isaiæ : Erit sicut populus, sic sacerdos.
Non est lex, id est custodia evangelicæ
legis in Christianis qui vivunt sine jugo,
et peccant sine timore ; *et prophetæ ejus,*
id est doctores, et prædicatores, *non inve-*
nerunt visionem a Domino, id est, divina
instructione ac revelatione indigni fue-
Rom. VIII, 5. runt, et sunt, dum quæ carnis sunt sapi-
unt, terrenis intenti.

10 *Sederunt in terra, conticuerunt senes*
filiæ Sion ; consperserunt cinere capita
sua, accincti sunt ciliciis. Abjecerunt in
terra capita sua virgines Juda. Totum is-
tud accipi potest in bono de senioribus,
presbyteris ac prælatis virtuosis, potissime
[de] religiosis, suas et aliorum miserias
flentibus, Deique gratiam humili prostra-
tione, ac carnis maceratione petentibus.

11 *Defecerunt præ lacrimis oculi mei,* etc.
Tam cordialiter de proximorum ruina ac
desolatione dolere debet Christifidelis, præ-
sertim prælatus ac præsidens, ut cum Je-
remia versum hunc secundum sensum
præhabitum dicere queat. *Quum deficeret*
parvulus et lactens, id est pusilli ac im-
perfecti, quibus scribit Apostolus ad Co-
rinthios : Quasi parvulis in Christo, lac *I Cor.* III, 1, 2.
vobis potum dedi, non escam ; et denuo
ad Hebræos : Quum deberetis magistri esse *Hebr.* V, 12.
propter tempus, rursus indigetis ut vos
doceamini quæ sint elementa exordii ser-
monum Dei ; et facti estis quibus lacte
opus sit, non solido cibo. *In plateis oppi-*
di, id est in latis viis, seu dissolutis ope-
ribus hujus mundi, in quibus qui am-
bulant, ex spiritualis alimenti moriuntur
inopia : et tamen frequenter contingit tales
desiderare verbum salutis a suis pastori-
bus. Ideo sequitur : *Matribus suis,* id est 12
pastoribus, qui fovendo ac consolando,
sunt matres ; corripiendo, patres. Propter
quod ait Apostolus ad Thessalonicenses, se
quasi nutricem ac matrem tractasse disci- *I Thess.* II, 7, 11.
pulos. *Dixerunt : Ubi est triticum et vi-*
num, id est spiritualis refectio ? *Quum*
deficerent quasi vulnerati peccatis *in pla-*
teis civitatis ; quum exhalarent animas
suas, id est, dæmonibus per consensum
illicitum exhiberent, et vitam gratiæ per-
derent, *in sinu matrum suarum,* id est
sub custodia prælatorum. Unde in Amos
Dominus ait : Emittam famem in terram ; *Amos* VIII, 11.
non famem panis, neque sitim aquæ, sed
audiendi verbum Dei.

Quoniam ergo calamitates istæ Ecclesiæ
seu animæ, sunt incomparabiles, quantum
ad mala culpæ et gratiarum carentiam, at-
que æternæ damnationis periculum ; imo
quo majora sunt beneficia Christi in Ec-
clesia, eo de Christianorum negligentia at-
que ingratitudine amplius est dolendum :
hinc subditur : *Cui comparabo te, vel as-* 13
similabo te, filia Jerusalem? etc. Quod
Dominus Ecclesiam seu animam toties no-
minat virginem et filiam, debet eam meri-
to ad amorem ac pœnitentiam provocare,
maxime quia et post lapsum ita vocatur.

14 *Prophetæ tui,* videlicet sacerdotes, do- A
ctores, prælati, et prædicatores, *viderunt*
tibi falsa et stulta; nec aperiebant iniqui-
tatem tuam, ut te ad pœnitentiam provo-
carent. Hoc contra prædictos, qui subdi-
torum vitia palpant, qui homines magis
quam Deum verentur, qui quærunt place-
re, et carnalem pacem habere, atque pro
verbis salutis proferunt vana ac frivola,
I *Cor.* xv, 33. quum tamen dicat Apostolus : Corrumpunt
bonos mores colloquia prava. De talibus
Is. LVI, 10. loquitur Isaias : Speculatores ejus cæci
omnes, nescierunt universi ; canes muti, B
non valentes latrare, videntes vana, dor-
mientes, etc. De quibus in Ezechiele scri-
Ezech. XIII, 18. bitur : Væ qui consuunt pulvillos sub
omni cubito manus, et faciunt cervicalia
sub capite universæ ætatis ad capiendas
animas.
15 *Plauserunt super te manibus omnes*
transeuntes per viam; sibilaverunt, et mo-
verunt capita sua. Hoc agunt diaboli et
eorum ministri homines malitiosi, perfidi
atque hæretici, qui de Ecclesiæ fidelisque
animæ lapsu ac cladibus gloriantur, di- C
centes : *Hæccine est urbs perfecti decoris,*
gaudium universæ terræ ? id est, ecce
quomodo Ecclesia seu anima, quæ se Dei
civitatem vocavit et cunctis gratiis deco-
ratam, ita ut de ejus eminentia alii hinc
inde gauderent, quomodo nunc invenitur
16 dejecta ac misera? *Aperuerunt super te,*
o Ecclesia, vel anima, *os suum omnes ini-*
mici tui, jam nominati, *et dixerunt : De-*
vorabimus te corporaliter vel spiritualiter.
17 *Fecit Dominus quæ cogitavit,* id est, pecca-
ta tua ultus est sicut concepit. *Lætificavit* D
super te, id est de tua afflictione, *inimi-*
18 *cum,* id est hostes præfatos. *Clamavit cor*
eorum, videlicet inimicorum istorum, *ad*
Dominum. Nam et dæmones a divina ju-
stitia expetunt sibi donari iniquos; et ma-
xime clamant *super muros filiæ Sion,* id
est contra prælatos ac principes Ecclesiæ,
ut damnentur.

Propterea, o Ecclesia et anima christia-
na, pœnitentiam age, et *Deduc quasi tor-*
rentem lacrimas per diem et noctem :
juxta illud Psalmi, Exitus aquarum dedu- *Ps.* CXVIII, 136.
xerunt oculi mei, quia non custodierunt
legem tuam. Denique, sacrificium Deo spi- *Ps.* L, 19.
ritus contribulatus, cor contritum et hu-
miliatum Deus non spernit, qui pœni-
tentiam nostram in tantum desiderat, ut
toties provocet nos ad eam. *Consurge, lau-* 19
da in nocte, etc. De verbis his præcedenti
articulo satis dictum opinor. *Leva ad eum*
manus tuas pro animabus parvulorum
tuorum, id est subditorum ac pusillorum,
sive humilium, vivorum ac mortuorum, ut
vivis Deus gratiam, defunctis requiem do-
nare dignetur; *qui fame* spirituali *peri-*
erunt in capite omnium compitorum, id
est tentationum, ac operum plura vitia in
se virtualiter continentium, ita quod in
eodem plures deformitates culpabiles at-
tenduntur, sicut in compito plura concur-
runt itinera.

Vide, Domine, et considera quem vinde- 20
miaveris ita, id est, pensa, o Christe, quod
populum christianum, pro cujus salute
tanta fecisti ac perpessus es, tam graviter
afflixisti ac reliquisti, et de cetero esto
benignus. *Ergone comedent mulieres fru-*
ctum suum? Hoc fit, quando superiores
sibi commissos spiritualiter perdunt, aut
bona eorum diripiunt. *Si occiditur in san-*
ctuario Domini sacerdos et propheta. Si,
pro quia. Nam in ecclesia sacerdotes, pa-
stores, ac prædicatores, sæpe periculosius
tentantur, peccant, ac pereunt. Denique, te-
ste Petro, tempus est ut incipiat judicium I *Petr.* IV, 17.
a domo Domini. Et per Ezechielem Domi-
nus loquitur : A sanctuario meo incipite *Ezech.* IX, 6
percutere. *Jacuerunt in terra foris puer* 21
et senex, id est, superiores et inferiores,
seniores et juniores, concorditer in terre-
nis sunt occupati et nimis intenti, sicut
sus lota in volutabro luti ; vel, Foris, per II *Petr.* II, 22.
excommunicationem. *Virgines meæ et ju-*
venes mei ceciderunt in gladio diabolicæ
tentationis, et mucrone carnalitatis, *inter-*
fecti, in anima morte peccati.

Insuper ait Ecclesia seu anima : *Vocasti* 22
quasi ad diem solennem qui terrerent me,
id est, visibilium ac invisibilium hostium

multitudinem undique super me adduxi- A
sti ; *et non fuit qui effugeret.* Pauci enim
laqueos mundi, carnis, dæmonisque eva-
dunt. Imo nemo adultus est, qui non vi-
cissim mente lædatur, venialibus saltem :
Jacob. III, 2. in multis enim offendimus omnes. *Quos*
educavi et enutrivi, scilicet filios meos,
quos in fide ac moribus instruxi, pane
sacramentali refeci, consolationibus ma-
ternalibus confortavi, *inimicus meus con-*
sumpsit, id est, diabolus, ei cooperans
sæculum nequam, fomesque carnis ad pec-
cata induxit, decepit, damnationi adjecit.
De quo pia mater Ecclesia intime dolet,
quum dicat Apostolus : Quis scandaliza- II *Cor.* XI, 29.
tur, et ego non uror ?

ARTICULUS VI

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI TERTII : EGO VIR VIDENS PAUPERTATEM MEAM.

PRÆCEDENTIBUS duobus capitulis, sub B
una littera alphabeti Hebraici tres con-
tinentur versiculi. In hoc autem capitulo,
cuilibet versiculo littera certa præponitur,
et quælibet littera ter præfertur atque
repetitur. Unde et hujus capituli profun-
diores sunt sensus, et altiora mysteria. Sed
et præsens capitulum magna pro parte
etiam de Christo, sicut patebit, exponitur.

Itaque Jeremias in sua ac populi sui lo-
1 quens persona, humiliter profitetur : *Ego*
vir videns paupertatem meam, id est ino-
piam corporalem, spiritualem quoque de- C
fectuositatem, afflictionem, miseriam : erant
enim Judæi a Chaldæis spoliati. *In virga*
indignationis ejus. Si hoc ad participium,
Videns, referatur, sensus est, quod ex per-
cussione divinæ justitiæ ulciscentis, sit
inductus ad paupertatis suæ consideratio-
Is. XXVIII, 19. nem, ita quod vexatio dedit intellectum.
Porro si referatur ad nomen hoc, Pauper-
tatem, sensus est, quod ex divina per-
cussione seu ultione inflicta sit sibi sua
paupertas.

2 *Me minavit* Deus in captivitatem per D
Chaldæos, vel exercitus Chaldæorum mi-
navit me ; *et adduxit in tenebras* carce-
rum, seu adversitatum, juxta capituli præ-
cedentis principium : Quomodo obtexit
caligine, etc. ? Judæi quoque minaverunt
et in tenebrosum ergastulum deduxerunt
Jeremiam, ut patuit. *Et non in lucem* pro- *Jer.* XXXVII, 14, 15.
speritatum. *Tantum in me vertit et con-* 3
vertit manum suam, id est potestatis suæ
afflictionem, *tota die.* Nam et ante obsi-
dionem ceteris gaudentibus in Jerusalem,
solus Jeremias afflictionibus implebatur.
Tanta quoque vastitas populi Juda fuit, ut
videretur sibi aliorum calamitas nulla :
ideoque asserit se tangi manu ultionis di-
vinæ. Vel dictio, Tantum, refertur ad ma-
num : eritque sensus, quod tantummodo
afflixit, et nil consolationis adhibuit Deus
populo suo tempore oppressionis suæ a
Chaldæis. *Vetustam fecit pellem meam et* 4
carnem meam, id est, in tantum afflixit
me, quod corpus emarcuit, discoloratum
est, et antiquius videbatur quam fuit. Hoc
tam Jeremiæ quam populo certum est ac-
cidisse. *Contrivit ossa mea,* quantum ad
interfectos seu graviter cæsos, quod et Je-
remiæ evenit : unde de ipso prophetaliter
sumitur, ita quod verbis his se occiden-
dum prænuntiavit.

Ædificavit in gyro meo, id est per cir- 5
cuitum Jerusalem machinas ad urbem de-
moliendam, quemadmodum per Ezechie- *Ezech.* IV, 2, 3.
lem prædictum est ; *et circumdedit me*
felle et labore, id est acerbissima anxie-
tate, et pœnosis sudoribus, prout supra
Dominus dixit : Cibabo eos absinthio, et *Jer.* XXIII, 15.
potabo eos felle. *In tenebrosis collocavit* 6

Jer. xxxviii, 6. *me.* Jeremias enim in lacum teterrimum A
missus est, et aliqui Judæorum a Chaldæis
Ibid. xxxix, 7. sunt incarcerati, ut Sedecias; ceteri gra-
vissimis adversitatibus sunt operti. *Quasi*
mortuos sempiternos, id est sicut illos qui
in infernum descendunt, in quibus mors
culpæ atque miseriæ æternaliter perse-
7 verat. *Circumædificavit adversum me, ut*
non egrediar. Exercitus enim Chaldæorum
populum Juda infra Jerusalem machinis
Ibid. xxxvii, 11-14. suis conclusit, et quum Jeremias voluisset
exire Jerusalem, incarceraverunt eum Ju-
dæi. *Aggravavit compedem meum.* Aliqui B
enim Judæorum compedibus onerosis fue-
runt ligati, et forte Jeremias tempore suæ
8 incarcerationis exstitit compeditus. *Sed et*
quum clamavero, et rogavero Deum, ut a
Chaldæis me erueret, *exclusit orationem*
Ibid. vii, 16; xi, 14; xiv, 11. *meam.* Unde superius Dominus dixit : Noli
orare pro populo isto in bonum. Populum
quoque tempore suæ angustiæ exorantem,
Deus non exaudivit, quia sola necessitate
ac servili timore orabant, juxta illud Eze-
Ezech. vii, 25. chielis : Angustia superveniente, quærent
pacem, et non erit. C
9 *Conclusit vias meas lapidibus quadris,*
id est, ab itineratione me coarctavit firmis-
simis impedimentis; *semitas meas subver-*
tit, id est, a solitis itineribus impedivit. Nam
et Jeremias in carcere lapidibus obturato
fuit reclusus, aliqui quoque de populo.
10 *Ursus insidians factus est mihi, leo in*
abscondito, id est, tam dire ac callide per
Chaldæos me affligi permisit, sicut ab ur-
so insidiante, ac leone in antro latente
quis devastatur. Juxta quem modum in
Osee xiii, 8. Osee Dominus ait : Occurram eis quasi ur- D
sa raptis catulis, et dirumpam interiora
11 eorum, et consumam eos ut leo. *Semitas*
meas subvertit, et confregit me, urbem ac
templum destruendo, et plurimos occiden-
12 do; *posuit me desolatam. Tetendit arcum*
Thren. ii, 4. *suum.* Hoc præcedenti capitulo expositum
est. *Et posuit me quasi signum ad sagit-*
tam, id est, ita objecit me ictibus ac sagit-
tis Chaldæorum, sicut opponitur sagittanti-
bus signum, versus quod sagittas emittunt.
13 *Misit in renibus meis,* id est, corpori meo

infixit, *filias pharetræ suæ,* id est sagittas,
quæ ita procedunt a pharetra, ut proles a
matre.

Hæc omnia Deus perhibetur fecisse, quo-
niam ejus voluntate, potestate, ac inspira-
tione Chaldæi ea fecerunt.

Factus sum in derisum omni populo, 14
canticum eorum tota die. Hoc competit
Jeremiæ, qui frequenter a Judæis deride-
batur, sicut superius dixit : Omnes sub- Jer. xx, 7.
sannant me. Populus quoque Juda a Chal-
dæis ac ceteris nationibus illudebatur, et
in canticum oris illorum materialiter ver-
sus est. *Replevit me amaritudinibus, in-* 15
ebriavit me absinthio, id est, sicut quis
absinthio pœnose potatur, sic gravissimis
me implevit doloribus. *Confregit ad nu-* 16
merum dentes meos. Chaldæi quippe ex
nimia crudelitate dentes aliquorum Judæ-
orum excussisse sigillatim creduntur. *Ci-*
bavit me cinere, id est maxima humilia-
tione, seu pœnali ac insipida esca, vel
subcinericiis panibus, in quibus cineres
erant panibus mixti. *Et repulsa est anima* 17
mea, id est, a Deo non exauditur, a pro-
pinquis proximisque abjecta. Quod et Je-
remiæ contigit, quem Deus vicissim non
exaudivit, et a viris Anathoth graviter im- Ibid. xi, 19, 21.
petebatur ad mortem, ut dictum est. *Obli-*
tus sum bonorum, id est in tantum oppres-
sus adversis, ut præteritorum bonorum non
reminiscar. Magna enim occupatio mentis
circa unum, aliorum impedit attentionem.
Vel : Oblitus sum bonorum futurorum, id
est, ex pressura malorum præsentium, non
consideravi præmia electorum flagella Dei
patienter ferentium.

Et dixi : Periit finis meus, id est, re- 18
tributio mihi beata non remanet, *et spes*
mea a Domino, id est, fiduciam a Deo am-
plius non habeo. Vel : Periit finis meus, id
est, infelix terminus seu interitus mihi
instat, et spes mea a Domino, id est fidu-
cia qua a Deo ab adversariis defendi spe-
rabam. Hæc in persona infirmorum, ex
magnitudine afflictionum quasi desperan-
tium, proferuntur. Possunt quoque quo-
dammodo de Jeremia exponi, juxta expo-

Jer. xx, 14. sitionem qua ipse supra ait : Maledicta dies A
19 in qua natus sum. *Recordare,* o Domine, id
est, nunc de novo clementer auxiliando
ostende te memorem, *paupertatis et trans-
gressionis meæ,* id est excessivi seu ma-
ximi doloris; vel, Transgressionis, qua de
terra propria ad alienam profectus sive
translatus sum. Unde aliqui textus habent,
Transmigrationis. *Absinthii et fellis,* id est
angustiarum, quibus velut cibo potuque
impletus sum.
20 *Memoria memor ero,* id est, intente et
quasi continue memorabor injustitiæ meæ, B
et æquitatis ac beneficentiæ tuæ, *et tabe-
scet in me anima mea* præ confusione
atque mœrore. Hinc per Ezechielem Domi-
Ezech. xx, 43; xxiv, 23. nus ait : Displicebitis vobis in iniquitatibus
vestris, et tabescetis in eis. *Hæc recolens*
21 *in corde meo, in Deo sperabo.* Ex confes-
sione enim propriæ impietatis ac divinæ
bonitatis, oritur consolatoria spes veniæ de
peccatis; et dum peccator perpendit quod
Deus sibi concessit gratiam pœnitendi ac
satisfaciendi, confidit demum quod et in-
22 dulgentiam sit daturus. *Misericordiæ Do-* C
mini, quia non sumus consumpti, id est,
divinæ id clementiæ est, ejusque bonitati
attribuo, quod non sumus omnes occisi
penitusque deleti : secundum quod loqui-
Is. i, 9. tur Isaias, Nisi Dominus Sabaoth reliquis-
set nobis semen, quasi Sodoma fuisse-
mus. *Quia non defecerunt miserationes
ejus.* Propter quod citra condignum puni-
vit nos, et reliquias dedit non meritis no-
stris, sed propria pietate : juxta illud in
Ezech. xxxvi, 22. Ezechiele, Non propter vos ego faciam,
domus Israel, notum sit vobis, sed propter D
nomen sanctum meum. Hinc in Habacuc
Habac. iii, 2. dicitur Deo : Quum iratus fueris, miseri-
cordiæ recordaberis. Hinc in Isaia Deus
Is. xlviii, 9, 11. fatetur : Propter nomen meum longe fa-
ciam furorem meum; et propter me ego
faciam, ut non blasphemer.
23 *Novi diluculo, multa est fides tua.* Hoc
potest esse verbum Dei ad Jeremiam, seu
electam partem Judaicæ plebis, ista oran-
tem et confitentem : cujus magna exstitit
fides in Deo, quod in tantis calamitatibus
non defecit. Vel est verbum Jeremiæ ac
populi boni ad Deum. *Novi diluculo,* id
est a pueritia, vel ab infusione lucis gra-
tiæque supernæ, *multa est,* o Domine, *fi-
des,* id est fidelitas, *tua* ad tuos ministros
fideles : juxta illud in Psalmo, Fidelis Do- *Ps.* cxliv, 13.
minus in omnibus verbis suis. Et Aposto-
lus : Fidelis, inquit, Deus, qui non patietur 1 *Cor.* x, 13.
vos tentari super id quod potestis.
Pars mea Dominus, dixit anima mea : 24
id est, Deum præ universis elegit, et istud
bonum sibi sufficere reputavit, in quo est
omnium bonorum atque pulchrorum ple-
na ac infinita possessio. Hoc modo anima
ejus illi unita, est felix; ab illo aversa, est
misera. Cujus anima talis est, dicere po-
test cum Psalmista : Deus cordis mei, et *Ps.* lxxii, 26.
pars mea Deus in æternum; itemque : Do- *Ps.* xv, 5.
minus pars hereditatis meæ. Ipse nempe
est Deus gloriosus ac supersublimis, in-
commutabilis, omnipotens, adorandus, cu-
jus beatitudinis gloria est in semetipso
penitus infinita, præ cunctis in immen-
sum desiderandus, amandus, ac eligendus :
quo qui caruerit, quantumcumque in aliis
abundaverit, vere infelix est. *Propterea
exspectabo eum* spe longanimi et constan-
ti, id est, in omni eventu in ejus pietate
confidam, ejus beatificam visionem fina-
liter præstolabor, manum et gratiam ejus
longanimiter sustinebo. Siquidem Isaia te-
stante : Deus judicii Dominus; beati omnes *Is.* xxx, 18.
qui exspectant eum. Et Psalmista decan-
tat : Domine virtutum, beatus homo qui *Ps.* lxxxiii, 13.
sperat in te; et, Universi qui sustinent te, *Ps.* xxiv, 3.
non confundentur. Quidquid ergo adver-
sitatis acciderit, et quantumcumque Deus
preces nostras exaudire distulerit, facia-
mus quod in libro Proverbiorum scriptum
est : Habe fiduciam in Domino ex toto *Prov.* iii, 5.
corde tuo.
Bonus est Dominus, id est clemens, li- 25
beralis, dulcis, beneficus, *sperantibus in
eum* spe formata, quæ caritati et operibus
virtuosis conjuncta est, *animæ quærenti
illum* per rectam intentionem, diligentem
cordis custodiam, ferventem amorem. Hinc
Psalmographus : Quam bonus Israel Deus *Ps.* lxxii, 1.

Ps. CXXXIV, 3. his qui recto sunt corde! Et item: Laudate Dominum, quoniam bonus Dominus; psallite nomini ejus, quoniam suave. De quo Sap. XII, 1. in libro Sapientiæ scribitur: O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus! Denique secundum divinum Dionysium, Dei natura est bonitas, et non utique nisi pura, nisi perfecta, nisi immensa, cujus comparatione nullus bonus, Christo Marc. X, 18. dicente: Nemo bonus, nisi unus Deus. Bonus utique in semetipso; bonus ad alios, qui in toto universo nil suæ bonitatis ex-Jacob. I, 5. pers relinquit, qui Jacobo protestante, dat omnibus affluenter. Nec solum sperantibus in se, verum et ingratis ac impiis bonus Luc. VI, 35. est, quemadmodum ait Salvator: Quia ipse benignus est super ingratos et malos. Ecce enim quanta bona dat pravis, quam longanimiter eos exspectat! quam sæpe per se ipsum, per angelicum spiritum, per Scripturas, per homines spirituales, eos ad pœnitentiam invitat!

26 *Bonum,* id est virtuosum ac meritorium *est, cum silentio,* id est mentis quiete et oris custodia, *præstolari salutare Dei,* id est salvationem a Deo, ut sine murmuratione cum omni patientia salutem et gratiam ejus jugiter exspectemus. Vel, Salutare Dei, id est Christum, de quo loquitur Ja-Gen. XLIX, 18. cob: Salutare tuum exspectabo, Domine; Luc. II, 30. Simeon quoque, Viderunt oculi mei Salutare tuum. Silentium autem potissime confert ad cordis custodiam, omniumque virtutum profectum. Propter quod in Isaia Is. XXX, 15. dicitur: In silentio et spe erit fortitudo vestra.

27 *Bonum est viro,* similiter mulieri, *quum portaverit jugum* legis divinæ *ab adolescentia sua.* Maximi enim meriti est, adolescentiam Deo offerre; et juventutis florem in divino cultu expendere, Deo gratissimum exstat: quia et tunc homo est aptior mundo, et ad vanitates ac voluptates amplius inclinatus. Propter quod Salo-Eccle. XI, 10. mon asserit: Voluptas et adolescentia vana sunt. Et Psalmista ait: In quo corrigit Ps. CXVIII, 9. adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos. Sed, heu! multi stulti adolescentes conversionem differunt, dicentes se postea convertendos, nec pensantes istud Proverbiorum: Proverbium est, Ado- Prov. XXII, 6. lescens juxta viam suam, etiam quum senuerit, non recedet ab ea. Præterea, sicut nostra dicunt statuta, hoc verbo Propheta maxime consolatur nos Cartusienses, qui Ordinem pene omnes a juventute intravimus, et propter verba labiorum Dei, vias Ps. XVI, 4. imperfectis aliquando duras, proficientibus vero atque ardenter amantibus quotidie dulciores custodimus, utinam digne jugiter Deo.

Sedebit, id est, mente et corpore con- 28 quiescet, et in humilitatis imo se figet, *solitarius,* qui vere ac digne solitarius appellatur, qui cellæ ac solitudini reddit debitum suum, in solitario loco soli Deo efficaciter vacans, sincere intendens, agiliter obsequens, amorose se uniens. Quod si fecerit, deus; si omiserit, bestia est dicendus, juxta istud: Homo solus, est vel deus vel bestia, id est divinus vel bestialis. Si enim ventris ingluviem, si loquacitatem, si acediam negligentiamque admiserit, bestia reputatur, nec solitarii nomine dignus est, nec habitaculo cellæ. *Et tacebit* ab humano colloquio, non a divino, neque interno, quum ad ipsum pertineat istud Psalmistæ: Benedicam Dominum in Ps. XXXIII, 2. omni tempore, semper laus ejus in ore meo. *Quia levabit** *se super se,* id est, ad * alias *levavit* divina mentem suam extendet, divinorum contemplationi insistet, ad Deum altissimum affectuose se eriget. Hic est finis nostræ professionis, hæc studiorum nostrorum perfectio, hoc nostri laboris totiusque corporalis exercitationis præclarissimum culmen. Quo enim ab exteriori tumultu, humanoque strepitu amplius segregamur, eo ad puriorem contemplationem, stabiliorem elevationem, ferventiorem dilectionem proficisci debemus: ad quod præfata sessio ac taciturnitas eminenter disponunt. Unde et Antonius docuit: Ubicumque sederis, non cito inde te moveas. Et quantum pronitas ad loquendum impedit a profectu (juxta illud Proverbiorum: Vidi- Prov. XXIX, 20.

sti aliquem velocem ad loquendum? Stultitia magis speranda est, quam illius correctio), tantum taciturnitas ordinata confert ad proficiendum. Unde in Isaia habetur : *Is.* xxxii, 17. Erit cultus justitiæ silentium.

29 *Ponet in pulvere os suum,* id est, solo tenus se prosternet, et ex profunda humilitate terræ os imprimet veniamque accipiet. Vel, Ponet in pulvere os suum, id est, pulverem et cinerem se esse fatebitur, *Job* xlii, 6. nec superba loquetur ; in favilla quoque et cinere cum sancto Job pœnitentiam *Ps.* xliii, 25. aget. Juxta quod scriptum est : Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster ; *Eccli.* vii, 19. et iterum, Humilià valde spiritum tuum. *Ps.* lxxii, 9. Quocontra scriptum est de superbis : Posuerunt in cœlum os suum. *Si forte sit spes,* id est, si forsan mereatur exaudiri a Deo pro se ipso ac aliis : maxime enim debent solitarii pro communi Ecclesiæ bono orare, quum ore non prædicent. Itaque, Si forte sit spes, id est, si bonum speratum, præsertim felicitatem æternam, mereatur sortiri. Dicitque, Forte, ad præsumptionis exclusionem, ac liberi arbitrii monstran- *Eccle.* ix, 1. dam flexibilitatem, et quoniam certi non sumus amore dignos nos esse, aut in fine salvandos : propter quod timorati semper *Philipp.* ii, 12. esse debemus, atque cum metu ac reverentia nostram operari salutem.

30 *Dabit percutienti se maxillam,* vel per realem exhibitionem, vel secundum animi præparationem, id est, passus injuriam, ad majorem erit paratus : imo cum gaudio patietur illatam, cujus signum est, quod cædenti ac injurianti præbebit maxillam. Hoc evangelicæ perfectionis est, Christo *Matth.* v, 39. dicente : Si quis te percusserit in unam maxillam, præbe ei et alteram. Nempe quum signum virtutis sit, delectatio vi- **alias* fiens gens * in opere, qui vere perfecteque patiens fuerit, cum delectatione adversa quælibet sustinebit : tum propter honorem Dei, quem tam frequenter inhonorasse se meminit; tum ut Christo pro se passo conformetur; tum ut per præsentem tribulationem a peccatis purgetur, ad gratiam

A habilitetur, ad gloriam perducatur. Hinc ait Salvator : Gaudete in illa hora et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in *Matth.* v, 12; *Luc.* vi, 23. cœlis; Apostolus quoque ad Romanos, Glo- *Rom.* v, 3. riamur in tribulationibus. Et in prima Petri epistola habetur : Communicantes Chri- *I Petr.* iv, 13. sti passionibus, gaudete, ut in revelatione gloriæ ejus gaudeatis. *Saturabitur opprobriis,* id est, plurima sustinebit, et in ipsis quasi in epulis lætus erit. Multæ enim *Ps.* xxxiii, 20. tribulationes justorum. Et Jacobus inducit : Omne gaudium existimate, fratres mei, *Jacob.* i, 2.
B quum in diversas tentationes incideritis.

Tanta itaque erit justi, præsertim solitarii, patientia, *Quia non repellet in sem-* 31 *piternum Dominus,* id est, non perpetuo permittet eum affligi, nec preces ejus in toto abjecit, juxta illud ad Romanos : Num- *Rom.* xi, 1. quid repulit Dominus populum suum? Absit. Atque, Multæ tribulationes justorum, et *Ps.* xxxiii, 20. de omnibus his liberabit eos Dominus. *Quia si abjecit,* id est, quamvis ad tempus 32 justos reliquerit in manibus impiorum, vel exaudire distulerit, vel electis gratiam aut
C consolationem subtraxerit, *et miserebitur ejus,* ab adversitatibus eruendo, consolationem et gratiam influendo, *secundum multitudinem miserationum suarum,* quarum non est numerus neque finis. Hinc fertur in Psalmo : Numquid in æternum *Ps.* lxxvi, 8. projiciet Deus? aut non apponet ut complacitior sit adhuc? Et in Job : Ipse vul- *Job* v, 18. nerat, et medetur ; percutit, et manus ejus sanabunt. Verum hæc omnia referuntur ad tempus præsens, quo sumus in via : qua finita, ita non erit. Nam in inferno nulla
D redemptio ; et quanto major benignitas Dei in hoc mundo, tanto major est ejus severitas in futuro.

Non enim humiliavit, id est, per adver- 33 sa oppressit sive dejecit, *ex corde suo,* id est directa ac finali seu immediata intentione ; *et abjecit,* modo præfato, *filios hominum,* præsertim electos. Nam malum quod Deus suis infligit, vel infligi permittit, non est ab eo directe et per se seu finaliter intentum, sed respective, in quantum proficit ad salutem eorum et gloriam

Dei : quemadmodum medicus infligit cau- A
terium, non propter se, sed ob sanitatem.
Deus autem est medicus animarum. Hinc
Tob. III, 22. in Tobiæ libro dicitur Deo : Non delectaris
in perditionibus nostris, quia post tem-
pestatem tranquillum facis. Sic ergo ex
corde suo non humiliavit filios hominum,
34 *ut contereret sub pedibus suis,* id est, pe-
nitus conculcaret ac perderet, *omnes vin-
ctos terræ,* qui in mundo hoc corporaliter
aut spiritualiter vincti sunt atque captivi :
imo ut purgentur ac salventur, eos hic
Ezech. punit, qui per Ezechielem testatur : Nolo B
XXXIII, 11. mortem peccatoris, sed ut convertatur et
35 vivat. *Ut declinaret judicium viri,* id est,
justum judicium non faceret viro afflicto,
eum injuste vexari finaliter permittendo,
in conspectu vultus Altissimi, id est in sui
ipsius, qui summus est, præsentia seu ad-
36 spectu. *Ut perverterent hominem in judi-
cio suo,* id est, iniqui male judicarent de
aliquo, potissime de homine bono. *Domi-
nus ignoravit,* id est, nescivit scientia ap-
probationis, quia id sibi non placet, sed
Luc. XIII, 27. reprobat. De tali scientia ait Salvator : C
I Cor. XIV, 38. Nescio vos unde sitis ; et Apostolus, Qui
Ibid. VIII, 3. ignorat, ignorabitur ; itemque, Si quis di-
ligit Deum, hic cognitus est ab eo.
37 *Quis est iste qui dixit ut fieret,* id est,
qui aliqua in mundo evenire aut fieri
affirmavit, *Domino non jubente,* id est si-
ne jussione ac dispositione divina ? Hoc
dicitur contra eos qui providentiam Dei
negantes, omnia fortuitu accidere opina-
bantur : maxime, quia videbant iniquos
in vita hac prosperari, ditari, sublimari,
justos autem opprimi et affligi. De quibus D
Ps. LXXII, 11. habetur in Psalmo : Dixerunt : Quomodo
scit Deus? et, Si est scientia in Excelso ?
Ps. XCIII, 7. Et item : Dixerunt : Non videbit Dominus,
nec intelliget Deus Jacob. Rursus, quis est
38 iste qui dixit, *Ex ore Altissimi non egre-
dientur nec bona, nec mala,* id est, Deus
non feret sententiam damnationis contra
iniquos, nec præmium daturus est justis,
ita quod de hominum actibus nihil se in-
tromittet ? quasi dicat : Qui talia dicit, in-
sensatus est vehementer. Contra istum er-
rorem, supra disputatum est plenius. Quum Jer. XII, 1, 2.
ergo Deus omnium sit provisor, nihilque
in terra fiat sine causa, et Deus causas
singulorum intueatur, *Quid murmuravit* 39
homo vivens, vir pro peccatis suis? id est,
cur de afflictionibus sibi pro suis peccatis
juste inflictis, impatiens fuit, quum de
pœnis præsentibus quasi medicinis qui-
busdam gaudere deberet, et gratias agere
medico? Unde in Job inducitur : Recordare, Job IV, 7.
obsecro te, quis unquam innocens periit?
Magnum peccatum est murmuratio ista.
Propter quod ad Philippenses jubet Apo-
stolus : Omnia facite sine murmurationi- Philipp. II,
bus, ut sitis sine querela, simplices filii 14, 15.
Dei. Unde et qui contra superiorum suo-
rum murmurant disciplinam, graviter pec-
cant. Si autem versiculus iste legatur, qua-
si ex persona ejus qui providentiam Dei
negat, sensus est : Quum Deus contra ini-
quos mala non proferat, quid aliquis pro
suis peccatis se accusat, dolet, castigat ?

Denique ad vitandum omnem mur-
murationem impatientiamque in adversis,
dat Propheta saluberrimum documentum :
Scrutemur vias nostras, id est, vitam no- 40
stram discutiamus, peccata nostra pense-
mus, conscientiæ angulos evolvamus. Hoc
est quod ad Galatas scribit Apostolus :
Opus suum probet unusquisque. Insuper Galat. VI, 4.
attendamus viam qua hunc mundum in-
travimus, quam fuerit immunda et vilis ;
viam qua in mundo hoc ambulamus, quam
sit periculosa ac labilis ; viam qua mun-
dum istum exibimus, quam sit horrenda
atque pœnalis. Ita scrutatus est vias suas
Job : Verebar, inquiens, omnia opera mea ; Job IX, 28.
et item, Vias meas in conspectu ejus ar- Ibid. XIII,
guam. Hinc Aggæus monet : Ponite corda 15.
vestra super vias vestras. *Et quæramus* Agg. I, 7.
indulgentiam, *et revertamur ad Domi-
num* per veram contritionem, humilem
confessionem, satisfactionem, et cordialem
amorem.

Levemus corda nostra cum manibus ad 41
Dominum in cœlos, id est, mente ad Deum
erecta simul cum manibus, Deum prece-
mur, alis virtutum ad ipsum nos eriga-

mus, pennis contemplationis, orationis, A
devotionis, volemus ad eum, qui ubique
veraciter præsens est, et tamen in cœlo
specialiter esse ac habitare asseritur, quo-
niam ibi eminentius evidentiusque ope-
ratur, et clarius cernitur. Hunc modum
orandi docuit Christus, de quo in Joanne
Joann. XVII, 1. legitur : Sublevatis Jesus oculis in cœlum,
dixit : Pater, venit hora, clarifica Filium
tuum. Ad cœlum ergo tanquam ad patriam
oculos interiores et exteriores levemus, ut
sciamus quo desideria nostra figamus, quo
quiescamus, quo sit quem quærimus ; et B
item, ut ex cœlestium corporum intuitio-
ne, ad Creatoris reverentiam provocemur,
Is. XL, 26. juxta illud Isaiæ : Levate oculos vestros in
excelsum, et videte quis creavit hæc. Ita
Ps. CXXII, 1. se elevavit qui cecinit : Ad te levavi ocu-
los meos, qui habitas in cœlis. De eleva-
tione autem manuum ad Deum, dictum est
plenius præcedenti capitulo super istud :
Thren. II, 19. Leva ad eum manus tuas.
42 *Nos inique egimus,* legem divinam trans-
grediendo, *et ad iracundiam,* id est ju-
stam vindictam, *provocavimus* immobilem C
Deum, qui nostris peccatis provocari as-
seritur, quia eorum intuitu pœnam infli-
git. *Idcirco tu,* o Domine, *inexorabilis es,*
id est difficilis ad placandum seu igno-
scendum. Quamvis enim quacumque hora
peccator ingemuerit, veniamque petierit,
Deus omnem culpam dimittat, non tamen
quilibet gemitus aut quicumque dolor seu
quævis oratio sufficit ad indulgentiæ ade-
ptionem, sed graviora peccata cordialio-
rem gemitum, intentiorem dolorem, in-
stantiorem precem requirunt. Unde non D
quilibet dolor de peccatis, meretur dici
contritio, sed qui dignus est ac satis inten-
tus. Præterea, etsi Deus exorabilis sit ad
culpæ ignoscentiam, non tamen semper
mox pœnam dimittit, nec Judæi tempore
suæ angustiæ poterant obtinere a Deo li-
berationem a Chaldæis. Loquitur autem
Jeremias in persona populi, seque eis con-
Is. LXIV, 3 *et seq.*; *Dan.* IX, 5 *et seq.*; I *Esdr.* IX, 6 *et seq.* numerat tanquam unus eorum, quamvis
innocens fuerit, quemadmodum Isaias, Da-
niel, Esdras, in suis libris egisse leguntur.

Operuisti in furore, id est, in rigore 43
tuæ justitiæ permisisti nos impleri malis
culpæ, implestique nos malis pœnæ, *et*
percussisti per Chaldæos. *Occidisti, nec*
pepercisti. Hic locum habet una de septem
regulis intelligendi Scripturas. Occisi enim
a Chaldæis, ista locuti non sunt, nec ista
dicentes, fuerunt occisi ; sed de toto po-
pulo, quasi de uno aggregato fit sermo,
diversa autem ad diversos sunt referenda.
Estque huic simile illud in Psalmo : Quum *Ps.* LXXVII, 34.
occideret eos, quærebant eum, et diluculo
veniebant ad eum. *Opposuisti nubem tibi,* 44
id est, impedimentum exauditionis atten-
disti, et vitiorum nostrorum densam cali-
ginem considerasti, tuam quoque intuitus
es æquitatem, *ne transeat oratio,* id est, ne
oratio nostra ascendat ac penetret cœlos,
effectum a te sortiendo : juxta illud in
Psalmo, Posuisti iniquitates nostras in con- *Ps.* LXXXIX, 8.
spectu tuo. Vel, Opposuisti nubem tibi, id
est, faciem tuam seu pietatis respectum
abscondisti a nobis. *Eradicationem et ab-* 45
jectionem posuisti me, id est, de propria
terra me expulisti, contemptibilemque fe-
cisti, *in medio populorum,* scilicet Chal-
dæorum. Hæc enim in persona plebis Juda
dicuntur. *Aperuerunt super nos os suum* 46
omnes inimici, puta Chaldæi, nobis com-
minantes ac insultantes. *Formido et la-* 47
queus facta est nobis vaticinatio et contri-
tio, id est, vaticinatio Prophetarum quam
sprevimus, et contritio qua afflximus sive
occidimus eos, fuerunt causa nostræ for-
midinis et captionis : vaticinatio, inquam,
ratione nostri contemptus. Verum ut qui-
dam asserit, in Hebræo habetur, Vastatio :
et ita hic sensus est, quod quatuor mala
hæc, puta formido, laqueus, vastitas, et
contritio activa seu destructio, sint populo
huic illata.

Divisiones aquarum deduxerunt oculi 48
mei, id est, ubertim et vicibus interruptis
abundanter lacrimas effuderunt, *in con-*
tritione filiæ populi mei, id est in destru-
ctione plebis Juda, cui vehementissime
condolebam : et loquitur hoc Jeremias de
se ipso. *Oculus meus afflictus est* ex ni- 49

mio fletu, *nec tacuit,* id est, in motu la- A
crimando non quievit, *eo quod non esset*
requies : quia Chaldæi nullam requiem de-
50 derunt Judæis; *donec respiceret et videret*
Dominus de cœlo, id est, per suam mise-
ricordiam aliquam consolationem donaret.
51 *Oculus meus deprædatus est,* id est, omni
gaudio spoliavit, *animam meam in cun-*
ctis filiabus urbis meæ, id est in adspectu
desolationis populorum Jerusalem, vel pu-
ellarum ejus, aut civitatum Judææ, quarum
mater atque metropolis fuit Jerusalem.
52 *Venatione ceperunt me quasi avem ini-* B
mici mei gratis, id est sine causa justa.
Judæi enim multipliciter insecuti atque
persecuti sunt Jeremiam. Nec videtur quod
hoc posset de Sedecia ac populo ejus in-
telligi, quia non gratis capti fuerunt, imo
53 illud multipliciter meruerunt. *Lapsa est*
in lacum carceris *vita mea,* id est egomet
vivens, *et posuerunt lapidem super me,* id
54 est, carcerem fortiter concluserunt. *Inun-*
daverunt aquæ, id est abundantia tribulati-
onum seu multitudo hominum impiorum,
super caput meum. Dixi : Perii, id est, C
mortis periculo expositus sum. Unde su-
Jer. XXXVII, 19. pra Jeremias dixit ad Sedeciam : Obsecro,
ne remittas me in domum Jonathan scri-
bæ, ne moriar ibi. Vel Jeremias his verbis
occisionem suam prænuntiat : nam a Judæ-
is lapidatus describitur. De his aquis fertur
Ps. XCII, 3. in Psalmo : Elevaverunt flumina, Domine.
55 *Invocavi nomen tuum, Domine, de la-*
cu novissimo, id est de profundissima car-
ceris fovea, in quam me projecerunt Ju-
dæi. Unde capitulo tricesimo octavo dictum
Jer. XXXVIII, 6. est : Submiserunt Jeremiam in funibus in D
lacum, in quo non erat aqua, sed lutum ;
56 descenditque in cœnum. *Vocem meam au-*
Ibid. 11-13. *disti :* quia tunc, Deo ordinante, per Abde-
melech Æthiopem fuit eductus. *Ne avertas*
aurem tuam a singultu meo et clamoribus,
id est affectuosis lacrimosisque precibus,
57 quibus pro aliis oro. *Appropinquasti :* non
locum mutando aut mobiliter accedendo,
sed gratiosum te exhibendo in succurren-
do; *in die quando invocavi te.* Frequen-
ter namque Prophetam Dominus exaudi-
vit. *Dixisti : Ne timeas* mortales homines
te persequentes, et pœnas quas inferunt.
Hoc equidem supra Dominus ait : Ne ti- Jer. I, 8.
meas a facie eorum, quia ego tecum sum
ut eruam te.
Judicasti, Domine, id est, justam esse 58
monstrasti, *causam animæ meæ,* ita quod
juste me habui ad Judæos, et injuste me
accusaverunt, *redemptor vitæ meæ :* quia
de mortis periculis sæpe eripuit Jeremiam,
ut patuit. *Vidisti, Domine, iniquitatem il-* 59
lorum, videlicet Judæorum, *adversum me;*
judica judicium meum, id est, judicando
prosequere. *Vidisti omnem furorem, uni-* 60
versas cogitationes eorum adversum me.
Audisti opprobria eorum, Domine, omnes 61
cogitationes eorum adversum me ; labia 62
insurgentium mihi, et meditationes eorum
adversum me tota die. Sæpe etenim inter
se tractaverunt, quid mali inferrent Pro-
phetæ. *Sessionem eorum,* qua consulendo 63
inter se sedent, *et resurrectionem eorum,*
qua ad prosequendum consilium surgunt,
vide, qui omnia nosti. *Ego sum psalmus*
eorum, id est, de me derisorie cantant :
quemadmodum ad Ezechielem Dominus
loquitur, Quia in canticum oris sui vertunt Ezech.
istud, et factus es eis quasi carmen musi- XXXIII, 31, 32.
cum. Hæc autem loquitur Jeremias pro
tempore suæ persecutionis : imo et post
captam Jerusalem non cessaverunt scele-
rati Judæi persequi eum.
Reddes eis vicem, Domine, id est di- 64
gnam retributionem tempore præstituto,
juxta opera manuum suarum. Nam et Ju-
dæi qui Jeremiam in Ægypto afflixerunt, a
Chaldæis ibidem vastati sunt. *Dabis eis* per- 65
missive *scutum,* id est duritiam seu obsti-
nationem *cordis,* quam peccando tam gra-
viter meruerunt incidere : quæ scutum
cordis vocatur, quia non sinit sagittas di-
vini sermonis cor penetrare, et per eam
induratus, armat se contra justitiam, su-
amque impietatem defendit. Frequenter
tamen scutum cordis in bono sumit Scri-
ptura. Unde ad Ephesios scribit Aposto-
lus : In omnibus sumentes scutum fidei ; Ephes. VI, 16.
et Psalmista : Domine, ut scuto bonæ volun- Ps. V, 13.

Sap. v, 20. tatis tuæ coronasti nos; et Sapiens, Sumet A
scutum inexpugnabile æquitatem. *Laborem tuum,* id est mercedem seu pœnam
laboris quem mihi impie inflixerunt. Laborem enim et persecutionem servorum
suorum, Deus reputat suum, quemadmo-
Zach. ii, 8. dum in Zacharia testatur : Qui tetigerit
vos, tanget pupillam oculi mei; in Actibus
Act. ix, 4. quoque : Saule, Saule, quid me persequeris? Vel, Laborem tuum, quia duritiam
hominum Deus dicit suum esse laborem,
I Tim. ii, 4. eo quod omnes velit salvari, et de impie-
tatibus nostris quasi gravetur, juxta illud B
Is. i, 14. Isaiæ, Laboravi sustinens ; et Malachiæ,
Malach. ii, 17. Laborare Dominum fecistis in sermonibus
vestris. Quæ omnia idcirco dicuntur, quoniam mens divina quum sit supersanctissima, deformitatem peccati ineffabiliter
66 detestatur. *Persequeris in furore tuo,* id
est in rigore justitiæ per Chaldæos, *et conteres eos,* id est occides, *sub cœlis, Domine,* id est in terra.

Præterea quidam omnia ista ab eo loco,
Vidisti, Domine, iniquitatem illorum, expo- vers. 59.
nunt in persona populi Judæorum contra Chaldæos, ita quod populus iste ait : *Vidisti, Domine, iniquitatem illorum,* scilicet Chaldæorum, *adversum me :* quia crudeliter intentioneque impia vastaverunt Judæos. *Judica judicium meum,* illorum impietatem puniendo, et me de eorum manibus eruendo. Cetera clara sunt usque ad
id : *Ego sum psalmus eorum :* quia de ca- vers. 63-66
lamitate ac ruina Judæorum fecerunt sibi
Chaldæi cantandi materiam. *Reddes eis vicem, Domine,* vastando eos per Medos ac Persas, æternaliter quoque damnando. *Dabis eis scutum cordis :* quia in malo sunt indurati propter laborem quem intulerunt populo Dei, puta Judæis, inter quos aliqui justi fuerunt a Chaldæis oppressi et capti. *Persequeris et conteres eos.* Persæ namque et Medi demoliti sunt Babylonem, et plurimos Chaldæorum occiderunt.

ARTICULUS VII

EXPLANATIO EJUSDEM CAPITULI TERTII DE CHRISTO.

SALVATOR noster Unigenitus Dei, Deus C
et homo, ratione naturæ assumptæ de
1 se ipso fatetur : *Ego vir videns paupertatem meam,* id est naturalem meæ humanitatis defectibilitatem, scilicet corporis passibilitatem, mortalitatem, famem, sitim, acerbissimam passionem : indetrahibiles quippe defectus Christus assumpsit. Ipse
II Cor. viii, 9. quoque quum esset dives, propter nos pau-
per factus est, ut ejus inopia ditaremur :
Matth. viii, 20. propter quod ait, Filius hominis non ha-
Jer. xiv, 8. bet ubi caput reclinet. Et sicut colonus
venit in mundum. De quo loquitur Za- D
Zach. ix, 9. charias : Ipse pauper, et ascendens super
asinam. Hanc insuper suam paupertatem Christus vidit, pensavit, expertus est, *in*
Is. liii, 8. *virga indignationis ejus,* id est percussione qua Pater humano generi juste indi-
gnans, proprio Filio suo non pepercit, sed Rom. viii, 32.
pro omnibus nobis tradidit illum : secun-
dum quod Filius loquitur Patri, Quoniam Ps. lxviii, 27.
quem tu percussisti, persecuti sunt ; et
item, In me transierunt iræ tuæ. Hinc Isa- Ps. lxxxvii, 17.
ias scribit : Dominus voluit eum conterere Is. liii, 5.
in infirmitate ; ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.

Me minavit Pater permissive, et popu- 2
lus Judæorum executive, *in tenebras, et non in lucem.* Nam in nocte captus, vinctus, in Jerusalemque deductus est Christus, et in tenebras afflictionum gravissimas venit, in tenebras quoque diffamiæ.
Tantum in me vertit et convertit manum 3

suam tota die Parasceves. Tunc enim tam A
dire, ceteris gloriantibus, passus est Chri-
stus, ut comparative loquendo, quasi so-
lus pati videretur, quia tunc Deus Pater
Is. LIII, 6. posuit in eo iniquitatem omnium nostrum.
4 *Vetustam fecit pellem meam et carnem*
meam. Tanta enim Christus in vita ista
sustinuit, ut senior appareret quam fuit.
Joann. VIII, 57. Unde et Judæi ad eum : Quinquaginta, in-
quiunt, annos nondum habes. Ideo Chri-
Ps. CVIII, 24. stus in Psalmo fatetur : Genua mea infir-
mata sunt a jejunio, et caro mea immutata
est propter oleum. *Contrivit ossa mea.* Vi- B
detur huic contrarium illud evangelicum :
Joann. XIX, 33, 36. Ad Jesum quum venissent milites, ut vi-
derunt eum jam mortuum, non fregerunt
ejus crura : ut impleretur Scriptura, quæ
Exod. XII, 46. ait, Os non comminuetis ex eo. Ad quod
quidam respondent, per ossa hoc loco in-
telligendos esse Apostolos, tanquam præ
ceteris solidiores. Sed et dici nil prohibet,
ossa corporis Christi contrita, id est cæsa,
fatigata, debilitata, et læsa.
5 *Ædificavit in gyro meo,* id est, adver-
sariorum cuneo me vallavit : juxta illud in C
Ps. XXI, 13. Psalmo, Circumdederunt me vituli multi,
tauri pingues obsederunt me. Porro quanta
insidiarum ac deceptionum machinamen-
ta Judæi contra Christum construxerunt,
in Evangelio elucescit. *Et circumdedit me*
Ps. LXVIII, 22. *felle,* ad litteram : juxta istud, Dederunt
in escam meam fel. *Et labore,* quando vi-
delicet bajulans sibi crucem, adeo est las-
Matth. XXVII, 32. satus, ut Simonem quemdam angariaverint
ad portandam crucem Domini Jesu, qui lo-
Ps. LXXXVII, 16. quitur per Psalmistam, Pauper sum ego,
et in laboribus a juventute mea : de quo D
Is. LIII, 11. loquitur Isaias, Pro eo quod laboravit ani-
6 ma ejus, videbit et saturabitur. *In tene-*
brosis collocavit me quasi mortuos sempi-
ternos. Christus enim sepultus, descendit ad
inferna, ubi increduli putabant eum cum
reprobis in æternum mansurum, quemad-
Ps. LXXXVII, 5, 7. modum ait in Psalmo : Æstimatus sum
cum descendentibus in lacum ; posuerunt
me in lacu inferiori, in tenebrosis et in
umbra mortis. Nec dubium quin psalmus
ille ad litteram de Christo loquatur. Cui

enim alteri competit, quod continetur in
eo, Inter mortuos liber? *Circumædificavit* *Ps.* LXXXVII, 6.
adversum me, ut non egrediar. Hoc fuit 7
impletum, quando ut Evangelista testatur,
cohors et tribunus et ministri Judæorum *Joann.* XVIII, 12.
injecerunt manus in Jesum, et tenuerunt
ac ligaverunt eum. Ideo subditur : *Aggrava-*
vit compedem meum. Possuntque per com-
pedes intelligi clavi quibus confixi sunt
sacrosanctissimi pedes Christi, qui ait :
Traditus sum, et non egrediebar; et item, *Ps.* LXXXVII, 9.
Foderunt manus meas et pedes meos. *Ps.* XXI, 17.
Sed et quum clamavero et rogavero, ex- 8
clusit orationem meam. Quomodo id com-
petit Christo, qui ait : Gratias ago tibi, *Joann.* XI, 41, 42.
Pater, quoniam audisti me ; ego autem
sciebam quoniam semper me audis ? Et
respondendum, quod oratio est interpres
ac nuntius desiderii. In Christo autem fuit
desiderium naturalis appetitus, quo mor-
tem abhorruit. Unde et dixit : Pater, si *Luc.* XXII, 42.
vis, transfer calicem istum a me. Et quan-
tum ad hoc, tempore passionis non fuit au-
ditus, secundum quod ait in Psalmo : Deus *Ps.* XXI, 3.
meus, clamabo per diem, et non exaudies,
et nocte. Insuper fuit in Christo deside-
rium superioris intellectivique appetitus,
quo omne quod Patri placuit, acceptavit :
sicque semper fuit auditus, quando videli-
cet aliquid petiit secundum deliberatam
rationem. Imo absolute loquendo semper
est exauditus, quia inferior ejus appetitus
superiori ac rationi fuit plene subjectus :
quamvis tempore passionis, propter mul-
tiplices causas, loquebatur orando secun-
dum dispositionem et affectionem in qua
erat quantum ad inferiorem sensitivum-
que appetitum secundum se consideratum.
Juxta quem modum etiam supra locutus
est Jeremias : Maledicta dies in qua natus *Jer.* XX, 14.
sum ; et sanctus Job, Pereat dies in qua *Job* III, 3.
natus sum.
Conclusit vias meas lapidibus quadris : 9
quando videlicet tenuerunt Christum inter *Joann.* XVIII, 12, 13;
se captum in domibus Annæ et Caiphæ, et *Matth.* XXVI, 57.
quando tam variis viis quærebant appre- *Matth.* XXI,
hendere eum. *Semitas meas subvertit.* Nam 46; XXVI, 4;
opera Christi accusabant, et pessime inter- *Joann.* XI, 53, 56.

pretati sunt ea. Materialem quoque semi- A
tam Christi populus Judæorum subvertit,
Joann. xi, 54. quando Jesus propter eos jam non in pa-
lam ambulabat, et quando fixerunt eum in
10 ligno. *Ursus insidians factus est mihi,* po-
pulus Judæorum, etc.; *leo in abscondito*
factus est mihi per similitudinem. Variis
nempe astutiis nisi sunt apprehendere, te-
Matth. xxvi, 3, 4. nere, occidere Christum, juxta illud : Con-
gregati sunt principes sacerdotum et seni-
ores, et consilium fecerunt, ut Jesum dolo
Ibid. vii, xv, xxii, xxiii; Luc. xii, xiii. tenerent et occiderent. Hinc frequenter vo-
cavit eos hypocritas. Et in Psalmo fatetur: B
Ps. xxi, 14. Aperuerunt super me os suum, sicut leo
12 rapiens et rugiens. *Tetendit arcum suum,*
id est insidiarum artificium, juxta quod
Ps. lxiii, 4-6. scriptum est : Exacuerunt ut gladium lin-
guas suas, intenderunt arcum rem ama-
ram, ut sagittent in occultis immaculatum;
subito sagittabunt eum, et non timebunt.
Hoc est quod subditur : *et posuit me quasi*
signum ad sagittam.
14 *Factus sum in derisum omni populo,*
canticum eorum tota die. Consonat istud
Ps. xxi, 8. in Psalmo : Omnes videntes me, derise- C
runt me, locuti sunt labiis, et moverunt
Matth. xxvii, 39, 40. caput; illud quoque in Evangelio : Præ-
tereuntes autem blasphemabant eum, mo-
ventes capita sua, et dicentes : Vah ! qui
15 destruis templum Dei, etc. *Replevit me*
amaritudinibus. Tota enim humana Chri-
sti natura in doloribus fuit. *Inebriavit me*
Joann. xix, 28, 29. *absinthio.* Quum enim Jesus dixisset, Sitio,
obtulerunt ei vas plenum aceto. Tamen
hoc loco per absinthium, excessivus dolor
16 Christo illatus exprimitur. *Confregit ad*
numerum dentes meos : id est, graviter eos D
læserunt et concusserunt, quando scele-
Matth. xxvi, 67; xxvii, 30; Joann. xviii, 22. ratissimis manibus os ejus serenissimum
violentissime percusserunt. *Et repulsa est*
anima mea, id est, ego a notis meis reli-
17 ctus sum : juxta illud in Psalmo, Longe
Ps. lxxxvii, 9. fecisti notos meos a me, posuerunt me
abominationem sibi. Christus quoque vi-
debatur a Deo relinqui, sicut testatur :
Ps. xxi, 2; Matth. xxvii, 46. Quare me dereliquisti ? Et Isaias dicit : Nos
reputavimus eum quasi leprosum, et per-
Is. liii, 4. cussum a Deo, et humiliatum. *Oblitus sum*
bonorum, id est, consueta redundantia con-
solationis a superiori parte animæ meæ
in vires ejus inferiores, tempore passio-
nis privatus sum. Interdum quippe dici-
tur quis aliquid oblivisci, dum istud non
sentit.

Et dixi : Periit finis meus, et spes mea 18
a Domino. Difficile quidem apparet, quo-
modo istud Christo conveniat, cujus finis
beatissimus fuit, nec spe sua frustratus
est. Aliqui ergo dicunt, istud secundum
aliquorum æstimationem prolatum. Verum-
tamen in Isaia Christus aliquid huic simi-
le ait : Ego dixi : In vacuum laboravi, sine Is. xlix, 4.
causa et vane fortitudinem meam consum-
psi. Hoc enim idcirco disseruit Christus,
quoniam prædicationibus et ceteris suis
laboribus in conversione Judæorum pa-
rum profecit : sicque vane et sine causa
fortitudinem suam in passione consum-
psit, in quantum finem ob quem venit in
mundum, specialiterque ad Judæos, in eis
adeptus non est, puta salutem eorum. Si-
mili sensu nunc ait : Periit finis meus, id
est, salus a me intenta, propter quam ve-
ni, in plurimis locum non habet, ita quod
passio mea in eis non fructificavit, sed
quasi perdita fuit; et spes mea, id est, ex-
spectatio qua Judæorum conversionem ex-
spectavi, effectum sortita non est. Unde in
Isaia loquitur Christus : Et nunc hæc dicit Ibid. 5.
Dominus, formans me ex utero servum
sibi, ut reducam Jacob ad eum, et Israel
non congregabitur. Quibus verbis excæ-
catio Judæorum in Christi adventu aper-
tissime prænuntiata ostenditur. *Recordare* 19
paupertatis et transgressionis meæ, id est
excessivi doloris, et *absinthii et fellis.* Ec-
ce Christus advocatus noster, ostendens
Patri latus et vulnera, commemorat coram
eo quanta pro nobis fecit atque perpessus
est, oratque Patrem ut ista perpendat, et
merito horum nobis auxiliari dignetur.
Hinc ad Hebræos habetur : In ipsum cœ- Hebr. ix, 24.
lum Jesus introiit, ut appareat nunc vultui
Dei pro nobis. Nec dubium quin Christus
in cruce confixus, hæc dixerit mente. *Me-* 20
moria memor ero, et tabescet in me anima

mea. Memor fuit Christus omnium mise-
riarum nostrarum in tantum, quod com-
passione pia contabuit, quod se ipsum pro
nobis dedit in mortem.
24 *Pars mea Dominus, dixit anima mea.*
Hoc anima Christi potissime dicere potuit,
imo et dixit, quanto præ ceteris Deo assu-
mentique Verbo immediatius, immobilius,
affectuosius, feliciusque adhæsit. *Propter-*
ea exspectabo eum. Quamvis in Christo
non fuit spes proprie sumpta, cujus obje-
ctum est beatitudo essentialis nondum ad-
epta, fuit tamen in eo exspectatio præmii
Joann. XVII, 5. accidentalis. Unde oravit : Pater, clarifica
me apud te ipsum.
28 *Sedebit solitarius et tacebit.* Hoc fecit et
Christus, de quo refert Evangelista, quod
Matth. XIV, 23. ascendit in montem solus orare. Denique
Marc. I, 13. quadraginta diebus exstitit in deserto, erat-
que cum bestiis, et angeli ministrabant
ei, ut dicit Marcus. *Quia levavit se super*
se. Nam secundum naturam assumptam
levavit se Christus super se, per indesi-
nentem fruitivam seu beatificam Divinita-
tis visionem, in qua a primo incarnationis
instanti, æque perfecte fuit ac perstitit.
29 *Ponet in pulvere os suum.* Nam prostratus
Matth. XXVI, 39. in faciem, passione instante, oravit. Humi-
Philipp. II, 8. liavit quoque se ipsum, factus obediens
usque ad mortem. *Si forte sit spes,* quod
Matth. XXVI, 39. transeat calix ab eo : quod absolute non
voluit, sed modo jam tacto.
30 *Dabit percutienti se maxillam :* juxta
Is. L, 6. illud Isaiæ : Corpus meum dedi percutien-
tibus, et genas meas vellentibus; faciem
meam non averti ab increpantibus et con-
spuentibus in me. Nec obstat quod mini-
stro impietatis alapam danti responderit,
Joann. XVIII, 23. Quid me cædis? Nisi enim voluisset, ab
illo percussus non esset : ideo maxillam
exhibuit. Denique eadem nocte non unam
dumtaxat alapam patientissime tacitus tu-
lit, nec unam solum maxillam percutien-
tibus præbuit, sed utique ambas, in quibus
et plurimas suscepit tunc alapas, quemad-
Luc. XXII, 63, 64. modum Lucas asserit : Viri qui tenebant
illum, illudebant ei, cædentes ; et vela-
verunt eum, et percutiebant faciem ejus.

A Quod evangelista Matthæus describens : Co- Matth. XXVI, 67.
laphis, inquit, eum ceciderunt, alii autem
palmas in faciem ejus dederunt. Hoc et
Sibylla prædixit : Dabunt Deo alapas ma-
nibus incestis. *Saturabitur opprobriis.* Nam
ea cum gaudio abundanter sustinuit, juxta
illud in Psalmo : Quoniam propter te sus- Ps. LXVIII, 8.
tinui opprobrium ; et rursus, Ego autem Ps. XXI, 7.
sum vermis, et non homo, opprobrium ho-
minum, et abjectio plebis. Hinc Job in typo
Christi fatetur : Aperuerunt super me ora Job XVI, 11.
sua exprobrantes ; percusserunt maxillam
B meam, satiati sunt pœnis meis. — *Eradi-* 45
cationem et abjectionem posuisti me. De
hoc Lucas testatur, quod ejecerunt Jesum Luc. IV, 29.
extra civitatem, et duxerunt ad superci-
lium montis, ut præcipitarent eum. Sed et
extra civitatem Jerusalem passus est Do- Hebr. XIII, 12.
minus.
Aperuerunt super nos os suum omnes 46
inimici nostri, id est Romani, ita ut ista
sit vox populi Judæorum, propter peccata
in Christum commissa vastati. *Formido et* 47
laqueus facta est nobis vaticinatio et con-
C *tritio :* id est, quia vaticiniis de Christo
prædictis, et ab ore Christi prolatis, qui
nostram ruinam nobis frequenter denun-
tiavit, non credidimus, et insuper Chri-
stum occidendo contrivimus; ideo timo-
rem ac laqueum incidimus Romanorum.
Divisiones aquarum deduxerunt oculi 48
mei in contritione filiæ populi mei, id est
Judaicæ plebis, cujus destructioni ac dam-
nationi Christus (ut dictum est) lacrimose
compassus est, dicens : Jerusalem, Jerusa- Matth. XXIII, 37.
lem, quoties volui congregare filios tuos,
D et noluisti? *Oculus meus afflictus est, nec* 49
tacuit : frequenter enim Christus mundi
peccata deflevit; *eo quod non esset requies*
generi humano : nam ante Christi passio-
nem nemo ad quietem patriæ potuit per-
venire; *donec respiceret Dominus de cœlo,* 50
id est, Deus Pater seu Trinitas per meam
passionem hominibus propitiaretur, ac re-
quiem patriæ largiretur. *Oculus meus de-* 51
prædatus est animam meam, gaudio quo-
dam, *in cunctis filiabus,* id est animabus
seu congregationibus, *urbis meæ,* id est

Synagogæ, seu totius mundi hujus, qui in A
Apoc. xiv, 8; xi, 8. Scripturis Babylon, Ægyptus, ac Sodoma
nuncupatur; vel, Urbis meæ, id est Jerusa-
Luc. xix, 41. lem, quam videns Jesus, flevit super eam.
Judæorum quoque incredulitatem, duriti-
am, ingratitudinemque conspiciens, non
mediocriter tristabatur, juxta illud Mar-
Marc. iii, 5. ci : Contristatus est super cæcitate cordis
Ps. xxxiv, 14. eorum. Et Christus in Psalmo : Quasi lu-
gens (ait) et contristatus, sic humiliabar; et
Ps. lxviii, 30. denuo, Ego sum pauper et dolens. Postre-
mo, omnium hominum calamitati condoluit
et sæpe gentibus verbum Dei prædicavit, B
sicut Evangelium protestatur.
52 *Venatione ceperunt me quasi avem inimi-*
ci mei gratis. Quemadmodum enim vena-
tores artificiose ac insidiose capiunt feras
ac volucres, sic Judæi variis artificiis atque
insidiis usi sunt in procurando captionem
occisionemque Christi sine rationabili cau-
Ps. cviii, 3. sa. Propter quod ait in Psalmo : Locuti
sunt adversum me lingua dolosa, et expu-
gnaverunt me gratis ; apud Joannem quo-
Joann. xv, 24, 25. que, Nunc autem et viderunt, et oderunt
53 et me et Patrem meum gratis. *Lapsa est* C
in lacum, id est in corporalem interitum
seu passionis torcular, *vita mea* corporea
Ps. xxxiv, 7. sensitiva. Unde in Psalmo fatetur : Quo-
niam gratis absconderunt mihi interitum
laquei sui. *Et posuerunt lapidem super*
Matth. xxvii, 66. *me.* Signaverunt enim Judæi increduli la-
pidem corpori Christi sepulto superposi-
54 tum, adhibentes custodiam militum. *Inun-*
daverunt aquæ super caput meum. Dixi :
Perii, id est, mortem subivi. Hoc totum
est, quod per Psalmistam prædixit Salva-
Ps. lxviii, 2, 3. tor : Salvum me fac, Deus, quoniam in- D
traverunt aquæ usque ad animam meam ;
infixus sum in limo profundi, et non est
substantia ; veni in altitudinem maris, et
tempestas demersit me. Aquæ istæ fuerunt
abundantia afflictionum Christi, et Judæ-
orum persequentium eum.
55 *Invocavi nomen tuum, Domine* Pater,
seu trine simplexque Deus, *de lacu novis-*
simo, id est de extrema mea angustia, vi-
Ps. xxi, 2; Matth. xxvii, 46. delicet morte jam imminente. Siquidem
Christus in cruce oravit : Deus meus, re-
spice in me, quare me dereliquisti? *Vocem* 56
meam audisti, etiam illam qua dixi : Pa- Luc. xxiii,
ter, ignosce illis. Siquidem merito precis 34.
illius quidam illorum qui mortem Christi
procuraverunt, ad misericordiam perve-
nerunt, de quibus et ante passionem dis-
seruit : Quum exaltaveritis Filium homi- Joann. viii,
nis, tunc cognoscetis quia ego sum. *Ne* 28.
avertas aurem tuam a singultu meo et
clamoribus. In hoc quoque exauditus est
Christus, dicente Apostolo ad Hebræos :
Jesus cum clamore valido et lacrimis pre- Hebr. v, 7.
ces offerens, exauditus est pro sua re-
verentia.
Appropinquasti in die quando invocavi 57
te, puta in die Cœnæ. *Dixisti : Ne timeas.*
Nempe ut in Luca conscriptum est, Jesus Luc. xxii,
positis genibus oravit : Pater, si vis, trans- 41-44.
fer calicem istum a me. Apparuit autem
illi angelus de cœlo, confortans eum. Et
factus in agonia, prolixius orabat; et fa-
ctus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis
decurrentis in terram. Et tunc Deus ani-
mam Christi sic roboravit, ut non solum
sine omni timore, sed insuper cum summo
fervore atque promptissimo corde adver-
sariis suis occurreret, dicens Apostolis :
Ecce appropinquavit hora, et Filius homi- Matth.
nis tradetur in manus peccatorum. Sur- xxvi, 45, 46.
gite, eamus ; ecce appropinquat qui me
tradet. Tunc utique Deus allocutione in-
terna dixit animæ Christi, ne secundum
naturalem appetitum timeret ; moxque
amor naturalis, qui tamen inordinatus non
fuit, nec proprie passio, sed magis pro-
passio, quia ex prædeliberata ratione spon-
te ac potestative assumptus, cessavit, atque
imperterrito animo inimicis suis obvius
est profectus, secundum istud Joannis :
Jesus omnia sciens quæ ventura erant su- Joann. xviii,
per eum, processit et ait : Quem quæritis? 4.
Judicasti, Domine, causam animæ meæ, 58
eam approbando ac præmiando. Ab omni-
bus quippe quæ obtenebrati et inquinati
Judæi Christo objecerunt, novit ac habuit
eum Pater immunem, censuitque eum si-
ne propria culpa ob mundi salutem, id est
ex caritate et obedientia, mortem sponte

subisse. Pro hoc judicio causæ suæ Christus in Psalmo precatus est : Domine, quando respicies? Restitue animam meam a malignitate eorum; exsurge et intende judicio meo, Deus meus et Dominus meus, in causam meam. *Redemptor vitæ meæ.* Nam tertia die ad corporalem vitam reductus, et vere a Patre resuscitatus est Christus : quem et ante passionem vicissim de manu eripuit Judæorum, eum nunc præcipitare, nunc lapidare, nunc captivare

Ps. xxxiv, 17, 23.

59 volentium. *Vidisti, Domine, iniquitatem illorum adversum me,* quod scilicet ex invidia persecuti sunt me, eo quod eorum peccata arguerim ; *judica judicium meum,* sententiando pro me, quod ego per passionis humilitatem exalter per corporis glorificationem, ipsi vero superbia sua atque invidia dejiciantur.

60 *Vidisti omnem furorem, universas cogitationes eorum adversum me.* Nonne furebant quum dicerent, Sanguis ejus super nos et super filios nostros?

Matth. xxvii, 25.

61 *Audisti opprobria eorum, Domine,* quibus me coram præside accusabant, dicendo : Hunc invenimus subvertentem gentem nostram; et, Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Sed et ante passionem : Homo vorax, potator vini, amicus peccatorum ; Insanit, dæmonium habet ; In principe dæmoniorum ejicit dæmones. *Labia insurgentium,* scilicet testium iniquorum,

Luc. xxiii, 2. Joann. xviii, 30. Matth. xi, 19. Joann. x, 20. Matth. ix, 34.

62 dicentium : Hic dixit : Possum destruere templum Dei. *Et meditationes eorum adversum me tota die,* quando dicebant : Morte turpissima condemnemus eum.

Ibid. xxvi, 61. Sap. ii, 20.

63 *Sessionem eorum,* quando collegerunt pontifices et Pharisæi concilium adversus Jesum, et dicebant : Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Ab illo ergo die cogitaverunt interficere eum. *Et resurrectionem eorum vide :* quia ut Lucas testatur, Surgens omnis multitudo eorum, vinctum Jesum duxerunt ad Pilatum. *Ego sum psalmus eorum.* Hoc est quod de Christo prædictum est : Factus sum illis in parabolam, et in me psallebant qui bibebant vinum.

Joann. xi, 47, 48, 53. Luc. xxiii, 1. Ps. lxviii, 12, 13.

Reddes eis vicem, Domine, juxta opera manuum suarum. Judæi enim propter opera sua nefaria in Christum commissa, de terra sua expulsi sunt, et usque in præsens captivi tenentur, in anima excæcantur, et pereunt in æternum. 64

Dabis eis scutum, id est duritiam *cordis,* ut præcedenti articulo clarius dictum est, *laborem tuum,* id est propter laborem quem tibi tempore passionis intulerunt : juxta illud, Obscurentur oculi eorum ne videant. Denique merito hujus laboris dedit Christus electis Judæis etiam ejus mortem procurantibus, bonum cordis scutum, videlicet gratiam conversionis ac fidem. Nam tanta exstitit virtus dominicæ passionis, ut per eam et ipsi qui hanc inferebant, possent salvari. De hoc autem demum labore potest exponi illud Isaiæ in Christi persona : Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. 65

Ibid. 24. Is. xliii, 24.

Persequeris eos in furore tuo, per Romanos : quod et in Psalmo præscriptum est, Effunde super eos iram tuam, et furor iræ tuæ comprehendat eos. *Et conteres eos sub cœlis, Domine.* Pervenit namque (teste Apostolo) ira Dei super illos usque in finem. 66

Ps. lxviii, 25. I Thess. ii, 16.

ARTICULUS VIII

EXPLANATIO EJUSDEM CAPITULI TERTII DE ECCLESIA ET ANIMA CHRISTIFIDELI.

ECCLESIA, quæ femineo genere Christi sponsa, uxor ac mulier appellatur (juxta illud in Apocalypsi : Venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se; et, Signum magnum apparuit in cœlo, Mulier amicta sole), ipsa etiam vir vocatur ob cordis vigorem, animi stabilitatem, virtutum virorem; et masculino genere dicitur populus Dei. Simili modo anima, secundum quod spiritus rationalis ac virtuosus, vir poterit dici. (Apoc. XIX, 7.) (Ibid. XII, 1.)

Ecclesia itaque seu anima christiana, omnem suam defectuositatem, culpam, afflictionem, miseriamque considerans, ait :
1 *Ego vir videns paupertatem meam.* Et hoc semper dicere debemus, nostras intuendo ærumnas, ne tumore superbiæ erigamur, dicaturque nobis illud Apocalypsis : Quomodo dicis, Quia dives sum, et nescis quia tu es miser et miserabilis, pauper, cæcus, et nudus? Itaque tanquam pauperes et mendici, Patri dicamus : Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; et item, Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me, quoniam inops et pauper sum ego. *In virga indignationis ejus.* Per virgam interdum significatur lex evangelica seu divina, ut ibi, Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion; interdum, auctoritas judiciaria seu dignitas regia, ut ibi, Virga directionis virga regni tui; interdum, paterna correctio, ut ibi, Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt; interdum, seriosa instructio sive correptio, sicut de Christo Isaias prædixit, Percutiet terram virga oris sui; interdum, districta ultio seu extrema damnatio, quæ est virga furoris. (Ibid. III, 17.) (Luc. XI, 3.) (Ps. LXXXV, 1.) (Ps. CIX, 2.) (Ps. XLIV, 7.) (Ps. XXII, 4.) (Is. XI, 4.)

2 *Me minavit, et adduxit in tenebras* ignorantiæ et peccati, tribulationum ac tentationum. Unde orat Psalmista : Deus meus, illumina tenebras meas. Jam invisibiles hostes in tenebras vitiorum, errorum, ignorantiarum duxerunt Ecclesiam seu animam lapsam, et vitiis nostris meremur ita a Deo relinqui. Præterea, quando martyres sancti incarcerabantur et multipliciter vexabantur, potuit ista proferre Ecclesia, sicut et versum sequentem : *Tantum in me* 3
vertit et convertit manum suam tota die. Omnes enim qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patiuntur. Unde per quotidiana flagella Deus electos exercet, probat, purgat et perficit, juxta illud Sapientiæ : Tanquam aurum in fornace probavit illos. Et in Judith habetur : Omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. Neque enim vitia sine labore ac quotidiano prælio superantur. *Vetustam fecit pellem meam et* 4
carnem meam; contrivit ossa mea. Hoc dicunt, qui per abstinentiam macerantur, vel carcerum squalore afflicti sunt, aut aliis modis propter justitiam passi sunt multa. Vetustate quoque peccati totum corpus nostrum, cooperante diabolo et ejus ministris, squalificatur, quando exhibemus membra nostra arma iniquitatis peccato. Tunc et ossa animæ seu virtutes conteruntur seu destruuntur : propter quod monet Apostolus exuere veterem hominem cum actibus suis, et induere novum. (Ps. XVII, 29.) (II Tim. III, 12.) (Sap. III, 6.) (Judith VIII, 23.) (Rom. VI, 13.) (Ephes. IV, 22, 24.)

Ædificavit in gyro meo : id est, invisibiles hostes ex omni parte occasiones peccandi et laqueos fraudum suarum construunt contra Ecclesiam animamque fidelem, visibiles autem hostes materialibus machinis frequenter obsident eas. *Et circumdedit me felle et labore :* quia ad amaritudines et difficultates quamplurimas 5

6 perducunt Ecclesiam seu animam. *In te-*
nebrosis, id est abundantia adversitatum,
seu vitiosis habitibus, vel densis errori-
bus, *collocavit me :* sicut et pœnitens pro-
Ps. CXLII, 3. fitetur, Collocavit me in obscuris sicut
7 mortuos sæculi. *Circumædificavit adver-*
sum me, ut non egrediar de vitiis ad virtu-
tes, de via ad patriam, de loco et consortio
periculoso : tales quippe salubres egressus
molitur impedire diabolus, et qui ex parte
ipsius sunt. *Aggravavit compedem meum,*
vinculis impietatum me quotidie gravius
implicando, per quod gressus mentis ad
Deum magis ac magis retardatur, ipsaque
anima amplius ad infima inclinatur. Est
autem non solum compes culpæ, sed etiam
pœnæ, imo et gratiæ. Unde ait Scriptura :
Eccli. VI, 25. Mitte pedem tuum in compedes sapientiæ.
8 *Sed et quum clamavero et rogavero, ex-*
Joann. IX, 31. *clusit orationem meam.* Peccatores enim
in affectu peccandi manentes, Deus non
audit; nec justos semper audit ad votum,
neque tam cito ut cupiunt.
9 *Conclusit vias meas lapidibus quadris,* id
est fortissimis impedimentis salutis, quibus
diabolus multos a conversione ac pœniten-
tia retrahit, nunc prospera, nunc adversa
objiciens. Lapides hic peccata significant;
et lapides quadri, dici possunt vitia pallia-
ta, seu magistraliter et cum quadam habi-
litate peracta. *Semitas meas subvertit,* id
est, opera virtuosa abstulit, vel infecit per
vanam gloriam aut aliam culpam super-
10 venientem. *Ursus insidians factus est mi-*
hi, leo in abscondito. Unde de diabolo seu
quolibet persecutore, seductoreque animæ
Ps. X, 9, sec. Hebr. scriptum est : Insidiatur quasi leo in spe-
lunca sua. Et sicut leo ac ursus dilaniant
11 corpora, sic animas dæmones. *Confregit*
me, ab integritate virtutum atque constan-
tia mentis. Quocontra Apostolus scribit :
I Thess. V, 23. Integer spiritus vester servetur, ne scilicet
cor nostrum divisum sit, sed totum ad
12 Deum conversum. *Tetendit arcum suum,*
id est nocendi astutias, *et posuit me quasi*
signum ad sagittam. Jaculis enim tenta-
tionum nititur dæmon perfodere omnem
13 fidelem. *Misit in renibus meis filias pha-*

A *retræ suæ.* Hoc dicunt carnalium concu-
piscentiarum sagittis sauciati. De quibus
jaculis ad Ephesios scriptum est : Assumite Ephes. VI,
scutum fidei, in quo possitis omnia tela 16.
nequissimi ignea exstinguere.
Factus sum in derisum omni populo. 14
Deridetur enim justi simplicitas, et fre- Job XII, 4.
quenter permittit Deus electos tot adver-
sitatibus occupari, ut ab omnibus con-
temnantur. In primitiva quoque Ecclesia
Christiani ab omnibus perfidis derideban-
tur. *Cibavit me cinere :* quo actus pœni- 16
B tentiæ designantur. *Et repulsa est anima* 17
mea, a Deo ad tempus, vel a consolatione,
seu notis, propinquis, amicis. *Oblitus sum*
bonorum. Frequenter fideles tot afflictioni-
bus aggravantur, ut pristinas prosperitates
consolationesque Dei tradant oblivioni, sive
non recolant. Verum rationem semper se-
quamur, et per sapientiam nos in omnibus
dirigamus, ut impleamus quod in Eccle-
siastico scriptum est : In die bonorum, ne Eccli. XI,
immemor sis malorum; et in die malorum, 27.
ne immemor sis bonorum : ut nec prospe-
C ris extollamur aut resolvamur, neque ad-
versis opprimamur aut constringamur, sed
regio gradiamur itinere : quia non contri- Prov. XII,
stabit justum quidquid ei acciderit, et per- 21.
fectus in prosperis magis metuit quam
adversis.
Et dixi : Periit finis meus. Interdum 18
fideles tot concutiuntur adversis, ut se a
Deo relictos ac perituros existiment, sicque
finem seu futuram felicitatem, quam olim
meruerunt, vel sibi a Christo recuperatam
atque paratam noverunt, metuant sibi non
D dandam; sed talis pusillanimitas ac formi-
do est refrenanda, et reminiscendum quod
tempore adversitatis ac tribulationis Deus
potissime paratus sit subvenire. *Recordare* 19
paupertatis meæ, o Christe, et merito tuæ
quam pro me assumpsisti paupertatis, me
spiritualibus imple divitiis.
Memoria memor ero omnium beneficio- 20
rum tuorum, o Christe, et quanta pro me
liberando fecisti ac passus es; ingratitudi-
nis quoque et negligentiæ meæ non desi-
nam reminisci : ut per memoriam tuorum

bonorum, tuo accendar amore, et studeam A
te sectari; per memoriam vero malorum
meorum, ad contritionem et actus pœni-
tentiales inducar, ac de cetero cautior red-
dar. *Et tabescet in me anima mea,* zelo
tui amoris, et pudore meæ transgressionis.
21 *Hæc recolens in corde meo, in Deo sperabo.*
Qui enim caritatem, pietatem, ac beneficia
Dei circa nos rite perpendit, desperare non
potest, sed corde pleno cum filiali atque
22 immobili Deum accedit fiducia. *Misericor-*
diæ Domini, quia non sumus consumpti.
Ephes. II, 3. Quum enim natura filii iræ fuerimus, sola B
Dei pietate et gratia ab æterna sumus dam-
natione erepti, a morte peccati salvati, ad
æternam beatitudinem revocati. Hinc ait
Rom. X, 8, 9. Apostolus : Commendat caritatem suam in
nobis Deus, quoniam quum adhuc peccato-
res essemus, Christus pro nobis mortuus
est. Denique misericordiæ Dei est, quod ve-
nimus ad Baptismum : sed et post Bapti-
smum tam sæpe offendimus, quod prorsus
immensæ clementiæ est Dei, quod adhuc
in hac vita subsistimus, quod in infer-
num projecti non sumus, quod aliquid C
gratiæ et virtutum habemus. Ideo cum
Ps. XCIII, 17. Psalmista grata mente cantemus : Nisi quia
Dominus adjuvit me, paulo minus habitas-
set in inferno anima mea; et item cum
Is LXIII, 7. Isaia : Miserationum Domini recordabor,
laudem Domini super omnibus quæ red-
didit nobis, et quæ largitus est nobis se-
cundum indulgentiam suam. Præterea mi-
sericordiæ Dei fuit, quod Ecclesia inter
persecutores consumpta non fuit, imo tunc
Ps. LXXXVIII, 2. amplius crevit. Itaque misericordias Do-
mini in æternum cantemus. D
23 *Novi diluculo, multa est fides tua.* Ma-
xima enim fuit fides Ecclesiæ. Unde et
centurionis, typum Ecclesiæ præferentis,
Matth. VIII, 10. miratus est fidem Salvator, qui etiam mu-
lieri Syrophœnissæ, id est de Syria Phœni-
ciæ, Ecclesiam repræsentanti, locutus est :
Ibid. XV, 28. O mulier, magna est fides tua. *Pars mea*
24 *Dominus, dixit anima mea.* Ita igitur pars
nostra sit summum, immensum ac inva-
riabile illud bonum, nec ei quidquam cre-
atum ac vanum præferre quis audeat.

Eradicationem et abjectionem posuisti 45
me in medio populorum. Hoc in principio
suo Ecclesia dicere potuit, quando omnis *Joann.* XV[I],
qui occidit Christianum, arbitrabatur ob- 2.
sequium se præstare Deo. Quod et quilibet
justus multipliciter afflictus, spretus, fu-
gatus, dicere potest. *Formido et laqueus* 47
facta est nobis vaticinatio et contritio. Sic
plurimis causa æternæ formidinis et la-
queus damnationis erit et est vaticinatio, id
est sermocinatio quam audierunt, et con-
tritio, qua sermocinantes non obediendo
aut persequendo afflixerunt. Scienti enim *Jacob.* I[V],
bonum et non facienti, peccatum est illi. 17.
Et prædicatoribus loquitur Christus : Qui *Luc.* X, 1[6].
vos audit, me audit; et qui vos spernit, me
spernit. *Oculus meus afflictus est, eo quod* 49
non esset requies. Ita Ecclesia filiorum suo-
rum deplangit peccata, inquietudinem, va-
stitatem, *donec* respiciat *Dominus de cœlo,* 50
eam consolando, illisque succurrendo. Sic
et anima suas debet flere miserias atque
pericula, nec cessare donec benedicatur a *Gen.* XXX[II],
Domino. *Oculus meus deprædatus est ani-* 26. 51
mam meam omni solatio, *in cunctis filia-*
bus urbis meæ, id est intuendo calamitates
et culpas congregationum populi christia-
ni, qui est civitas et Ecclesia Dei. Videat
quoque sibi omnis Christianus, ne oculus
suus deprædetur animam suam omni vir-
tute et gratia Spiritus Sancti in adspicien-
do filias sui quo fuerit loci : imo pactum *Job* XXXI, [1].
ineat cum oculis suis, ne saltem cogitet de
virgine vel puella. Nempe qui viderit mu- *Matth.* [V],
lierem ad concupiscendum eam, jam mœ- 28.
chatus est eam in corde suo.
Venatione ceperunt me inimici mei gra- 52
tis. Hoc Ecclesia seu anima a visibilibus
vel invisibilibus hostibus injuste afflicta,
tentata, dejecta, dicere potest. *Lapsa est in* 53
lacum, id est foveam culpæ seu deceptio-
nem hostilem, *vita mea, et posuerunt lapi-*
dem, id est pravam consuetudinem, *super*
me. Quum enim diabolus dejecerit quem-
piam in lutum ac sordes peccati, summe
conatur ad consuetudinem vitiosam indu-
cere, quæ instar saxi deprimat animam in
profundum. *Inundaverunt aquæ super ca-* 54

put meum. Quomodo istud et plurima quæ A
sequuntur, Ecclesiæ et cuilibet animæ christianæ queant competere, ex dictis facillimum est pensare.
55 *Invocavi* Dominum *de lacu novissimo.* Hoc solum permanet nobis salutaris remedii, ut in omni tribulatione et angustia Dominum invocemus, idque semper agamus.
57 *Appropinquasti in die quando invocavi*
Ps. CXLIV, 18. *te.* Siquidem prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus qui invocant eum in veritate. *Dixisti : Ne timeas.* Hoc indesinenter loquitur nobis Deus per an- B gelicam inspirationem, per doctores, per Scripturas, ne carnali, mundano, inordinatove afficiamur timore, quum dicat Salva-
Matth. X, 28. tor, Nolite timere eos qui corpus occidunt; sed constanti humilique fiducia, divino
Prov. XXVIII, 1. semper innitamur auxilio. Justus namque quasi leo confidens, absque timore erit.
59 *Vidisti, Domine, iniquitatem illorum,*
videlicet dæmonum ac hominum impiorum, *adversum me. Vidisti omnem furo-* 60
rem, universas cogitationes eorum adversum me. Furiunt atque insaniunt contra nos dæmones, dum eis contemptis, humiliter ac ferventer, pacifice atque stabiliter Deo servimus. Unde secundum divinum Dionysium, in dæmonibus est phantasia proterva, amens furor, et irrationabilis concupiscentia. Denique iniquitas, furor et cogitatio dæmonum contra nos, magnæ et pravæ sunt valde : non enim ut homines temporale nocumentum, corporalemve mortem quærunt infligere, sed a summo bono avertere, omnem virtutem gratiamque auferre, ad perpetuam illam intolerabilem damnationem perducere. Tam pessimis ergo et crudelissimis hostibus non segniter, sed vigilantissime resistamus, Deum semper adjutorem adesse precantes. Cetera patent ex præinductis.

ARTICULUS IX

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI QUARTI : QUOMODO OBSCURATUM EST AURUM ? MUTATUS EST COLOR OPTIMUS.

CAPITULUM præsens quidam ad vastitatem Judæorum a Romanis inflictam, æstimant referendum, alii ad eam quam inflixerunt Chaldæi; quidam vero specialiter referunt ipsum ad Josiam regem et filios ejus. Sic autem nunc Deo agente exponetur, ut omnibus his valeat applicari.

Stupens itaque Jeremias de populi sui gravissimo casu, exorsus est hanc quar-
1 tam lamentationem : *Quomodo obscuratum est aurum?* id est, populus Judæorum olim præ cunctis gentibus lege divina, cultu Dei, sapientia Scripturarum præfulgens, D quemadmodum ceteris metallis eminet aurum, qualiter ad tantam devenit tribulationum, idololatriarum, ignorantiarum caliginem ? *Mutatus est color optimus,* id

C est, præclarissima dispositio populi hujus tempore Regum justorum, nunc ablata est, et deformitas maxima est inducta. Intelligi etiam potest de auro atque coloribus quibus templum fuit ornatum, et ab hostibus spoliatum. *Dispersi sunt lapides sanctuarii,* id est ministri templi, qui aliis quasi fundamentum ac stabilimentum esse debuerant, *in capite omnium platearum :* quia hinc inde fugerunt, corruerunt, abducti sunt. Vel ad litteram intelligendum est de lapidibus materialibus quibus templum fuit constructum sive ornatum, quorum aliquot Chaldæi atque Romani templa destruentes, ex contemptu hinc inde jecisse creduntur. Quidam per lapides sanctuarii, intelligunt filios Josiæ regis : quod impro-

prie dicitur, quum in Scripturis propheti- A
cis per sanctuarium non homo aliquis ex
Judæis, sed templum ad litteram (ut com-
muniter) significetur. Isti autem per san-
ctuarium Josiam intelligunt. Nec tres filii
Josiæ proprie asseruntur per caput om-
nium platearum dispersi.
2 *Filii Sion incluti et amicti auro primo,*
id est valde pretioso, *quomodo reputati*
sunt in vasa testea, quæ sunt *opus manu-*
um figuli, id est valde confusibiliter tra-
ctati? Chaldæi equidem et Romani nobilis-
simos quosdam Judæorum auro ornatos, B
vilissime tractaverunt.
3 *Sed et lamiæ,* id est bestiæ feroces sic
dictæ, quæ vultum similem vultui mulie-
ris habere dicuntur, *nudaverunt mammas*
suas, id est, ubera sua exposuerunt fetibus
suis sugenda, ut nutriantur ; *lactaverunt*
catulos suos. Filia populi mei, id est plebs
Judæorum, *crudelis quasi struthio in de-*
serto. Quemadmodum enim struthio ova
sua abscondit arena, nec fovet ea, nec de
educatione pullorum suorum exstat solli-
cita; sic in obsidione Jerusalem parentes C
filios suos non nutrierunt : imo tanta fuit
inter Judæos inopia ac vehementia famis,
quod unusquisque præripere studuit quid-
quid victualium apprehendere quivit. Ita-
que verbis his notantur Judæi lamiis fuisse
inter se crudeliores. Porro de proprietati-
Job XXXIX, 14-16. bus struthionis scriptum est : Derelinquit
ova sua in terra, obliviscitur quod pes
conculcet ea; duratur ad filios suos quasi
4 non sint sui. De hoc dictum est supra. *Ad-*
hæsit lingua lactentis ad palatum ejus in
siti, id est, ora infantium præ siti arue- D
runt, et faucibus lingua siccata adhæsit,
Thren. II, 11, 12. prout dictum est; *parvuli petierunt pa-*
nem a parentibus suis seu aliis, *et non erat*
5 *qui frangeret eis :* tanta fuit penuria. *Qui*
vescebantur voluptuose, id est Judæi qui
ante adventum Chaldæorum seu Romano-
rum delicate se nutrierunt, *interierunt in*
viis, id est, fame consumpti sunt, dum per-
gerent quærere escas. *Qui nutriebantur in*
croceis, id est vestimentis pulchris ac mol-
libus, *amplexati sunt stercora,* id est, vi-
lissima quæque apprehenderunt, ut his
famis suæ temperarent angustias.
Et major effecta est iniquitas filiæ po- 6
puli mei, id est plebis Juda sive Jerusa-
lem, *peccato Sodomorum, quæ* Sodoma
subversa est in momento, id est celerrime
et quasi imperceptibili tempore. Hinc quo-
que in Ezechiele ad Jerusalem dicitur :
Non fecit Sodoma sicut tu ; justificata est *Ezech.* XVI, 48, 52.
a te, id est comparatione tui. Christus quo-
que in Evangelio : Sodomis, inquit, remis- *Matth.* XI, 24; *Luc.* X, 12.
sius erit in die judicii quam generationi
huic. Nec de isto mirabitur, qui peccata
Jerusalem in Ezechiele descripta pensave-
rit. Nam et habitatores Jerusalem impi-
issimis ac insanissimis idololatriis dediti
erant, et legem ac Prophetas contempse-
runt, et incestis, adulteriis abundabant. *Et*
non ceperunt in ea manus, id est, in So-
doma manus hominum spolia non sum-
pserunt quum periret : nam Deo ignem ac *Gen.* XIX, 24, 25.
sulfur super eam pluente, destructa est.
Vel, Non ceperunt in ea manus, id est, So-
domitæ eleemosynas non dederunt, juxta
illud in Ezechiele : Egeno et pauperi ma- *Ezech.* XVI, 49.
num non porrigebant.
Candidiores Nazaræi ejus, id est il- 7
li qui ex populo Judæorum Deo fuerant
consecrati, ejusque cultui deputati, *nive,*
nitidiores lacte, rubicundiores ebore anti-
quo, sapphiro pulchriores. Hoc per hyper-
bolicam sive emphaticam locutionem est
dictum, ad insinuandum excellentem de-
corem istorum in corpore, in vestimentis
ac sacerdotalibus ornamentis; vel propter
spiritualem decorem eorum qui re et no-
mine Nazaræi fuerunt (quorum unus fuit
et Jeremias), qui per virtutum splendorem
fuerunt nive candidiores, per innocenti-
am, lacte nitidiores, per caritatis fervorem,
ebore antiquo rubicundiores, per sapientiæ
claritatem, pulchriores sapphiro : et tunc
non est hyperbolica locutio, sed compara-
tio defectiva. *Denigrata est super carbones* 8
facies eorum præ tristitia, fame, miseria :
quod rursus per hyperbolen dicitur, con-
sonatque illud Joelis, Omnes vultus redi- *Joel* II, 6.
gentur in ollam. *Et non sunt cogniti in*

plateis : tanta fuit immutatio vultus. *Ad-* A
hæsit cutis eorum ossibus eorum, facta est
quasi lignum, id est arida vehementer præ
longa maceratione, fame, ac siti.
9 *Melius fuit,* id est minor pœna, *occi-*
sis gladio Chaldæorum, sive Romanorum,
quam interfectis fame in Jerusalem tempo-
re obsidionis; *quoniam isti,* scilicet fame
occisi, *extabuerunt,* longa miseria paula-
tim deficientes, *consumpti a sterilitate ter-*
ræ, id est ex victualium defectu. Hinc eti-
(Judith VII, 7.) am cives Bethuliæ dixerunt Oziæ : Tradatis
civitatem in manus militiæ Holofernis, ut B
sit finis noster brevis in ore gladii, qui
10 longior fit in ariditate sitis. *Manus mulie-*
rum misericordium coxerunt filios suos ;
facti sunt cibi earum in contritione filiæ
populi mei, id est tempore vastitatis Jerusa-
lem. Quædam mulieres ex naturali disposi-
tione sunt piæ, aliæ autem crudeles. Quum
ergo asserit mulieres naturaliter miseri-
cordes, proprios filios peremisse, coxisse
ac comedisse, insinuat indicibilem fuisse
(De bello Jud. lib. VI, c. 3.) miseriam famis in Jerusalem : quod et
tempore obsidionis a Romanis accidisse C
Judæis Josephus narrat. Vel quia, ut di-
ctum est, melius fuit occisis gladio quam
interfectis fame, mulieres istæ quodam-
modo misericorditer egisse videntur, quod
filios suos, quos viderant fame perituros,
brevi pœna oppresserunt. Hoc non affir-
mo, nec licuisse opinor.
11 *Complevit Dominus furorem suum,* id
est æquitatis rigorosum effectum, *effudit*
iram indignationis suæ, id est justitiæ ul-
tionem; *et succendit* per Chaldæos *ignem*
in Sion, scilicet in Jerusalem, præsertim D
in monte Sion, ubi templum atque pala-
tium erant, *et devoravit fundamenta ejus,*
id est, ædificia usque ad terram com-
bussit.
12 *Non crediderunt reges terræ et universi*
habitatores orbis, quod ingrederetur hostis
et inimicus, id est rex et exercitus Chal-
dæorum, *per portas Jerusalem :* id est, ci-
vitatem hanc insuperabilem æstimabant,
vel propter firmitatem murorum ædificio-
rumque ejus, vel quia, ut amplius puto,
putabant civitatem hanc a Deo Judæorum
tuendam. *Propter peccata prophetarum* 13
ejus, id est pseudo, *et iniquitates sacer-*
dotum ejus, qui effuderunt in medio ejus
sanguinem justorum, dedit Deus hostibus
virtutem intrandi per portas Jerusalem. Hi
enim occiderunt per se, vel suos ministros,
vel per consilium quod dabant regibus
atque principibus de occidendo innocen-
tes. Nam et Jeremiam voluerunt occide- (Jer. XXVI, 11.)
re, populum quoque ad varia traxerunt
peccata.
Erraverunt cæci in plateis isti sacerdo- 14
tes ac pseudo suis vitiis excæcati, et tem-
pore ingressus Chaldæorum, fame atque
miseriis obscurati; *polluti sunt in sangui-*
ne justorum, quem fuderunt, vel proprii
sanguinis effusione adspersi quum occide-
rentur. *Quumque non possent* effugere, in-
cedere, seu intrare : nam quod aliqui tex-
tus habent, Intrare, superadditum est, nec
est de littera; *tenuerunt lacinias suas,* id
est ora * vestimentorum præ doloris angu- (* oras)
stia. *Recedite, polluti, clamaverunt eis,* id 15
est sacerdotibus ac pseudoprophetis Chal-
dæi cum insultatione atque derisu; *recedi-*
te, abite, nolite tangere nos. Hoc ironice
clamaverunt, quasi dicerent : Nunc non
potestis evadere, qui contactum gentium
despexistis. *Jurgati quippe sunt et com-*
moti adversarii isti Judæorum contra sa-
cerdotes et pseudo. *Dixerunt inter gentes,*
id est, gentiles inter se asserebant : *Non*
adjiciet ultra Deus Judæorum istorum, *ut*
habitet in eis, id est, finaliter eos relin-
quet. *Facies Domini divisit eos,* id est, di- 16
vinæ æquitatis respectus separavit eos a
sua protectione et a propria terra; *non*
addet ut respiciat eos, de manibus ad-
versariorum eos salvando, vel ad propria
reducendo : quod et in plurimis horum
constat impletum. *Facies sacerdotum* Ju-
dæorum *non erubuerunt* Chaldæi sive Ro-
mani, imo sine pudore ac reverentia eos
occiderunt seu abduxerunt, *neque senum*
miserti sunt : id est, nec ætati nec ordini
detulerunt.
Quum adhuc subsisteremus nos Judæi in 17

vigore, nondum capta Jerusalem, *defece-*
runt oculi nostri, id est, inaniter respexe-
runt oculi nostri interiores, *ad auxilium*
nostrum vanum, id est ad regem popu-
lumque Ægypti, quibus fuimus confœde-
rati, sperantes eorum auxilio erui a Chal-
dæis, *quum respiceremus attenti ad gentem*
præfatam, *quæ salvare nos non poterat* a
Chaldæis : imo Chaldæi postea superave-
18 runt Ægyptios. *Lubricaverunt vestigia no-*
stra, id est, recte et valide incedere non
valuimus, sed nutando ex corporis debili-
tate, fame, timore, tristitia, *in itinere pla-*
tearum nostrarum ; appropinquavit finis
noster, id est interitus; *completi sunt dies*
nostri, id est, tempus nostræ punitionis a
19 Deo præfixum, advenit. *Velociores fuerunt*
persecutores nostri Chaldæi *aquilis cœli*
aerii : quod per hyperbolen dicitur, in-
nuendo quod cum ingenti celeritate at-
que affectu contra Judæos venerunt. *Super*
montes persecuti sunt nos, id est aliquos
Judæorum, qui ad montes confugerunt ut
illic laterent; *in deserto insidiati sunt no-*
bis, observantes an aliqui nostrum versus
solitudinem fugerent.

20 *Spiritus oris nostri Christus Dominus*
captus est in peccatis nostris. Quamvis ali-
qui judaizantes istud de rege Josia expo-
nant, melius tamen de Christo exponitur :
qui spiritus oris nostri vocatur, quoniam
sicut vita naturæ per aeris attractionem
conservatur, sic Christum fide ac dilecti-
one attrahendo mentaliter, in vita gratiæ
permanemus ; et ipse Christus sua bonita-
te vitam animæ manutenet, sicut aer seu
respiratio ejus, corporis vitam. Hic captus
est in peccatis nostris, id est propter pec-
cata nostra delenda, secundum quod ait :
Joann. x, 15. Animam meam pono pro ovibus meis. Ve-
Is. LIII, 4. re enim languores nostros ipse tulit, et
peccata nostra portavit. *Cui diximus* nos
electi Judæi : *In umbra tua,* id est pietatis
tuæ defensione, gratiæ obumbratione, vel
fidei cognitione, quæ umbra est respectu
Cant. II, 3. cognitionis in patria. Unde et Sponsa : Sub
umbra, inquit, ejus quem desiderabam,
sedi. *Vivemus inter gentes,* id est simul

A cum gentibus in Christum credentibus in
una Ecclesia vita gratiæ ac virtutum. Is-
tud dixerunt Judæi in primitiva Ecclesia
conversi, gentibusque postea mixti, qui
noverunt ex Christi sermonibus gentes
ad fidem catholicam convertendas : quod
etiam Jeremias ac ceteri in veteri Testa-
mento præcipui præcognoverunt.

Gaude et lætare, filia Edom, id est, po- 21
pulus Idumææ natus de Esau, qui alio
nomine dictus est Edom ; *quæ habitas in* Gen. XXVI, 30.
terra Hus. Dicuntque aliqui, quod terra
B Hus sumitur hic sicut et in libro Job : Vir Job I, 1.
erat in terra Hus, nomine Job. Alii dicunt,
quod alium locum significat hic, quam
illic : sæpe enim in diversis provinciis
sunt urbes et loca nominum eorumdem.
Unde per terram Hus nunc exprimitur
Idumæa. Porro quod ista ad gaudendum
monitio, ironice sit prolata, verba pandunt
sequentia : *Ad te quoque perveniet calix,*
id est punitio per Chaldæos ; *inebriaberis,*
id est, afflictione impleberis sicut inebri-
atus potu impletur, *atque nudaberis,* id
C est, confusibiliter tractaberis, spoliaberis,
exueris.

Completa est iniquitas tua, filia Sion. 22
Hoc referendum videtur ad tempus Chri-
sti, de quo nunc dixit : Spiritus oris no-
stri Christus Dominus. Tunc enim creden-
tium Judæorum peccata deleta sunt merito Dan. IX, 20, 27.
Christi, prout Danielis nono manifestissime
scribitur, Isaiæ quoque quadragesimo quar- Is. XLIV passim.
to. Vel iniquitas Sion dicitur completa,
quia Judæi tam graviter peccaverunt, quod
Deus eos ultra ferre non valuit, sed hosti-
D bus dedit, puta Chaldæis, quemadmodum
supra dictum est : Non poterat vos Domi- Jer. XLIV, 22.
nus ultra portare propter malitiam studio-
rum vestrorum. Vel idcirco iniquitas Sion
completa asseritur, quia post septuaginta Dan. IX, 2.
annos fuerunt Judæi ad propria reducen-
di, peccatis eorum tunc debite castigatis
ac relaxatis. *Non addet ultra ut transmi-*
gret te. Eos enim qui Christum fideliter
receperunt, Deus nequaquam abjecit, nec
ab Ecclesia segregavit. Si autem ad Judæos
convenienter referatur, dicendum est quod

per *ultra,* in Scripturis non semper perpetuitas, sed quandoque duratio notabilis, vel ultra solitum longa, signatur : ut in Isaia, Non exercebuntur ultra ad prælium; et quarto Regum, Non venerunt Syri ultra in terram Israel. Judæi autem post reditum a Babylone usque ad Christi adventum, et post hoc, aliquibus annis in terra sua morati sunt. Insuper vastatio eorum per Romanos, qua de Judæa ejecti sunt, finalis reprobatio atque totalis desolatio, potius quam transmigratio, nuncupatur, sicut et Daniel loquitur : Finis ejus vastitas, et usque in finem perseverabit desolatio. Nec populus iste dici tunc meruit filia Sion aut populus Dei, magis quam gentes : imo utique multo minus, postquam Christum negaverunt, occiderunt, atque in sua perfidia pertinaces effecti sunt, juxta istud Danielis : Non erit ejus populus qui eum, scilicet Christum, negaturus est.

Is. II, 4. *IV Reg.* VI, 23. *Dan.* IX, 26, 27. *Dan.* IX, 26.

Visitabit iniquitatem tuam, filia Edom, id est, Deus puniet eam, ut dictum est; *discooperiet peccata tua,* id est, per pœnam inflictam omnibus declarabit, quam impie feceris.

ARTICULUS X

ELUCIDATIO EJUSDEM CAPITULI QUARTI MYSTICA.

1 QUOMODO *obscuratum est aurum?* Qui Dei zelo accensus est, et boni communis amator est, cordialiter dolere et plangere debet, quod ardor divini amoris, qui per aurum significatur, in Christianorum cordibus ita refriguit, quod status prælatorum olim in omni caritate ac sapientia eminens, nunc ad tantam carnalitatem devenit; quod etiam ordo monasticus seu vita claustralium ad tantam regulæ suæ prævaricationem dilapsus est; postremo, quod gradus sacerdotalis vitaque clericorum eatenus corruerunt : quæ omnia in Ecclesia præfulgere instar auri solebant, et nunc vitiorum tenebris, ignorantiæ nebulis, vanitatum caligine obtenebrantur, imo et multiplici scandalo atque diffamia obfuscantur. De hoc auro divini amoris, vel sapientiæ spiritualis, seu intimæ devotionis, scriptum est in Apocalypsi : Suadeo tibi emere aurum ignitum probatum, ut locuples fias. Emitur autem continuis precibus, et abnegatione propriæ voluntatis. *Mutatus est color optimus,* id est exterior iste populi christiani ornatus in moribus, in maturitate, in cærimoniis et observantiis regularibus seu exemplaribus, quibus velut coloribus fideles forinsecus decorantur, coram Deo ac angelis reverenter et coram hominibus exemplariter conversantes.

Apoc. III, 18.

Insuper versus iste de capite Ecclesiæ Christo potest exponi, de quo loquitur Sponsa : Caput ejus aurum optimum. Christus est aurum Ecclesiæ, in omni caritate, perfectione, sapientia, incomparabiliter rutilans, qui tempore passionis est obscuratus, afflictus, contemptus, infirmatus, pro nihilo reputatus; tuncque mutatus est color optimus ejus, juxta quod scriptum est in Isaia : Ecce vidimus eum non habentem speciem neque decorem, et nos reputavimus eum quasi leprosum. De anima quoque a contemplativæ vitæ splendore, ac optimo exemplarique nomine, ad vitam carnalem aut sæcularem inhonestamve famam dilapsa, cum lamentatione proferendus est præsens versiculus.

Cant. V, 11. *Is.* LIII, 2, 4.

Dispersi sunt lapides sanctuarii, id est religiosi, sacerdotes, clerici, præsertim prælati, qui velut lapides templi Deo in secreto intendere obligantur, et aliorum in-

stabilitatem consolidare, *in capite omnium* A *platearum*, id est per lata itinera vitiorum, imo ad litteram in cunctis plateis hinc inde vagantur, variis desideriis pertrahuntur, quum potius in claustro, collegio, seu camera residere, solique Deo pura mente vacare deberent. Potest quoque in bono exponi, ita ut lapides sanctuarii intelligantur Apostoli et eorum discipuli, qui Judæis in incredulitate manentibus, a Judæa recedentes, dispersi sunt in capite omnium platearum quibus ad diversas mundi partes profecti sunt. Sed et Christo B capto dispersi sunt. Præterea lapides sanctuarii sunt virtutes et dona Spiritus Sancti, quibus spiritualiter ædificatur, Deique templum efficitur anima : quæ in capite omnium platearum disperguntur, quia per cuncta peccata mortalia, quæ sunt lata itinera ad infernum ducentia, amittuntur.

2 *Filii Sion inclyti et amicti auro primo*, id est viri divini, dono sapientiæ caritatisque apice decorati, qui sunt filii Sion, id est Ecclesiæ militantis. Potissime autem filii isti inclyti et auro primo ami- C cti, sunt doctores atque prælati, vel etiam principes sæculares illustres. *Quomodo reputati sunt in vasa testea*, id est ab aliis aspernati, viliterque tractati ? sicut dum sancti Apostoli et apostolici viri, tanquam malefactores occidebantur. Vel, quomodo ad vitam carnalem sunt devoluti, et facti vasa iræ, qui esse deberent vasa honoris et gratiæ ?

3 *Sed et lamiæ nudaverunt mammas suas*. Per lamias bruta ferocia, intelliguntur hæreticorum magistri, infideliumque docto- D res ac præsidentes : qui mammas nudant, dum discipulos suos suis fovent ac instruunt pestiferis documentis. Et quum illi hoc faciunt, prælati Ecclesiæ gregem sibi commissum verbo doctrinæ non alunt. Ideo sequitur : *Filia populi mei crudelis*, id est Ecclesia quantum ad prælatos ac præsidentes. Quid enim crudelius, quam quod animas subditorum multipliciter sauciatas, imo et mortuas, atque quotidie pereuntes, non curant revocare, instruere, custodire ? *Quasi struthio in deserto*, qui
pullos suos non pascit. *Adhæsit lingua* 4
lactentis ad palatum ejus in siti. Hoc fit,
dum subditi ac pusilli, qui instar infantium lac Scripturæ sugere debent, verbum Dei a suis pastoribus audire desiderant : et quia non informantur, mente arescunt ; lingua quoque interior sive exterior, a verbis laudis divinæ et orationis devotæ graviter impeditur. *Parvuli*, id est subditi, *petierunt panem* vitæ et intellectus, *et non erat qui frangeret eis*, id est, prælati eos non erudierunt. De talibus pastoribus loquitur Dominus in Ezechiele : Lac comedebatis, et lana operiebamini ; gregem autem meum non pascebatis. *Ezech.* xxxiv, 3.

Qui vescebantur voluptuose, interierunt 5
in viis. Hoc miserabiliter agitur, dum hi qui ad tempus spiritualiter conversati sunt, et contemplativæ vitæ suavitatem experti, atque quotidie spiritualibus epulis Scripturarum ac sacramentorum refecti, paulatim ad exteriora labuntur, et mente evacuantur, ita quod vitam gratiæ perdunt, dum vias sæculi ambulare incipiunt, amando mundum et ea quæ mundi sunt, puta caducas divitias, immundas delicias, fallaces honores. *I Joann.* ı 15. Præterea certum est eos qui voluptuose pascuntur, carnem suam delicate alendo in viis* sensualitatis, cum divite epulone perire. *Luc.* xv 19, 22. Qui enim sunt Christi, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigunt. *Galat.* v, 2 Et Christus testatur : Væ vobis qui saturati estis ; et rursus, Attendite ne graventur corda vestra crapula vel ebrietate. *Luc.* vi, 2 *Ibid.* xx 34. *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora*. Istud ad idem cum præcedenti versiculo pertinet. Qui enim pretiosis animæ vestimentis, videlicet caritate, justitia, sapientia, sobrietate induti sunt, si terrena ista carnalia et mundana amare incipiant, nonne relictis bonis purissimis, stercora amplexantur? Quibus per Malachiam Dominus loquitur : Projiciam super vultum vestrum stercus solennitatum vestrarum, et assumet vos secum. *Malach.* 3. Denique qui in pretiosis, mollibus, curiosis, atque superfluis vesti-

* vitiis

mentis lætantur, nec acquiescunt Joanni A
Luc. III, 11. dicenti : Qui habet duas tunicas, det non
habenti ; et qui habet escas, similiter faciat.
Hi utique bonis spiritualibus ac divinis
temporalia præferendo, stercora amplexantur.

6 *Et major effecta est iniquitas filiæ populi
mei peccato Sodomorum.* Quo populus aliquis
plura beneficia a Deo sortitus est, eo
ceteris paribus peccata ejus sunt graviora :
incomparabilia autem sunt beneficia
Ecclesiæ a Sponso cœlesti collata. Videat
ergo sibi Christianus, potissime qui in sa- B
cris est constitutus, vel aliis præest, ne
dum inquinamentis carnis ac spiritus adimpletur,
puta superbia, gula, acedia, ambitione,
luxuria, ira, invidia, Sodomitis
deterior judicetur, multoque gravius eis
damnetur.

7 *Candidiores Nazaræi ejus nive,* etc. Teste
Hieronymo, Nazaræus interpretatur sanctus.
Nazaræi ergo Ecclesiæ, dici possunt
viri heroici et perfecti, qui per sapientiæ
candorem præ nive sunt fulgidi, *nitidiores
lacte* per munditiam vitæ, *rubicundiores* C
ebore antiquo per ignem caritatis infusæ,
sapphiro pulchriores per consonantiam interiorum
habituum operationumque animæ :
imo hic internus supernaturalis decor
ac claritas animæ, omnem naturalem
8 speciem ac ornatum transcendit. *Denigrata
est super carbones facies eorum,* quia
vel martyrio occubuerunt, vel a reprobis
sunt contempti et diffamati, vel per pœnitentiæ
actus aliaque virtutum exercitia
laboriosa se ipsos multipliciter afflixerunt;
et non sunt cogniti in plateis, id D
est, ab his qui per latam viam incedunt,
reputati non sunt, nec a vitiosis distincti.
Adhæsit cutis eorum ossibus eorum, in
tantum per abstinentiam se maceraverunt,
Ps. XLIII, 22. quemadmodum dicunt in Psalmo : Quoniam
propter te mortificamur tota die ; et
Ps. CI, 6. item, A voce gemitus mei adhæsit os meum
carni, id est cuti meæ, secundum Hieronymum.
— Præterea Nazaræi Ecclesiæ,
dici possunt omnes religiosi ac sacerdotes
et clerici divino obsequio dedicati, qui vel
spiritualiter vel corporaliter præfato modo
candidi, nitidi, et pulchri consistunt : quorum
facies super carbones denigratur, dum
vitiis sordidantur, dum concupiscentiis inquinantur,
dum non clericaliter seu sacerdotaliter,
sed sæculariter conversantur ; et
non sunt cogniti in plateis, quia eorum
conversatio a vita populari non differt, nisi
quod vulgo detestabilius atque carnalius
vivunt.

*Melius fuit occisis gladio, quam inter- 9
fectis fame.* Juxta Apostolum, gladius spi- Ephes. VI, 17.
ritus est verbum Dei. Melius ergo est his
qui ex perceptione impressioneque verbi
Dei se ipsos omni die in pœnitentiæ sudore
mortificant, quam qui ex defectu verbi
et cibi istius in anima moriuntur, quamvis
corpore floreant. *Quoniam isti,* scilicet fame
necati, *extabuerunt, consumpti a sterilitate
terræ,* id est spiritualiter annihilati
propter carentiam fecunditatis virtutum,
quas in terra corporis sui habere deberent,
nec habent. Omnis enim arbor quæ non Matth. III,
facit fructum bonum, excidetur, et in ignem 10; VII, 19.
mittetur. Adhuc autem melius est occisis
gladio, id est, qui subito ex subreptione
seu impetu, infirmitate vel ignorantia peccant,
quam interfectis fame, id est, his
qui paulatim ad graviora deveniunt, et
diuturno iniquitatis languore tabescunt,
seu consuetudine culpæ premuntur. *Ma- 10
nus mulierum misericordium coxerunt filios
suos; facti sunt cibi earum :* sicut præhabitum
est. Prælati in quantum subditos
suos fovere, spiritualibusque brachiis ferre
habent, matres eorum dicuntur : qui
dum male propitii sunt, id est remissi et
laxi, filios suos spiritualiter mactant; coquunt
quoque et comedunt, dum opes eorum
consumunt, vel de bonis communitatis
delicate se nutriunt. Rursus mulieres
misericordes, sunt animæ molles, quæ filios,
id est actus suos coquunt et comedunt,
dum ea quæ agunt, non ad gloriam Creatoris,
sed ad proprium referunt emolumentum,
et gloriantur de eis quasi justi sint,
non in Deo, sed in semetipsis.

Complevit Dominus furorem suum, et 11

succendit ignem in Sion, id est, justo ju- A
dicio ministros Ecclesiæ, ceterosque cre-
dentes permisit igne concupiscentiæ vitio-
rumque flamma æstuare; *et devoravit* ignis
iste *fundamenta ejus,* id est, superiores
ad consensum traxit ac opus illicitum, quo
spirituale esse gratiæ amiserunt.
12 *Non crediderunt reges terræ et universi*
habitatores orbis, quod ingrederetur hostis
per portas Jerusalem. Tanta quippe fuit
aliquando fortitudo ministrorum Ecclesiæ,
tanta virtutum constantia, devotionisque
fervor, et spiritualium apparatus armo- B
rum, ac abundantia gratiarum, quod reges
ac populi sæculares nequaquam putabant
quod diabolus unquam corda eorum ita
intraret, eosque in tam deplorandam præ-
cipitaret ruinam, ut jam factum conspi-
cimus. Quis enim præcedentium patrum
sanctitate conspecta, putasset quod religio-
si, sacerdotes, canonici, unquam sensuum
portas et cordis januam sic aperirent dia-
13 bolo? Verum una hujus ratio est : *propter*
peccata prophetarum ejus, id est prædica-
torum et doctorum Ecclesiæ, *et iniquitates* C
sacerdotum ejus, qui effuderunt in medio
ejus sanguinem justorum, eos vel corpo-
raliter persequendo, vel spiritualiter occi-
dendo seu ad vitia pertrahendo. Inferiores
enim Ecclesiæ ministri, superiorum suo-
rum invalescente carnalitate, negligentia,
atque superbia, corruerunt.
Itaque omnes isti in vitiis parificati,
14 *Erraverunt cæci in plateis,* id est corde
Matth. VII, 13. cæcati, per spatiosam viam quæ ducit ad
mortem ; *polluti sunt in sanguine,* carni
et sanguini acquiescendo. *Quumque non* D
possent intrare, id est ad suum libitum
proficisci ac prosperari, *tenuerunt lacinias*
suas, exteriora ista, quæ sunt quasi cor-
poris indumenta, apprehendendo, non ad
Deum, cunctis caducis despectis, confu-
15 giendo. *Recedite* a templo Dei, o *polluti*
sacerdotes, prælati, ac prædicatores, *clama-*
verunt eis ironice aliqui sæculares, illorum
vitam vanissimam detestantes; *recedite, abi-*
te, nolite tangere sacramenta Ecclesiæ pro-
pter vitam vestram turpissimam. *Dixerunt*

inter gentes, id est, sæculares mutuo sunt
locuti : *Non adjiciet ultra ut habitet in*
eis, id est, Deus corda istorum tam male
viventium sacerdotum ac clericorum non
amplius per gratiam inhabitabit : imo *fa-* 16
cies Domini divisit et repulit *eos* a se. Jam
enim tam manifesta atque enormia sunt
istorum peccata, ut a sæcularibus et indo-
ctis dijudicentur, qui facies talium sacer-
dotum non erubescunt, nec venerantur.
Quum adhuc subsisteremus, id est, sani 17
essemus, *defecerunt oculi nostri ad auxi-*
lium nostrum vanum. Ista est vox infir-
mantium atque morientium seu damna-
torum, qui in agone vel gehenna positi,
deflent quod tempore sospitatis in homi-
nibus sæculique principibus, in divitiis et
amicis potius quam in Deo confisi sunt,
videntes sibi omnia illa tempore necessi-
tatis nil prorsus prodesse, juxta illud Sa-
pientiæ : Quid nobis profuit superbia? aut *Sap.* v,
divitiarum jactantia quid contulit nobis?
Unde supra dictum est : Maledictus qui *Jer.* XVII
confidit in homine. *Lubricaverunt vestigia* 18
nostra : id est, per vitiorum abrupta, dis-
torta, obliqua, incessimus undique clau-
dicantes, atque ab ultimo fine quotidie
deviantes, de peccato in peccatum ruentes.
Quemadmodum enim virtutes faciunt men-
tem recte ad Deum incedere; sic peccata,
passiones, et habitus vitiosi faciunt devia-
re, quemadmodum de quibusdam fertur
in Psalmo : Filii alieni inveterati sunt, et *Ps.* XVII,
claudicaverunt a semitis suis. Et idolola-
tris filiis Israel loquitur Elias : Usquequo III *Re*
claudicatis in duas partes? Salomon quo- XVIII, 21
que : Via impiorum tenebrosa; nesciunt *Prov.*
ubi corruunt. *Appropinquavit finis noster,* 19.
id est mors, sive damnatio. *Velociores fu-* 19
erunt persecutores nostri, utpote invisibi-
les hostes, *aquilis cæli,* ad litteram; vel,
Aquilis cœli, id est prælatis atque docto-
ribus Ecclesiæ, quia diaboli infatigabilius
insistunt ad supplantandum fideles, quam
prælati ac prædicatores ad salvandum in-
struendumque eos. *Super montes persecuti*
sunt nos, id est in sublimitate virtutum et
vertice contemplationum, seu eminentia

honorum ac dignitatum ; *in deserto insidiati sunt nobis,* id est in solitudine pœnitentiæ, et locis claustralibus : imo sanctis Patribus et Fratribus eremitis dæmones acutissimas tentationes impudentissime intulerunt.

21 *Gaude et lætare, filia Edom,* id est tu, plebs terrena, vitiisque cruenta. Edom enim sanguineus interpretatur. *Quæ habitas in terra Hus,* id est carnalis prudentiæ. Hus enim consilium interpretatur : per quod jam mundanæ prudentiæ inquisitio designatur. *Ad te quoque perveniet*
A *calix,* id est ultio divinæ æquitatis. Quasi ironice dicat : Nunc ad modicum tempus lætare, ut in æternum tristeris, quæ justis molesta fuisti, quemadmodum Edom seu
Esau, sancto Jacob. *Completa,* id est per 22
Christum deleta, per Baptismum Pœnitentiamque dimissa, *est iniquitas tua, filia Sion,* id est, Ecclesia, seu anima christiana. *Non addet ultra ut transmigret te,* id
est, Deus Pater a regno Filii dilectionis suæ Coloss. 1, 13.
te amplius non avertet, præsertim quum ad patriam perveneris Beatorum, in qua vera, plena, ac sempiterna quies consistit.

ARTICULUS XI

EXPLANATIO LITTERALIS ORATIONIS JEREMIÆ ET CAPITULI QUINTI : RECORDARE, DOMINE, QUID ACCIDERIT NOBIS.

POSTQUAM populi sui ruinam beatissimus Dei vates sacer Jeremias affectuosissime ac lacrimose deplanxit, nunc pro eo Dei precatur clementiam. Sensus autem litteralis hujus orationis in se ipso utique facilis est, et ex præinductis lamentationibus innotescit : imo oratio ista, recapitulatio quædam est præhabitorum Threnorum. Idcirco litterali expositioni immorari superfluum reor.

1 *Recordare, Domine, quid acciderit nobis.* In summo, simplicissimo atque invariabili Deo, in quo penitus idem sunt esse et intelligere, cujus essentia est sua scientia, nec recordatio, neque oblivio proprie esse potest, sed per similitudinem quamdam ei adscribuntur. Dum enim nec gratiam, nec protectionem impendit, nec postulantes attendit seu audit, per modum obliviscentis se habet; dum vero misericorditer subvenit, clementer exaudit, gratiam præstat, quasi recordans habere se dicitur. Itaque, Domine, recordare, id est, succurrendo ostende te nostri memorem esse, quid acciderit nobis Judæis tempore
B Chaldaicæ persecutionis. Loquitur autem Jeremias voce totius populi hujus, nec singula verba ejus ad singulos referuntur, sed diversa ad diversos. *Intuere et respice* oculo tuæ clementiæ *opprobrium nostrum,* videlicet confusionem et vastitatem nobis illatam.

Hereditas nostra, id est terra patribus 2
nostris divinitus promissa ac data, in qua et nos demorati sumus, puta Judæa, *versa est ad alienos,* id est Chaldæorum manibus tradita et subjecta ; *domus nostræ* versæ
C sunt *ad extraneos.* Nam civitates et villæ
Judæorum, Chaldæis sunt subjugatæ. *Pu-* 3
pilli facti sumus absque patre, id est, aliquorum nostrorum patres a Chaldæis occisi sunt; *matres nostræ quasi viduæ,* viris earum peremptis : et, Quasi, notat hic ve-
ritatem, non similitudinem tantum. *Aquam* 4
nostram pecunia bibimus, ligna nostra pretio comparavimus. Hoc intelligi potest tam de Judæis qui in Judæa usque ad captionem Jerusalem permanserunt (qui ad tantam devenerunt inopiam, quod propter
D obsidionem discursumque Chaldæorum per

terram Judææ, aquæ penuriam passi sunt
et lignorum, idcirco aquam et ligna emere
sunt compulsi), quam de Judæis qui in Ba-
bylonem ducti fuerunt : quos ita angaria-
verunt Chaldæi, ut aliqui asserunt, quod
aquas et ligna gratis habere non poterant.
5 *Cervicibus nostris minabamur*, id est, Chal-
dæi minabantur nobis caput nostrum am-
putare; *lassis non dabatur requies,* id est,
quum lassati essemus, non pepercerunt
nobis Chaldæi, nec in Judæa, nec in via
qua capti transivimus in Chaldæam, nec
6 in terra Chaldææ. *Ægypto dedimus ma-
num et Assyriis,* id est, Ægyptiis Assyriis-
que servivimus, *ut saturaremur pane,* id
est cibo. Vel, dedimus manus eis, ineun-
do confœderationem cum eis contra Chal-
dæos, ut eorum fulti auxilio, a rege Baby-
lonis protegeremur, et bona terræ nostræ
consumeremus.

7 *Patres nostri peccaverunt* per idolola-
triam et effusionem sanguinis innocen-
tis, alia quoque gravissima scelera, *et non
sunt,* quia jam obierunt : quia ut dicitur
IV *Reg.* xxiv, 3, 4; xxiii, 27. quarto Regum, Propter peccata Manassæ
regis Juda ac populi ejus, noluit Dominus
propitiari, sed delevit Jerusalem et abstu-
lit Judam. *Et nos iniquitates eorum porta-
vimus,* id est, pœnam quam meruerunt,
sumus perpessi. Quomodo autem intelli-
gendum sit hoc, et quomodo verbum istud
Ezech. xviii, 20. non repugnet verbo Ezechielis, Filius non
portabit iniquitatem patris, ac ceteris locis
Scripturæ, in quibus idem adstruitur, et
qualiter filii nonnunquam propter paren-
Exod. xx, 5; *Deut.* xxiv, 16; *Josue* art. xii, circa finem. tum puniuntur peccata, diffusius dictum
est supra. Illuc ergo brevitati studens mit-
to lectorem.

8 *Servi* regis Babylonis *dominati sunt no-
stri :* vel, gentes Chaldæis admixtæ, quæ
aliquando servierunt sub tributo Judæis,
dominati sunt nobis; *et non fuit qui redi-
9 meret* nos *de manu eorum. In animabus
nostris,* id est cum tribulatione et periculo
vitæ nostræ, *afferebamus panem nobis a
facie gladii in deserto,* id est propter im-
minentem nobis gladium Chaldæorum con-
tra nos venientium per desertum, et in

A locis desertis insidiantium nobis egredien-
tibus urbem. *Pellis nostra quasi clibanus* 10
exusta est, id est pœnaliter arefacta ac de-
nigrata, *a facie tempestatum famis,* id est
ex afflictionibus et inquietudinibus quæ
fuerunt in nostris corporibus ex defectu
ciborum, agente immoderanter calido na-
turali in humidum radicale, idque consu-
mente.

Mulieres in Sion, id est in Jerusalem, 11
imo et in templo, ut dicitur, *humiliave-
runt* Chaldæi, *et virgines in civitatibus*
B *Juda,* eas nefarie cognoscendo. *Principes* 12
manu suspensi sunt, id est, principes inter
Judæos, vel propriis se manibus suspen-
derunt ex desperatione, vel a Chaldæis
manu in patibulo sunt suspensi. *Facies
senum* Judæorum *non erubuerunt* Chal-
dæi. Ita quod nec sexui, nec dignitati, ne-
que ætati pepercerunt. *Adolescentibus im-* 13
pudice abusi sunt, committendo in eis vitia
contra naturam ; *et pueri* Judæorum *in li-
gno corruerunt,* id est, lignis onerati sive
occisi sunt a Chaldæis. *Senes defecerunt* 14
C *de portis,* id est, seniores ac judices Judæ-
orum, qui in portis Jerusalem et urbium
Juda ad judicandum sedere solebant, per
Chaldæos sublati, capti, occisi sunt, et *ju-
venes de choro psallentium,* id est, qui in
templo laudes canere consueverant, sicut
Levitæ, defecerunt. *Defecit gaudium cor-* 15
dis nostri : quia qui ante Chaldæorum ad-
ventum læti eramus, in maximum devoluti
sumus mœrorem ; *versus est in luctum
chorus noster,* qui jucundus esse solebat.
Cecidit corona, id est sertum jucunditatis, 16
D *capitis nostri;* vel regia dignitas ac dia-
dema capiti seu regi nostro ablata sunt
per Chaldæos.

Væ hujus magnæ adversitatis tempora-
lisque pœnæ, *nobis* illatum est, *quia pec-
cavimus,* sicut et patres nostri. *Propterea* 17
*mœstum factum est cor nostrum, ideo con-
tenebrati sunt oculi nostri* exteriores fletu,
vigiliis, aliisque afflictionibus, oculi quo-
que interiores tenebris vitiorum. Maxime
autem doluimus *propter montem Sion,* 18
quia disperiit, id est propter destructio-

nem templi, quod situm fuit in monte A
Sion; *vulpes,* id est callidi Chaldæi, *am-*
bulaverunt in eo, quum tamen gentiles
non intrarent templum; vel, vulpes quæ
bruta sunt, quia in locis desertis currere
solent, dum illic fruteta, spinæ, et grami-
na creverint.

19 *Tu autem, Domine, in æternum perma-*
nebis incommutabiliter in ipso æternitatis
momento, idcirco quum vivas, et omnipo-
tens semper permaneas, salvare nos potes,
nec desperamus; *solium tuum,* id est se-
des tua in cœlo empyreo, manet *in genera-* B
s. xliv, 7. *tionem et generationem:* juxta illud, Sedes
Ps. x, 5. tua, Deus, in sæculum sæculi; et, Domi-
nus in templo sancto suo, Dominus in
s. cii, 19. cœlo sedes ejus; et, Dominus in cœlo pa-
ravit sedem suam. Non quod immaterialis,
illocalis, et incircumscriptibilis Deus, cor-
porali sede sit utens, aut corporaliter se-
dens; sed per metaphoram dictum est
istud, intelligendo per sedem, tranquillis-
simam ejus mansionem, vel judicialem
summamque auctoritatem. Et sæpe cœlum
ipsum sedes Dei vocatur, juxta illud in C
's. lxvi, 1; Isaia: Cœlum mihi sedes est. Nonnunquam
ct. vii, 49. autem sedes Dei esse fertur in cœlo: et
s. xl, 12. nihilo minus Isaia testante, Deus cœlos
palmo ponderavit; atque ut Salomon te-
I Reg. viii, statur, cœlum et cœli cœlorum eum cape-
7. re nequeunt.

20 *Quare in perpetuum,* id est tam diu.
Constitutis namque in magnis angustiis,
etiam breve tempus videtur longissimum,
sicque hyperbolice ait: Quare in per-
petuum *oblivisceris nostri,* id est, opem
gratiæ non impendis, nec liberas? *dere-* D
linques nos in longitudine dierum? Lo-
quitur autem Propheta tanquam amicus
Dei, et ex ardenti affectu, qui interdum
modum non tenet, familiariter, audenter,
et querulose ad Deum: quasi dicat, Infi-
nitam pietatem tuam non decet tam ine-
xorabilem esse. Verumtamen propter hunc
versum quidam Catholici exponunt oratio-
nem hanc de tribulatione Judæorum per
Romanos, a quibus in perpetuam istam
dejecti sunt captivitatem: nec dubium
quin littera possit applicari ad hoc. Ea-
dem enim passi sunt a Romanis, quæ a
Chaldæis.

Converte nos, Domine, ad te per gra- 21
tiam prævenientem, per inspirationem oc-
cultam, et per varia media gratiæ gratis
datæ, quibus multiformiter trahis homi-
nes, et perducis ad veram conversionem
et gratiam gratum facientem; *et converte-*
mur salubriter et condigne, tibi altissimo
bono caritative atque finaliter adhærendo.
Unde supra locutus est Jeremias: Converte *Jer.* xxxi,
me, Domine, et convertar; postquam enim 18, 19.
convertisti me, egi pœnitentiam. Unde qui
in peccato mortali est, quamvis conando
ad gratiam gratum facientem, faciat quod
in se est, non tamen de condigno illam
meretur, nec ad eam sufficienter se præ-
parat, ut eam de condigno recipiat, nec
propriis potest resurgere viribus, sed in-
diget misericorditer præveniri, ac divino
instinctu moveri. Hinc orat Psalmista:
Converte nos, Deus salutaris noster; et, *Ps.* lxxxiv,
Domine Deus virtutum, converte nos. *In-* 5. *Ps.* lxxix,
nova dies nostros, id est, nova, fructuosa, 20.
jucunda, ac prospera nobis tempora tribue,
sicut a principio, id est quemadmodum
patribus nostris fecisti, quum eos de Ægy-
pto salvasti; vel, Sicut a principio, id est
a tempore Abrahæ, Isaac, et Jacob; vel,
A principio, quo terram promissionis in-
gressi sunt filii Israel per arentem Jor- *Josue* iii,
danem. Dicuntur autem dies et tempora 17.
innovari, dum homines exsistentes in tem-
pore, reflorescunt ac reformantur.

Sed projiciens nos, id est, juste relin- 22
quens, et per captivitatem a terra natali
expellens, *repulisti nos,* gratiam defensio-
nis subtrahendo, preces nostras non exau-
diendo. *Iratus es contra nos vehementer,*
id est, multum rigorosum te exhibes no-
bis, et gravissimam inflixisti vindictam.

ARTICULUS XII

EXPOSITIO SPIRITUALIS AC MYSTICA ORATIONIS EJUSDEM.

QUEMADMODUM Jeremias deplangit terram promissionis populo suo ablatam, oratque Deum ut eam illi restituat ; sic Ecclesia omnisque anima christiana, intime debet dolere, quod Christiani Terram hanc sanctam, in qua Salvator noster natus, conversatus et passus est, peccatis suis exigentibus perdiderunt : et ad hoc oratio ista potest applicari, sicut et psalmus il- *Ps.* LXXVIII. le : Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam.

1 Dicat ergo veraciter Christianus : *Recordare, Domine, quid acciderit nobis,* quanta persecutio, tentatio, infestatio a persecutoribus Ecclesiæ, ab hæreticis falsisque fratribus, a diabolo, mundo et carne. *Intuere et respice opprobrium nostrum,* quod ab istis sumus perpessi : et nos ipsi facti sumus opprobrium inimicis nostris visibilibus, scilicet infidelibus universis, eo quod Terram sanctam et Christi sepulcrum amisimus, et canis Ægyptius possidet ea. Ab hoc ergo opprobrio, Deus, nos eripe. Dæmonibus quoque opprobrium facti sumus peccando, qui nobis peccantibus ridentes, atque derident. Hoc ergo malum aufer a nobis, ne quando dicat hostis no- *Ps.* XII, 5. ster antiquus : Prævalui contra eos.

2 *Hereditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos.* Nam Terram sanctam, Christianis merito Christi debitam et concessam, invaserunt et obtinent Sarraceni : de quo dolendum est vehementer. Denique quum hos quos convertit Ecclesia seu vir devotus, subvertit diabolus vel ejus minister, dicere potest convertens hunc versum. Et lugendum est nobis, quod modo tam multæ regiones, quæ fuerunt hereditates Ecclesiæ, a fide A aversæ sunt. Rursus hereditas nostra, est spiritualis opulentia in charismatibus gratiarum : quæ ad alienos quodammodo vertitur, dum per tentationem diaboli, carnis, vel mundi, nobis aufertur. Domus autem nostræ, sunt congregationes religiosæ, vel corda seu conscientiæ nostræ, in quibus per caritatem habitat Deus : quæ vertuntur ad alienos, quando prævalente passione et culpa, dæmonibus subjiciuntur, atque ab eis inhabitantur : et quia illud sæpius accidit nobis, dolendum est valde. B Præterea hereditas et domus nostra, est sacra Scriptura, in qua continetur panis vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris : quæ etiam tanquam optima domus, defendit nos ab intemperie tam caloris quam frigoris, id est ab amore male inflammante, qui est velut calor relaxans, et a timore male humiliante seu retardante, qui est tanquam frigus restringens, ex quibus duobus omnia peccata, Augustino docente, nascuntur. Ista autem hereditas nostra et domus, ad alienos atque extra- C neos vertitur, quum eam hæretici vel alii seductores, ad hominum præsertim simplicium subversionem, assumunt et false exponunt.

Pupilli facti sumus absque patre, id 3 est, peccando mortaliter, Deum habere patrem per gratiam gratificantem omisimus, et facti sumus filii diaboli per superbiam et propriam culpam, qui eramus filii Dei per gratiam. Insuper, dum populus christianus privatur spirituali ac bono prælato, dicat mœstissimo corde : Pupilli facti D sumus absque patre. *Matres nostræ,* scilicet particulares Ecclesiæ, *quasi viduæ,* Sponsum cœlestem perdendo, dum se ab

illo avertunt, sensibilibusque inhærent. A
4 *Aquam nostram pecunia bibimus,* id est,
salutarem doctrinam a superioribus no-
stris gratis obtinere nequivimus, sed dona
terrena et pretium corporale a nobis pro
spiritualibus inordinate exquisierunt. *Li-
gna nostra,* id est exemplaria opera, qui-
bus ignis amoris nutritur, *pretio compa-
ravimus,* sustentando eos qui iter salutis
nobis per opera demonstrarent. Sed et
tunc aquam nostram pecunia bibimus, et
ligna pretio comparamus, quando humo-
rem cœlestium gratiarum et actus virtu- B
tum, per temporalium erogationem eleemo-
synariam, vel spontaneam derelictionem,
a Spiritu Sancto haurimus : et hæc est
commutatio bona, ac negotiatio virtuosa.
5 *Cervicibus nostris minabamur.* Hoc Ec-
clesia in persona martyrum dicere potest,
quibus persecutores dixerunt : Aut abnega
Christum, seu derelinque justitiam, vel pa-
ra collum. Diabolus quoque minatur nobis
caput nostrum amputare, id est Christum
auferre, vel rationem, quæ caput est men-
tis, subvertere. *Lassis non dabatur re-* C
quies. Quantumlibet enim martyres tor-
mentis erant lassati, non tamen cessaverunt
persequi eos tyranni. Nobis quoque in Dei
obsequio aliquando fatigatis multas ten-
tationum molestias inferunt, caro, mun-
dus, atque diabolus, qui est infatigabilis
tribulator. His demum qui in via æquita-
6 tis lassantur, requies vera non datur. *Ægy-
pto dedimus manum et Assyriis, ut sa-
turaremur pane.* Ægyptus interpretatur
caligo; Assyrius, dirigens. Ægyptii itaque et
Assyrii sunt carnales sæculariterque pru- D
dentes, qui media sua efficaciter dirigunt
ad finem optatum, scilicet ad vivendum
delicate ac molliter : et sæpe contingit,
quod boni homines et electi istis deser-
viant paupertate cogente, ut saltem gros-
so alimento reficiantur. Rursus contingit,
ut servi Dei horum favore fallantur, opibus
alliciantur, eisque in vitiis confœderentur
propter commodum temporale. Idcirco qui
Galat. I, 10. hominibus talibus placere desiderant, ser-
vi Christi esse non queunt.

Patres nostri peccaverunt, et non sunt. 7
Qui enim peccat, spiritualiter nihil est :
quia peccatum, quantum ad suum for-
male, non est nisi defectus et casus ab
esse. *Et nos iniquitates eorum portavi-
mus.* Hoc et nos dicere possumus cum
gravi mœrore, quia propter impiorum pec-
cata Christianorum Terram sanctam olim
inhabitantium, terra illa ablata est, et us-
que in præsens durat ablatio. Peccata quo-
que spiritualium patrum multipliciter no-
civa sunt subditis.
Servi dominati sunt nostri. Infideles 8
namque sunt servi. Christiani vero sunt
liberi, quoniam filii, et a Christo liberati,
qui ait : Si filius vos liberaverit, vere li- Joann. VIII,
beri eritis. Et propter peccata sua Chri- 36.
stiani frequenter ab infidelibus sunt de-
jecti. Multo quoque tempore Ecclesia sub
infidelium dominorum vixit imperio, et
durissime infestabatur ab illo. Præterea
servi sunt carnales affectus, dæmon quo-
que et caro, ac sæculum nequam dæmoni
vitiisque subjectum. Dum ergo ab his su- II Petr. II,
peramur, et ad peccandum inducimur, ser- 19.
vi dominantur nobis. *Et non fuit qui re-
dimeret de manu eorum,* nisi Deus noster,
qui pugnat pro nobis. Nec enim propriis
viribus prævalere valemus : et nisi omni-
potentia Christi subvenisset, quomodo Ec-
clesia in tot tribulationibus subsistere, ac
eripi, imo et vincere potuisset? *In ani-* 9
mabus nostris, id est cum molestia et
labore, *afferebamus panem nobis,* id est,
virtutum exercitiis, quibus pascitur ani-
ma, insudavimus, et panem gratiæ im-
petravimus, *a facie gladii in deserto,* id
est propter impugnationem diabolicæ ten-
tationis, quæ in deserto sæculi hujus facit
nobis grandem molestiam et difficultatem
in resistendo, bene agendo, ac perseveran-
do. Vel gladius deserti, est concupiscentia
carnis, in qua secundum Apostolum, non Rom. VII,
habitat bonum : quæ aggravat animam ad 18. Sap. IX, 15.
superna nitentem, et multiplicem facit in
proficiendo difficultatem. Non enim facile
refrenatur.
Pellis nostra quasi clibanus exusta est 10

a facie tempestatum famis. Pellis animæ A
dici potest propria voluntas, quæ ut cli-
banus ardore peccandi vitiorumque igne
exuritur, dum spiritualiter non fovetur,
nec Dei sermonibus alitur. Istud quoque
corporaliter multis martyribus contigit; et
quidam sponte se macerant, cum Psalmista
Ps. XLIII, 22. Deo dicentes : Quoniam propter te mortifi-
camur tota die.

11 *Mulieres in Sion humiliaverunt, et vir-
gines in civitatibus Juda.* Hoc spiritualiter
agitur, dum invisibilibus inimicis tentan-
tibus, mulieres et virgines christianæ car- B
nalibus vitiis aut concupiscentiis supplan-
tantur, vel dum lubrici eas seducunt : et
summe dolendum est, dum etiam Christo
consecratæ, ab impurissimis hominibus in-
quinantur. Vel mulieres, sunt viri effemina-
ti, qui a diabolo ad omnia turpia proster-
nuntur. Mulieres quoque et virgines, sunt
animæ, Christo in Baptismo conjunctæ :
quæ dum illicite afficiuntur, cum dæmo-
nibus fornicantur, atque ab eis tanquam
12 eorum adulteræ viliter humiliantur. *Prin-
cipes manu suspensi sunt; facies senum* C
non erubuerunt. Hoc martyribus conve-
nit, quorum multi sancti episcopi mani-
bus sunt suspensi; nec reverebantur senes
sanctos crudelissimi persecutores. Denique
manu suspenditur, qui propria operatio-
13 ne se perdit, mentaliterque occidit. *Adole-
scentibus impudice abusi sunt.* Hos enim
tanquam ad vitia voluptatesque pronos,
diaboli ad diversa inquinamenta perdu-
cunt : quod et homines quidam immun-
dissimi facere non verentur. *Et pueri in
ligno corruerunt.* Hoc convenit his qui vir- D
gam correctionis despiciunt, et qui in sua
manent duritia. Lignum quoque, est cor-
Luc. XXIII, 31. pus nostrum : unde et Christus se lignum
viride appellavit. Corpora vero impiorum
ac impii, sunt arida ligna. Pueri ergo in
ligno corruerunt, dum suæ carnis concu-
piscentiis consenserunt. Denique Salomone
Prov. III, 18. testante, sapientia lignum vitæ est. Qui
igitur sapientiæ verba non suscipit, in li-
gno videtur corruere, per hoc quod susten-
tanti sapientiæ non innititur nec unitur.

Senes defecerunt de portis. Quemadmo- 14
dum portæ mortis et inferi sunt peccata,
quibus vita gratiæ tollitur, et anima in
infernum dilabitur; sic portæ vitæ et cœ-
lorum, virtutes et actus earum censentur.
Conversatio nempe virtuosa, est porta an- Matth. VII, 14.
gusta, quæ Christo testante ducit ad vitam.
Quum ergo seniores ac superiores virtuti-
bus non insistunt, de portis deficiunt, nec
eis competit dicere : Aperite mihi portas Ps. CXVII, 19.
justitiæ. *Juvenes de choro psallentium.*
Quot modo sunt juvenes, de facultatibus
Ecclesiæ gloriantes, qui a divinis se ab-
sentant, a choro psallentium desunt, et
dum horas in ecclesia cum ceteris cantan-
do persolverent, instinctum sequuntur dia-
boli, a quo tenentur captivi, et ad illicita, II Tim. II, 26.
ad comessationes, ad ludos, ad scurrilita-
tes, ad lascivias pertrahuntur ! Timeant
hoc etiam religiosi, qui quum sint fortes
et validi, facili occasione subtrahunt se a
divinis, nec in choro psallunt alacriter,
imo torpent ignaviter.

Defecit gaudium cordis nostri; versus 15
est in luctum chorus noster : id est, mul-
tiplici causa a gaudio in mœrorem deve-
nimus : primo, quia nos ipsi tam frequen-
ter Deum offendimus; et quia a spirituali
perfectione tam longe distamus, et quia a
proximis nostris Deus tam graviter inho-
noratur, et quia status Ecclesiæ ad tantam
devenit ruinam, et quia tot adversitatibus
concutiuntur electi, et quia quotidie tot
animæ pereunt, et quia pusilli toties scan-
dalizantur, et quia propter negligentiam
nostram vel per dispensationem divinam
spiritualis consolatio nobis subtrahitur; et
item desiderio patriæ.

Cecidit corona capitis nostri. Caput no- 16
strum est ratio, cujus corona est sapientia
illa quæ donum est. Dum ergo rationem ad
terrena deprimimus, non ad superna eri-
gimus, ruit capitis nostri corona. Porro
corona prælatorum ac prædicatorum, sunt
hi quos ad Deum convertunt, quemadmo-
dum Paulus Philippensibus scribit disci-
pulis : Gaudium meum et corona mea. Qui Philipp. IV, 1.
si ad vitia fuerint lapsi, plangit pius præ-

latus seu prædicator : Cecidit, inquiens, A corona capitis nostri. Præterea, dum principes et prælati mitrati dignitatem suæ potestatis, gradus ac ordinis, indignis moribus vitiosisque actibus dehonestant, dicendum est eis ac subditis : Cecidit corona capitis nostri. Rursus corona capitis, est infusa caritas mentis, vel spirituale sertum ex virtutum floribus contextum, quo caput animæ pulcherrime decoratur : et mortali peccato corona ista aufertur.

Væ nobis quia peccavimus. Nisi enim pœnitentiam dignam egerimus, væ pœnæ B æternæ incurremus. Sed de hoc summe dolere debemus, quod clementissimum summi Patris vultum toties atque tam graviter inhonoravimus ; quod Christo pro nobis passo tam ingrati exstitimus ; quod tempus nostrum tam infructuose expendimus; quod alios spiritualiter læsimus; quod diabolum lætificavimus tam frequenter, et quod quotidie multipliciter coram Deo peccamus. Peccatum namque est infinitæ fugibilitatis, et Deus infinitæ honorabilitatis. Propter quod potius homo mortem subire C deberet, quam vel unum veniale peccatum scienter admittere. Idcirco timorati atque solliciti simus coram supersanctissimo
Prov. iv, 23. Deo, omni custodia cor nostrum custodientes.

17 *Propterea mœstum factum est* in dolore *cor nostrum,* scilicet propter causas prætactas. Et iste est mœror laudabilis, et tri-
II Cor. vii, 10. stitia secundum Deum, quæ pœnitentiam operatur : de qua Salomon protestatur in
Eccle. vii, 5. Ecclesiaste, Cor sapientium ubi tristitia. *Ideo contenebrati sunt oculi nostri,* ex ni- D
Ps. cxviii, 136. mio fletu, juxta quod ait Psalmista : Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Mœror quoque et abstinentiæ atque vigiliæ contenebrant oculos corporales, sed mentales illuminant.

19 *Tu autem, Domine, in æternum perma-*
Ps. ci, 28. *nebis.* Nempe tu idem ipse es, et anni tui non deficient. Et *solium tuum in generationem et generationem.* Solium Dei est anima justa, et ipsa Ecclesia militans et triumphans ; specialiter quoque angelici spiritus qui Throni vocantur. Sed et Psalmista precatur : Qui sedes super Che- Ps. lxxix, 2.
20 rubim, manifestare. *Quare in perpetuum oblivisceris nostri,* Ecclesiam tuam non reformando, Terram sanctam ei non restituendo, animamque te invocantem non audiendo? Denique, quo aliquis fuerit ardentior boni communis zelator, atque interni profectus amator, eo dilatio ista diuturnior flebiliorque videtur, et inde non parum affligitur.

21 *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur.* Tuo enim, o omnipotens Deus et benigne, semper indigemus auxilio, non solum ut gratiam gratificantem habitualem obtineamus, sed etiam ut in adepta perseveremus ac proficiamus. Quumque a bono actu cessamus, indigemus motione Spiritus Sancti, qua ad actum meritorium excitemur. Itaque aversos converte, habitualiter quoque conversos, ad actualem conversionem tu erige, et conversos magis ac magis converte : tu enim in nobis ope- Philipp. ii, 13.
raris et velle et perficere, et omnia opera Is. xxvi, 12.
nostra operaris in nobis. Omnia hæc affectuose oremus, et quoties invenerimus nos vagos, pigros, duros, aut vane dispersos, clamemus : Converte nos, Domine, ad te, et convertemur. *Innova dies nostros sicut a principio,* id est, aurea illa primitivæ Ecclesiæ tempora renova atque restitue nobis, ut cum omni fervore et constantia tibi deserviamus. Nunc enim impletum videtur, quod in secunda ad Timotheum epistola scribit Apostolus : Scito II Tim. iii, 1-4.
quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, et erunt homines amantes se ipsos, superbi, cupidi, sine affectione, sine pace, voluptatum amatores magis quam Dei.

22 *Sed projiciens repulisti nos,* sinens populum christianum ad tantum lapsum venire, Ecclesiam ita corruere, superari ac minorari. *Iratus es contra nos vehementer,* quod tot peccatis et tribulationibus juste nos opprimi tam diu permittis. Nunc enim hæresi ac schismate tribulamur ; et qui

alios reformare tenentur, nec se ipsos reformant nec alios. Quum ergo in tot malis quid agere debeamus ignoremus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te fontem æternum totius A pietatis ac gratiæ, qui solus naturaliter, pure et incircumscriptibiliter bonus es, o Creator adorande, Salvator amande, Judex metuende, qui es super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

II *Par.* xx, 12.

FINIS COMMENTARIORUM IN THRENOS JEREMIÆ

ENARRATIO

IN BARUCH PROPHETAM

PROŒMIUM

DIXIT *Baruch* ad principes Juda : *Ex ore suo loquebatur* Jeremias, *quasi legens omnes sermones istos, et ego scribebam in volumine atramento*. Jer. XXXVI, 18.

In his verbis tangitur auctor hujus libri, atque officium ejus. Auctor equidem fuit Baruch, cujus officium fuit, quod erat sancti Jeremiæ notarius, scribens ex ore ipsius. Propter quod liber iste volumini Jeremiæ immediate subjungitur : et conjunctio *Et*, quæ in principio libri Baruch præmittitur, ad verba copulat Jeremiæ, ut aliqui dicunt. Asserit quoque Josephus, quod Baruch iste fuit vir nobilis, et Jeremiæ notarius, adhærens Jeremiæ usque ad mortem sancti Prophetæ. Liberque Baruch ab Hebræis inter apocrypha computatur : in quo nihilo minus multa notabilia, et quædam de Christo, conscripta sunt.

Ant. Jud. lib. X, c. 9.

ENARRATIO

IN BARUCH PROPHETAM

SCRIBAMQUE JEREMIÆ

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO PRIMI CAPITULI : ET HÆC VERBA QUÆ SCRIPSIT BARUCH.

1 Et *hæc verba quæ scripsit Baruch fi-* A
lius Neriæ, filii Maasiæ, filii Sede-
ciæ, filii Sedei, filii Helciæ. His verbis de-
scribitur genealogia Baruch. Circa quod
scribunt quidam secundum regulam He-
bræorum : Pater ipsius Baruch, et avus, et
ceteri hic positi, habuerunt spiritum pro-
phetiæ, sicut et ipse. Dicunt enim, quod
quando in principio alicujus Prophetæ, po-
nitur nomen patris ejus, et avi, et sic
ascendendo, datur intelligi quod spiritum
propheticum habuerunt. Sed quamvis ve-
rum sit, quod Hebræi hoc dicant, non ta- B
men ad propositum pertinere videtur. Non
enim dicunt Hebræi, librum Baruch ad
libros pertinere propheticos, aut in eorum
numero contineri, nec fatentur hunc li-
brum scriptum spiritu prophetiæ, saltem
per totum. Alioqui inter Scripturas com-
putaretur canonicas, et esset in canone.
Verba autem prophetica quæ continentur
in libro isto, potuit a Jeremia accipere.

Consequenter tangit locum ubi hæc scri-
psit : *in Babylonia,* id est in regione Chal-
dææ, cujus metropolis Babylon fuit. Ex C
quo elicitur, quod scripsit hæc verba non
solum post destructionem Jerusalem per
Chaldæos effectam, sed etiam post mortem
sanctissimi Jeremiæ. Occiso etenim Godo-
lia, Jeremias et Baruch cum Johanan et ce-
teris residuis Judæorum introierunt Ægy-
ptum : ubi quum Jeremias obisset, imo
(ut communiter dicitur, et S. Epiphanius
protestatur) ab incredulis Judæis lapidatus
fuisset, Baruch ad Babyloniam est profe-
ctus. Nam et Ægyptios ac Judæos in Ægy- *Jer.* XLIII,
pto manentes, prophetavit Jeremias a rege 10-13; XLIV, 12-14,27-30.
Babylonis vastandos, ut in Jeremia legitur.

In anno quinto a combustione Jerusa- 2
lem, facta per Nabuzardan principem mili- IV *Reg.* XXV,
tiæ Nabuchodonosor regis, *in septima die* 8, 9.
mensis, forsitan primi, anni illius quinti,
quoniam nomen mensis non exprimitur
hic ; *in tempore quo ceperunt Chaldæi Je-*
rusalem. Hoc additur, ad innuendum quod
Judæi tunc computabant annos a tempore
Babylonicæ captivitatis, sicut jam nume-
rant annos a tempore captivitatis et de-
structionis plebis ac urbis suæ Jerusalem
per Romanos sub Tito. Sicque quod ait, In
tempore, potest exponi, A tempore.

Et legit Baruch verba libri hujus ad 3
aures Jechoniæ filii Joakim regis Juda, et
ad aures universi populi Judaici *venientis*
ad librum. Baruch namque propter sapi-
entiam suam et propter familiaritatem su-

am cum Jeremia habitam, fuit famosus : A
4 idcirco venerunt ad eum. *Et ad aures
potentium filiorum regum Juda,* id est
eorum qui nati fuerunt de semine regum
Juda, quorum aliqui fuerunt in Babylone,
Dan. I, 1-6. prout in Daniele habetur : quorum unus
fuit Daniel, quem Josephus et Epiphanius
dicunt fuisse de regio semine. Septuaginta
tamen interpretes insinuant eum fuisse de
stirpe Levi : quod poterit concordari, quo-
niam illæ duæ tribus fuerunt frequenter
matrimonialiter junctæ. Hinc in Isaia Do-
Is. XXXIX, 7. minus dixit ad Ezechiam : De filiis tuis B
erunt eunuchi in palatio regis Babylonis.
Ad, id est prope, *flumen Sodi* currens per
Ezech. I, III, X, XLIII. Babyloniam. Porro in Ezechiele fit mentio
de flumine Chobar. Et quod ait, Ad flu-
men Sodi, referri potest ad verbum illud,
Legit, vel ad participium istud, Habitan-
tium, quod statim præcedit in textu. Quo-
circa oritur quæstio, quomodo potuerit ista
legere ad aures Jechoniæ præfati, qui fuit
in carcere usque ad mortem Nabuchodo-
IV *Reg.* XXV, 27. nosor regis, ut tangitur quarti Regum ul-
timo. Ad hoc respondendum, quod si Ba- C
ruch legit hæc verba ad omnes prædictos
simul, oporteret dicere quod Jechonias
non fuit clausus in carcere continue, sed
interdum permissus est egredi, quia rex
Ibid. XXIV, 12. erat, et quoniam sponte se tradidit Nabu-
chodonosor regi. Si autem Baruch legit
ista ad præfatos divisim, dici posset quod
permissus fuit regem incarceratum acce-
dere.
5 *Qui audientes plorabant* propter pec-
cata sua ac parentum suorum, et propter
destructionem templi ac civitatis, et ca- D
ptivitatem translationemque suam ; *et je-
junabant* pro misericordia impetranda, *et
Tob. XII, 8. *orabant* pro causa eadem. Bona est enim
oratio cum jejunio.
6 *Et collegerunt pecuniam, secundum quod
potuit uniuscujusque manus,* id est, con-
7 tribuerunt pro viribus suis pecuniam ; *et
miserunt* eam *in Jerusalem ad Joakim fi-
lium Helciæ filii Salom, sacerdotem.* Pos-
set videri alicui, quod Joakim iste fuerit
pontifex, quia subjungitur : *et ad sacer-
dotes, et ad omnem populum qui inventi
sunt cum eo in Jerusalem.* Verius tamen
apparet quod non fuerit pontifex. Josedec
enim pontifex Judæorum, cum Sedecia re-
ge ductus fuit captivus in Babylonem, oc-
ciso patre ejus Saraia pontifice, prout in
Jeremia partim habetur, et Magister in *Jer.* LII, 24, 27.
historiis Josephusque affirmant. Et ipsi
Josedec in pontificatu successit Jesus fi-
lius ejus in reditu a Babylonica captivita-
te, quemadmodum primo Esdræ legitur. I *Esdr.* III, 2, 8.
Unde et Aggæi primo habetur : Et audivit *Agg.* I, 12.
Zorobabel filius Salathiel, et Jesus filius
Josedec sacerdos magnus. De quo et Za-
chariæ tertio scriptum est : Ostendit mihi *Zach.* III, 1.
Jesum sacerdotem magnum. Hinc dicitur,
quod Joakim iste fuit inter sacerdotes de
quibus hic agitur, principalis, quamvis
non pontifex. *Quum acciperent vasa tem-* 8
pli Domini, quæ ablata fuerant de templo
per Chaldæos, et simul cum Sedecia in II *Par.* XXXVI, 18.
Babylonem perducta fuerunt. Hæc enim
vasa remiserunt prædicti Judæi simul cum
pecunia jam prætacta. Acciperent, inquam,
revocare, id est ad hoc, quod revocarentur
et remitterentur in pristinum locum ad
cultum divinum, *decima die mensis Si-
ban,* cui apud nos correspondere dicitur
Maius, partimque Junius, *vasa argentea,
quæ fecit Sedecias rex Juda, posteaquam* 9
cepisset, id est, postquam rex Babylonis
cepit, *Jechoniam* prænominatum, *et prin-
cipes et potentes* ejus quosdam, non om-
nes, ut quarti Regum vicesimo quarto de- IV *Reg.* XXIV, 14.
scribitur, *et populum terræ* Judææ, id est
quosdam de populo, utpote decem millia, *Ibidem.*
ut prætacto fertur capitulo, quanquam Je-
remiæ quinquagesimo secundo scriptum
sit, Tria millia : quod ibi expositum est. *Jer.* LII, 28.
Et dixerunt Judæi in Babylonia exsi- 10
stentes, pecuniamque mittentes et vasa il-
la argentea quæ fecerat Sedecias, eo quod
Nabuchodonosor transportavit aurea vasa I *Esdr.* V, 14.
de templo in Babylonem. Etenim ad fa-
ciendum aurea vasa, non satis abundavit
Sedecias ; vel non satis devotus fuit ad
hoc. Hæc autem vasa Judæi isti prece aut
pretio a Chaldæis recuperaverunt, ac re-

miserunt, secundum istam scripturam apo- A
crypham. *Ecce misimus ad vos pecunias : de quibus emite holocautomata,* id est animalia pro holocaustis immolandis, *et thus, et facite manna,* id est sacrificium, *et offerte pro peccato,* id est pro remissione peccatorum nostrorum, *ad aram,* id est
11 super altare *Dei. Et orate pro vita,* id est pro conservatione vitæ, *Nabuchodonosor regis, et pro vita Balthasar filii ejus.* In
Dan. v, 30, 31. Daniele legitur Babylon capta, Balthasar ibi regnante : qui Balthasar non fuit immediatus filius Nabuchodonosor regis, sed B
filius filii ejus ; et quando hæc quæ hic narrantur, contigerunt, nondum natus videtur. Quomodo ergo petierunt isti orari pro illo ? Et sive natus tunc fuit, sive non, cur potius petierunt orari pro ipso, quam pro patre suo Evilmerodach, qui ante eum regnavit ? Quid ad hæc respondendum sit pro certo, non habeo, nisi forsan immediatus filius Nabuchodonosor, alio nomine appellatus sit Balthasar. *Ut sint dies eorum sicut dies cœli super terram,* id est diuturni ac prosperi, quantum per natu- C
ram fieri potest. Itaque isti Judæi petierunt orari pro pace ac prosperitate regum sub quibus capti erant, sicut et Jeremias
Jer. xxix, 7. scripserat eis : Orate, inquiens, pro civitate ad quam transmigrare vos feci, quia
12 in pace ejus erit pax vestra. *Et serviamus eis multis diebus.* Hoc dixerunt, non quasi optantes diu in servitute manere, et non potius ad propria remeare ; sed ne destructo imperio Babylonis, gravius opprimerentur ab aliis. Noverant enim ex pro-
Ibid. xxv, 11; xxix, 10. phetia Jeremiæ, quod septuaginta annis D
duraret eorum captivitas.

13 *Et pro nobis ipsis orate. Et legite li-*
14 *brum istum,* videlicet librum hunc Baruch, *quem misimus ad vos recitari,* id est ad hoc ut publice recitetur et legatur, *in templo Domini,* id est in loco ubi templum antea stetit, seu in atrio vel atrii loco, ubi plebs convenire et verbum Dei audire solebat, *in die solenni,* id est festis diebus, *et in die opportuno,* quando populus copiosius venerit.

Circa hæc merito quæritur, qualiter vera sint ista. Chaldæi enim destruxerunt et combusserunt templum et urbem Jerusalem atque altare, quæ non fuerunt reædificata, nisi post reditum a Babylonica captivitate, ut habetur in Esdra. Nec in Jerusalem seu locis vicinis habitaverunt sacerdotes ac populus Judæorum, a tempore quo reliquiæ eorum descenderunt cum Jeremia in terram Ægypti ; nec viguit in Judæa vel Jerusalem cultus Dei. Propter hæc et consimilia quædam, liber iste, ut ait Lyra, apud Hebræos reputatur apocryphus. Potest tamen, secundum quod addit, dici, quod quamvis Godolia occiso, omnes Judæi in Judæa superstites fugerint in Ægyptum, ex timore quod rex Babylonis mitteret suos ad vindicandum mortem Godoliæ ; postea tamen videntes quod non mitteret, et audientes quod rex Babylonis Ægyptum invaderet, pro magna parte in Jerusalem propter loci sanctitatem reversi sunt, et parvum altare erexerunt, sicut Patriarchæ et Prophetæ in Genesi et alibi leguntur ad sacrificandum Deo erexisse altaria. (IV Reg. xxv, 9. — I Esdr. iii, v, vi. — Gen. viii, xii, xxvi, xxxiii.)

Sed huic responsioni objici potest illud Jeremiæ : Hæc dicit Dominus : Ecce ego assumam reliquias Judæ, qui posuerunt facies suas ut ingrederentur terram Ægypti ; et consumentur omnes in terra Ægypti in gladio et fame, a minimo usque ad maximum, et non erit qui effugiat et revertatur in terram Juda, ad quam ipsi levant animas suas ut revertantur et habitent ibi. Rursus in Jeremia inducitur : Hæc dicit Dominus : Sicut conflatus est furor meus super habitatores Jerusalem, sic conflabitur indignatio mea super vos quum ingressi fueritis Ægyptum ; et nequaquam ultra videbitis locum istum, omnesque viri qui posuerunt faciem suam ut ingrediantur Ægyptum et habitent ibi, morientur gladio, fame et peste. Amplius in Threnis habetur : Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solennitatem. Ergo prætacto tempore non convenerunt Judæi in diebus festis in templum. Idem patet ex (Jer. xliv, 11, 12, 14. — Ibid. xlii, 18, 17. — Thren. i, 4.)

Is. i, 8. eo quod in Isaia loquitur Dominus : Dere- A
linquetur filia Sion ut umbraculum in vi-
nea, et sicut tugurium in cucumerario.
Unde elicitur quod fuit Judæa pro tunc
omnino deserta. Quod item videtur ex eo
II Par. xxxvi, 21. quod legitur secundo Paralipomenon : Cun-
ctis diebus desolationis ejus egit terra,
puta Judæa, sabbatum (requiescendo vide-
licet a cultura inhabitationeque hominum,
prout doctores exponunt) usque dum com-
plerentur septuaginta anni.

Verumtamen his non obstantibus, videtur
prætacta responsio saltem pro parte posse B
salvari : et hoc ex verbis Jeremiæ proba-
tur. Præallegatis etenim verbis additur :
Jer. xliv, 14. Non revertentur illuc, nisi qui fugerint ;
Ibid. 28. et denuo, Et qui fugerint gladium, rever-
tentur de terra Ægypti viri pauci. Quidam
enim inter Judæos Ægyptum cum Jere-
mia ingressos, erant ceteris meliores, ac
Jeremiæ credentes, atque invite Ægyptum
introeuntes, quia compulsi a Johanan Ca-
ree aliisque principibus : et hi meliores,
Deo moderante, evaserunt manus Chaldæo-
rum Ægyptum vastantium. Hi tamen com- C
paratione aliorum erant tam pauci, quod
quasi nulli reputabantur. Ideo terra Judææ
dicitur tunc fuisse relicta et sabbatizasse.

15 *Et dicetis*, vos ipsos humiliter accusan-
do, ac divini æquitatem judicii collaudan-
do : *Domino Deo nostro justitia* convenit,
et adscribenda est, quoniam juste punivit
nos, et ipse est fons, causa, mensura, et
regula totius justitiæ : juxta illud in Job :
Job xxxiv, 10, 11. Absit a Deo impietas, et ab Omnipotente
iniquitas ; opus enim hominis reddet ei, et
juxta vias singulorum restituet. Et in Psal- D
Ps. xci, 16. mo : Quoniam rectus Dominus Deus no-
Sap. xii, 15, 16. ster. Sapiens quoque ait : Quum sis justus,
juste omnia disponis ; virtus enim tua,
justitiæ initium est. *Nobis autem confusio
faciei nostræ*, id est, confundi meruimus,
et juste contempti sumus, de nostris quo-
que erubescimus culpis, *sicut hodie* evi-
denter apparet. Itaque nobis debetur con-
fusio, *omni Juda*, id est cunctis Judæis de
duarum tribuum regno, *et habitantibus
Jerusalem*, id est, qui habitaverunt in ea,

et nobis qui sumus in loco quo sita fuit
Jerusalem jam incensa, *regibus nostris*, 16
quos habuimus, videlicet Joakim, quem
rex Babylonis occidit et insepultum abje-
cit, Jechoniæ, quem transtulit, et Sedeciæ,
quem excæcavit, *et principibus nostris*, qui
erant officiati regum, *et sacerdotibus*, quo-
rum quidam fuerunt occisi, quidam capti-
vi, *et prophetis nostris*, præsertim pseudo,
seu etiam veris Prophetis, qui multipli-
ces tribulationes perpessi erant, etsi non
a Chaldæis, tamen a perversis Judæis :
sicut et Jeremias, atque Ezechiel, cui Do-
minus dixit : Portentum te dedi domui Ezech. xii, 6.
Israel.

Peccavimus ante Dominum omnia in- 17
tuentem, non verentes in præsentia maje-
statis suæ ipsum offendere ; *et non credi-
dimus* Deo et ejus Prophetis, quia coluimus
idola, *diffidentes in eum*, id est, de ejus
providentia et tuitione desperantes. *Et non* 18
fuimus subjectibiles [*illi*], id est proni ad
hoc, quod ejus imperio subderemur, sed
potius duri et inconvertibiles corde : juxta
illud Jeremiæ, Aversus est populus iste Jer. viii, 5.
aversione contentiosa. *Et dissipati recessi-* 19
mus, id est, vitiis corrupti, spiritualiterque
per peccata destructi, et intra nos divisi
per rebellionem sensualitatis contra ratio-
nem, a Deo nos elongavimus, non loco, sed
dissimilitudine. Propter quod Dominus ait
per Jeremiam : Quid invenerunt patres ve- Ibid. ii, 5.
stri in me iniquitatis, quia elongaverunt a
me, et ambulaverunt post vanitatem, et
vani facti sunt ? Hinc Salomon loquitur :
Longe est Dominus ab impiis. De talibus Prov. xv, 29.
dicitur per Osee : Divisum est cor eorum, Osee x, 2.
nunc interibunt. *Et adhæserunt nobis ma-* 20
la multa, id est gravia vitia et tormenta,
*et maledictiones quas constituit Dominus
Moysi servo suo*, id est, maledictiones et
afflictiones illas incidimus, quas Deus per
Moysen (in libro Numerorum et Deutero-
nomio) prænuntiavit : sicut in Threnis
apertissime invenitur ; *qui eduxit patres
nostros de terra Ægypti, dare*, id est ad
dandum, *nobis terram fluentem lac et mel*,
id est terram promissionis valde fertilem

et abundantem, *sicut hodierna die,* id est, A
sicut nunc patet ad oculum nos esse af-
flictos.
22 *Et abivimus,* id est, a Deo recessimus,
unusquisque in sensu, id est cogitatione et
gustu *cordis nostri maligni :* quoniam ex
deliberatione et delectatione peccavimus,
gloriantes in vitiis; *operari,* id est sacrifi-
care et obsequi, *diis alienis, facientes ma-*
Eccli. XXIII, 28. *la ante oculos Domini,* qui multo lucidio-
res sunt sole, circumspicientes omnes vias
Hebr. IV, 13. hominum : de quibus ait Apostolus, Omnia
nuda et aperta sunt oculis ejus. Cujus rei
consideratio debet nos a peccatis retrahe-
re, atque ad bona inducere, sicut ait vir
sanctus : Servavi mandata tua et testimo- *Ps.* CXVIII, 168.
nia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu
tuo. Interdum etiam idololatriam exercue-
runt in templo tempore Achaz et Manassæ. IV *Reg.* XVI, 12-16; XXI, 4-7.
In quo utique templo Deus specialiter ha-
bitare ac intueri ferebatur, prout libro
tertio Regum testatur : Erunt oculi mei et III *Reg.* IX, 3.
cor meum ibi cunctis diebus. Sicque spe-
cialiter ante oculos Domini peccaverunt.

ARTICULUS II

ELUCIDATIO CAPITULI SECUNDI : PROPTER QUOD STATUIT DOMINUS DEUS NOSTER, ETC.

CONFESSIO divinæ justitiæ, et invocatio B
misericordiæ Altissimi, hic ponuntur.
1 *Propter quod,* id est prætacta in præce-
denti capitulo vitia nostra, *statuit Domi-*
nus verbum suum, id est, comminationem
suam adimplevit in nobis, *quod* verbum
locutus est ad nos et ad judices nostros, et
ad reges et principes nostros, etc., id est ad
universum populum Judæorum, tam eos
qui fuerunt tempore Moysis, per quem
ista prædixit, quam ad posteros eorum-
2 dem; *ut adduceret Dominus super nos*
mala magna, id est tormenta et plagas C
gravissimas, *quæ non sunt facta sub cœlo,*
id est, alibi in terra non contigerunt in
ulla gente, *quemadmodum facta sunt in*
Jerusalem tempore obsidionis a Chaldæis,
3 *ut manducaret homo carnes filii sui et filiæ*
suæ. Ex hoc elicitur, quod obsidione illa
durante tanta fuit fames in Jerusalem, quod
parentes comederunt propriam sobolem :
quod et in obsidione Jerusalem a Romanis,
IV *Reg.* VI, 29. Josephus refert factum; in obsidione quo-
que Samariæ a Syriæ rege, legitur conti-
Thren. IV, 10. gisse. Hinc in Threnis asseritur : Manus D
mulierum misericordium coxerunt filios
suos, facti sunt cibus earum in contritione
filiæ populi mei. Sicut enim scelera Ju-
dæorum, legem ac Prophetas habentium
et abjicientium, fuerunt graviora sceleri-
bus gentium, ita et major eis debebatur
afflictio, quemadmodum et Christus in
Evangelio loquitur : Servus qui cognovit *Luc.* XII, 47, 48.
voluntatem domini sui, et non fecit, plagis
vapulabit multis; qui autem non cognovit,
et fecit digna plagis, vapulabit paucis.
Hinc ab Ezechiele fuit prædictum : Hæc *Ezech.* V, 7-10.
dicit Dominus : Quia superastis gentes quæ
in circuitu vestro sunt, ideo faciam in te
judicia in oculis gentium, et faciam in te
quæ non feci, et quibus similia ultra non
faciam, et comedent patres filios in medio
tui, et filii comedent patres suos. *Secun-*
dum quod scripta, id est prædicta, *sunt*
mala ista in lege Moysis in Deuteronomio,
quo inter cetera legitur : Adducet Dominus *Deut.* XXVIII, 49, 50, 52, 53.
super te gentem procacissimam, quæ non
deferat seni, nec misereatur parvuli; obsi-
deberis intra portas tuas, et comedes fru-
ctum uteri tui, et comedes carnes filiorum
tuorum et filiarum tuarum.
Et dedit illos sub manu omnium regum 4
qui sunt in circuitu nostro. Hoc factum
est successive : quia interdum fuerunt sub-

diti regibus Syriæ, interdum Philistiim, A
quandoque regibus Moab et Ammon, inter-
dum regibus Assyriorum et Chaldæorum
atque Ægyptiorum : quæ omnia in libris
Judicum, Regum, ac Paralipomenon conti-
nentur. *Et in improperium et in desola-*
tionem in omnibus populis in quibus nos
dispersit : juxta quod Dominus in Jeremia
Jer. XXIX, 18, 19. prædixit, Dabo eos in vexationem et in
maledictionem et in stuporem et in sibi-
lum et in opprobrium, eo quod non au-
5 dierint verba mea. *Et facti sumus subtus,*
id est adversariis subditi, *et non supra,* B
quia peccavimus Domino Deo nostro, non
obaudiendo voci ipsius.
6 *Domino Deo nostro justitia.* Hoc expo-
Baruch I, 15. situm est capitulo præcedenti. *Quia locu-*
7 *tus est Dominus super nos omnia mala*
hæc, id est, per Moysen et Prophetas com-
minatus est nobis ea et prædixit, *quæ ve-*
8 *nerunt super nos; et non sumus deprecati*
faciem Domini Dei nostri. Multi enim fue-
runt inter Judæos tam indurati, quod nec
in cladibus suis nec plagis recurrerunt ad
misericordiam Dei, juxta illud Jeremiæ : C
Jer. V, 3. Percussisti eos, et non doluerunt; renue-
runt accipere disciplinam, induraverunt
facies suas supra petram, et noluerunt re-
Is. IX, 13. verti. Unde et in Isaia habetur : Populus
non est reversus ad percutientem se, et
9 Dominum non exquisierunt. *Et vigilavit*
Dominus in malis, id est, vigil et diligens
fuit ad infligendum nobis mala pœnalia :
Thren. I, 14. juxta illud Threnorum : Vigilavit jugum
iniquitatum mearum in manu ejus; con-
10 volutæ sunt et impositæ collo meo. *Et non*
audivimus aure obedientiæ, *vocem ejus,* D
ut iremus, id est, conversaremur et ad ve-
ram beatitudinem tenderemus, *in præce-*
ptis quæ dedit ante faciem nostram, id
est, evidenter nobis proposuit, tam in
monte Sinai per Moysen, quam interim
uberrime per Prophetas : idcirco excusa-
tionem non habemus.
14 *Exaudi, Domine, et educ nos* de invisi-
bili atque visibili captivitate, *propter te,* id
est propter propriam tuam bonitatem et
pietatem, et ad tui ipsius honorem, *et da*
nobis invenire gratiam ante faciem eo-
rum, scilicet Chaldæorum, *qui nos abdu-*
xerunt in captivitatem, ita ut non gravent
nos valde; *ut sciat omnis terra,* id est ha- 15
bitatores terræ, *quia tu es Deus noster,* id
est, ex hoc advertant omnipotentiam tuam
atque clementiam tuam in nobis, quod fa-
cis nos tam pie tractari in terra captivita-
tis a crudelibus inimicis.
Respice oculo pietatis *de domo tua san-* 16
cta in nos, id est de loco in quo templum
stetit, et de altari; vel potius de summo
cœlo : secundum illud Deuteronomii, Re- *Deut.* XXVI, 15.
spice, Domine, de sanctuario tuo, et de
excelso cœlorum habitaculo; et in Psalmo,
Dominus in cœlo paravit sedem suam. *Quia* *Ps.* CII, 19.
non mortui qui sunt in inferno, id est 17
damnati, *dabunt honorem et justificatio-*
nem Domino, id est, Dominum non hono-
rant, nec eum justificant nisi materialiter,
in quantum in eorum justissima damna-
tione relucet ac commendatur. Imo et a
sapientibus viatoribus formidatur divinæ
rigor justitiæ. *Sed anima quæ tristis est* 18
super magnitudine mali, id est, de enormi-
tate vitiorum suorum pœnitentialiter con-
tristatur, quæ etiam propter adversa gemit
ac mœret ordinate, *et incedit curva* per
humilitatem, *et infirma* per propriæ fragi-
litatis ac defectuositatis recognitionem, *et*
oculi deficientes, id est, in propriis viribus
non confidentes, imo propriam insufficien-
tiam ac defectuositatem jugiter attenden-
tes : quod de interioribus intelligendum
est oculis; *et anima esuriens,* id est, pro-
ficere cupiens, et justitiæ actibus satiari
affectans, *dat tibi gloriam et justitiam Do-*
mino, id est, omnem beatitudinem, excel-
lentiam, æquitatem tibi adscribit, te ex-
tollit, honorat, et se ipsam dijudicat. Hinc
fertur in Psalmo : Quoniam non est in *Ps.* VI, 6.
morte qui memor sit tui; in inferno autem
quis confitebitur tibi? Itemque : Sacrifi- *Ps.* L, 19.
cium Deo spiritus contribulatus. Isaias quo-
que ait : Dominus in excelso et sancto ha- *Is.* LVII, 15.
bitans, et cum contrito et humili spiritu,
ut vivificet spiritum humilium, et cor
contritorum.

19 *Quia non secundum justitias patrum* A
nostrorum fundimus preces, id est, propter
merita proximorum patrum nostrorum non
deprecamur exaudiri a te, quum et ipsi
gravissime peccaverint in te sub Joakim,
20 Jechonia, et Sedecia. *Sed quia misisti iram*
tuam et furorem tuum super nos, id est
punitiones et calamitates quas tua justi-
tia per Chaldæos nobis inflixit : quæ nos
admonet ut tuam invocemus clementiam;
sicut locutus es in manu, id est per mini-
sterium et linguam, *puerorum tuorum Pro-*
phetarum : qui fuerunt pueri, a puritate, B
Is. VIII, 18. non a puerilitate. De quibus in Isaia : Ecce
ego et pueri mei. Hinc in Zacharia angelus
Zach. II, 4. superior ait angelo inferiori : Curre et lo-
quere ad puerum istum, videlicet Zacha-
riam prophetam. Christus quoque post re-
Joann. XXI, 5. surrectionem suam ait Apostolis : Pueri,
numquid pulmentarium habetis? Et in
Act. IV, 25. Actibus primitiva orat Ecclesia : Deus, qui
Spiritu Sancto per os David pueri tui di-
xisti. Denique in Scripturis ministri solent
pueri appellari : sic quoque Prophetæ vo-
21 cantur pueri Dei. *Inclinate humerum ve-* C
strum et cervicem vestram, et operamini,
id est servite, *regi Babylonis,* patienter sus-
tinendo jugum ipsius in ultionem iniqui-
22 tatum vestrarum. *Quod si non audieritis*
vocem Domini, defectionem vestram faci-
am de civitatibus Juda, etc., id est, habi-
tatores deficere faciam de civitatibus ve-
stris, ita quod a plebe Babylonis occidentur
et capientur. Istud Jeremias frequenter
prædixit, Ezechiel quoque.
24 Deinde Baruch alloquitur Deum. *Et non*
audierunt Judæi *vocem tuam,* id est, jus- D
sionibus tuis non obedierunt, *et statuisti,*
id est implesti, *verba tua, ut transferren-*
tur ossa regum nostrorum et patrum no-
strorum de loco suo. Chaldæi namque avari
aperuerunt sepulcra regum ac divitum Ju-
dæorum, ut raperent thesauros seu alia
pretiosa corporibus sepultorum adjuncta.
25 *Et ecce sunt projecta in calore solis, et in*
gelu noctis : id est, Chaldæi ossa defuncto-
rum hinc inde projecerunt, ita quod ja-
cuerunt super terram in æstu solis per

diem et in frigore noctis; *et mortui sunt*
patres nostri *in doloribus pessimis,* id est
pœnalissimis, *in fame, et gladio, et emis-*
sione, id est quidam ex esurie, alii ense,
alii in itinere ad Chaldæam. *Et posuisti* 26
templum, id est, illud destrui permisisti,
sicut est dies hæc, id est, sicut apparet
usque in præsens.
Et fecisti in nobis secundum omnem 27
benignitatem tuam, et sermonem, et mi-
serationem illam tuam magnam, id est,
copiosa et præclara beneficia nobis fre-
quenter largitus es, secundum immensam
tuam pietatem, et secundum ejus munifi-
centiam ac promissionem, *sicut locutus es* 28
in manu pueri tui Moysis, in die qua præ-
cepisti ei scribere legem tuam coram filiis
Israel, scilicet in deserto : ubi et Deutero- *Deut.* XXVII-
nomium legis in lapidibus scribi jussit, XXX; IV-X.
legem quoque exposuit, beneficia Dei com-
memoravit, ingratitudinem populi et futu-
ra ejus prænuntiavit facinora, dicens in
persona Dei : *Si non audieritis vocem me-* 29
am, ambitio hæc magna et multa, id est
excellentia et gloria tua tibi a me conces-
sa, *convertetur in miseriam,* id est, ad ca-
lamitates terminabitur quæ succedent. Sic-
que ambitio potest hic sumi in bono, sicut
superbia in Isaia, ubi Dominus loquitur :
Ponam te in superbiam sæculorum. *Quo-* *Is.* LX, 15.
niam ego Dominus Deus dispergam illos
Judæos mihi ingratos. *Populus enim duræ* 30
cervicis est, id est indomitæ mentis. De
his ait Dominus ad Moysen in Deuterono-
mio : Ecce tu dormies cum patribus tuis, *Deut.* XXXI,
et populus iste consurgens, fornicabitur 16, 17.
post deos alienos, et invenient eum omnia
mala et afflictiones.
Et revertetur ad cor suum, id est consi-
derationem veram et salutarem, *in terra*
captivitatis suæ, vexatione eis intellectum *Is.* XXVIII,
præstante. *Et dabo eis cor,* id est cordis il- 19. 31
luminationem ac usum rationis salubrem;
et intelligent ea quæ Dei sunt ac suæ salu-
tis, *et laudabunt me in terra captivitatis* 32
suæ, suam captivitatem æquanimiter tole-
rantes. Tales fuerunt nonnulli, ut Tobias :
Ego, inquit, in terra captivitatis meæ con- *Tob.* XIII, 7.

fitebor illi. Sic quoque Daniel et socii ejus, A
33 multique alii. *Et avertent se a dorso suo duro,* id est a sua pertinaci inobeditione : Jer. II, 27; XXXII, 33. de quo in Jeremia Dominus ait, Verterunt ad me dorsum, et non faciem; *quia reminiscentur viam,* id est conversationem iniquam, *patrum suorum, qui peccaverunt in me.* Sicque pensando qualiter patres eorum propter scelera sua plagati sunt, timebunt, et se emendabunt.

34 *Et revocabo illos* in propria persona, vel in persona sobolis suæ, *in terram quam juravi patribus eorum,* videlicet in terram promissionis : quod factum fuit septuaginta annis captivitatis Babylonicæ evolutis, II Par. XXXVI, 22, 23; I Esdr. I-III, V, VI. ex licentia Cyri regis, ut patet secundo libro Paralipomenon, et in libro Esdræ. *Et multiplicabo eos* ibi numero et merito, *et*
35 *non minorabuntur* ad certum tempus. *Et statuam illis testamentum alterum sempiternum,* id est evangelicam legem usque ad finem sæculi duraturam, et cui lex altera divina et vera non succedet, quæ item ad æternam beatitudinem introducit. Hoc consonat ei quod per Jeremiam Dominus Jer. XXXI, 31. ait : Ecce dies veniunt, et feriam domui Israel et domui Juda pactum novum. De hac lege in Isaia multa divinitus sunt prædicta, ut est illud : Ecce electus meus, Is. XLII, 1, 4. suscipiam eum, et legem ejus insulæ exspectabunt; et alibi in eodem, Lex a me Ibid. LI, 4. exiet, et judicium meum in lucem populorum requiescet; itemque, Ecce testem Ibid. LV, 4. populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. *Ut sim illis in Deum* per gratiam exuberantem, *et ipsi erunt mihi in populum* maxime præelectum : quod in exordio evangelicæ legis in primitiva illa Jerosolymitana Ecclesia excellentissime noscitur adimpletum.

Et non movebo amplius populum meum filios Israel, a terra quam dedi illis. Si exponatur hoc de terra illa Judææ, intelligendum est sub conditione, videlicet nisi peccando aliud mereantur, quemadmodum similes promissiones Dei in Scripturis in- B telliguntur. Sed quia de populo Judæorum pro tempore novi Testamenti ista dicuntur, per terram istam intelligitur Ecclesia militans, et præsertim triumphans Ecclesia, seu regio Beatorum, quæ est regnum cœlorum, ac patria paradisi cœlestis, figurata per terram promissionis. Quam patriam æternalem Deus omnipotens suis electis et patribus olim principaliter finaliterque promisit, dicens ad Abraham : Ego Gen. XV, 1. protector tuus, et merces tua magna nimis. Nec enim terrena hereditas aut cor- C poralis possessio, potuit esse dignum et ultimatum præmium actuum virtuosorum, præsertim quum Deus liberalitatis immensæ ultra condignum remuneret. Hinc in Missæ officio continetur : Sed Michael archangelus repræsentet animas in lucem sanctam, quam olim Abrahæ promisisti et semini ejus. Juxta quem sensum fertur in Joele : Judæa in æternum habi- Joel III, 20. tabitur.

ARTICULUS III

EXPOSITIO CAPITULI TERTII : ET NUNC, DOMINE OMNIPOTENS, DEUS ISRAEL.

ORATIO in præcedenti capitulo inchoata, hic continuatur; et salubris exhor-
1 tatio atque doctrina subduntur. *Et nunc, Domine omnipotens, Deus Israel, anima in angustiis,* id est animæ nostræ angu- D stiatæ, *et spiritus anxius,* id est formidolosus, *clamat ad te.* Adversitas namque et afflictio excitant hominem ad hoc, quod ad Deum per orationem et humiliationem sui ipsius confugiat, juxta illud Jonæ :

Jonæ II, 8. Quum angustiaretur in me spiritus meus, A
Ps. CXIX, 1. Domini recordatus sum; et in Psalmo, Ad
Dominum, quum tribularer, clamavi. Ad
quod agendum Dominus provocat, dicens:
Ps. XLIX, 15. Invoca me in die tribulationis; eruam te,
2 et honorificabis me. *Audi, Domine, et mi-*
serere, quia Deus misericors es; et misere-
re nostri. Istud est genus devotissimæ ora-
tionis, eumdem sensum per eadem aut
consimilia verba multoties iterare : quia
3 ex hoc affectus in se ipso accenditur. *Quia*
tu sedes in sempiternum, id est, æterna-
liter invariabiliterque quiescis, regnas, et B
4 præsides. *Audi nunc orationem mortuo-*
rum Israel, id est sanctorum patrum no-
strorum jam defunctorum : qui viventes
adhuc in carne, oraverunt pro posteris
suis, in limbo quoque oraverunt pro vi-
vis, quemadmodum secundo libro Macha-
II *Mach.* XV, 14. bæorum fertur de Jeremia : Hic est qui
multum orat pro populo et universa san-
cta civitate, Jeremias propheta. *Et filio-*
rum ipsorum, etc., videlicet orationem no-
stram. *Et agglutinata sunt,* id est, fortiter
et intime adhæserunt, *nobis mala* pœnæ C
pro malis culpæ, imo adhuc utraque in
nobis abundant.
5 *Noli meminisse iniquitatis patrum no-*
strorum, id est, indulgeas eis, parcendo
animabus eorum a pœnis, nec puniendo
nos corporali temporalique pœna propter
ipsorum peccata : juxta illud Threnorum:
Thren. V, 7. Patres nostri peccaverunt, et non sunt; et
nos iniquitates ipsorum portavimus. *Sed*
memento manus tuæ, id est, omnipoten-
tiam tuam ostende in nostra liberatione et
subventione, *et nominis tui,* id est famæ D
tuæ, quam per mirabilia tua in cordibus
hominum peperisti : quam conservare et
augere digneris, nos miraculose tuendo ac
redimendo. Vel, Nominis tui, id est tui ip-
sius nomine designati : hoc est, bonitatem
ac pietatem tuæ majestatis in nobis osten-
6 de. *Et laudabimus te, Domine.* Hoc bo-
num propositum exaudibilem facit oratio-
nem; nec dignus est Deum laudare, nisi
qui fuerit misericordiam consecutus, et
Eccli. XV, 9. desuper gratiose purgatus, quum non sit

speciosa laus in ore peccatoris. *Quia pro-* 7
pter hoc dedisti timorem tuum, præsertim
filialem, aut initialem, *in cordibus nostris,*
id est voluntatibus. Quemadmodum enim
amoris, sic et timoris subjectum est vo-
luntas, loquendo de amore qui est caritas,
et filiali ac initiali timore. Amor autem et
timor, prout sunt passiones, sunt subje-
ctive in appetitu sensitivo. *Ut invocemus*
nomen tuum. Timor enim incidendi mala,
instigat ad orandum pro virtute et gratia
evadendi hæc ipsa. *Ecce nos dispersisti in* 8
improperium, et in maledictum, et in pec-
catum : id est, ita ex nostra dispersione et
captivitate sustinemus multa opprobria, et
maledicimur, ac multas peccandi occasio-
nes incurrimus inter idololatras commo-
rando. Propter quod David dixit : Maledicti I *Reg.* XXVI, 19.
sunt in conspectu Domini, qui ejecerunt
me hodie, ut non habitem in hereditate
Domini, dicentes : Vade, servi diis alienis.
Sequitur exhortatio fructuosa. *Audi, Is-* 9
rael, id est, o Israelitica plebs, *mandata*
vitæ, id est divina præcepta, præsertim
quorum observantia ad vitam gloriæ in-
troducit, et ex gratiæ vita procedit, ac
gratiæ incrementum meretur. Unde ait Sal-
vator : Si vis ad vitam intrare, serva man- *Matth.* XIX, 17.
data. Et Salomon contestatur : Qui servat *Eccle.* VIII, 5.
præceptum, non experietur aliquid mali.
Auribus cordis et corporis, *percipe* verba
salubria, *ut scias prudentiam,* non solum
humanam naturalem politicam, sed potis-
sime spiritualem divinam infusam, quæ
est virtus moralis, cardinalis, et meritoria,
rectaque ratio agibilium secundum divinæ
legis doctrinam ac supernaturalis exigen-
tiam finis. De qua asseritur ad Romanos :
Prudentia spiritus, vita et pax; in Prover- *Rom.* VIII, 6.
biorum quoque libro, Beatus homo qui *Prov.* III, 13.
invenit sapientiam, et qui affluit prudentia.
Quid est, Israel, id est, quæ est causa, 10
o Israel, *quod in terra inimicorum es,* sci-
licet in Babylonia ac aliis regnis gentilium
te odientium? *Inveterasti in terra aliena,* 11
id est, ad senectutem venisti in pagano-
rum territoriis commorando. Decem siqui-
dem tribus jamdudum captæ fuerunt sub

Ezechia, et duæ tribus pro parte sub Jechonia, et partim sub Sedecia. *Coinquinatus es,* id est vitiis implicatus, *cum mortuis,* id est gentilibus spiritualiter mortuis, inter quos habitas. De taliter mortuis ait
Matth. VIII, 22. Salvator : Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Unde et in Apocalypsi Joannis
Apoc. III, 1. ait cuidam : Nomen habes quod vivas, sed mortuus es. Hinc in Ezechiele Dominus
Ezech. XIII, 19. ait de pseudoprophetis : Vivificabant animas quæ non vivunt. Porro filii Israel inter gentiles manendo, communicabant eis in cibis et aliis multis lege prohibitis, juxta
Tob. I, 11, 12. illud Tobiæ : Quum Tobias per captivitatem devenisset in Niniven, et omnes ederent ex cibis gentilium, iste custodivit animam suam. *Deputatus es cum descendentibus in infernum,* id est, incredulis factus es similis per vitia et tormenta pro magna parte, nec plus reputatus quam ceteræ nationes.

Subditur autem causa malorum istorum.
12 *Dereliquisti fontem sapientiæ,* scilicet Deum, per transgressionem præceptorum suorum : de quo scriptum est : Omnis
Eccli. I, 1. sapientia a Domino Deo est; et rursus, Fons
Ibid. 5.
13 sapientiæ verbum Dei in excelsis. *Nam si in via Dei ambulasses,* id est, in observantia legis divinæ vixisses : juxta quod
Ps. CXVIII, 1. scriptum est, Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini; *habitasses utique in pace super terram* promissionis :
Deut. I, 39; III, 20; IV, 1, 5, 14; etc. sicut in Deuteronomio sæpe promissum fuit filiis Israel. Unde in Isaia Dominus
Is. XLVIII, 18. ait : Utinam attendisses mandata mea : facta fuisset quasi flumen pax tua.

14 *Disce ubi sit,* id est, in quo consistat, et qualiter acquiratur ac conservetur, *prudentia* spiritualis; *ubi sit virtus* infusa vel fortitudo, quæ uno modo est donum, et alio modo virtus cardinalis; *ubi sit intel-*
Ibid. XI, 2. *lectus,* qui est unum de septem donis, et interdum pro intelligentia Scripturarum accipitur, quandoque pro habitu principiorum. Intellectus autem, prout est donum, est habitus supernaturalis infusus, per quem ea quæ fidei sunt, perspicaciter contemplamur, rationes credendorum considerando. *Ut scias simul* formata ac salubri scientia, *ubi sit longiturnitas vitæ,* id est salus æterna, quæ est in regno cœlesti, et in Deo objective consistit, qui ait de unoquoque electo : Glorificabo eum; lon- *Ps.* XC, 15, 16.
gitudine dierum replebo eum, et ostendam illi salutare meum. Hinc de increata Sapientia legitur : Longitudo dierum in dex- *Prov.* III, 16.
tera ejus, et in sinistra illius divitiæ et gloria. *Et virtus,* id est plena stabilitas immortaleque robur. Aliqui legunt, Et victus, id est felix et gloriosa refectio, quæ est beatifica summi et infiniti boni fruitio. *Ubi sit lumen oculorum* interiorum, videlicet lumen gloriæ et clara per speciem cognitio Deitatis : de quo in Psalmo, In *Ps.* XXXV, 10.
lumine tuo videbimus lumen. Hoc lumen est Christus, de quo Simeon sanctus : Vi- *Luc.* II, 30-32.
derunt, inquit, oculi mei Salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum; lumen ad revelationem gentium. Qui et testatur : Ego sum lux mundi. *Et pax* *Joann.* VIII, 12.
æternitatis, quæ est consummata et inviolabilis tranquillitas mentis in Deo. Unde Apostolus : Pax Christi, quæ exsuperat om- *Philipp.* IV, 7.
nem sensum, custodiat corda vestra. Hæc pax, est plenarie contentativa quies Beatorum in Deo.

Quis invenit locum ejus, puta sapien- 15
tiæ? Locus sapientiæ, est ipse fons sapientiæ Deus, et in corde Dei Patris quiescit unigenitus Filius, qui est sapientia increata, unicus Filius Dei, in sinu Patris requie- *Joann.* I, 18.
scens. Insuper omnis mens creata sapientiam veram participans, sapientiæ locus est et subjectum. Imo et anima justi, se- *Cf. Prov.* XIV, 33; *Sap.* VII, 27.
des est sapientiæ. Locum autem sapientiæ qui est Deus, infidelium nullus invenit per fidem et caritatem. Nec de mentibus viatorum certitudinaliter scire valemus sine revelatione, quod in ipsis sit sapientia quæ est donum, quæ caritati inseparabiliter est conjuncta. *Et quis intravit in thesauros ejus?* id est, opulentiam et gratiarum charismata, contemplationes et actus, ac raptus sapientiæ salutaris, donoque* sapientiæ semper annexa, quis contemplatus est aut cognovit, nisi expertus? Sic et in Job

* donaque

Job xxviii, 12. inducitur : Sapientia ubi invenitur ? et A
quis est locus intelligentiæ?
16 *Ubi sunt principes gentium,* id est re-
ges, imperatores, et præsidentes gentilium
et hominum mundanorum, qui ante pau-
cos annos fuerunt nobiscum, aut diu de-
functi sunt ? *Et qui dominantur super*
bestias, quas venando sibi subjiciunt aut
17 aliter possident? *Qui in avibus cœli lu-*
dunt, capiendo aves cœli aerii per aves
18 rapaces ; *qui argentum thesaurizant, et*
aurum, in quo confidunt homines munda-
ni, carnales, avari : juxta illud in Psalmo, B
Ps. li, 9. Ecce homo qui non posuit Deum adjuto-
rem suum, sed speravit in multitudine
divitiarum suarum. Quocontra hortatur
I Tim. vi, 17. Apostolus, Non sperare in incerto divitia-
Job xxxi, 24. rum. Et sanctus Job : Si putavi, inquit,
aurum robur meum, et obrizo dixi, Fidu-
cia mea. *Et non est finis acquisitionis eo-*
rum, id est, rebus acquisitis et adeptis
non satiatur appetitus eorum. Imo quo
plura adipiscuntur, eo plura adipisci ni-
tuntur, ita quod instar hydropicorum cre-
scit eis ex potu sitis. *Qui argentum fa-* C
bricant, id est, de materia argenti formant
sibi per suos artifices nummos, ornamen-
ta, seu idola. *Qui solliciti sunt* circa ter-
rena accumulanda et circa temporales di-
Matth. vi, 34. vitias. Quocontra docuit Christus : Nolite
solliciti esse de crastino. *Nec est inventio*
operum illorum, id est, nova et curiosa
excogitant, quibus similia vix inveniun-
tur. Thesauros quoque suos abscondunt,
et interdum improvise ac subito moriun-
tur, ita quod optata nequeunt ad effectum
perducere : sicque opera eorum intenta D
non inveniuntur, quia nec facta sunt :
quemadmodum et Psalmista ait de impio,
Ps. xxxvi, 36. Quæsivi eum, et non est inventus locus
19 ejus. *Exterminati sunt,* id est sublati de
vita præsenti, *et ad inferos descenderunt :*
Job xxi, 13. secundum illud Job, Ducunt in bonis dies
suos, et in puncto ad inferna descendunt ;
et alii in loco eorum successerunt : juxta
Eccle. i, 4. illud Ecclesiastæ, Generatio præterit, et
generatio advenit.
20 *Juvenes,* id est filii eorum, qui fuerunt
juvenes non solum ætate, sed etiam mo-
ribus, *viderunt lumen,* id est, in exterio-
rum visu et luce sensibili sunt delectati,
juxta illud Ecclesiastæ : Dulce lumen, et Eccle. xi, 7.
delectabile oculis videre solem ; *et habi-*
taverunt super terram, rebus sensibilibus
finaliter adhærendo, juxta illud Jeremiæ :
Recedentes a te, Domine, in terra scri- Jer. xvii, 13.
bentur. Quocontra ait Apostolus : Nostra Philipp iii, 20.
conversatio in cœlis est ; et denuo, Quæ Coloss. iii, 2.
sursum sunt sapite, non quæ super ter-
ram. *Viam autem,* id est actum et exerci-
tium, *disciplinæ nescierunt :* quia pro suis
peccatis corripi et corrigi renuerunt, nec
in vera scientia proficere studuerunt, jux-
ta quod legitur in Proverbiorum libro :
Sapientiam atque doctrinam stulti despi- Prov. i, 7.
ciunt ; in Ecclesiastico quoque, Peccator Eccli. xxxii, 21.
vitabit omnem correptionem. *Neque intel-* 21
lexerunt semitas ejus, id est vias et modos
inquirendi ac obtinendi eamdem : quia
per humilitatem, pœnitentiam, sobrieta-
tem et castimoniam, ad disciplinam hanc
pervenitur. *Neque filii eorum* carnales,
seu imitatores, *susceperunt eam :* quia pa-
trum et majorum suorum vitia communi-
ter imitantur. *A facie ipsorum* interiore
et intellectu (de qua fertur in Psalmo :
Exquisivit te facies mea) *longe facta est,* Ps. xxvi, 8.
id est, multum distitit, quia ad eam non
præparaverunt se.
Non est audita in Chanaan, id est, Cha- 22
nanæi et Amorrhæi eam non didicerunt,
nec apprehenderunt. Fuerunt enim vitiosi
atque idololatræ. *Neque visa in Theman,*
id est in regione sic dicta, a qua Eliphaz
amicus Job, Themanites vocatur. Circa Job ii, 11, etc.
quod addit quidam, quod scilicet Eliphaz
non ponebat nisi vitam præsentem, ut di-
ctum est super librum Job. Verumtamen Ibid. art. xiii.
super Job evidenter ex ipso textu probavi Ibidem.
oppositum, et quod tres illi amici Job po-
suerunt animas hominum immortales. Nam
et ipse Eliphaz in prima sua argumenta-
tione inter cetera dixit : Deus in angelis Ibid. iv, 18.
suis reperit pravitatem. Qui autem ange-
los corruisse noverunt, eorum ruinam per
hominum animas recuperandam crede-

bant. Hinc S. Gregorius et Albertus Ma- A
gnus, ac alii multi super Job fassi sunt,
quod amici Job dixerunt esse vitam per-
petuam post præsentem.
23 *Filii quoque Agar,* id est Agareni, *qui*
exquirunt prudentiam quæ de terra est,
id est carnalem et sæcularem prudentiam
ad acquirendum bona terrena ac prospe-
ritatem mundanam. De qua fatetur Apo-
Rom. XIII, 6. stolus : Prudentia carnis, mors est; et rur-
Ibid. 7. sus : Sapientia carnis inimica est Deo; legi
enim Dei non est subjecta. *Negotiatores*
terræ Theman et fabulatores, quia in suis B
contractibus multa loquuntur et mentiun-
tur, ut decipiant alios, et carius vendant,
et exquisitores prudentiæ carnalis, *et in-*
telligentiæ sæcularis, quia excogitant mo-
dos et practicas fallendi, lucrandi, ditandi,
Jer. IV, 22. juxta illud : Sapientes sunt ut faciant
Luc. XVI, 8. mala. Unde Salvator : Filii, inquit, hujus
mundi prudentiores filiis lucis in genera-
tione sua sunt. *Viam autem sapientiæ* sa-
lutaris, quæ donum est, *nescierunt, neque*
commemorati sunt semitas ejus, id est,
modum et conatum pertingendi ad eam, C
actionesque ejus non attenderunt.
24 *O Israel, quam magna est domus Dei, et*
ingens locus possessionis ejus, id est di-
vitiarum ipsius ! Per domum hanc quidam
intelligunt cœlum empyreum, quod est
habitaculum Dei ac Beatorum. De qua in
Ps. LXXXIII, 5. Psalmo : Beati qui habitant in domo tua,
Joann. XIV, 2. Domine. Christus quoque : In domo, ait,
Patris mei mansiones multæ sunt. Potest
etiam dici, quod tota terra sit domus Dei,
Jer. XXIII, 24. qui ait per Jeremiam : Cœlum et terram
ego impleo. Et uterque locus iste dicitur D
25 *magnus, et non habens finem, excelsus,*
respectu inferni inferioris, vel summus, si
de cœlo intelligatur empyreo, *et immen-*
sus, non penitus infinite, sed per hyper-
bolen, ad insinuandum magnitudinem loci
istius, et quoniam ejus magnitudinem me-
tiri nequimus. Juxta quem sensum in Ec-
Eccli. XVI, 17. clesiastico legitur : Quæ est anima mea
in tam immensa creatura ? Atque in Jere-
Jer. XXXI, 37. mia : Si mensurari possunt cœli sursum
et terra deorsum. Sic et in Josue libro le-

guntur filii Ruben et Gad ædificasse al- *Josue* XXII, 10.
tare magnitudinis infinitæ. Dicitur quoque
locus iste non habere finem suæ duratio-
nis a parte post, juxta illud Ecclesiastæ :
Terra in æternum stat. Præterea spiritu- *Eccle.* I, 4.
aliter domus et locus Dei ingens et ma-
ximus, est Ecclesia universalis toto orbe
diffusa. Expositioni autem qua per locum
istum intelligitur terra, magis consonare
videtur quod subditur.
Ibi fuerunt gigantes, qui ab initio, sci- 26
licet a prima mundi ætate, *fuerunt statura*
magna, scientes bellum, id est experti in
bellicis rebus. De quibus scriptum est in
Genesi : Gigantes erant super terram in di- *Gen.* VI, 4.
ebus illis, videlicet ante diluvium. *Non hos* 27
elegit Dominus. Erant enim multum iniqui,
superbi et violenti. *Neque viam disciplinæ*
invenerunt, sed incompositi et indomiti
exstiterunt ; *propterea perierunt* diluvio.
Et quia non habuerunt sapientiam, per- 28
ierunt propter suam insipientiam. Nemi- *Sap.* VII, 28.
nem enim diligit Deus, nisi qui cum sa-
pientia inhabitat, ut scriptum est in libro
Sapientiæ. Nec sine dono sapientiæ ali-
quis potest salvari. Et si gigantes illi in
diluvio non pœnituerunt, damnati sunt.
Quis ascendit in cœlum, et accepit eam, 29
videlicet supernaturalem sapientiam, *et*
eduxit eam de nubibus? id est, nullus ho-
mo naturali et propria potestate potuit
hanc sapientiam obtinere, quum sit do-
num supernaturale. Ideo subditur : *Quis* 30
transfretavit mare, et invenit eam, et at-
tulit illam super aurum electum, id est
prævalentem omni auro? juxta illud Pro-
verbiorum, Pretiosior est sapientia cunctis *Prov.* III, 15.
opibus. Vel, Super aurum electum tan-
quam super vehiculum : nam aurum ultra
mare investigatur, et inde adducitur, ut III *Reg.* IX, 28 ; X, 11 ; XXII, 49.
patet tertio Regum. *Non est qui possit sci-*
re vias ejus, etc., ex sola naturali ratione. 31
Unde nec puri philosophi eam noverunt.
Sed qui scit universa, videlicet Deus, 32
novit eam, et adinvenit eam prudentia
sua, id est, aliunde non didicit neque ac-
cepit. Tales enim propositiones exponen-
dæ sunt negative, ut quum Deus dicitur

habere esse a se ipso, vel sibi ipsi subsistentiam exhibere, id est, ab alio esse non habet. *Qui præparavit,* id est, habitationi hominum et brutorum aptam fecit, *terram in æterno tempore,* id est simul cum tempore, quod a parte post æternum est, non autem a parte ante. Tempus autem, materia prima, cœlum, et angelus, dicuntur quatuor coæquæva. *Et replevit eam pecudibus* ad hominum utilitatem.
33 *Qui emittit lumen, et vadit; et vocavit illud.* Potest hoc accipi de lumine solis, quod juxta ordinationem ac jussionem sapientiæ Creatoris procedit a sole, et funditur ad corpora superiora ac inferiora, et lumen in sole exsistens, cum ipso sole redit ad locum priorem. Imo Deo jubente, retrahitur nec apparet, sicut in triduo non fulsit Ægyptiis, ut legitur in Exodo. Unde fertur in Job : Qui præcipit soli, et non oritur. Hinc additur : *et obedit illi in tremore,* id est, instar servi timentis mox obedit Dei imperio. His consonat illud Ecclesiastæ : Oritur sol, et occidit, et ad locum suum revertitur ; ibique renascens, gyrat per meridiem, et flectitur ad aquilonem.

Exod. x, 22. *Job* ix, 7. *Eccle.* i, 5, 6.

34 *Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis,* id est, inferiora illuminant, observando cursum et actionem eis a Creatore præfixam, juxta illud Genesis : Fecit Deus stellas, et posuit eas in firmamento cœli, ut lucerent super terram ; *et lætatæ sunt,* id est, sua officia promptissime per modum lætantium ministrorum sunt exsecutæ.
35 *Vocatæ sunt,* id est, ad agendum ac influendum, seu ad supernaturale aliquid, a Creatore præceptum acceperunt, qui, ut in Job habetur, claudit stellas quasi sub signaculo ; *et dixerunt* ipso facto, *Adsumus* ad obediendum paratæ. *Et luxerunt ei,* id est ad gloriam Creatoris, *cum jucunditate,* id est ornatu et splendore, per modum gaudentis et intelligentis naturæ. Sic et in Judicum libro asseritur : Stellæ manentes in ordine et cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt.

Gen. i. 16, 17. *Job* ix, 7. *Judic.* v, 20.

Præterea quidam philosophi atque theologi tam Hebræi quam christiani dixerunt, cœlestia corpora esse animata et intellectualis naturæ : quod Rabbi Moyses affirmat ex lege et Prophetis probari. Nam et super illud Ecclesiastæ, Lustrans universa in circuitu pergit spiritus, ubi per spiritum intelligitur sol secundum expositores communiter, ait S. Hieronymus : Solem vocat spiritum, quoniam vivit et spirat, et animalis est. Alibi tamen videtur Sanctus ille magis sentire, quod corpora cœlestia non sint animata. Beatus vero Augustinus super Genesim et in Enchiridion, de hac re ambigue loquitur. Porro Basilius et Damascenus fortiter adstruunt corpora cœlestia non esse animata. Qui vero vellet tenere quod sint animata, posset ex hoc loco sumere argumentum : quia dicuntur hic stellæ lætatæ ; et, Adsumus, respondisse ; ac cum jucunditate luxisse : quæ tamen metaphorice et per similitudinem possunt intelligi.

Eccle. i, 6.

Qui fecit illas, hic est Deus noster, et non æstimabitur alius adversus eum. Nam ipse solus est verus Deus, nec putandus est alius aliquis esse verus Deus, cui adoratio et sacrificatio sint exhibendæ. Imo qui aliter æstimaret, vero Deo esset rebellis. *Hic adinvenit omnem viam disciplinæ,* id est, aliunde eam non accepit, sicut expositum est, sed ex se fontaliter eam agnovit, ac aliis communicavit, quemadmodum subditur : *et tradidit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo.* Hoc verum est, sive per Jacob intelligatur determinata illa persona filius Isaac, a qua natæ sunt duodecim tribus, et alio nomine appellatus est Israel, ut in Genesi habetur ; sive per Jacob et Israel intelligatur populus Judæorum descendens ab illo, et in Scripturis sæpissime nomine Jacob et Israel designatus : cui populo data est lex et sapientia salutaris. Jacob autem interpretatur supplantans ; Israel vero, videns Deum. Itaque cunctis supplantantibus vitia, contemplantibusque divina, datur illuminatio sapientialis superna. 36 37

Gen. xlix, 28. *Ibid.* xxxii, 28.

Post hæc in terris visus est, id est vere visibilis factus, per Incarnationis myste- 38

rium factus homo, permanens invariabiliter Deus, in unitate personæ Deus et homo consistens ; *et cum hominibus conversatus est.* Quod totum de Unigenito Dei Patris, æquali suo Patri, Verbo æterno, est accipiendum, juxta illud Joannis : [Joann. I, 14.] Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Hoc novit Baruch sive ex speciali revelatione divina, sive quia a magistro suo Jeremia hoc didicit, qui in libro suo ait, alloquens ipsum Deum : [Jer. XIV, 8.] Quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum ? De hoc in Isaia leguntur multa : [Is. IX, 6.] Parvulus, inquit, natus est nobis, et filius datus est nobis ; et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pa- A cis. Hinc ait in Zacharia : [Zach. II, 10, 11.] Gaude et lætare, filia Sion, quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui ; et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa. Verumtamen quidam exponunt hæc de visione Dei de qua legitur in Exodo : [Exod. XXIV, 9, 10.] Ascenderunt Moyses et Aaron, Nadab et Abiu, et viderunt Deum Israel. Sed et cum filiis Israel dicitur Deus in solitudine habitasse ac ambulasse. [Ibid. XXV, 8 ; XXIX, 45 ; Lev. XXVI, 12 ; Deut. XXIII, 14.] Quæ expositio videtur inepta. In illa enim visione Deus visus non fuit in propria persona, sed in creatura sub- B jecta ipsum repræsentante, ut dictum est ibi. Quamvis etiam Deus legatur cum filiis Israel habitasse ac ambulasse, non tamen proprie conversatus fuisse ante incarnationem ipsius.

ARTICULUS IV

DECLARATIO CAPITULI QUARTI : HIC LIBER MANDATORUM DEI.

BENEFICIA Dei populo Judæorum exhibita, atque ejusdem populi ingratitudo, multiplexque afflictio, hic descri-
1 buntur. *Hic liber mandatorum Dei,* id
est, præcepta Dei in hoc libro tanguntur per admonitionem quæ fit hic, ut serventur, *et lex quæ est in æternum,* id est lex divina data per Moysen, quæ quoad præcepta sua moralia, et quantum ad præfigurata ac prænuntiata, manet in evangelica lege, imo et partim in patria : hæc, inquam, lex in hoc libro recolitur, et hic de ea tractatur. *Omnes qui tenent eam* per obedientiam et exsecutionem, *pervenient ad vitam* gloriæ, si perseveraverint usque in finem. [Matth. XXIV, 13.] Quod pro tempore veteris Testamenti est intelligendum : imo et pro tempore evangelicæ legis, quoad moralia legis præcepta, et quantum ad credenda. *Qui autem dereliquerint eam, ad mortem* culpæ, deinde ad mortem pertingent gehennæ. Imo et corporaliter jubebantur oc- C cidi legis transgressores, dicente Apostolo : Irritam quis faciens legem Moysis, absque ulla contradictione duobus aut tribus testibus moritur. [Hebr. X, 28 ; Deut. XVII, 6.]

Convertere, Jacob, id est tu, popule na- 2
tus ex Jacob, *et apprehende eam,* id est, disce, recole, et adimple ; *ambula per viam* præsentis exsilii *ad splendorem ejus,* id est secundum directionem et doctrinam legis divinæ, et perge ut plene illumineris in ea, *contra lumen ejus,* id est oculum cordis dirigendo versus tenorem et ad cla- D ritatem legis præfatæ, ut dirigas actus tuos secundum lucida documenta ac jussa ipsius, quum scriptum sit in Proverbiis : Mandatum lucerna est, et lex lux ; [Prov. VI, 23.] atque in Psalmo, Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis. [Ps. CXVIII, 105.] Hinc rursus Salomon ait : [Prov. IV, 18.] Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem. Denique juxta sensum quo dicitur hic, Contra lumen

Ps. LXXVI, 3. ejus, ait Psalmista : In die tribulationis A
meæ Deum exquisivi manibus meis nocte
3 contra eum. *Ne tradas alteri gloriam tu-
am,* id est, legem tibi collatam non tradas
gentilibus, ita ut tu ipse eam dimittas, et
noli esse Deo ingratus, ne merearis privari
privilegiis tibi desuper præstitis, *et digni-
tatem tuam* non tradas *genti alienæ,* id
est idololatris, ita ut abutendo beneficiis
Dei, merearis privari excellentia tua, qua
populus Dei peculiaris vocaris, et multis
donis Dei es præ ceteris exaltatus. Sed
hanc exhortationem postea, præsertim in B
Christi adventu, non impleverunt Judæi.
Imo sua incredulitate, ingratitudine, per-
versitate, meruerunt excidi, exstirpari, re-
linqui. Propter quod gentes vocatæ sunt,
Rom. XI, 17, 24. et olivæ insertæ, prout ad Romanos docet
Ibid. 12, 15, 20. Apostolus : Delictum (inquiens) illorum,
divitiæ sunt mundi ; et amissio illorum,
reconciliatio est mundi ; et propter incre-
dulitatem fracti sunt.

4 *Beati sumus nos, Israel,* id est, nos
Israeliticus populus jam sumus beati in
spe et merito ac dispositione propinqua ; C
*quoniam quæ Deo placent, nobis manife-
sta sunt,* id est, divina præcepta et Pro-
phetarum oracula ac testimonia Scriptu-
rarum, seu necessaria ad salutem, nobis
innotescunt ex lege et Prophetis, ita quod
5 sumus supernaturaliter eruditi. *Animæ-
quior,* id est pacatioris animi, *esto tu, po-
pulus Dei,* quamvis adversitatibus casti-
geris, quia hoc ipsum est tua purgatio, et
signum dilectionis Dei ad te, *memorabilis
Israel,* id est tu, plebs electa, cujus Deus
memor est in bonum, et digna es memoria D
coram ipso. Unde in Isaia Dominus loqui-
Is. XLIX, 15. tur : Numquid oblivisci potest mulier in-
fantem suum, ut non misereatur filio uteri
sui ? Et si illa oblita fuerit, ego tamen
non obliviscar tui.

6 *Venundati estis gentibus in* perditio-
* alias *non in* *nem,* id est, propter iniquitates vestras
traditi estis gentilibus ad temporalem af-
flictionem ac mortem : juxta illud in Isaia,
Is. L, 1. Ecce in iniquitatibus vestris venundati
estis. *Sed propter quid ? In ira,* id est ob
hoc quod per iram vestram, seu per pecca-
ta quæ commisistis, *ad iracundiam provo-
castis Deum,* quia divina justitia juste re-
liquit vos, ita quod dire peccastis : juxta
illud Isaiæ, Ecce tu iratus es, et peccavi- *Is.* LXIV, 5.
mus. Itaque in ira Deum offendistis, ita
quod ipse quasi per modum provocati ad
iracundiam, acriter vos correxit. *Exacer-* 7
bastis, id est, ad amaram ultionem indu-
xistis, *eum qui vos fecit, Deum æternum :*
qui invariabilis est omnino, quamvis more
et affectu humano in Scripturis loquatur.
Ad quod insinuandum ait in Jeremia :
Numquid me ad iracundiam provocant ? *Jer.* VII, 19.
nonne semetipsos in confusione vultus
sui ? *Obliti estis eum qui nutrivit vos,* sci- 8
licet Deum, qui corporalibus et spirituali-
bus bonis vos aluit ; *et contristastis nutri-
cem vestram Jerusalem,* id est Synagogam,
quæ fuit in illa metropoli, in qua fuerunt
aliqui justi et sancti Prophetæ, qui vos
spiritualiter refecerunt, quantum in ipsis
fuit : quos contristastis, non acquiescendo
eorum increpationibus, comminationibus
et doctrinis.

Vidit enim iracundiam a Deo venien- 9
tem vobis, id est, Synagoga illa quantum
ad Prophetas, prævidit castigationem vobis
ex divina justitia imminentem. *Et dixit :
Audite, confines Sion,* id est, attendite
quæ vobis prænuntio, o urbes ad Jerusa-
lem pertinentes ; *adduxit enim mihi Deus
luctum magnum,* revelando mihi pœnas
quæ imminent vobis, quoniam vestram ca-
ptivitatem et desolationem prævidi : sicut
subjungitur : *vidi enim captivitatem po-* 10
puli mei. Nutrivi enim illos, id est, ha- 11
bitatores et filios meos corporaliter spiri-
tualiterque refeci, *cum jucunditate,* quando
mihi obedientes fuerunt, quorum prospe-
ritati atque profectui congratulabar. *Di-
misi autem illos cum fletu* cordis, *et luctu*
oculorum, quando pertinaciter averterunt
se ab eloquiis meis, et dum in captivita-
tem profecti sunt. Hoc Jeremias in Threnis *Thren.* I, 9, 12, 16, 20; II, 11; V.
fecisse se monstrat. *Nemo gaudeat super
me viduam et desolatam,* id est super me 12
Jerusalem dissipatam, et a Sponso cœlesti

relictam, sed potius mihi condoleat. Hinc A
Thren. I, 1. in Threnis inducitur : Quomodo sedet so-
la civitas plena populo? Facta est quasi
vidua domina gentium. *A multis derelicta*
sum, utpote ab habitatoribus et filiis meis,
qui occisi sunt vel dispersi : et hoc, *pro-*
13 *pter peccata* eorum. *Justitias ipsius* Dei
nescierunt : quia notitiam actualem for-
matam et practicam divinorum mandato-
rum seu increatæ justitiæ Dei, non ha-
buerunt. Et quamvis divina et increata
justitia sit una et simplex in se, pluraliter
tamen *justitiæ* dicitur, propter diversita- B
tem suorum effectuum, et quoniam om-
nem perfectionem ac virtuositatem in-
cludit.

14 *Veniant confines Sion,* id est, ceteri
Judæi concurrant, et pensent quæ mihi
contigerunt. Ideo subditur : *et memoren-*
tur, id est recolant, *captivitatem filiorum*
15 *meorum et filiarum mearum. Adduxit*
enim super illos gentem de longinquo,
gentem improbam, id est irrationalem, in-
honestam, impudentem, puta Chaldæos.
16 *Qui non sunt reveriti senem,* quum tamen C
senibus reverentia debeatur, secundum il-
Lev. XIX, 32. lud Levitici : Coram cano capite consur-
ge, et honora personam senis ; *neque pue-*
rorum miserti sunt : quibus tamen debetur
compassio; propter quod præceperunt Ro-
mani pueros non occidi in bello. Hinc in
Thren. IV, 16. Threnis habetur : Facies sacerdotum non
erubuerunt, neque senum miserti sunt.
Porro de importunitate et crudelitate Chal-
Joel I, 6, 7; II, 2-11. dæorum, in Joele plenius legitur. *Et ab-*
duxerunt dilectos viduæ, id est, carissimos
filios viduarum duxerunt in captivitatem, D
et a filiis unicam desolaverunt, id est,
matres fecerunt viduas, non habentes vi-
rorum aut prolis solatia, occidendo seu
captivando viros ac sobolem mulierum.

17 *Ego autem* Synagoga seu urbs Jerusa-
lem, *quid possum* (id est, non possum)
18 *adjuvare vos* nisi orando? *Qui enim addu-*
xit super vos mala pœnalia, propter vitia
vestra, videlicet Deus, *eripiet vos,* redu-
cendo vos ad terram patrum vestrorum,
19 quum fueritis digne correcti. *Ambulate,*
filii, ambulate, bene vivendo ac proficien-
do ; *ego enim derelicta sum sola,* id est
habitatoribus et filiis meis privata : sicut
ex Threnis jam tactum est, Quomodo se- *Thren.* I, 1.
det sola civitas plena populo ? etc. *Exui* 20
me stola, id est veste *pacis :* quia spoliata
sum pace temporis et pectoris ; *et indui*
me sacco obsecrationis, id est veste cilici-
na, afflictiva ac humili, in qua decet ora-
re. Quemadmodum quarto Regum libro
legitur : Ezechias indutus sacco, auditis IV *Reg.* XIX, 1.
blasphemiis regis Assyriorum, ingressus
est domum Domini ad orandum. Similiter
scriptum est in Jona : Operiantur saccis *Jonæ* III, 8.
homines et jumenta, et clament ad Deum
in fortitudine.

Ego enim speravi in æternum, id est 22
indesinenter, *salutem vestram :* imo sal-
vationem vestram perfectam, æternaliter
duraturam, per Christum donandam spe-
ravi et exspecto ; *et venit mihi gaudium*
a Sancto, id est, a Deo substantialiter san-
cto, infusa est mihi consolatio spiritualis,
super misericordia, id est de pietate, re-
demptione et gratia, *quæ veniet vobis ab*
æterno salvatore vestro, id est rege Mes-
sia, qui secundum naturam suam divinam
æternus est, utpote verus Deus, juxta illud
Jeremiæ : Hoc est nomen quod vocabunt *Jer.* XXIII, 6.
eum, Dominus justus noster. Isaias quoque :
Ecce virgo concipiet et pariet filium, et *Is.* VII, 14; *Matth.* I, 23.
vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod
interpretatur, Nobiscum Deus. *Emisi enim* 23
vos de Judæa ad Babyloniam *cum luctu*
et ploratu. Reducet autem vos inde *Deus*
cum gaudio et jucunditate in sempiter-
num. Quamvis hoc aliquo modo possit ex-
poni de reversione Judæorum ad propria
ex Chaldæa, aptius tamen exponitur de
liberatione spiritualis captivitatis eorum a
jugo diaboli, et servitute peccati per Chri-
stum : quæ reductio habet plenam et sem-
piternam lætitiam ; non illa prædicta, quæ
et postmodum fuit dispersa. Unde et cla-
rius subditur : *Sicut enim viderunt vici-* 24
næ Sion, id est civitates in gyro Jerusa-
lem et Judææ commorantes, *captivitatem*
vestram a Deo vobis per Chaldæos infli-

ctam ; *sic videbunt et in celeritate,* id est
cito atque velociter respectu æternitatis
sequentis, *salutem vestram a Deo,* id est
perfectam vestram redemptionem per Chri-
stum, *quæ superveniet vobis cum honore*
magno et splendore æterno : quia effectus
liberationis factæ per Christi passionem,
datur electis, quantum ad animas eorum,
quum fuerint plene purgatæ, cum summo
honore et claritate luminis gloriæ. In die
autem judicii dabitur omnibus simul cum
reverentia maxima et sempiterno splen-
Matth. XIII, 43. dore : quia fulgebunt ut sol in regno Pa-
tris cœlestis.
25 *Filii, patienter sustinete iram,* id est
correctionem et ultionem, *quæ supervenit*
Mich. VII, 9. *vobis :* juxta illud Michææ : Iram Domini
portabo, quia peccavi ei, donec judicet
causam meam. *Persecutus est enim te ini-*
micus tuus visibilis seu invisibilis, scilicet
populus Chaldæorum et hostis antiquus.
Sed cito videbis perditionem ipsius : quia
Chaldæi fuerunt per Medos et Persas de-
structi, viventibus adhuc aliquibus de Ju-
dæis captis per Chaldæos, utpote Daniele
et sociis ejus, multisque aliis. Invisibiles
autem hostes Christus devicit. *Et super*
cervices ipsius ascendes, id est, Chaldæos
a Persis et Medis victos calcabis. De invi-
Rom. XVI, 20. sibili vero hoste ait Apostolus : Deus con-
teret Satanam sub pedibus vestris velo-
Luc. X, 19. citer; Christus quoque, Ecce dedi vobis
potestatem calcandi supra omnem virtu-
tem inimici.
26 *Delicati mei,* id est teneri Judæi, *ambu-*
laverunt vias asperas, eundo in captivita-
tem, imo et per distorta vitiorum itinera
incedendo. *Ducti sunt enim* in Babylo-
niam, omnibus divitiis suis spoliati, et
multis eorum occisis. Ideo subditur : *ut*
27 *grex direptus ab inimicis. Animæquiores*
estote. Erit enim memoria vestra ab eo qui
duxit vos, id est, Deus erit misericorditer
memor vestri, qui in Chaldæam vos duci
fecit, qui et per viam salutis modo vos
28 ducit. *Sicut enim fuit sensus vester ut*
erraretis a Deo, id est, sicut ad peccandum
exhibuistis sensus vestros et intellectum ;

A *decies tantum iterum convertentes requi-*
retis eum, id est, multo intentius stude-
bitis Deo placere, ad ipsum convertendo
corda vestra, ut sitis ei perfecte semper
uniti : quod maxime est impletum in Chri-
sti discipulis, suscepto in die Pentecostes
Spiritu Sancto. *Qui enim induxit vobis* 29
mala pœnæ, *ipse rursus adducet vobis sem-*
piternam jucunditatem cum salute vestra.
Hoc Christus fecit, qui merito suæ salu-
berrimæ passionis devicto mortis aculeo,
aperuit januam regni cœlestis, et plenam
B beatitudinem suis promeruit; atque disci-
pulis suis promisit passioni jam proximus,
Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor *Joann.* XVI, 22.
vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet
a vobis.

Consequenter auctor affatur et consola-
tur Jerusalem dissipatam, quantum ad ejus
reliquias. *Animæquior esto, Jerusalem : ex-* 30
hortatur enim te ad confidendum in se, *qui*
te nominavit, id est, nomen tuum in Pro-
phetis frequenter expressit, et qui ex sua
providentia nomen tuum tibi imponi fecit.
C *Nocentes peribunt qui te vexaverunt,* sicut 31
Chaldæi. *Civitates quibus servierunt filii* 32
tui, punientur : quia Persæ et Medi vasta-
verunt multa oppida Chaldæorum, quibus
Judæi capti deserviebant; *et quæ accepit*
filios tuos, utpote Babylon metropolis, pu-
nietur propter crudelitatem suam factam
in te, et quia perversa intentione afflixit te.

Sicut enim gavisa est in tua ruina, sic 33
contristabitur in sua desolatione, sibi per
Persas Medosque infligenda, juxta illud
Psalmistæ : Filia Babylonis misera, bea- *Ps.* CXXXVI, 8.
D tus qui retribuet tibi retributionem tuam
quam retribuisti nobis. *Et amputabitur* 34
exsultatio multitudinis ejus. Fuit enim mi-
serandissimum, videre interfectionem ha-
bitantium in Babylone, qui quasi innume-
rabiles erant. Unde quum Isaias vidisset
eam in spiritu, dixit : Corrui quum au- *Is.* XXI, 3, 4.
direm, conturbatus sum quum viderem;
emarcuit cor meum, tenebræ obstupefece-
runt me; Babylon dilecta mea, posita est
mihi in miraculum. *Ignis enim superve-* 35
niet ei ab æterno, id est a Deo æterno, et

sicut ab æterno præordinatum est a Deo,
qui per Darium et Cyrum reges fecit Baby-
lonem pro magna parte comburi, *in longi-
turnis diebus.* Diu enim duravit combustio
illa, sicut Carthago a Romanis incensa, le-
gitur triginta diebus in suo stetisse incen-
dio, ac intuentibus miserandum præbuisse
spectaculum. *Et habitabitur a dæmoniis in
multitudine temporis.* Est namque usque
in præsens inhabitabilis facta hominibus;
estque repleta animalibus venenosis ac
monstruosis. Et sicut hic tangitur, com-
A morantur ibi dæmonia quædam, juxta illud
Isaiæ : Requiescent ibi bestiæ, et reple- *Is.* xiii, 22.
buntur domus eorum draconibus, et pilosi
saltabunt ibi. Per pilosos autem quidam
intelligunt dæmones incubos, alii diversa
genera dæmonum. In Isaia autem habetur
de Idumæa : Et erit cubile draconum, et *Ibid.* xxxiv, 13, 14.
pascua struthionum; et occurrent dæmo-
nia, etc. In talibus ergo locis desertis so-
lent quædam morari dæmonia, prout in
libro de Universo plenius scribit Guillel-
mus Parisiensis.

ARTICULUS V

EXPOSITIO CAPITULI QUINTI : CIRCUMSPICE, JERUSALEM, AD ORIENTEM.

PLENA consolatio Judæorum, ac futu-
rorum bonorum promissio eis facta,
36 tanguntur hic. *Circumspice, Jerusalem,* id
(cap. iv) est tu, Synagoga, plebsve Judaica, *ad ori-
entem, et vide jucunditatem tibi a Deo ve-
nientem.* Potest hoc litteraliter accipi de
plaga orientali, videlicet regione Persarum
atque Medorum, ex qua venerunt Cyrus et
Darius ad demoliendum Babylonem : quo
II *Par.* facto, Cyrus monarchiam sortitus, dedit
xxxvi, 23. Judæis licentiam redeundi ad propria, ac
reædificandi urbem ac templum, prout in
Is. xlv, 13. Isaia Dominus de eo prædixit : Ipse ædifi-
cabit civitatem meam, et captivitatem me-
am dimittet. Altius autem considerando,
per Orientem intelligitur Christus, de quo
cantat Ecclesia : O Oriens lucis æternæ. De
Zach. iii, 8. quo Dominus ait in Zacharia : Ecce ego
adducam servum meum Orientem; et de
Ibid. vi, 12. quo rursus Zacharias inducit, Ecce vir,
Oriens nomen ejus. Admonentur ergo Ju-
dæi, ut oculos cordis levent ad Unigeni-
tum Dei regem Messiam, et contemplentur
consolationem, redemptionem, salutem eis
dandam per illum.
37 *Ecce enim venient filii tui, quos dimi-
sisti dispersos,* quando a Chaldæis hinc in-
B de capiebantur; *venient collecti ab oriente
usque ad occidentem,* id est a locis orien-
talibus, respectu Judææ, usque Judæam,
respectu partium illarum occiduam, *in ver-
bo Sancti gaudentes in honorem Dei,* id
est, gloriantes de impletione promissionis
Dei essentialiter sancti, qui per Isaiam,
Jeremiam, et alios vates reditum illum
prædixit. Veneruntque in Dei honorem, ut
instaurarent templum et cultum ipsius.
Spiritualius autem loquendo, venerunt filii
Synagogæ collecti per fidem, spem, et ca-
C ritatem, ad Ecclesiæ unitatem per evange-
licæ legis prædicationem, qui ab invisibili-
bus hostibus fuerunt dispersi per vitiorum
diversitatem. Huic quoque expositioni ma-
gis concordant sequentia :
Exue te, o *Jerusalem, stola luctus et ve- 1
xationis tuæ,* id est, mœrorem, quo quasi
veste operta eras, a tuo rejice corde, atque
lugubria abjice vestimenta; *et indue te de-
core et honore,* id est virtutum ornatu ac
gratiæ dignitate, *qui* decor et honor *a Deo
tibi est* promissus seu dari paratus, *in
D sempiterna gloria,* id est ad hoc, ut per
ipsum decorem et dignitatem gratiæ ac
virtutum, ad æternalem perducaris felici-

tatem : qui etiam decor et honor multo
perfectius datur in sempiterna gloria cœ-
2 lestique patria, quam in præsenti. *Circum-
dabit te* [*Deus*] *diploide justitiæ,* id est,
virtute æquitatis te decorabit in mente,
sicut vestitur et ornatur corpus diploide,
quæ est vestis duplex seu duplicata, et
militaris. Et potest diploidis nomine intel-
ligi duplex stola gloriæ Beatorum, videlicet
glorificatio animæ et corporis, juxta illud
Prov. xxxi, 21. Proverbiorum : Omnes domestici ejus ve-
stiti sunt duplicibus. *Et imponet mitram
capiti tuo honoris æterni,* id est, mentem
tuam coronabit beatifica visione, quæ est
tota merces tanquam corona pulcherrima :
Ps. xx, 4. juxta id Psalmistæ, Posuisti in capite ejus
coronam de lapide pretioso; et in libro
Sap. v, 17. Sapientiæ, Justi accipient regnum decoris
et diadema speciei de manu Domini. Deni-
que in populo Judæorum ad Christum con-
verso, ista etiam in præsenti vita fuerunt
aliquo modo impleta, præsertim in sanctis
Apostolis, ceterisque sanctis discipulis, qui
omni justitia erant ornati, et sacerdotali
episcopalique dignitate fulciti, secundum
Apoc. i, 6. illud in Apocalypsi : Christus fecit nos re-
gnum et sacerdotes Deo et Patri suo.
3 *Deus enim ostendet splendorem suum in
te :* quia in vita hac monstravit in eis splen-
dorem gratiæ suæ, atque charismatum gra-
tiæ gratum facienti annexorum; in patria
autem monstrabit in eis splendorem gloriæ
Is. lviii, 11. æternalis. Hinc in Isaia habetur : Requiem
tibi dabit Dominus semper, et implebit
splendoribus animam tuam. Unde oravit
Ps. lxxxix, 17. Psalmista : Et sit splendor Domini Dei no-
Mich. vii, 9. stri super nos; Michæas quoque, Deducet
me Dominus in lucem, et videbo justitiam
4 ejus. *Nominabitur enim tibi nomen tuum
a Deo in sempiternum, Pax justitiæ et ho-
nor pietatis,* id est, tanta erit pax tua, tan-
ta pietatis ac devotionis tuæ honorificentia,
quod Deo ordinante ac præcipiente, voca-
beris, Pax justitiæ et honor pietatis.
5 *Exsurge, Jerusalem,* per contemplatio-
nem divinorum, *et sta in excelso* sublimita-
tis, caritatis, atque virtutum; *et circumspice
ad orientem,* id est ad Christum, sicut ex-

A positum est, *et vide collectos filios tuos,* id
est in Christo spiritualiter congregatos, *ab
oriente solis** *usque ad occidentem,* id est * sole
ex omnibus mundi plagis ad Christum
conversos, *in verbo Sancti gaudentes,* id
est, in verbis evangelicæ prædicationis
Christi, qui est Sanctus Sanctorum, glorian-
tes, *Dei memoria,* id est ex contemplatione
recordationeque Dei, juxta illud : Memor *Ps.* lxxvi, 4.
fui Dei, et delectatus sum. *Exierunt enim* 6
abs te pedibus ducti ab inimicis, id est
viliter tractati ab hostibus in hoc mundo.
B *Adducet autem Dominus illos ad te,* id
est, tibi eos rursus associabit, *portatos in
honore,* id est honorifice deportatos ab an-
gelis ad regnum cœleste, *sicut filios regni,*
id est secundum quod decet adoptivos Dei
filios, heredes Dei, coheredesque Christi. *Rom.* viii, 17.
Constituit enim Deus humiliare omnem 7
*montem excelsum et rupes perennes, et
convalles replere in æqualitatem terræ, ut
ambulet Israel diligenter in honorem Dei.*
Huic consonat illud Isaiæ : Omnis vallis *Is.* xl, 4.
exaltabitur, et omnis mons et collis humi-
C liabitur; et erunt prava in directa, et aspe-
ra in vias planas. Quæ omnia quidam car-
nales et indurati Judæi exponunt, dicentes
quod in adventu primo Messiæ compla-
nanda sit tota terra, ut Judæis hinc inde
morantibus pateat iter expeditum veniendi
in terram promissionis et in urbem Jeru-
salem. Sed falsa est expositio talis, et fal-
sitati innitens, quum Messias jam venerit.
Idcirco spiritualiter exponenda sunt hæc,
quemadmodum Lucas docet evangelista. *Luc.* iii, 5 *et seq.*
Humiliatio enim montium excelsorum, est
D exinanitio ac depressio cordium superbo-
rum, quæ per pœnitentiam et humilitatem
salubriter se prosternunt ac deprimunt :
alioqui per tormenta et adversa, etiam non
volendo ac renitendo, dejiciuntur. Per ru-
pes vero, corda dura possunt intelligi, quæ
emolliuntur per gratiam, quando aufer- *Ezech.* xi,
tur iniquo cor lapideum, et datur ei cor 19; xxxvi, 26.
carneum. Convalles quoque replentur in
æqualitatem terræ, dum humiles chari-
smatibus replentur divinis, ita quod fiunt
æquales justis habitatoribus terræ, et om-

nes concurrunt in unam Dei Ecclesiam, et in unum Christi mysticum corpus, quatenus electi ex Israel, Christo vigilanter obsequantur ad Dei honorem.

8 *Obumbraverunt autem silvæ,* id est homines gentiles, olim silvestrem vitam ducentes, et ad Christum conversi, *et omne lignum suavitatis,* id est Sancti antiqui temporis, qui erant arbores fructuosæ, *Israel,* id est Israelitico populo in Christum credenti, *Dei mandato,* id est ex præcepto Dei. Hi etenim fecerunt conversis Judæis umbraculum et sustentamentum, mini-
Rom. xv, 26, 27; I Cor. ix, 11. strando eis necessaria vitæ, sicut in epistolis Pauli narratur. Sancti vero Patriarchæ et Prophetæ, precibus suis ac meritis protexerunt et adjuverunt conversos ad Christum ex Judaismo. Unde beatissimus
Malach. iv, 6; Luc. i, 17. Joannes dicitur convertisse cor patrum ad
9 filios. *Adducet enim Deus Israel,* id est Israeliticam plebem, *cum jucunditate* spirituali *in lumine majestatis,* id est per lumen fidei et gratiæ, et per claritatem doni sapientiæ : quod lumen a divina majestate procedit ac datur, atque ad lumen gloriæ æternalis perducit; *cum misericordia et justitia quæ est ex ipso :* quoniam electorum salvatio est effectus pietatis divinæ, et etiam divinæ justitiæ. Est quippe effectus divinæ pietatis, quoniam merita nostra sunt Dei dona, nec condignæ sunt passiones temporis hujus ad gloriam illam. Rom. viii, 18. Deus quoque ultra condignum remunerat. Ideo Paulus ait : Gratia Dei vita æterna. Ibid. vi, 23. Est etiam effectus divinæ justitiæ, quia pro meritis datur, et unusquisque secundum actus suos mercedem sortitur. Ps. lxi, 13; Eccli. xi, 28; I Cor. iii, 8; Ephes. vi, 8. Hinc scriptum est : Universæ viæ Domini, misericordia et veritas. Ps. xxiv, 10.

Hic finita sunt verba Baruch. Sequens vero capitulum, est epistola Jeremiæ prophetæ : quæ libro Baruch annectitur, quia et ipse eam ex ore Jeremiæ conscripsit, et (ut creditur) in Babyloniam detulit, ac captivis legit eam ibidem. Hinc in aliquibus libris sequenti capitulo titulus iste præmittitur : *Exemplum epistolæ quam misit Jeremias ad abductos captivos in Babyloniam a rege Babyloniorum, ut nuntiaret illis,* supple, Jeremias per scripturam hujus epistolæ, *secundum quod præceptum est illi,* utpote Jeremiæ, *a Deo.*

ARTICULUS VI

EXPOSITIO CAPITULI SEXTI : PROPTER PECCATA QUÆ PECCASTIS ANTE DEUM, ABDUCEMINI IN BABYLONIAM.

1 P*ROPTER peccata quæ peccastis,* id est, committendo vel omittendo incidistis, *ante Deum,* id est coram Deo omnia intuente, cujus præsentem vultum non estis reveriti, *abducemini in Babyloniam captivi.* Quare non ait, Ducti estis captivi? Respondetur, quod quando Jeremias hanc scripsit epistolam, facta fuit transmigratio Joachin seu Jechoniæ regis et multorum Judæorum cum ipso, sed adhuc restabat translatio Sedeciæ et Judæorum cum ipso : quæ translatio proprie captivatio nuncupatur. Non enim sponte se tradiderunt Chaldæis, ut Jechonias ac sui. Itaque epistola hæc fuit scripta diu antequam missa ac deportata. Aliam etiam misit epistolam ad transmigratos post Jechoniæ transmigrationem : quæ epistola habetur in Jeremia. Jer. xxix.

Ingressi itaque in Babyloniam, id est 2
Chaldæam, quæ a sua metropoli nomine Babylon, Babylonia est vocata, *eritis illic*

annis plurimis ante licentiam redeundi, A
usque ad generationes septem. Huic ver-
bo videtur contrarium quod alibi vatici-
Jer. xxv, 12; xxix, 10. natus est Jeremias, quod scilicet septua-
ginta annis duraret eorum captivitas. Ad
quod dicunt expositores catholici, quod
tempora ista sunt una duratio idemque
tempus.

Contra quod objicit quidam, quod is-
ti computant unam decadem seu decem
annos pro una generatione. Puer autem
decem annorum generare non potest se-
cundum communem cursum. — Ad quod B
respondendum videtur, quod computatio
generationum istarum diversis modis at-
tenditur. Septenarius quoque numerus fre-
quenter perfectionem et totalitatem de-
signat. Sicque per tempus septem gene-
rationum, insinuatur tempus integræ et
perfectæ ac naturalis periodi vitæ huma-
næ, quod est duratio septuaginta anno-
Ps. lxxxix, 10. rum, juxta illud in Psalmo : Dies annorum
nostrorum in ipsis, septuaginta anni. —
Insuper dici potest, quod hæ septem gene-
rationes accipiuntur per exclusionem pri- C
mæ et ultimæ, et sic erant quinque, sicut
Matth. xvii, 1, 2. in evangelio Matthæi legitur : Post dies sex
assumpsit Jesus Petrum, Jacobum, et Joan-
nem, et transfiguratus est ante eos. Por-
Luc. ix, 28. ro Lucas habet : Fere dies octo. Et infra
septuaginta annos poterant sibi succedere
quinque generationes, quia pro qualibet
fuerunt quatuordecim anni. Et jam ante Je-
remias scripserat illis in Babylonem trans-
migratis, ut festinarent per matrimonium
Jer. xxix, 6. multiplicari : Accipite (inquiens) uxores,
et generate filios et filias; et date filiis ve- D
stris uxores, et filias vestras date viris, et
pariant filios et filias; et multiplicabimini
ibi, et nolite esse pauci numero. Amplius
dici posset, quod etiam prima generatio-
num istarum, computanda sit a primo an-
norum illorum septuaginta, hoc est a die
et anno in quo fuit : et sic ceteris genera-
tionibus satis multum de tempore rema-
nebit. Postremo, quod computatio quam
I Esdr. iv, 12, 21; Esther i, 1. prætactus objector facit, stare non valeat,
super Esdram et Esther ostensum est.

Post hæc educam vos inde cum Zoroba-
bel, ut dicitur in Esdræ libro. I Esdr. ii, 2.
Nunc autem videbitis in Babylonia 3
deos aureos et argenteos et lapideos et li-
gneos in humeris portari. Quasi dicat iro-
nice, Per se ipsos non valent incedere :
juxta illud, Pedes habent, et non ambu- Ps. cxiii, 7, sec. Hebr.
labunt. Hoc quoque sciendum, quia (ut
refert Valerius) quidam gentilium assere-
bant ipsa simulacra aurea, argentea ac re-
liqua, esse deos, et aliquid vitæ numinis-
que habere, ac dare responsa. Cujus erroris
capitaneus fuit Hermes Trismegistus : Sta-
tuas (inquiens) animatas dico, spiritu ac
sensu plenas. Alii vero dicebant ipsa si-
mulacra non esse deos, sed tantum esse
idola imaginesque deorum, ut Solis, Lunæ,
Jovis, seu Herculis. *Ostentantes metum*
gentibus : quia ad hoc deos suos circum-
ferebant, ut deorum auxilio ac virtute
adversariis incuteretur formido, quemad-
modum Christiani in processionibus cir-
cumferunt Sacramentum et Sanctorum re-
liquias, ad impetrandum auxilium contra
hostes. *Videte ergo, ne et vos similes effi-* 4
ciamini factis alienis, id est, non sequa-
mini facta talia Babyloniorum, *et metuatis,*
id est, ex intuitu et ornatu deorum ipso-
rum non formidetis, *et metus vos capiat*
in ipsis, id est, ne talis perfidus supersti-
tiosusque metus vos fallat ad inhærendum
serviendumque diis falsis.
Visa itaque turba de retro et ab ante, id 5
est, quum videritis turbam idololatrarum
illorum sua simulacra in processione por-
tantium, ita quod quidam eorum deos præ-
cedunt, alii subsequuntur, *adorantes,* non
deos illorum, sed me verum Deum, *dicite*
in cordibus vestris : Te oportet adorari,
Domine : juxta illud Deuteronomii, se-
cundum translationem antiquam, et prout
Christus in Matthæo allegat : Dominum Deut. vi, 13; Matth. iv, 10.
Deum tuum adorabis. Quemadmodum enim
verus Deus est singularis, incomparabilis
et infinitæ excellentiæ, sic ei soli debetur
cultus iste dignissimus, qui latria appella-
tur. *Angelus autem meus vobiscum est.* 6
Hoc in Dei persona est dictum, et potest

intelligi de Michaele tunc principe Syna- A
gogæ. Vel per angelum intelligitur multi-
tudo angelorum. Nam cuilibet homini ad-
est angelus unus bonus, qui est director
et custos hominis sibi commissi, juxta
Ps. xc, 11. quod legitur : Angelis suis mandavit de
Exod. xxxii, 34. te; in Exodo quoque, Angelus meus præ-
cedet te. *Ipse autem exquiram animas ve-
stras,* id est, ego vos liberabo, et injurias
vobis illatas ulciscar : juxta illud Gene-
Gen. ix, 5. sis, Sanguinem animarum vestrarum re-
quiram.
7 *Nam lingua ipsorum,* puta deorum seu B
idolorum, *est polita a fabro, et inaurata
et inargentata,* id est, quorumdam simu-
lacrorum linguæ sunt inauratæ, quorum-
dam inargentatæ. Sed objici potest quo-
niam idola fiunt ore clauso et solido, non
cavato. Propter hoc aliqui dicunt, quod
verus textus sit, Ligna ipsorum. Nam ligna
ex quibus idola fiunt, deaurantur et inar-
gentantur forinsecus. Verumtamen dici po-
test quod quædam imagines formabantur
ore intus concavo et linguato, præsertim
quæ fundebantur, et quæ putabantur dare C
responsa. *Falsa sunt* et vana fallacia, imo
et nihil, non quoad ipsam materiam ex
qua sunt, nec quantum ad formam sub-
stantialem materiæ, nec quantum ad for-
mam artificialem inductam; sed quoad ea
quæ signant, et ad quæ significanda for-
mantur, quæ non sunt dii, nec id quod es-
se creduntur, quamvis sint aliquid quoad
esse naturæ. Sicque affirmat Apostolus :
I *Cor.* viii, 4. Scimus quod idolum nihil est in mundo.
Ps. cxiii, 5, sec. Hebr.; cxxxiv, 16. *Et non possunt loqui :* juxta illud, Os ha-
bent, et non loquentur. Ex quo appa- D
ret, quod vera littera sit Lingua, non Li-
gna. Itaque responsa et cetera verba quæ
simulacra putantur proferre, a dæmonibus
8 proferuntur. *Et sicut virgini amanti or-
namenta, ita accepto auro fabricata sunt:*
id est, idola ex auro formantur seu deco-
rantur, ac si optarent sic fieri aut ornari,
quemadmodum puellæ cupientes ornamen-
ta sibi adhiberi, acquirunt ea.
9 *Coronas certe aureas habent super capita
sua dii illorum* idololatrarum, *unde sub-
trahunt sacerdotes* idolorum *ab eis aurum
et argentum,* id est ornamenta hujusmodi
pretiosa, *et erogant illud in semetipsos,* id
est, ad proprios usus expendunt. *Dant au-* 10
tem ex ipso et prostitutis, id est, personis
in prostibulo positis dant ex hujusmodi
idolorum pretioso ornatu, et sic utuntur
eodem auro in venereis et in sacris. *Hi* 11
autem dii facti ex materia auri, argenti,
aut æris, *non liberantur ab ærugine,* id
est, æruginant, sicut materiæ ex quibus
constant, juxta illud Jacobi : Argentum et *Jacob.* v, 3.
aurum vestrum æruginavit ; *et tinea,* id
est, vestes quibus idola vestiuntur, a ti-
neis comeduntur. *Opertis autem illis* si- 12
mulacris *veste purpurea, extergunt faci-
em illorum propter pulverem domus, qui
est plurimus inter eos,* id est, cultores
deorum mundant facies illorum a pul-
veribus cadentibus super facies eorum-
dem. *Sceptrum autem habent* dii illi in 13
manu, *qui* dii *in se peccantes non interfi-
ciunt,* quia non vivunt, et prorsus inuti-
les sunt.
Sicut enim vas hominis confractum in- 15
*utile efficitur, tales sunt et dii illorum.
Constitutis illis in domo.* Aliqui enim dii 16
colebantur in domibus, quidam in tem-
plis. *Oculi eorum pleni sunt pulvere a
pedibus introeuntium* domum : qui suo
motu agitant et ascendere faciunt pulve-
rem, ita quod incidit oculis idolorum. *Et* 17
sicut alicui qui regem offendit, qui reus
est criminis læsæ majestatis, *circumseptæ
sunt januæ :* quia inter januas clauditur
ne fugiat; *aut sicut ad sepulcrum adducto
mortuo,* id est, sicut defuncto sepulto se-
pulcrum ejus clauditur. Hoc intelligendum
est de sepultis, quorum corpora cum pre-
tiosis ornamentis ac thesauris sepelieban-
tur : propter quod eorum sepulcra fortiter
claudebantur, ne spoliarentur. *Ita tutant,*
id est assecurant, *sacerdotes ostia domo-
rum* atque templorum *clausuris et seris,
ne a latronibus exspolientur* dii suis pre-
tiosis ornatibus. Quasi dicat : Se ipsos cu-
stodire et defendere nequeunt. *Lucernas* 18
accendunt illis, id est ad honorem deo-

rum, vel ut tempore noctis videant; *sunt* A
vero trabes in domo : quoniam instar tra-
19 bium nequeunt se movere. *Corda vero eo-*
* dicunt *rum dicuntur* * *elingere serpentes, qui de*
terra sunt. Serpentes namque corrodebant
interiora luteorum deorum. Serpentium
quippe est terram comedere, juxta quod
Gen. iii, 14. Dominus loquitur in Genesi : Terram co-
medes cunctis diebus vitæ tuæ. Ideo sub-
ditur : *dum comedunt eos,* videlicet luteos
deos; *et non sentiunt* dii, quia non vivunt.
20 *Nigræ fiunt facies eorum a fumo qui in*
domo fit ex igne quo cibi coquuntur, vel B
ex incendio thuris aut sacrificiorum, quæ
ipsis offerebantur in domo.
23 *Aurum etiam quod habent, ad speciem*
est, id est, aurum quo intrinsecus deau-
rantur aut fulciuntur, apponitur eis pro
decore. *Nisi aliquis exterserit æruginem*
supercrescentem tempore procedente, *non*
25 *fulgebunt. Confundantur* de sua insania
26 ac idololatria, *qui colunt ea. Neque si quis*
eum, id est talem deum sculptum aut fu-
sum seu manu formatum, *statuerit re-*
ctum, id est statura erecta, *per semetip-* C
sum stabit diu aut tute, præsertim in loco
ventoso aut inquieto. *Sed sicut mortuis,*
humeri, id est fulcimenta aut apodiamen-
ta, *illis apponentur* ne cadant, sicut cada-
veri mortuo necesse est apponi tale quid
ne labatur, si debeat stare.
27 *Hostias illorum,* id est sacrificia idolis
immolata, *sacerdotes ipsorum vendunt :*
nam mancipant eas usui et commodo suo;
et abutuntur hostiis illis, earumque pre-
tiis, vitiose ipsis utendo. *Similiter et mu-*
lieres eorum, videlicet sacerdotum, *decer-* D
pentes sunt, id est, diripiunt sacrificia seu
ornamenta deorum suorum; *neque infirmo*
neque medicanti vel, ut alii legunt, *men-*
dicanti, aliquid impertiunt, id est, impen-
dunt sive communicant de hostiis aut or-
namentis hujusmodi, de quibus vel feminæ
28 vel idola ipsa nihil dant indigenti. *De sa-*
crificiis eorum fetæ, id est mulieres quæ
de novo pepererunt, et nondum purgatæ
sunt, *et menstruatæ,* quæ singulis mensi-
bus immunditias patiuntur, *contingunt,* id
est, tangunt aut edunt : quod fuit in lege
Dei per Moysen data prohibitum, utpote
tales tangere aut edere de sacrificiis Deo Lev. xii, 4;
oblatis. xv, 19.
Unde enim, id est ex qua causa, *vocan-* 29
tur dii? quasi diceret : Non est ad hoc ra-
tionabilis causa. Quod probat, subdendo :
Quia mulieres apponunt varia ornamenta
forinsecus *diis; et in domibus eorum,* sci- 30
licet delubris simulacrorum, *sacerdotes se-*
dent, quasi intenti deorum obsequio, ma-
gis autem ad congregandum oblata pro
usu suo, *habentes tunicas scissas :* vel pro
ornatu et ex curiositate (quocontra Domi-
nus ait per Joelem : Scindite corda vestra, Joel ii, 13.
et non vestimenta vestra); vel quasi in si-
gnum doloris, propter peccata populi et
inhonorationem deorum, sicut Judæis et
aliis multis consuetudo fuit, in magnis ad-
versis et malis scindere vestes; *et capita*
rasa *et barbam rasam :* quod simili modo
intelligi potest dupliciter. Et quoniam Deus
voluit suos cultores filios Israel distingui
ab ipsis idololatris, præcepit illis non scin-
dere vestes, nec radere caput aut barbam,
juxta illud Levitici : Non in rotundum Lev. xix, 27.
attondebitis comam, nec radetis barbam.
Quorum capita nuda sunt. Quocontra jus-
sit Dominus Aaron et filiis ejus sacerdoti-
bus : Capita vestra nolite nudare, et ve- Ibid. x, 6, 7.
stimenta nolite scindere; oleum quippe
sanctæ unctionis est super vos. *Rugiunt* 31
autem clamantes, id est, quasi præ dolore
et contritione emittunt rugitum propter
sua et aliorum peccata, petentes veniam
dari, *contra deos suos,* id est ex opposito
loci deorum suorum coram eis : sicut di-
ctum est supra, Ambula per viam ad splen- Baruch iv,
dorem legis contra lumen ipsius; *sicut in* 2.
cœna mortui, id est in mensa quæ fit in
domo defuncti, ubi post refectionem sequi-
tur deploratio mortui.
Vestimenta eorum, videlicet idolorum, *au-* 32
ferunt sacerdotes, et vestiunt uxores suas
et filias suas : quod secundum eorum su-
perstitionem est quasi sacrilegium, id est
abusus rei sacræ. *Neque si quid mali pa-* 33
tiuntur ab aliquo, id est irrisiones aut læ-

siones, *neque si quid boni,* id est, si ho-
norentur, *possunt retribuere,* quum sint
34 impotentes. *Si quis illis votum voverit, et*
non crediderit hoc esse reddendum, *nec*
hoc requirunt : quia nec vivunt, nec sci-
36 unt. *Hominem cæcum ad visum non re-*
stituunt, id est, de cæcitate hominem non liberant. Verumtamen, sicut in libro de Civitate Dei recitat Augustinus, et Thomas in Summa contra gentiles, Hermes Trismegistus in libro de Deo seu natura deorum, multa his contraria scribit. Experientia quoque his contrariari videtur : quia in templis deorum sanabantur infirmi, et liberabantur obsessi. Sed respondendum, quod a dæmonibus illa fiebant, et magis ab inflictis malis cessando, quam sanitatem aut liberationem præstando. Multa tamen quæ magna et mira videntur, naturali dæmonum potestate fieri possunt per applicationem naturalium activorum et passivorum : quæ non sunt proprie et absolute
39 loquendo miracula. *Quomodo ergo æsti-*
mandum est illos esse deos ?

40 *Adhuc enim ipsis Chaldæis non hono-*
rantibus ea, videlicet deos aut idola, quum perceperint fraudem eorum, hoc est fraudem dæmonum circa deos, *qui* Chaldæi *quum audierint mutum non posse loqui :* quod audiendo cognoscunt, dum audiunt mutum proferre vocem inarticulatam; *afferunt illum ad Bel,* id est idolo suo
Dan. xiv. nomine Bel, quod ut in Daniele legitur, Babylonii seu Chaldæi colebant, *postulantes ab eo loqui,* id est, ipsum Bel deprecantes ut muto det facultatem loquen-
41 di; *quasi possint sentire* ipsa idola, *quæ*
non habent motum, quum careant vita. *Et ipsi* Chaldæi *quum intellexerint* impotentiam idolorum, *relinquent ea* et vilipendent.

42 *Mulieres circumdatæ funibus, in viis*
sedent. Solebant enim feminæ quædam idololatræ se cingere fune quasi magni criminis reæ, et in viis sedere per quas fuit iter ad idola. *Succendentes ossa,* id est duriora quæque *olivarum,* quasi ad placan-
43 dum deos quos offenderunt. *Quum autem*
aliqua ex ipsis attracta, id est seorsum tracta, *ab aliquo transeunte, dormierit cum eo, proximæ suæ exprobrat,* id est improperat, *quod ~~non~~ sit ea,* id est ipsa proxima, *digna habita sicut ipsa, neque funis ejus,* scilicet proximæ, *diruptus sit.* Nam qui cognovit illam seorsum tractam, dirupit et præscidit funem illius, et per hoc putavit se liberatam a vinculo criminis : eum etenim a quo cognita fuit, credebat vel deum suum, vel directum a deo suo. Idcirco improperavit proximæ suæ, quod ipsa non fuit similiter visitata, nec ejus funis diruptus.

Omnia autem quæ illis fiunt, falsa sunt, 44
id est deceptoria. *A fabris autem et auri-* 45
ficibus facta idola, *nihil aliud erunt* quoad suum formale, *nisi id quod volunt esse sacerdotes et aurifices,* id est, erunt illi dii quos auctores eorum voluerint eos esse, ita quod erunt Saturnus, Posidon, Apollo, seu alii dii quos voluerint sacerdotes arti-
ficesque formari. *Ipsi etiam* artifices *qui* 46
faciunt idola, multi temporis non sunt,* * ea
quia mortales sunt breviter morituri. *Numquid ergo possunt, quæ ab illis fabricata sunt* idola, *esse dii ?* quasi dicat : Non, quum dii debeant esse immortales. Morta-
lis autem immortalem non facit. *Reliqu*e- 47
runt autem falsa, id est, artifices tales reliquerunt post se idola vana, *et opprobrium postea futuris :* quia idola convertuntur in opprobrium et perditionem suis
cultoribus. *Nam quum supervenerit illis,* 48
videlicet idolorum cultoribus, *prælium et mala,* id est adversa, *cogitant sacerdotes ubi se abscondant cum illis,* id est, quo loco et qualiter possint periculum cum idolis suis effugere ac latere, præsertim quum audierint hostes suos prævaluisse in bello.

Scietur postea quia falsa sunt a genti- 50
bus universis, id est, cunctæ gentes agnoscent vanitatem et falsitatem deorum : quod per Apostolorum prædicationem in mundo potissime est patefactum. *Et nullum opus Dei in ipsis* est, id est, nihil divinum facere queunt, nec aliquid deitatis

52 in ipsis est. *Neque pluviam hominibus da-* A
Jer. xiv, 22. *bunt :* sicut in Jeremia habetur, Numquid
sunt in diis gentium qui pluant? Verum-
tamen aerem immutare, et pluviam pro-
curare, tempestates producere, ignem ab
aerio cœlo dejicere, et similia quædam,
non excedunt naturalem dæmonum pote-
statem, mediantibus naturalibus causis, et
si Deus permittat : et sic ad invocationem
deorum suorum possent idololatræ tale
53 quid impetrare. *Quia nihil possunt, sicut*
corniculæ volantes *inter medium cœli et*
terræ, id est in aere : quæ sunt aves infir- B
54 mæ. *Etenim quum inciderit ignis,* id est
igne cadente, *in domum* in qua sunt lignei
dei, *sacerdotes fugient,* et dii cum suo
templo comburentur.
58 *Itaque melius est esse regem ostentan-*
tem, id est sæpe monstrantem, *virtutem*
suam, aut vas utile, quam id quod sunt
falsi dii : qui dii putantur, quum non sint
59 dii. Siquidem *sol et luna ac sidera, quum*
sint splendida, et emissa ad utilitates, id
est jussa moveri ad producendum multos
utiles in hoc mundo effectus, *obaudiunt,* C
60 id est, Creatori suo obediunt. *Similiter et*
fulgur quum apparuerit suo celerrimo
motu, *perspicuum est,* id est clarum. *Id*
ipsum autem et spiritus, id est ventus,
61 *in omni regione, spirat,* id est, flat. *Et*
nubes, quibus quum imperatum fuerit a
Deo perambulare universum orbem, id est
transvolare in aere, ita quod videntur to-
tum hemisphærium nostrum transcurre-
re, quamvis non semper sit ita, [*perficiunt*
62 *quod imperatum est eis*]. *Ignis etiam mis-*
sus desuper, ut consumat montes et silvas, D
facit quod præceptum est ei a Deo, devo-
rando gramina montium arboresque sil-
varum : sicut in Ægypto tempore Moysis
Exod. ix, 24, 25. legitur aliqualiter contigisse. Ignis quoque
Gen. xix, 24, 25. subvertit Pentapolim, ut habetur in Gene-
si. Similiter legitur in libro Job : Ignis Dei
Job i, 16. cecidit de cœlo, et tactas oves puerosque
consumpsit. Quarto etiam Regum, orante
IV Reg. i, 10, 12. Elia, quinquagenarii cum suis leguntur
igne desuper veniente consumpti. Hinc in
Deut. xxxii, 22. Deuteronomio Dominus protestatur : Ignis
succensus est in furore meo, et ardebit
usque ad inferni novissima ; devorabit-
que terram cum germine suo, et montium
fundamenta comburet. *Hæc autem,* sci-
licet idola, *neque speciebus, neque vir-*
tutibus uni eorum similia sunt, id est,
nulli prædictorum similia sunt, neque in
formis, nec in operativis potentiis, quan-
tum ad id quod esse putantur seu repræ-
sentant.
Bestiæ meliores sunt illis bonitate na- 67
turæ seu entis, quum habeant esse vitale
et sensitivum. Ideo Socrates dixit : Mallem
adorare canem quam idolum, quum canis
sit opus naturæ, idolum vero opus artis
humanæ.
Nam sicut in cucumerario, id est in lo- 69
co in quo sunt cucumeres, *formido nihil*
custodit, id est, id quod ponitur ibi ad
terrendum aves non abigit eas, dum per-
cipiunt rem illam non moveri ; *ita sunt*
dii, quia suos non possunt custodire cul-
tores. *Eodem modo et in horto spina alba* 70
super quam omnis avis sedet, id est, quæ-
cumque advenerit et sedere optaverit, nil
prodest ad horti custodiam. *Similiter et*
mortuo projecto in tenebris, id est occulte
inhumato abjecto ; *similes sunt dii illo-*
rum, quia non vivunt, nec agere valent, ut
æstimatur. *A purpura quoque et marmore* 71
scietis quia non sunt dii, id est, idola non
esse deos, potestis perpendere a purpura
qua induuntur, et ex consideratione mar-
moris de quo fiunt lapidea seu marmorea
idola; *quæ* purpura et marmor *supra illos*
tenent, id est, vestiunt, aut soliditatem
præstant idolo, nec tamen sunt dii : idcir-
co, nec idola inde facta et decorata, nec
spiritum vitalem intus habentia. *Ipsi eti-*
am dii *postremo comeduntur,* id est, tan-
dem consumuntur ab ærugine, si sint de
metallo; vel a serpentibus, si sint de luto,
ut dictum est; vel a vermibus, si sint de vers. 19.
ligno; ac aliis modis destrui possunt, aut
vendi ita quod eorum pretium manduca-
tur. *Et erunt opprobrium in regione,* id
est, cultoribus suis erunt causa seu occa-
sio opprobrii confusionis æternæ, condem-

72 nationisque infernalis. *Melior est ergo ho- A
mo justus qui non habet simulacrum, id
est, illud non colit nec retinet : melior,
inquam, est ipse simulacro atque cultori-
bus ejus. *Nam erit longe ab opprobriis :*
imo gloriam et honorem consequetur cœ-
I *Reg.* II,30. lestem a Judice justo ac summo, qui glo-
Ps. CXLV,8. rificantes se glorificat, justosque diligit,
nec aliquid boni impræmiatum relinquit : qui est super omnia Deus sublimis et benedictus.

Et in hoc finio super Bibliam totam, ad omnipotentis et supergloriosissimi Dei laudem, honorem, et gloriam, anno Domini MCCCCLVII, in solennitate Visitationis Virginis gloriosæ. Amen.

FINIS COMMENTARIORUM IN LIBRUM BARUCH

ENARRATIO

IN EZECHIELEM PROPHETAM

PROŒMIUM

SAPIENTIA *per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et Prophetas constituit.* Sap. VII, 27.

Hæc de increata Dei Sapientia, unigenito Patris æterni Filio dici, patet ex ipso prææallegatæ textu Scripturæ. Nempe de hac Sapientia paulo ante præmisit : Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius : et quum sit una, omnia potest; et in se permanens, omnia innovat. Hæc utique puræ non competunt creaturæ. Sed quum sanctus apostolus Petrus propheticam revelationem Spiritui Sancto per appropriationem quamdam attribuit, in secunda sua epistola scribens, Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines : cur præinducto libri Sapientiæ capitulo, revelatio prophetalis Filio Dei sub Sapientiæ appellatione adscribitur? Et respondendum, quod quamvis omne creaturæ bonum sit Dei donum, atque ex divina voluntate seu liberalitate donatum, imo et gratis originaliter præstitum ; quamvis equidem aliqua bona, utpote præmia, propter merita dentur : nihilo minus quantum ad primam eorum originem, gratis utique conferuntur, eo quod tam esse naturale, quam prima gratia promerendi, gratis concessa sunt. Quamvis ergo hoc ita sit, tamen supernaturalia Dei dona, specialiter divinæ bonitatis liberalitati adscribuntur. Prophetia autem est supernaturale donum gratiæ gratis datæ.

Sap. VII, 26, 27.

II *Petr.* I, 21.

Itaque, circa propheticam revelationem consideranda sunt duo : videlicet ejus essentia, quæ est quædam notitia. Et quantum ad hoc, infusio ejus appropriate adscribitur Sapientiæ increatæ, seu Filio Dei : qui est Verbum æternum, per modum intellectualis emanationis procedens a Patre. Propter quod Filio potissime, quæ ad intellectum pertinent, appropriantur : utpote veritas, ars, exemplar, sapientia. Sicque illuminare, docere, futura ostendere, sibi per appropriationem conveniunt. Secundo, circa propheticam revelationem consideratur motivum seu inductivum infusionis seu dationis ipsius, quod est mera bonitas ac liberalitas Dei. Sicque appropriatur Spiritui Sancto : cui bonitas, pietas, amor, liberalitas, et cetera quæ voluntatem concernunt, appropriate conveniunt, eo quod ipse a Patre et Filio tanquam uno principio, per voluntatem et secundum voluntatis emanationem procedat, secundum quod Thomas in prima parte et in Summa contra gentiles deducit.

Horum insuper præelectorum beatorumque hominum, quibus Deus sublimis et benedictus, incerta et occulta sapientiæ suæ manifestare dignatus est (ita ut non faceret verbum, nisi primo revelaret secretum suum ad servos suos Prophetas), unus

Ps. L, 8.
Amos III, 7.

præcipuus fuit sanctus iste Ezechiel, cujus jam, Spiritu Sancto agente, elucidandus est liber. Ipse enim est inter quatuor majores Prophetas unus, cui pene innumeræ revelationes factæ videntur, cui novi Testamenti mysteria mirabiliter in prima sua visione divinitus pandebantur. Qui in sui voluminis principio et in fine, tantis difficultatibus plenus est, ut omnium ingenia, quamvis præclara, lassentur. De ipso quoque *Eccli.* XLIX, 10. in Ecclesiastico habetur : Ezechiel vidit conspectum gloriæ, quam ostendit illi in curru Cherubim. Itaque ad hujus beatissimi Vatis explanationem accedens, Spiritus Sancti paracleti adorandi, superboni ac superdulcissimi specialem illustrationem, opem et gratiam totis imploro præcordiis, propriæ infirmitatis, insufficientiæ, cæcitatisque conscius : quas utinam magis semper attenderem !

ENARRATIO
IN EZECHIELEM
PROPHETAM

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO LITTERALIS CAPITULI PRIMI : ET FACTUM EST IN TRICESIMO ANNO, IN QUARTO MENSE, IN QUINTA MENSIS.

BREVITER sanctus propheta Ezechiel A
in libri sui prooemio tempus et locum,
quibus propheticæ ac divinæ revelationes
1 sibi fieri inceperunt, pandit, dicendo : *Et
factum est in tricesimo anno* ætatis Eze-
chielis. Tricesimo namque ætatis suæ anno exorsus est loqui captivis, secundum Hieronymum in Prologo. Gregorius quoque exponit modo prætacto. *In quarto mense* anni tricesimi, *in quinta* die *mensis* hujus quarti. Sed contrarium huic videtur, quod S. Hieronymus in exordio expositionis verborum istorum, ait : Tricesimus annus, B non ut plerique æstimant, ætatis dicitur, nec jubilæi. Ad quod respondent doctores, quod annus iste vocatur tricesimus, non solum ab exordio nativitatis Prophetæ hujus, vel propter ætatem ipsam quam habuit tunc; sed etiam a tempore inventionis
IV *Reg.* XXII, 8. libri Deuteronomii sub rege Josia, anno re-
Ibid. 3. gni sui octavodecimo, a quo usque diem in quo cœpit Ezechiel videre secreta divina spiritu prophetali, fluxerunt anni triginta : ita quod idem fuit annus tricesimus ætatis Ezechielis, et inventionis libri præ- C fati, et quintus transmigrationis Joachin regis Juda. De hoc transeo, quia Lyra hoc satis deducit.

Quum essem in medio captivorum, id est inter Judæos a Babyloniis captos, translatos et commanentes *juxta fluvium Chobar :* qui est fluvius per terram Chaldæorum decurrens, juxta quem morabantur quidam Judæi, sicut David prædixit : Super *Ps.* CXXXVI, 1.
flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur tui, Sion. *Aperti sunt cœli,* non aliqua cœlestium corporum scissione, sed quia propter ingentem lucem quæ in nube apparuit, videbatur quasi ruptura in cœlo, quemadmodum et in fulguratione apparet. Secundum Hieronymum, Aperti sunt cœli, non divisione firmamenti, sed fide credentis, quia cœlestia illi sunt reserata mysteria. Vel, Aperti sunt cœli, quoniam habitantes in cœlo, videlicet Deus omnipotens, rex cœlorum, et angelus ejus, manifestaverunt se Prophetæ in visione subscripta. *Et vidi visiones Dei,* id est, quædam divina secreta mihi per divinam revelationem ostensa, visione imaginaria et intellectuali adspexi. Sumit itaque visiones pro rebus intellectualiter mani-

festatis, visis et cognitis. Sæpe etenim in A
Scripturis sumitur visus seu visio, pro re
Is. I, 1. visa, ut in Isaia : Visio quam vidit Isaias.
Luc. I, 22. Et alibi de Zacharia habetur : Cognoverunt
quoniam visionem vidisset. In Actibus quo-
Act. x, 19, 17. que inducitur : Cogitante Petro quidnam
esset visio quam vidisset. Vidit igitur ista
sanctus Ezechiel, visione imaginaria, quæ
est per alienationem animi a sensu exte-
riori; et notitia intellectuali, quæ est com-
plementum in cognitione prophetali, se-
Dan. x, 1. cundum quod Daniel : Intelligentia, inquit,
est opus in visione. Intellexit enim quid B
similitudines sibi imaginarie præsentatæ
significarent.

2 *In quinta mensis* quarti die, ut dictum
est, *ipse* annus tricesimus præmemoratus
ætatis Ezechielis, *est annus quintus trans-
migrationis regis Joachin :* quando Na-
buchodonosor rex Babylonis, transmigrare
fecit seu transtulit regem Joachin filium
Joakim, filii Josiæ regis, a Jerusalem in
IV *Reg.* XXIV, 15. Chaldæam, quemadmodum quarto Regum
3 plenius recitatur. *Factum est verbum Do-
mini,* id est revelatio allocutioque divina, C
*ad Ezechielem filium Buzi sacerdotem, in
terra Chaldæorum secus fluvium Chobar.*
Ex quibus elicitur, quod pater Ezechielis
fuit Propheta, eo quod (teste Hieronymo)
apud Hebræos pro regula habeatur, quod
quicumque in titulis Prophetarum, pater
Prophetæ vocatur, Propheta exstiterit. Et
quoniam Ezechiel fuit de tribu sacerdotali,
eliciunt quidam quod fuit de tribu regali,
quia hæ duæ tribus tanquam ceteris prin-
cipaliores, matrimonialiter junctæ fuerunt.
Verum istud certum non est : quia tribus D
sacerdotalis non dumtaxat tribui Juda, pu-
ta regali, jungi poterat, sed et cuilibet
tribuum Israel. *Et facta est super eum ibi,*
secus fluenta Chobar, *manus Domini,* id
est virtus gratiæ Dei, confortans eum ad
intuendum divina secreta. Tunc enim sibi
Deus potenter infudit lumen prophetale,
quo mens ejus elevabatur ad contemplan-
da divina. Vel, Manus Dei facta est super
eum, quoniam Filius Dei docuit eum ibi-
dem : sicut jam ex libro Sapientiæ allega-
vi, quod increata Sapientia in animas san- *Sap.* VII, 27.
ctas se transfert, amicos Dei et Prophetas
constituens. Dicitur quippe Filius Dei ma-
nus et brachium Patris in Isaia, ubi dici-
tur : Paravit Dominus brachium sanctum *Is.* LII, 10.
suum in oculis omnium gentium; et item,
Brachium Domini cui revelatum est? Item *Ibid.* LIII, 1.
in Psalmo : Salvavit sibi dextera ejus. *Ps.* XCVII, 1.
Et vidi. Frequenter Prophetæ mutant 4
personam et tempus in loquendo, nunc de
se quasi de alio loquentes, nunc de se ipsis
sub propria persona evidenter profantes.
In superiori autem particula loquebatur
Ezechiel de se quasi de alio, nunc de se
apertissime ait : *Et vidi* imaginarie ac in-
tellectualiter; *et ecce ventus turbinis,* id
est ventus impetuosus seu turbulentus :
unde Symmachus et Theodotion transtule-
runt, Flatus tempestatis; *veniebat ab aqui-
lone,* id est a terra Babylonis versus ac
contra Judæam, ut tangit Hieronymus, ple-
niusque dicetur. *Et nubes magna.* Hujus-
modi autem nubes, cum ingenti vento
revolutionem in terra faciente multoties
veniunt. *Et ignis involvens,* id est nubem
istam illuminans, et partes ejus intra se
volvens atque circumdans, prout in coru-
scationibus magnis apparet; *et splendor in
circuitu ejus,* id est, ex ignis claritate vi-
debatur in circuitu nubis splendor, secun-
dum quod fulgura splendorem emittere
solent. *Et de medio ejus,* videlicet de medio
ignis qui in nube apparuit, *quasi species
electri,* id est, similitudo electri apparuit.
Porro electrum, secundum Gregorium, ex
auro et argento est mixtum. Imo, secun-
dum Hieronymum, auro atque argento pre-
tiosius est; et, ut alii asserunt, argento et
auro clarius fulget. Itaque de medio ignis
color seu refulgentia electri egredi vide-
batur.

Præterea, ut quidam affirmat, in Hebræo habetur, Quasi species CHASMAL; dicitque Rabbi Salomon, quid proprie id significet, se nescire. Ideo ille adstruit se nescire quare Hieronymus transtulerit, Electrum : quia non est, inquit, multum probabile, quod Hieronymus melius intellexit Hebraicum,

quam doctor ille. Et nonne utique Spiritus Sanctus, qui B. Hieronymum præordinavit in doctorem Ecclesiæ atque interpretem sacræ Scripturæ, potuit eidem conferre, imo et contulisse credendus est, sufficientem Hebræi idiomatis intelligentiam, etiam in locis obscuris ? Denique S. Hieronymus, ut ipsemet sæpius tangit, in transferendo et exponendo Scripturas, præsertim propheticas, cum doctissimis contulit Judæorum. Sed et Septuaginta interpretum translatio, qua ante Hieronymum utebatur Ecclesia, ita habet : Et in medio ejus visio electri. Rationabiliter ergo et scienter usus est nomine electri S. Hieronymus.

5 *Et in medio ejus,* id est in medio ignis, non electri, secundum Hieronymum, apparuit *similitudo quatuor animalium :* ex quo intelligi datur, quod non erant vere animalia, sed apparenter ac repræsentative. Jam enim dictum est, quod in nube videbatur scissura, propter ignis in nube exsistentis fulgorem. Sicque per aperturam nubis illius, videbantur quasi quatuor animalibus similia. *Et hic adspectus eorum,* id est forma seu dispositio animalium horum talis fuit, ut subditur. *Similitudo hominis in eis.* Hoc dupliciter exponitur : Primo, ut forma humana, quantum ad faciem, in singulis illorum animalium fuisse dicatur tanquam præcipua : ad insinuandum quod omnia quæ in mundo geruntur, a Deo rationabiliter disponuntur. Secundo, ut similitudo vultus humani in eis fuisse dicatur ut una, quæ tamen primo exprimitur quoniam ceteris dignior est : aliæ enim similitudines vultuum, erant irrationalium animalium, sicut subjungi-
6 tur. *Et quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni,* id est, quodlibet animalium horum, habuit quatuor facies et quatuor alas.
7 *Et pedes eorum pedes recti,* id est extra tibiam non extenti, sed ad omnem situm seu partem æqualiter in eundo applicabiles. *Et planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli :* id est, plantæ pedum animalium istorum, erant rotundæ, non extentæ extra tibiam, sicut nec pedes vituli : ideo A dicitur, Quasi planta pedis vituli, quoniam planta vituli non nisi parum extra tibiam tenditur. Unde Aquila transtulit, Planta pedis eorum rotunda; sicque in Hebræo habetur, ut aliqui dicunt. *Et scintillæ quasi adspectus æris candentis,* id est, in adspectu, dispositione, candoreque similes æri ignito fulgenti, procedere videbantur ex horum animalium oculis.

Et manus hominis sub pennis eorum, id 8
est, sub alis animalium horum erant similitudines manuum hominum, *in quatuor* B *partibus,* id est in quatuor locis cujuslibet animalis. In quolibet namque apparebant quatuor hujuscemodi manus, et sub qualibet ala apparuit manus una. *Et facies et pennas per quatuor partes habebant :* quia (ut dictum est) quodlibet habuit quatuor facies et quatuor pennas propriis locis distinctas, et taliter situatas, quod una ala erat inter duas facies, et una facies inter
duas alas. *Junctæque erant pennæ eorum* 9
alterius ad alterum, id est, extremitas alarum unius animalis tetigit extremitatem C alarum alterius animalis. In quolibet siquidem animali erant quatuor alæ, quarum duæ fuerunt ad corpus tegendum deorsum pressæ, aliæ duæ ad volandum extentæ : et illæ alterius animalis pennas extentas tangebant.

Non revertebantur quum incederent, id est, sine corporis conversione progrediebantur quocumque tendebant ; *sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur,* id est, ad quamlibet partem terræ ibat, corpus suum non convertendo. In quolibet D enim animali erant quatuor pedes, ita quod cuilibet faciei correspondebat unus pes inferius secundum lineam rectam sub facie. Denique horum pedum tibiæ sic erant dispositæ, quod genua æqualiter flectebantur ad quatuor partes oppositas. Sicque animalia illa progredi quibant ad partes oppositas sine corporis conversione, præsertim quum juxta prætacta, etiam plantæ pedum æqualiter applicabiles fuerint ad quatuor partes oppositas. Quemadmodum si aliquis nostrum haberet oculum

ante et retro, dextrorsum et sinistrorsum, A
genua quoque ad quatuor partes æqualiter
flexibilia, et plantas æque applicabiles ad
partes has quatuor, posset incedere ad
quatuor partes oppositas absque corporis
sui conversione.

10 *Similitudo autem vultus eorum* sic erat
disposita ; ponitque singulare pro plurali,
quia in quolibet animali erant quatuor
vultus ita locati : *Facies hominis et facies
leonis a dextris ipsorum quatuor,* id est,
in quolibet animali species vultus humani
ac leonini erant in parte ejus dextera ; B
*facies autem bovis a sinistris ipsorum qua-
tuor,* id est, similitudo faciei bovis, erat
in sinistra parte cujuslibet horum quatuor
animalium ; *et facies aquilæ desuper ip-
sorum quatuor,* id est, facies aquilæ aliis
tribus vultibus eminebat, secundum quod
collum aquilæ longum erat et elevatum.
Corpus quippe cujuslibet animalis, super
pedes suos stetit quasi erectum, in ima-
ginaria visione, et in superiori parte fuit
quadratum, sive (ut alii dicunt) rotundum.
Facies autem ipsius dispositæ erant se- C
cundum quatuor partes oppositas, ita quod
facies hominis in animali consistens, erat
directe opposita adspectui Ezechielis pro-
phetæ, et dicitur pars anterior ; facies
autem aquilæ erat in parte opposita et
posteriori ; facies vero leonis et bovis,
erant in aliis duabus oppositis partibus,
ita quod facies leonis erat in dextra parte
respectu faciei hominis, facies quoque bo-
vis in parte sinistra. Ideo jam dicit, quod
facies hominis et leonis erant a dextris,
quoniam facies hominis fuit directe ob- D
jecta visui Prophetæ, et vultus leonis fuit
in parte dextra, quantum ad hominis fa-
ciem.

11 *Et facies eorum et pennæ eorum exten-
tæ desuper :* vultus enim eorum videban-
tur ad superiora respicere, et duæ alæ
singulorum desuper erant, ut dictum est,
ad volandum extentæ. *Duæ pennæ singu-
lorum jungebantur* pennis alterius in ex-
tremitatibus pennarum sive alarum, sicut
vers. 9. jam dixit : Junctæ erant pennæ eorum
alterius ad alterum ; *et duæ tegebant cor-
pora eorum.* Quodlibet enim animal ha-
buit quatuor alas, quarum duæ inferiores
erant ad corpus tegendum demissæ. *Et* 12
*unumquodque coram facie sua ambula-
bat.* Nam quocumque ibat, unum vultum
ante se habuit sine corporis sui conversi-
one : habuit nempe quatuor vultus versus
quatuor partes oppositas. *Ubi erat impetus
spiritus,* id est impulsus venti turbinis
jam præfati, *illuc gradiebantur,* commo-
tionem illam sequendo, sicut et nubes et
ignis eam involvens. *Nec revertebantur
quum ambularent :* id est, progrediendo
ad partes oppositas, successive corpora sua
non convertebant, ut patuit.

Et similitudo animalium et adspectus, 13
id est dispositio apparentiæ *eorum,* erat
quasi similitudo *carbonum ignis arden-
tium, et quasi adspectus lampadarum :* id
est, animalia ista splendida apparebant
sicut igniti carbones, lampadesque accen-
sæ. *Hæc erat visio discurrens,* id est dis-
positio visa seu apparentia radians, *in
medio animalium,* id est in ipsis ani-
malibus quolibetque ipsorum ; *splendor
ignis :* quia ut dictum est, fulgentia vide-
bantur ut carbones igniti et lampades ; *et
de igne fulgur egrediens :* ita quod instar
fulguris coruscantis videbantur disposita
atque nutantia. Ideo subditur : *Et anima-* 14
lia ibant et revertebantur, id est, ad quam-
libet partem ambulabant, *in similitudi-
nem fulguris coruscantis,* id est terribiliter
et valde velociter. Quomodo nunc ait Pro-
pheta, Animalia ibant et revertebantur,
quum statim præmiserit, Nec reverteban- vers. 12.
tur quum ambularent ? Et respondendum,
quod superius, Reverti capitur passive, hic
autem deponentaliter. Ibi enim dicta sunt
non reverti, quia quocumque tendebant
corpora eorum, non convertebantur. Hic
autem dicuntur ivisse et reversa fuisse,
quia ad partes oppositas ibant, tamen (ut
satis expositum est) sine corporum suo-
rum conversione.

Hucusque de animalibus Propheta dis-
seruit : jam de dispositione rotarum sub-

15 jungit. *Quumque adspicerem animalia,* id
est similitudines eorum visione imagina-
ria, *apparuit rota una super terram juxta
animalia,* quia sequebatur ea, *habens qua-
tuor facies,* id est totidem semicirculos fa-
16 cialiter apparentes. *Et adspectus,* id est
color seu apparentia, *rotarum et opus ea-
rum quasi visio maris,* id est similis mari
viso. Talem enim colorem habere vide-
bantur, qualem habet aqua maris, quæ est
transparens, clara, atque perspicua. Qui-
dam asserunt in Hebræo haberi, Quasi vi-
sio THARSIS. Sic quoque continet translatio
Septuaginta interpretum. Et illi dicunt,
quod Tharsis hic pro lapide quodam pre-
tioso accipitur. Unde Aquila transtulit, Hy-
acinthum, qui lapis (secundum Hierony-
mum) habet similitudinem cœli. Tharsis
vero quandoque pro mari accipitur. Et
cœlum, lucidum, perspicuum, et transpa-
rens est, sicut aqua : propter quod unus
cœlestium orbium appellatur cœlum cry-
stallinum seu aqueum. Sicque omnia ista
concurrunt in idem. *Et una similitudo
ipsarum quatuor,* id est, rotæ istæ ejus-
dem per omnia dispositionis fuerunt. Ex
quo constat, quod erant quatuor rotæ, non
una dumtaxat. *Et adspectus earum et opera*
taliter se habebant, *quasi si sit rota in
medio rotæ,* id est, una per medium alte-
rius transiens, intersecando se invicem ad
angulos rectos.

17 *Per quatuor partes earum euntes ibant,
et non revertebantur quum ambularent.*
Pro cujus intellectu pensandum, quia ut
Lyra scribit, quælibet quatuor rotarum
videbatur composita ex duobus circulis
per omnia æqualibus, se invicem interse-
cantibus in duobus punctis oppositis ad
angulos rectos sphærales, quemadmodum
duo coluri in sphæra materiali : sicque
fuerunt ibidem quatuor semicirculi, per
omnia similes et æquales, qui dicuntur
hic rotæ facies. Denique, quandocumque
stabat rota, tangebat terram in altero seu
aliquo intersecationis puncto, et ita æqua-
liter mobilis fuit ad quatuor partes oppo-
sitas, secundum quatuor rotæ facies : et
hoc, sine conversione corporis rotæ, sicut
de animalium tibiis et pedibus dictum est.
Quod autem de una rota jam dicitur, de
aliis tribus intelligendum est. Itaque in-
notescit quomodo rotæ per quatuor par-
tes ibant, videlicet per partes terræ oppo-
sitas, vel per quatuor loca intersecationis
tangentia terram successive et alternatim.
Nec revertebantur quum ambularent, quo-
niam sine totius corporis conversione po-
terant ad oppositas partes deambulare. *Ad
quem locum declinabat, quæ prima erat,
sequebantur et ceteræ.* Istud non est in
Hebræo, nec in translatione Hieronymi,
neque in libris correctis : similiter nec
quod subditur, *Non revertebantur quum
ambularent :* hoc enim jam habitum est.
Porro sensus primæ particulæ est, quod
motum primæ rotæ, aliæ tres sequebantur.

Statura quoque erat rotis, id est, vehe- 18
mens magnitudo inerat eis, *et altitudo, et
horribilis adspectus* propter velocissimum
earum motum et molem ingentem : ita ut
(secundum Hieronymum) intuenti stupo-
rem sive miraculum faceret. *Et totum cor-
pus* rotarum, id est uniuscujusque rotæ,
*plenum oculis in circuitu ipsarum qua-
tuor* rotarum, id est per omnes partes
earum. Rotæ enim quasi animatæ et in-
tellectualis naturæ apparebant, secundum
Hieronymum. Unde in eis apparuit simi-
litudo oculorum, sicut in alis seu cauda
pavonum.

Quumque ambularent animalia, ambu- 19
labant pariter et rotæ juxta ea ad eamdem
partem terræ seu loci ; *et quum elevaren-
tur animalia de terra* (duabus enim alis
vicissim volabant, ut tactum est) ; *eleva-
bantur simul et rotæ* in altum. *Quocumque* 20
ibat spiritus rotas vivificans, *illuc eunte
spiritu, et rotæ pariter levabantur sequen-
tes eum.* Per quod secundum Hieronymum
insinuatur, quod secundum propriam vo-
luntatem movebantur. Unde subjungitur :
Spiritus enim vitæ erat in rotis, id est,
spiritum vitalem et intellectualem eos
vivificantem habebant. *Cum euntibus* ani- 21
malibus *ibant* rotæ, *et cum stantibus sta-*

bant ; et cum elevatis a terra, pariter ele-
vabantur et rotæ sequentes ea, scilicet
animalia, *quia spiritus vitæ erat in rotis.*
Per quod datur intelligi, quod non seque-
bantur rotæ animalia, quasi tractæ vel ab
extrinseco impulsæ, sed ab intrinseco spi-
ritu vivificante.

Consequenter fit mentio de loco, throno,
22 et majestate Dei omnibus præsidentis. *Et*
similitudo super capita animalium fir-
mamenti : id est, capitibus animalium emi-
nebat similitudo firmamenti seu cœli stel-
lati; *quasi adspectus crystalli horribilis :* id
est, firmamentum istud coloratum appa-
ruit, sicut crystallus horribilis, id est ve-
nerabilis, ut quidam exponunt ; vel, Hor-
ribilis adversariis potestatibus, sicut in
Cant. vi, 3. Canticis Sponsa fertur Terribilis ut castro-
rum acies ordinata ; vel, Horribilis, ob
nimiam molem. *Et extenti super capita*
eorum, videlicet animalium, *desuper.* Sic
enim apparuit firmamentum illud, quasi
crystallus super animalium capita exten-
tus. Est autem crystallus, glacies ex aquis
mundis et lucentibus fortissime diutius-
que nimio frigore constricta ac indurata,
Eccli. xliii, 22. juxta illud Ecclesiastici : Frigidus ventus
Aquilo flavit, et gelavit crystallus ab aqua.
23 *Sub firmamento autem pennæ eorum re-*
ctæ, id est, alæ animalium videbantur ere-
ctæ. Duæ enim erant ad volandum ex-
tentæ, *alterius ad alterum,* id est unius
animalis ad aliud : quia ut dictum est, alæ
eorum se invicem in extremitatibus con-
tingebant. *Unumquodque duabus alis in-*
ferioribus velabat corpus suum ; et alte-
rum, id est singulum per comparationem
ad quodlibet aliorum trium, *similiter ve-*
labatur per duas alas demissas, sicut jam
dictum est sæpe.
24 *Et audiebam sonum alarum,* id est ani-
malium horum quando ad volandum con-
cutiebantur hæ alæ, *quasi sonum aquarum*
multarum, id est valde gravem, grandem,
* sonum ac fortem, *quasi vocem* sublimis Dei,* id
est a Deo excelso dispositum, ejusque ma-
jestati declarandæ congruentem; vel qua-
si vocem tonitrui, ut quidam exponunt.

A *Quum ambularent* animalia et rotæ, *quasi*
sonus erat multitudinis, id est magni ex-
ercitus, imo *ut sonus castrorum,* id est
bellicarum machinarum, tentoriorum, at-
que similium, quæ cum bellatoribus defe-
runtur, et in Scripturis castra vocantur.
Quorum omnium est maximus sonus ex
collisione armorum, incessu turbarum, fre-
mitu bestiarum, quemadmodum primo Ma- I *Mach.* vi, 41.
chabæorum libro conscribitur de sono ex-
ercitus regis Antiochi. *Quumque starent*
animalia, *demittebantur pennæ eorum,* id
B est, alæ quæ erant ad volandum exten-
tæ, deprimebantur, sicut et avium pennæ
quum cessant volare. *Nam quum fieret* 25
vox super firmamentum, quod erat super
caput eorum, id est, quum Deus super fir-
mamentum residens, et inde omnia mode-
rans, emitteret jussionem, *stabant et sub-*
mittebant alas suas : quia ad nutum Dei
omnipotentis movebantur ac stabant. Et
ut ait Hieronymus, Vocem Dei in cœlesti-
bus resonantis ferre non poterant, sed sta-
bant ac mirabantur, et suo silentio Dei
C potentiam demonstrabant.

Consequenter describitur thronus Altis-
simi præsidentis. *Et super firmamentum* 26
jam dictum, *quod erat imminens capiti eo-*
rum, id est supereminens capitibus ani-
malium, quorum erant sexdecim facies,
quolibet quatuor facies habente, *quasi ad-*
spectus lapidis sapphiri, similitudo throni,
id est thronus apparens similis in colore
sapphiro, vel thronus sapphirinus; *et su-*
per similitudinem throni similitudo quasi
adspectus hominis desuper, id est, super
D thronum sic apparentem videbatur sedere
præsidens quidam in specie hominis, sci-
licet Deus omnipotens. Ecce quam subti-
lissima est prophetalis ista descriptio to-
tius erroris exclusiva, quia in omnibus
istis nomine similitudinis utitur, ut scia-
mus animalia, rotas, firmamentum, sapphi-
rum, crystallum, et hominem in similitu-
dine, non in veritate monstrari, ut dicit
S. Hieronymus.

Et vidi quasi speciem electri : id est, 27
homo in throno residens, in splendore si-

milis apparebat electro; *velut adspectum ignis intrinsecus per circuitum ejus, a lumbis ejus et desuper :* id est, hominem apparentem, quem in specie electri conspexi, non vidi toto corpore ita dispositum; sed a lumbis usque ad verticem vidi eum, quasi adspectum ignis intrinsecus, id est in similitudine electri igniti, fulgorem suum intra se retinentis; *et a lumbis ejus usque deorsum,* id est ad infimum ejus, *vidi quasi speciem ignis splendentis* A *in circuitu,* id est, in similitudine electri igniti ac splendidi, fulgorem seu radios foras per gyrum emittentis, eum conspexi,
velut adspectum arcus, id est in simili- 28
tudine iridis, *quum fuerit in nube* (non enim apparet nisi in nube) *in die pluviæ.* Arcus quippe hic splendet. *Hic erat adspectus splendoris* Dei residentis in throno, apparentis *per gyrum* throni, vel in circuitu præsidentis, secundum modum prætactum.

ARTICULUS II

EXPOSITIO MULTIPLEX PRÆSCRIPTÆ VISIONIS PROPHETICÆ.

QUEMADMODUM quidam affirmant, liber iste Ezechielis, est de Deo ut creaturis præsidente. Idcirco primo capitulo describitur imaginaria visio, ad designandum divinæ præsidentiæ modum. Itaque præcedenti articulo exposita est hujus primi capituli littera, applicando eam ad apprehensionem imaginariæ visionis. Quæ expositio non est completa, nec proprie litteralis : quia in ea dictum non est quid per illas similitudines imaginarie repræsentatas significetur. Nunc ergo dicendum quid per visionem hanc intelligendum sit. C

Primum autem quod in visione ista exprimitur, est ventus turbinis, deinde nubes. Itaque, secundum Hieronymum, verbum Hebraicum RUA, pro quo ventus turbinis positus est, quandoque significat spiritum, interdum animam, aliquando ventum. Qui ergo hoc loco, Ventum turbinis legunt, per ventum istum intelligunt iram Dei venientem ab aquilone, id est a Nabuchodonosor rege adversum Jerusalem. Per nubem intelligitur exercitus Chaldæorum, quem rex contra Judæam adduxit; D per ignem involventem, futura supplicia, et civitatis Jerusalem ac templi combustio; per splendorem, manifestatio clara divini B judicii contra Judæos. Porro qui hoc loco legunt et habendum putant, Spiritum, exponunt prædicta in bono, intelligentes nomine spiritus, Spiritum Sanctum. Per nubem intelligunt Christum, qui juxta Isaiam, ascendit super nubem levem, et intravit Ægyptum. (*Is.* XIX, 1.) Nam et prædicatores, nubes vocantur. Per ignem et splendorem, accipiunt caritatem et dona gratiæ atque virtutes, de quibus ait Salvator : Ignem veni mittere in terram. (*Luc.* XII, 49.) Insuper, quod de medio ignis apparet similitudo electri, significat quod divina providentia nomine electri signata, inter tormenta et adversa non deest, imo nec divina clementia. Sed Deo moderante, quod pœna adversitasque videtur, medicina peccati est.

Quod autem in medio ignis, similitudo quatuor animalium ita ut dictum est dispositorum apparuit, hoc designat quod rationales creaturæ Dei in quatuor partibus mundi versentur, quæ sub divina providentia comprehenduntur, atque ad ejus imperium disponuntur. Denique per ipsa quatuor animalia, quidam quatuor Evangelistas intelligunt, sicut et ipse Hieronymus super Matthæum. Quidam vero, juxta Platonem, per ea intelligunt quatuor par-

tes seu vires animæ : rationem, quæ refertur ad hominem ; vim concupiscibilem, quæ refertur ad bovem seu vitulum, qui terræ operibus hæret ; vim irascibilem, quæ pertinet ad leonem; et apicem affectus, vel synderesim seu conscientiæ scintillam, quæ refertur ad aquilam, quoniam aliis viribus eminet. Hanc quadrigam Deus per modum aurigæ gubernat, et incompositis gradibus currentem refrenat, docilem efficit, et suo cogit parere imperio.

Quidam in quatuor animalibus, juxta Hippocratem, quatuor elementa ex quibus omnia mixta subsistunt, opinantur monstrari : quæ sibi invicem admiscentur, et quum singula sint, sibi juncta videntur, et invicem se tangunt. Unaque animalis persona quatuor figuras habet ac species. Per rotas autem animalibus junctas, eorumdem animalium contemperationem intelligunt, vel quatuor temporum circulum, qui tribus conficitur mensibus, annumque vertentem; quod vero rota in rota esse asseritur, annum in anno significari existimant. Sed et per similitudinem firmamenti, cœlum istud quod cernimus, sub quo omnia jam prædicta volvuntur aut transeunt, intelligi dicunt. Per thronum vero, et sedentem in eo, Dei omnipotentis imperium designatum edisserunt. Quod autem pedes animalium recti dicuntur, et planta pedis eorum quasi planta pedis vituli, significat, secundum eos, terrena quæque ad cœlestia subvolare, et elementa ad figuram sphæricam tendere. Manus quoque hominis sub pennis animalium esse describitur, ut ratio cuncta sustentet, et de humilitate terrena ad cœlestia elevet. Per scintillas demum intelligunt omnia esse luminis plena.

Præterea, sicut Hieronymus recitat, Catina quidam (quem Syrii λεπτόν, id est acutum et ingeniosum appellant) per quatuor animalia dixit significari quatuor ordines castrorum duodecim tribuum Israel in deserto, quæ divisæ fuerunt in quatuor partes, in quarum qualibet erant exercitus trium tribuum. Fuitque unus ordo castrorum ad orientem, alter ad occidentem, A alius ad meridiem, et alter ad septentrionem, qui sibi invicem, et consanguinitate et caritate sociabantur (quod est, fuisse rotam in rota), qui ducebantur a spiritu, protegebantur a nube, illuminabantur a columna ignis, nec revertebantur in Ægyptum, sed ad terram promissionis ire festinabant. Præterea per electrum intelligit Sancta sanctorum; faciem autem hominis refert communiter ad totum populum Israel; faciem leonis, ad tribum regalem; faciem vituli, ad sacerdotalem; faciem aqui- B læ desuper eminentem, dixit significare ultionem Dei de cœlo super impios respicientem, eosque laniare paratam; ac super hujusmodi quadrigam tanquam aurigam sedere Deum, faciendaque vel non facienda præcipere.

Num. II.

Denique, quod animalia pennas et facies per quatuor partes habebant, et quod pennæ eorum sibi in extremitatibus jungebantur, etc., significat animalia vel Evangelia sibi mutuo esse cohærentia et conjuncta : quæ et per totum mundum volaverunt, C semperque ad ulteriora procedunt, sicut Apostolus ait : Quæ retro sunt oblitus, in anteriora extendo me ipsum. Hoc et de viribus animæ, temporumque volatu et elementorum commixtione dici potest.

Philipp. III, 13.

Similitudo autem vultus eorum : facies hominis et facies leonis a dextris ipsorum quatuor, etc. Secundum Hieronymum, per faciem principia Evangeliorum signantur : e quibus homo et leo, id est generatio Christi humana et prædicatio ejus, vel vox Joannis in deserto, a dextris sunt; facies D autem vituli, id est victimarum et sacerdotii Judæorum, quia jam cessaverunt, a sinistris fuisse scribuntur. Hæc omnia sibi consonant et cohærent. Facies vero aquilæ sursum apparuit, quoniam quæ Joannes de Christo describit in Evangelio, sublimiora sunt his quæ alii tres de Christo scripserunt. *Et facies eorum et pennæ eorum extentæ desuper :* quoniam Evangelistæ prædicando cœlestia, intentionem vultumque mentis erigunt ad divina. Per pennas autem duas corpora tegentes, si-

gnificatur humana scientia et terrena, a A perscrutatione divinorum debere excludi, et quod in hac vita non conceditur nobis revelata, sed velata et imperfecta de Deo
1 Cor. xiii, 9. notitia, sicut Apostolus protestatur : Ex parte cognoscimus. *Et unumquodque coram facie sua ambulabat. Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* Sancti
Luc. ix, 62. enim Evangelistæ quum manum misissent ad aratrum, non respexerunt retro, sed in directum tendebant, prout a Spiritus Sancti agebantur impulsu. At vero quod animalia carbonibus ignitis lampadibusque B accensis similia videbantur, Evangelistarum splendorem in sapientia atque fervorem in caritate significat. *Et animalia ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis :* celerrime enim per mundum diffusa fuit evangelicæ prædicatio legis; et Evangelistæ ibant in altiora, et revertebantur, non per defectum labendo in posteriora, sed id quod cœperant, continuando ac perficiendo. Et talis reversio non obviat ei quod dictum est, Non revertebantur quum ambularent. De his C animalibus processit ad alios splendor doctrinæ, et de splendore nascebatur fulgur dilectionis ignitæ flammigeræ.

Præterea per rotas animalia sequentes, significatus est certus omnium cursus. Rota quoque in rota, veteris et novi Testamenti juncturam significat : quorum statura et cursus sublimis tendit ad cœlum, et parum quid attingit in terra. Videtur autem per rotam intelligi posse Ecclesia, et per quatuor rotas, Ecclesia per quatuor mundi plagas diffusa ac quadripartita : D quæ Evangelistarum sequitur documenta ; quæ comparatur mari magno. Et quatuor facies habet : quatuor cardinales virtutes ; vel quatuor dona Spiritus Sancti, ad aciem visumque mentis spectantia, id est sapientiam, intellectum, consilium, atque scientiam ; vel quadriformem considerationem, nunc adspiciendo præmia Beatorum, nunc supplicia damnatorum, nunc divini judicii severitatem, nunc mortis acerbitatem. Rotæ istæ ambulando per actus virtutum, et elevando se ad intuitum supernorum, et stando in quiete mentali, conformant se sanctis Evangelistis ; et spiritum vitæ, id est Spiritum Sanctum vivificantem vita gratiæ, sunt secutæ; suntque oculis plenæ, quia in omnibus sapienter et caute se habuerunt.

De firmamento autem et throno et sedente in eo, jam dictum est quid designent. Quemadmodum autem per crystallum, cui firmamentum comparatur, monstratum est quod omnia quæ in cœlis sunt, purissima atque lucentia sunt ; sic per sapphirum, abscondita et secreta ac incomprehensibilia Dei sacramenta signantur. Porro per sonum alarum fortem atque sublimem, Evangelistarum efficacissima prædicatio, partim terribilis propter comminationes, partim dulcissima propter bona promissa, exprimitur. Quumque starent a contemplationis volatu, demittebant pennas suas, opera vitæ activæ exercendo, et proximis condolendo : idque fecerunt juxta imperium Dei et instinctum Spiritus Sancti. Postremo, quod Deus in throno residens, in forma humana apparuit, futuram tunc incarnationem monstravit; quod vero in specie et colore electri apparuit, suæ supersplendidissimæ sapientiæ eminentiam figuravit ; quod autem a lumbis et sursum intus se continebat splendorem, et in parte inferiori emicabat, ostendit quod sapientia ejus secundum quod in ipso est, sit incomprehensibilis nobis, sed per suos effectus nobis utcumque manifestatur, juxta illud Sapientiæ : A magnitudine speciei creaturæ Sap. xiii, 5.
poterit creator horum cognoscibiliter videri ; et ad Romanos, Invisibilia Dei per Rom. i, 20.
ea quæ facta sunt, conspiciuntur.

Advertendum autem, quod secundum quorumdam expositionem, per quatuor animalia et quatuor eorum facies et quatuor rotas, intelliguntur quatuor magna regna sibi invicem succedentia, scilicet Chaldæorum, Persarum, Græcorum, et Romanorum, quæ fuerunt Judæis molesta. Specialiter quoque per faciem leonis intelligitur regnum Chaldæorum. Unde et Nabuchodo-

nosor vicissim in Prophetis leo vocatur, A juxta illud Jeremiæ: Ascendit leo de cubili suo. (*Jer.* IV, 7.) Per faciem hominis, regnum Persarum, cujus aliqui reges, videlicet Cyrus et Darius, humane tractaverunt Judæos. (I *Esdr.* I, VI.) Per faciem bovis, regnum Græcorum, quod ita molestavit et ventilavit Judæos, præsertim diebus Antiochi regis, sicut bos cornibus suis quæque impellit. (I *Mach.* I.) Per faciem aquilæ, intelligi datur Romanum imperium, cujus etiam vexillum est aquila, fuitque sublimius aliis regnis. Per alas, intelliguntur angelicæ potestates regnis his præsidentes. B Per motum animalium et rotarum ad quatuor partes terræ oppositas, intelligitur dilatatio regnorum istorum undequaque; per velocem insuper motum terribilemque adspectum, robur ferociaque ipsorum; per manus, opera. Per firmamentum prædictum, pars mundi superior, quæ Dei ac Beatorum locus est.

Istud in expositione cujusdam, scilicet Lyræ, plenius scribitur : idcirco percurro. Idque adjicio, quod expositio ista non apparet litteralis : Primo, quoniam multa in C littera dicuntur de animalibus istis, alis, et vultibus, quæ præfatis regnis incredulis competere non videntur. Ob hanc enim significationem non fuissent cuilibet animali quatuor facies necessariæ, sed una suffecisset. Item animalia ista erant per omnia æqualia, regna autem prædicta in potestate multum distincta. Insuper istis regnis non videtur competere plenitudo oculorum præscripta, quum et de Cyro præcipuo rege Persarum, Dominus dixerit per Isaiam : Assimilavi te, et non cognovisti me. (*Is.* XLV, 4.) D Alii autem excæcatissimi erant, præsertim Antiochus. Adhuc autem certissimum est, quod evangelista Joannes in Apocalypsi, non verbis dumtaxat, sed et sensibus conformat se sanctis Prophetis, præsertim in locis valde obscuris : in tantum, quod aliqui Christiani verba illa nimis superficialiter attendentes, judaizabant, illos sequendo Judæos qui litteram occidentem, non spiritum vivificantem, sequuntur. (II *Cor.* III, 6.) Quum ergo beatissimus Christi apostolus Joannes in Apocalypsi de quatuor animalibus istis loquatur, multum conformatur ad visionem eorum isto descriptam capitulo. (*Apoc.* IV, 6-8.) Et per illa quatuor animalia, secundum doctores, communiter intelliguntur quatuor Evangelistæ. Videtur et hic de istis animalibus idem tenendum. Amplius, in isto Propheta agitur de præsidentia Dei super rationales creaturas, potius quantum ad esse gratiæ, quam quoad esse naturæ : ideo de Evangelistis potius quam de regnis ista intelligenda existimo.

Verumtamen in ista materia nihil præcipitanter aut præsumptuose affirmo, potissime quum teste Hieronymo, in hujus visionis interpretatione seu expositione mutæ sint omnes synagogæ Judæorum, ultra hominem esse dicentium, de hac visione, et templi ædificatione quæ circa finem hujus libri describitur, aliquid velle disserere, vel conari. Idcirco Hieronymus dicit, se in hujus visionis pertractatione magis suspicari posse, quam explanare. Imo, secundum Hieronymum, Judæorum traditio est, ut nemo eorum principia libri Genesis, nec Cantica canticorum, nec hujus voluminis exordium vel finem legere permittatur, nisi ætatem sacerdotalis ministerii, id est, tricesimum annum impleverit, quatenus ad perfectam scientiam et mysticos intellectus plenum humanæ naturæ tempus accedat. Hinc quoque in isto articulo diversas tetigi expositiones, nil inconsulte definiens : maxime quum aliqui dicant non quatuor fuisse animalia, nec quatuor rotas, sed unum animal, unamque rotam; sed quatuor dici, propter quaternarium facierum. Nihilo minus secundum seriem litteræ probabilius est quatuor fuisse.

ARTICULUS III

PERTRACTATIO EJUSDEM CAPITULI PRIMI, SECUNDUM EXPOSITIONEM S. GREGORII.

CIRCA præsens capitulum primo inqui- A
rit B. Gregorius, cur Propheta quum
nihil præmisisset, librum suum a conjun-
ctione, quæ inter duo mediare solet, in-
1 cepit dicendo : *Et factum est.* Ad quod
respondet, quod sicut sensus noster corpo-
ralia, sic sensus seu intellectus Propheta-
rum spiritualia inspicit. Idcirco sunt eis
illa præsentia, quæ nostræ ignorantiæ vi-
dentur absentia. Unde in mentibus Prophe-
tarum interioribus conjuncta sunt exterio-
ra, et utraque simul cognoscunt. Ideo itaque
a conjunctione incepit, quoniam verbum B
quod foris protulit, verbo quod intus per
revelationem audivit, conjunxit.

Denique, quod tricesimo ætatis suæ an-
no audit Ezechiel primo verba revelationis
propheticæ, mystice signat quod Christus
Matth. III, 13; IV, 17; *Luc.* III, 23; IV. eadem ætate venit ad baptismum, et post
dies paucos prædicare exorsus est. Hæc
namque (secundum Hieronymum) in ho-
minibus perfecta est ætas : in qua secun-
Num. IV, 3. dum legem Moysis, sacerdotes cœperunt
Gen. XLI, 46. in tabernaculo ministrare; in qua et Joseph
constitutus est dominus terræ Ægypti, et C
Marc. I, 4, 9; *Luc.* III, 3, 23. Joannes Baptista ad Jordanis fluenta de-
scendit, prædicare et baptizare incipiens.
Nec contra hoc movere quempiam debet,
Jer. I, 5, 6; *Dan.* I, 17. quod Jeremias et Daniel spiritum prophe-
tiæ pueri seu in pueritia acceperunt : quia,
ut dicit Gregorius, miracula non sunt in
exemplum operationis trahenda. Porro Eze-
chiel in multis fuit figura Domini Salvato-
Ezech. I, 1. ris. Nam sicut Ezechieli aperti sunt cœli,
et vidit secreta Dei anno suo tricesimo, ita
Luc. III, 21-23. et Christo in eadem ætate baptismum sus-
cipienti aperti sunt cœli, et vox Patris D
audita est, descenditque super eum Spiri-
tus Sanctus.

4 Dicit quoque Gregorius, per electrum,
quod ex auro argentoque mixtum est, Chri-
stum, in quo divinitati quasi auro huma-
nitas velut argentum unita est, designari.
Quod autem in medio ignis sive electri, 5
similitudo quatuor animalium apparuit,
designavit quod sancti quatuor Evangelistæ
in Christo per gratiam solidarentur, et igne
tribulationis pro ipso affligerentur. Ampli-
us, quod in his quatuor animalibus simi-
litudo hominis fuisse primo præmittitur,
id designat quod Evangelistæ ad Christi
similitudinem seu imitationem virtutum
ejus tendebant, ut sancti consisterent. Un-
de et Paulus : Imitatores, inquit, mei esto- I *Cor.* IV, 16.
te, sicut et ego Christi. *Quatuor facies uni,* 6
et quatuor pennæ uni. Per faciem, fides
atque notitia Dei; per pennam, contem-
plationis volatus, exprimuntur. Unicuique
ergo animalium sunt quatuor facies, quo-
niam quod omnes quatuor de Christo cre-
dunt, scribunt, ac sentiunt, singulus quis-
que eorum conscribit et sentit. Unicuique
quoque quatuor pennæ sunt, quoniam Dei
Patris Unigenitum concorditer prædicant,
contemplationisque ala inspiciunt. Facies
tamen Evangelistarum ad Christi huma-
nitatem, penna vero eorum ad ejus divi-
nitatem, referri specialiter potest : quo-
niam in eum quem corporeum inspiciunt,
quasi faciem tendunt : quem dum ratione
divinitatis incircumscriptum incorporeum-
que denuntiant, per contemplationis pen-
nam in sublime conscendunt.

Quod autem horum animalium pedes re- 7
cti dicuntur, designat quod actus et gressus
eorum non erant ad peccati obliquitatem
retorti. Ideo Paulus hortatur : Gressus rectos *Hebr.* XII, 13.
facite pedibus vestris. *Planta pedis eorum,*
quasi planta pedis vituli. In Evangelistis et
sanctis prædicatoribus planta pedis est vi-

tuli, puta mature incedens, et fortis, atque
divisa, quoniam unusquisque prædicator
idoneus, et venerationem habet in maturi-
tate, et fortitudinem in operatione, et divisi-
onem ungulæ in discretione. Non enim fa-
ciliter prædicatio ejus accipitur, si levis in
moribus videatur; et nulla erit maturitatis
ostensio, si contra adversa omnia non ad-
fuerit operis fortitudo; virtutis autem me-
ritum, fortitudo operationis amittit, si dis-
cretio in intellectu non fuerit. *Et scintillæ*
quasi adspectus æris candentis. Æri, quod
valde sonorum est, Evangelistarum voces
Ps. XVIII, 5. comparantur, quia in omnem terram exivit
sonus eorum; et sicut æs candens sonat et
ardet, sic prædicatorum sanctorum vita
ardet desiderio, sonat verbo. De candenti
quoqueære scintillæ procedunt, quoniam
de illorum ore verba flammantia ad aures
audientium prodeunt : quorum verba recte
vocantur scintillæ, quoniam quos in corde
tetigerint, ad amorem Dei incendunt.

8 *Et manus hominis,* id est operatio ratio-
nalis, *sub pennis eorum,* id est sub con-
templationis volatu, *in quatuor partibus*
mundi, ad quas prædicatio ista devenit :
contemplationem enim ornare debet vita
activa, et vice versa. *Et facies et pennas*
per quatuor partes habebant : quoniam san-
cti Evangelistæ in quatuor mundi partibus
denuntiaverunt, quod de Christi humani-
tate et divinitate senserunt, idque concor-
9 diter peregerunt. *Non revertebantur quum*
incederent, sed unumquodque ante faciem
suam gradiebatur : quoniam a terrenis ad
spiritualia transierunt; et proficiendo in
bonis, semper ad anteriora atque æterna
festinarunt : quod et nos jugiter imitari
Luc. IX, 62. pro posse debemus. Nemo enim respiciens
retro, postquam manum suam ad aratrum
misit, aptus est regno Dei.

Insuper, juxta Gregorium, per hominem
designatur Matthæus, quoniam ab humana
Christi generatione incepit; per leonem
Marcus, qui a clamore in deserto exorsus
est; per vitulum Lucas, qui a sacrificio
inchoavit; per aquilam vero Joannes, qui
evangelium suum a Christi divinitate ince-
A pit. Præterea per animalia ista etiam Chri-
stus intelligi potest : quia per incarnatio-
nem factus est homo; et in cruce pro nobis
in sacrificium est oblatus, ut vitulus; pro-
pria quoque potestate surrexit, ut leo; in
ascensione demum elevatus est super uni-
versa, ut aquila. Denique omnis electus,
atque in via Dei perfectus, homo, vitulus,
leo, et aquila est : homo, ratione in cunctis
utendo; vitulus, passiones et vitia mor-
tificando, et se Deo totaliter offerendo;
leo, adversa æquanimiter tolerando, et im-
B pedimentis virtutum efficaciter reluctan-
do; aquila, divinorum contemplationibus
insistendo. *Similitudo autem vultus eo-* 10
rum, facies hominis et facies leonis a dex-
tris ipsorum quatuor, etc. Nam incarnatio
Christi per hominem designata, ejusque
resurrectio per leonem expressa, materiam
præbent gaudendi. Sed passio ejus fuit di-
scipulis dolorosa : idcirco facies bovis, qua
passio figuratur, a sinistris fuisse describi-
tur. Facies autem aquilæ desuper emine-
bat : quoniam ascensionem Christi signavit;
C et quia Joannes ceteris altius scripsit, imo
et Christi divinitatem tam alte describens,
etiam super se ipsum transivit. Propter
hoc et desuper ipsorum quatuor fuisse as-
seritur, quum tamen et ipse unus quatuor
fuerit.

Et facies eorum, et pennæ eorum ex- 11
tentæ desuper. Omnis namque Evangeli-
starum ac Sanctorum contemplatio, item-
que intentio, super se tendit, ut id adipisci
valeat quod in cœlestibus appetit. *Duæ*
pennæ singulorum jungebantur, et duæ
D *tegebant corpora eorum.* Per pennas de-
super junctas, intelliguntur amor et spes
futurorum bonorum. Per alas duas, timor
et pœnitentia de præteritis malis, quæ ab
omnipotentis Dei oculis per timorem et
pœnitentiam quasi abscondi videntur, se-
cundum quod legimus : Beati quorum re- *Ps.* XXXI, 1, 2.
missæ sunt iniquitates, et quorum tecta
sunt peccata; beatus vir cui non imputa-
vit Dominus peccatum; itemque, Averte *Ps.* L, 11.
faciem tuam a peccatis meis. *Ubi erat im-* 12
petus spiritus, illuc gradiebantur, id est,

Spiritus Sancti instinctum et rationis cen-
suram secuti sunt; impii autem impetum
carnis concupiscentiamque sequuntur.
13 *Hæc erat visio discurrens in medio ani-
malium,* etc. Splendor ignis, et de igne
fulgur egrediens, in medio animalium dis-
currens videtur: quia nisi ab igne veritatis
Spiritu Sancto pennata animalia calorem
susciperent, in carbonum ac lampadarum
14 similitudine non arderent. *Et animalia
ibant et revertebantur, in similitudinem
fulguris coruscantis.* Superius dixit Pro-
pheta, quod animalia ibant, et non rever-
tebantur : quia videlicet sic tendunt ad
bona agenda, ut ad mala non redeant per-
petranda. Quod ergo nunc ait, Ibant et re-
vertebantur, ad aliud referre oportet, vide-
licet quod in actibus vitæ contemplativæ,
ad vitam activam seu aliqua opera ejus,
frequenter reverti compelluntur : quia in
illis mens fixa diu stare non valet, sicut
in actibus vitæ activæ.
15 *Quumque adspicerem animalia, appa-
ruit rota una super terram,* etc. Rota, est
sacra Scriptura, quæ ex omni parte ad
audientium volvitur aures, et nullo erro-
ris angulo a prædicationis suæ itinere re-
tinetur. Fuerunt autem quatuor rotæ, et
cuilibet erant quatuor facies : quoniam
sacra Scriptura per quatuor librorum su-
orum partes distinguitur. Nam vetus Te-
stamentum per legem et Prophetas, novum
per Evangelia et Actus ac dicta Apostolo-
rum distinguitur. Potest quoque per qua-
driformem faciem quadripartita Scriptu-
rarum expositio accipi, quamvis id a
16 Gregorio loco præsenti non tangatur. *Et
adspectus rotarum et opus earum quasi
visio maris.* In sacra enim Scriptura sunt
magna sententiarum volumina, et grandes
sensuum cumuli. *Et una similitudo ipsa-
rum quatuor:* quoniam præfatæ quatuor
partes Scripturæ, scilicet lex et Prophetæ,
Evangelium et libri Apostolorum, de Chri-
sto uniformiter concorditerque testantur.
17 *Per quatuor partes earum,* id est per has
quatuor partes Scripturæ, *ibant* rotæ ad
fidelium corda ; *et non revertebantur* rotæ

A *quum ambularent :* quoniam omnes libri
Scripturarum prænominati, usque ad fi-
nem sæculi permanebunt, proficientque
electis, præsertim si spiritualiter intelli-
gantur Scripturæ. *Statura quoque,* id est 18
rectitudo et observantia præceptorum, *et
altitudo,* id est supernæ promissionis su-
blimitas, *et horribilis adspectus,* id est
comminatio æternæ damnationis, erant in
rotis. Hæc enim denuntiantur in divinis
Scripturis. *Quumque ambularent anima-* 19
lia, ambulabant pariter et rotæ juxta ea,
B etc. Ambulant animalia, quum viri sancti
in Scriptura sacra intelligunt quemadmo-
dum moraliter vivant; et rotæ ea sequun-
tur : quia quo ipsi magis proficiunt in
Scripturis, eo Scriptura plus proficit apud
eos. *Quocumque ibat spiritus, illuc eunte* 20
*spiritu, et rotæ pariter levabantur se-
quentes eum.* Quo enim spiritus legentis
tendit, illuc divina levantur eloquia : quia
si in eis altum quid videndo et sciendo
quæsieris, hæc eadem sacra eloquia tecum
crescunt, tecum in altioribus scandunt.
C *Spiritus enim vitæ erat in rotis :* quia
per sacra eloquia donis Spiritus Sancti vi-
vificamur, ut mortifera a nobis opera re-
pellamus.
Et similitudo super capita animalium 22
*firmamenti, quasi adspectus crystalli hor-
ribilis, et extenti super capita eorum de-
super.* Per firmamentum intelligi potest
angelicarum potestatum protectio, vel Sal-
vator electorum defensor, instar crystalli
fortis et splendens : quibus viatores in sæ-
culo isto pia tuitione teguntur. *Sub fir-* 23
D *mamento autem pennæ eorum rectæ alte-
rius ad alterum.* Tunc pennæ virtutum
sub firmamento rectæ sunt, quando unus
alteri impendit bonum quod a Deo susce-
pit, quemadmodum Petrus hortatur : Unus- I Petr. IV, 10.
quisque sicut accepit gratiam, in alter-
utrum illam administrantes.
Et audiebam sonum alarum quasi sonum 24
aquarum multarum. Alæ animalium, sunt
virtutes Sanctorum. Porro per aquas, po- Apoc. XVII, 1, 15.
puli designantur. Itaque sonus alarum, est
quasi sonus aquarum multarum, quoniam

per omnipotentis Dei clementiam, illæ alæ
virtutum quæ prius in paucis virtuosis
sonabant, jam nunc prædicatione diffusa
in multorum populorum conversationibus
resonant, *quasi sonum sublimis Dei,* qui
mentes electorum implet cœlesti deside-
rio, et ipse exaudit impletas. Ipse enim
creat in Sanctorum corde amorem, et ipse
ex amantibus cordibus suscipit precem.
Quum ambularent, id est, dum Evangeli-
stæ et sancti prædicatores mundum præ-
dicando et convertendo circuirent, *quasi
sonus erat multitudinis,* quoniam innu-
merabiles traxerunt ad fidem : qui omnes
Deum tanquam angelicus quidam exerci-
tus devotissime laudaverunt, *ut sonus ca-
strorum,* id est spiritualium pugnatorum :
protinus enim contra aerias potestates præ-
lium arripuerunt. *Quumque starent, de-
mittebantur pennæ eorum.* Stant sancta
animalia, quando ea quæ Dei sunt, intenta
contemplatione considerant ; sed eorum
pennæ demittuntur, quia dum alta Dei ju-
dicia conspiciunt, suæ eis virtutes vile-
25 scunt. *Nam quum fieret vox super firma-
mentum, quod erat super caput eorum,* id
est, quum Christi vel angelicorum spi-
rituum perfectionem attenderent, vel in-
ternam allocutionem audirent, *stabant et
submittebant alas suas,* id est, quidquid
virtutis et gratiæ habuerunt, illorum com-
paratione quasi nihil spreverunt, nec divi-
na scrutari immoderanter audebant ; quin
potius ad propriæ parvitatis intuitum se

A verterunt, quemadmodum Habacuc ait :
Domine, audivi auditionem tuam, et ti- *Habac.* III, 2,
mui ; consideravi opera tua, et expavi. juxta LXX.
Et super firmamentum quasi adspectus 26
*lapidis sapphiri, similitudo throni, et su-
per similitudinem throni similitudo quasi
adspectus hominis desuper.* Per similitudi-
nem throni, intelligitur superna illa subli-
mitas superiorum mentium angelicarum,
quæ ad exteriora inferius non mittuntur :
quibus præsidet ipse Creator. Unde propter
eminentiam deiformem earum, Deus in
B ipsis sedere et habitare asseritur, juxta id
Psalmi : Sedisti super thronum, qui judicas *Ps.* IX, 5.
justitias. *Et vidi quasi speciem electri, vel-* 27
ut adspectum ignis intrinsecus, etc. Quod
Salvator a lumbis et sursum, adspectum
electri et ignis intra se splendentis, a lum-
bis vero et infra, speciem ignis radios
emittentis habere describitur, id designat,
quod ante ejus incarnationem in sola Ju-
dæa ejus amor atque notitia fuit ; post
incarnationem vero et passionem, per uni-
versum mundum gentibus claritatem Spi-
C ritus Sancti infudit, et suæ notitiæ radios
dilectionisque scintillas ubilibet sparsit,
sicut Isaias prædixit : A finibus terræ au- *Is.* XXIV, 16.
divimus laudes, gloriam Justi. Cetera pa-
tent ex præinductis.

Postremo expositio ista non est penitus
spiritualis, sed etiam litteralis in plurimis
æstimanda, his qui per quatuor animalia,
quatuor Evangelistas ad litteram designa-
tos edisserunt.

ARTICULUS IV

EXPLANATIO CAPITULI SECUNDI : HÆC VISIO SIMILITUDINIS GLORIÆ DOMINI.

DESCRIPTA difficillima atque altissima
visione capitulo præcedenti, descendit
Propheta ad particularia, et quid sibi post
visionem illam dictum itemque commis-
sum sit, pandit. Itaque præcedentibus nunc

D dicenda continuans, ait : *Hæc visio,* id est 1
imaginaria repræsentatio, seu prophetalis
conspectio, præcedenti capitulo explicata,
fuit *similitudinis gloriæ Domini,* id est
non ipsius divinæ majestatis in se ipsa,

sed cujusdam effigiei ipsius angelico mi- A
nisterio formata ac demonstrata : sicut
jam dictum est plenius in expositione
præcedentis capituli. *Et vidi* (ea quæ pri-
mo capitulo scripta sunt), *et cecidi in
faciem meam,* videlicet pronus ad terram.
In visionibus enim tam horrendis ac ma-
gnis, humana infirmitas corporalibus vi-
ribus destitui solet, propter nimiam men-
tis occupationem circa secreta divina, ex
qua corporalis complexio maxime immu-
tatur et alienationem animi a sensu ex-
teriori homo incurrit, et propter horrorem B
rerum quæ demonstrantur. Hinc Isaias os-
Is. XXI, 3, 4. tensa sibi Babylonis destructione, ait : Cor-
rui quum audirem, conturbatus sum quum
viderem ; emarcuit cor meum. Daniel quo-
que decimo capitulo, quum grandem ac
Dan. X, 8. terribilem visionem descripsisset, ait : Non
remansit in me fortitudo ; sed et species
mea immutata est, et emarcui, nec ha-
bui quidquam virium. Porro, secundum
Hieronymum, Ezechiel tantæ visionis ma-
gnitudine non est elatus, sed conscientia
fragilitatis humanæ procidit in faciem su- C
II *Cor.* XII, 2, 4, 7. am. Unde et Paulus postquam ad tertium
cœlum raptus est, et ineffabilia verba au-
divit, datum sibi asserit angelum Satanæ,
qui se colaphizaret ne extolleretur.

Et audivi vocem loquentis, videlicet an-
geli, cujus ministerio fiebant Prophetæ
revelationes divinæ. Sed an solo interiori
auditu audierit, an etiam corporali, non
exprimit : ex sequentibus tamen videtur,
quod utroque modo. *Et dixit ad me,* locu-
tione interna, sicut Zacharias sæpius ait,
Zach. I, 9, II, 3; IV, 1; V, 5. Angelus loquebatur in me ; vel etiam ex- D
teriori, sicut ad Zachariam patrem Bapti-
Luc. I, 13 *et seq.* stæ : *Fili hominis, sta super pedes tuos,* id
est, cor tuum ad divinorum advertentiam
contemplationemque cœlestium erige. Hoc
enim per corporis stationem designabatur
necessarium esse ad rationem cognitionis
propheticæ. Litteraliter quoque, corpore
erecto atque robusto, aptior erat ad actum
intellectivum, quam pronus debilisque ja-
cendo. *Et loquar tecum,* quum obediendo et
stando te ad meam allocutionem aptaveris.

Et ingressus est in me spiritus, id est, 2
angelus me confortavit per suæ potestatis
influxum. Vel sensus est : Spiritus meus,
seu anima præ defectu collapsa, reversa
est ad me, pristinam virtutem recipiendo,
non locum mutando. Sic enim de recupe-
rantibus fortitudinem pristinam commu-
niter dicitur in Scripturis : Reversus est I *Reg.* XXX, 12.
spiritus ejus. *Postquam locutus est mihi*
qui residebat in throno præfato, qui non
erat veraciter Deus, sed angelus in perso-
na Dei apparuit : sicut Joannes in Apoca-
lypsi asserit sibi apparuisse similem Filio *Apoc.* I, 13.
hominis, utpote angelum in persona et
specie Christi. *Et statuit me supra pedes
meos.* Ita et Daniel profitetur : Statuit me *Dan.* VIII, 18.
in gradu meo.

Et audivi loquentem ad me, Deum, seu
angelum in persona Dei, *et dicentem : Fili* 3
hominis, mitto ego te ad filios Israel, eos
videlicet qui in Chaldæa fuerunt ex regno
Juda, qui propter peccata sua gravissima
non merentur dici populus Dei, sed gen-
tes perversæ, sicut et nationes, sicut sub-
jungitur : *ad gentes apostatrices* per re-
cessum a fide, caritate, et cultu unius
veri Dei, *quæ recesserunt a me* per in-
obedientiam, idololatriam, aliaque diversa
facinora : juxta illud Osee, Dominum dere- *Osee* IV, 10.
liquerunt in non custodiendo. Ab incircum-
scriptibili etenim Deo non loco, sed vitio,
non incessu, sed dissimilitudine mentis
receditur. Recesserunt quoque a Deo, re-
cedendo a templo ejus in Jerusalem, in
quo Deus nomen suum posuit, seque spe- III *Reg.* IX, 3.
cialiter habitare testatus est, et sacrifican- *Ibid.* VI, 13; VIII, 12.
do idolis in locis sacrilegis, in quibus Deus
speciali modo non fuit. *Ipsi et patres eo-
rum prævaricati sunt pactum meum us-
que ad diem hanc,* id est, legem divinam
incessanter transgressi sunt, pro maxima
parte etiam a tempore egressionis de Ægy-
pto. Et si qui Judæorum interdum bene
vixerunt tempore Judicum et David ac Sa-
lomonis, Ezechiæ, Abiæ, Josaphat et Jo-
siæ, hoc tamen comparative modicum fuit,
nec duravit.

Et filii dura facie, id est inverecundi 4

et mente indurati, *et indomabili corde* A
sunt, id est incorrigibiles, *ad quos ego mit-*
to te : non quod Deus eos emendare ne-
quiverit, quum ipse sit omnipotens medi-
Prov. xxi, 1. cus, qui solus ad nutum corda immutat, et
quocumque vult, vertit; sed quia habitu-
ati et obstinati fuerunt in malis, ita quod
difficillime poterant refrenari, quantum
fuit ex parte indispositionis eorum, quam-
vis omnia sint Deo æque facilia, cujus im-
perio omnis obedit creatura. Unde talibus
Jer. xiii, 23. dicitur a Jeremia : Si mutare potest Æthi-
ops pellem suam, et vos poteritis benefa-
cere, quum didiceritis male. In Isaia quo-
Is. xlviii, 4. que : Scivi quia durus es tu, et nervus
ferreus cervix tua, et frons tua ærea. De
Jer. v, 3. quibus iterum loquitur Jeremias : Indura-
verunt facies suas supra petram, et nolue-
runt reverti. Magna autem fuit Dei bonitas,
ad tam impios destinare Prophetam.

Et dices ad eos : Hæc dicit Dominus
Deus. Quod autem mox subditur, adhuc
est verbum Domini ad Prophetam, cur sci-
5 licet mittat eum ad illos. *Si forte vel ipsi*
audiant verba mea per te, non exteriori
solum, sed interiori auditu obediendo, *et*
si forte quiescant, id est, a vitiis suis ces-
sent. Loquitur autem Deus, Si forte, non
quasi dubius futurorumque nescius, sed
ut hominem libero vigere arbitrio mon-
stret, et ne per præscientiam ejus putemus
nos necessitari ad faciendum, vel patien-
dum, vel omittendum quæ ipse prænoscit;
sed quod nos propria voluntate sumus fa-
cturi, ille novit futurum quasi Deus. Sic
ergo loquitur Deus, ut ostendat se facere
pro nostra conversione quod ejus est, et
damnationem nostram esse ex nobis. Quod
vero sic increpat eos juste, adjecit : *quo-*
niam domus exasperans est, id est plebs
Deum in sua natura pium, dulcem, cle-
mentem, ad rigorem, asperitatem, severi-
tatemque provocans : non quod Deus in
se ipso mutetur, aut amaricetur, sed quo-
niam per vindictam suæ justitiæ impiis
talis videtur; quod tamen, Isaia testante,
Is. xxviii, 21. alienum et peregrinum est opus ab eo.
Propter quod ad Romanos ait Apostolus :

Vide bonitatem et severitatem Dei : seve- *Rom.* xi, 22.
ritatem in eos qui ceciderunt, etc. *Et scient*
quia Propheta fuerit in medio eorum : id
est, quum verba tua viderint adimpleri,
experimentaliter noscent te verum fuisse
Prophetam.

Tu ergo, fili hominis, non timeas eos, 6
id est tormenta quæ tibi inferre minabun-
tur, vel poterunt. Justus enim quasi leo *Prov.*
confidens, absque terrore erit, ut Salomon xxviii, 1.
ait. Et in Isaia habetur : Quis tu ut timeas *Is.* li, 12.
ab homine mortali, et a filio hominis, qui
B quasi fœnum arescit? Hinc hortatur Salva-
tor : Nolite timere eos qui corpus occi- *Matth.* x,
dunt. Parati enim esse debemus ad ponen- 28.
dum vitam pro Deo, ad moriendum pro
æquitate. *Neque sermones eorum,* id est
detractiones, comminationes, irrisiones,
metuas : imo in istis gaudere debemus,
quum Christus testatus sit : Beati eritis *Ibid.* v, 11,
quum maledixerint vobis homines, et di- 12; *Luc.* vi,
xerint omne malum adversum vos, men- 22, 23.
tientes, propter me; gaudete in hora illa
et exsultate, quoniam merces vestra ma-
C gna est in cœlo. *Quoniam increduli et sub-*
versores sunt tecum : qui Deo et servis
ejus non credunt, justitiamque pervertunt,
et simplices fallunt, bonos inficiunt, pu-
sillos scandalizant; *et cum scorpionibus*
habitas, id est cum hominibus pungitivis.
Denique secundum Hieronymum, unus-
quisque pro moribus suis sortitur vocabu-
lum. Unde Scribis et Pharisæis dicitur, Ge- *Matth.* iii,
neratio viperarum; et de Herode, Dicite 7; *Luc.* xiii, 32.
vulpi illi. *Loqueris ergo verba mea ad eos,* 7
si forte audiant, et timeant, *et quiescant.*
D Non est ergo, ut ait Hieronymus, cessan-
dum, licet mali sint quibus loquimur;
quin secundum Apostolum opportune et II *Tim.* iv,
importune verbum Dei prædicemus, quo- 2.
niam fieri potest ut durus corrigatur ad
mollitiem.

Tu autem, fili hominis, audi cum omni 8
diligentia mentis, *quæcumque loquor ad*
te. Nempe quo major est Deus, eo diligen-
tius verba ipsius sunt audienda : alioqui
majestati ejus non satisfit. *Noli esse exa-*
sperans sicut domus Israel *exasperatrix*

est, id est, illorum inobedientiam non sequaris, nec * cum perversis pervertaris. A

* ne

Aperi os tuum, id est, os intellectuale quo verbum mentis profertur, dispone ad intelligendum quæ dico; *et comede,* id est spiritualiter mastica, atque in ventre memoriæ tene ac digere, *quæcumque ego dico tibi,* id est, omnia quæ tibi revelo, quorum notitia est animæ esca et mentis refectio.

9 *Et vidi* visione imaginaria et mentali; *et ecce manus missa ad me.* Apparuit enim Prophetæ, quod jubente eo qui sedit in B throno, manus porrigeretur ante eum desursum : quod totum fiebat per similitudines imaginariæ apprehensionis, non fictas, sed angelo administrante formatas ac repræsentatas. *In qua erat involutus liber; et expandit illum coram me :* id est, eorum quæ continebantur in ipso, intelligentiam mihi donavit, et secreta clare revelavit ; *qui erat scriptus intus et foris,* videlicet ex utroque latere : quoniam multa continebantur in eo, et de præteritis ac de futuris tractavit; litteralem quoque C sensum et spiritualem continuit. *Et scriptæ erant in eo lamentationes* Judæorum in Chaldæam translatorum, qui de sua transmigratione dolebant, *et carmen,* id est consolatio bonorum in adversis patientiam habentium, *et væ,* id est vastitas eorum qui in Judæa atque Jerusalem contra Jeremiæ consilium regi Babylonis repugnaverunt: unde postea ab ipso gravissime premebantur. Vel, *lamentationes* justorum, super his qui in malitia perstiterunt, et a justis ad pœnitentiam invitabantur. Quem- D
I *Reg.* xv, 11, 35; xvi, 1; *Dan.* x, 2. admodum enim Samuel Saulem, sic Daniel, Ezechiel, et alii quidam electi Judæi, aliorum planxerunt peccata, ipsosque ad idem provocaverunt. *Et carmen* consolatorium, super his qui in adversis Domino placuerunt ; *væ* quoque super his qui penitus
Prov. xviii, 3. desperantur, qui quum venerint in profundum peccatorum, contemnunt. Potest etiam de eisdem lamentatio consolatioque haberi, secundum diversos respectus : quia dum vitæ præsentis adversa quæ patiuntur, tanquam quædam mala pœnalia et naturæ contraria considerantur, debetur patientibus ea lamentatio atque compassio; in quantum vero eadem considerantur ut medicinæ contra peccata, et purgamenta a vitiis, ac media pertingendi ad gratiam Dei, ne homo æternaliter pereat, vel ut minus damnetur, sic patientibus ea consolatio est impendenda, et amatores eorum se ipsos consolari possunt ac debent. Ideoque de aliorum tribulationibus nunquam immoderate contristari debemus, præsertim quum pœnæ vitæ præsentis sint medicinales.

Denique de moralitate præsentis capituli opus non est multa conscribere. Quum enim, juxta Apostolum, omnia in figura I *Cor.* x, 11.
contigerint illis, per Ezechielem (qui interpretatur fortitudo Dei, vel roboratus a Domino) designatur quicumque in evangelica lege idoneus pastor, efficax doctor, diligensque prælatus : qui a Christo ad indomitorum atque rebellium Deo hominum conversionem et instructionem transmittitur, quibus vitia illa conveniunt quæ de filiis Israel dicta sunt. Tali ergo famulo suo præcipit Dominus ne formidet, ostenditque ei librum intus et foris scriptum, id est sacram Scripturam. Tales fuerunt Apostoli, quibus Christus perhibuit : Ecce *Matth.* x, 16.
ego mitto vos sicut agnos in medio luporum. Aperuit quoque illis sensum, ut in- *Luc.* xxiv, 45.
telligerent Scripturas. Porro in libro divinæ Scripturæ sunt lamentationes viæ, carmen patriæ, væ gehennæ. Postremo ut tactum est, Ezechiel in multis fuit figura Christi, quem Pater misit ad domum exasperantem, subversores, incredulosque Judæos. Unde etiam in figura Christi, qui in Evangelio ubertim se ipsum hominis Fi- *Matth.* viii, 20; ix, 6, etc.
lium nuncupat, tam frequenter Ezechieli divinitus dicitur, Fili hominis : quod Danieli quoque dicitur, raro tamen, ut patet *Dan.* viii, 17.
in ejus volumine.

ARTICULUS V

ELUCIDATIO CAPITULI TERTII : ET DIXIT AD ME : FILI HOMINIS, QUODCUMQUE INVENERIS COMEDE.

DIXIT in fine præcedentis capituli san-
ctus Propheta, librum divinitus mis-
sum, coram se fuisse expansum ; nunc
clarius scribit, se intellectu libri illius spi-
ritualiter esse refectum atque impletum.
1 *Et dixit ad me* Dominus sedens in thro-
no : *Quodcumque inveneris comede,* id
est, quidquid tibi nunc primo proponitur,
spiritualiter ede. Hoc enim dixerat Deus,
quoniam vidit quid Prophetæ mox man-
ducandum offerret. *Comede volumen is-
tud,* id est, librum præfatum intus foris-
que scriptum, et lamentationes, carmen, ac
væ continentem, tibi incorpora; *et vadens,
loquere ad filios Israel.* Primo enim opor-
tet verba Dei intelligi, antequam aliis præ-
2 dicentur. *Et aperui os meum.* Sic enim
in imaginaria visione Prophetæ apparuit,
quod os materiale aperiret : per quod in-
terioris oris applicatio ad instructionem
Spiritus Sancti significabatur. *Et cibavit
me volumine illo,* id est, intellectu libri
hujus spiritualiter me nutrivit. Est enim
Deut. VIII, 3; Matth. IV, 4. cibus animæ verbum Dei, juxta illud : Non
in solo pane vivit homo, sed in omni ver-
bo quod procedit de ore Dei.

3 *Et dixit ad me : Fili hominis, venter
tuus comedet,* id est, intellectus tuus seu
intellectualis memoria intra se cognoscet,
et spiritualiter masticabit scripta in libro ;
*et viscera tua complebuntur volumine is-
to,* id est, interiora animæ tuæ præcordia,
mentis et voluntatis ac pietatis affectus
pleni erunt sensu et gustu voluminis hu-
jus. Dum enim Propheta sensum istius
libri memoriter tenuit et perpendit, gene-
rabatur in vi affectiva dolor atque com-
passio propter mala populi sui : sicque
intima animæ replebantur cognitione et
A affectione. Sunt quippe spiritualia visce-
ra : de quibus in epistola ad Philemonem
loquitur Paulus : Frater, ego te fruar in Philem. 20.
Domino; refice viscera mea. *Et comedi il-
lud,* id est, librum hunc mihi incorpora-
vi ; *et factum est in ore meo quasi mel
dulce.* Verbum etenim Dei, seu sermo di-
vinus in se dulcis consistit, et menti sua-
viter sapit, secundum quod a Deo infun-
ditur, et mentem de veritate illuminat.
Propter quod Propheta ait : Quam dulcia Ps. CXVIII, 103.
faucibus meis eloquia tua ! Super mel ori
B meo. Apparuit quoque Prophetæ in visione
imaginaria, quod os aperiendo, ac librum
vorando, suavitatem corporalem sentiret
in ore : per quod interioris oris delecta-
tio, divinam instructionem concomitans,
figurabatur.

Et dixit ad me : Fili hominis, vade ad 4
domum Israel, id est, Judæos in Chaldæam
tecum translatos ac demorantes, *et loque-
ris verba mea ad eos.* Et ne Propheta se
excusaret, addidit Dominus : *Non enim ad* 5
*populum profundi sermonis et ignotæ lin-
C guæ tu mitteris ad domum Israel :* id est,
filii Israel, ad quos te mitto, non sunt tam
ornati seu rhetorici difficilisque sermonis
atque extraneæ linguæ, ut verba vestra
mutuo intelligere non possitis; *neque ad* 6
populos multos, id est ad diversas gen-
tium nationes, *profundi sermonis et igno-
tæ linguæ, quorum non possis audire,* id
est audiendo intelligere, *sermones. Et si
ad illos mittereris* a me ad prædicandum
eis verbum Dei, *ipsi audirent te,* creden-
do et obediendo : quoniam darem eis gra-
D tiam taliter audiendi, vel per aliqua signa
ostenderem te esse missum a me; sicque
ob meam auctoritatem tibi præberent au-

Jonæ III. ditum, ut patuit in Ninivitis ad prædica-
tionem Jonæ. Quibus verbis docetur, quod
Judæi isti erant magis indurati ac impii
quam gentiles. Propter quod subditur :

7 *Domus autem Israel nolunt audire te* ex
contemptu et habituata malitia. Et ne in-
de abundantiori absorbearis tristitia, quasi
hoc sit ex tuo defectu, ecce te consolando,
causam quare te audire renuunt, pando.
Quia nolunt audire me, sed obicem po-
nunt instinctui meo, quo corda eorum af-
for et hortor ad bona, legemque Moysi
datam a me non advertunt. Similiter Do-
minus consolatur Samuelem de principatu
I Reg. VIII, 8. ejectum : Sicut fecerunt mihi, sic faciunt
tibi. Præterea in verbis his patet, quam
Rom. XI, 33. incomprehensibilia sint judicia Dei : quia
ad eos misit Prophetam, quos noverat non
audituros; et ad eos non misit quos nove-
rat, si mitteretur Propheta ad eos, audi-
turos. Ideo admirando exclamat Psalmi-
Ps. LXV, 5. sta : Venite, et videte opera Dei, terribilis
in consiliis super filios hominum. *Omnis
quippe domus Israel attrita fronte est,* id
est procacis audaciæ, nec Deo nec servis
ejus reverentiam exhibens, et consuetu-
dine peccandi inverecunda effecta, juxta
Jer. III, 3. illud Jeremiæ : Frons mulieris meretricis
facta est tibi, noluisti erubescere. Non est
autem putandum, quod omnes absolute in
Chaldæa Judæi, tales exstiterint, sed tam
multi, quod alii videbantur pauci respectu
eorum : quod autem modicum est, pro ni-
hilo reputatur. Est itaque distributio pro
generibus singulorum, non pro singulis
generum. *Et duro corde,* id est animo in-
durati, ita quod ad susceptionem verbi
Dei molles non sunt. Quocontra in Eccle-
Eccli. III, 27. siastico scriptum est : Cor durum male ha-
Ibid. V, 13. bebit in novissimo; et iterum, Esto man-
suetus ad audiendum verbum Dei.

8 *Ecce dedi faciem tuam valentiorem fa-
ciebus eorum,* id est, majorem constantiam
in bonis tibi donabo, quam sit pertinacia
illorum in malo; *et frontem tuam durio-
rem frontibus eorum,* id est, major erit
tua inverecundia bona, quam illorum in-
verecundia vitiosa, ut nullo supereris pu-
A dore; sed verba mea secure denunties. Per
quod, secundum Hieronymum, discimus
interdum esse gratiæ Dei, impudentiæ re-
sistere, et quum ratio poscit, frontem fron-
te atterere, ne verecundia nostra et pudor
humanus pertimescat insidias æmulorum.
Quemadmodum autem est verecundia du-
plex, videlicet bona et mala, ita et inve-
recundia. *Et ut adamantem et silicem dedi* 9
faciem tuam, id est, insuperabilem pati-
entiam præstiti tibi, ut nulla illorum fron-
tositate et persecutione cesses ab injuncto
B tibi officio. Est autem adamas, lapis du-
rissimus.

Fili hominis, omnes sermones meos 10
quos loquor ad te, assume in corde tuo.
Imprimenda enim sunt menti divina elo-
quia, sicut in Proverbiis Salomon dicit :
Ne excidant de corde tuo jugiter. Unde in Prov. VI, 21.
Deuteronomio habetur : Erunt verba Do- Deut. VI, 6, 7.
mini in corde tuo, et narrabis ea filiis
tuis, et meditaberis sedens in domo tua,
et ambulans in itinere, et dormiens atque
consurgens. *Vade ad transmigrationem, ad* 11
C *filios populi tui,* id est ad Judæos de Ju-
dæa in Chaldæam transductos : qui sunt
filii populi Hebræorum, de quo natus
es tu.

Et assumpsit me spiritus, id est, Spiri- 12
tus Dei seu Spiritus Sanctus, ad contem-
plationem sublimium me elevavit, et ad
opus sibi placitum deputavit. Fuique ra-
ptus in spiritu, ut audirem quod subditur.
*Et audivi post me vocem commotionis ma-
gnæ,* id est sonitum grandem, non strepi-
tum inanem, sed significativum, videlicet :
D *Benedicta gloria Domini,* id est, sancta
apparet ac innotescit Dei omnipotentis ma-
jestas, magnificentia, magnificusque effe-
ctus, *de loco suo,* id est de throno præfato
supercœlesti quo residet. Quæ autem fu-
erit manifestatio gloriæ Dei facta Prophe-
tæ, dictum est primo capitulo. Vel, locus
Dei est templum, puta Christianorum col-
lectio; vel anima justi, quæ sedes est sa- Sap. VII, 27.
pientiæ. Ex quo loco innotescit magni-
ficentia Dei, per effectum quem Deus
operatur in loco hoc. Mirabilis enim Deus Ps. LXVII, 36.

in Sanctis suis, et gloria majestatis ejus
benedicitur ab his, quos Deus ipse gratio-
se inhabitat. Præterea, quum juxta Salo-
Prov. x, 1; xiii, 1. monem, filius sapiens sit gloria patris, per
benedictam gloriam Dei, intelligi potest
Is. xl, 5. Unigenitus Patris, de quo Isaias : Revela-
bitur, inquit, gloria Domini. Hujus gloriæ
locus, est Pater, seu cor sinusque Patris,
quemadmodum Christus in Evangelio pro-
Joann. xiv, 10. testatur : Ego in Patre, et Pater in me
Ibid. i, 18. est. Et Joannes inducit : Unigenitus Filius
qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Rur-
I *Tim.* vi, 16. sus, locus Dei est lux inaccessibilis quam
inhabitat : de qua procedunt effectus, in
quibus cognoscitur et laudatur divina ma-
jestas. Vel quod dicitur, Benedicta gloria
Domini, est verbum Prophetæ, divinæ
sublimitatis beatitudinem commendantis,
ejusque potentiam ex præfata ingenti com-
motione cognoscentis.

13 Audivi *et vocem alarum animalium* qua-
tuor (de quibus jam dictum est) *percuti-
entium alteram* alam *ad alteram,* id est
unam ad aliam alam, vel propriam vel
alterius animalis, cujus alæ ala sua fuit
in extremitate conjuncta, ut dictum est ;
et vocem, id est sonum, *rotarum sequen-
tium animalia.* De quibus omnibus plu-
rima dicta sunt primo capitulo. Fecit au-
tem Deus Prophetam hic rursus audire, ut
de confortatione sibi promissa certior fie-
ret, videndo potestatem Dei in istis effecti-
bus. *Et vocem commotionis magnæ* (de
qua dictum nunc est), quæ iram Dei super
Israel venturam signavit.

14 *Spiritus quoque levavit me,* id est, Spi-
ritus Sanctus ad cognitionem secretorum
erexit me ac roboravit ; *et assumpsit me*
ad exsequendum officium prophetandi, in-
crepandique populum : sicut et in Acti-
Act. xiii, 2. bus scriptum est : Dixit Spiritus Sanctus,
Segregate mihi Barnabam ac Paulum in
opus ad quod assumpsi eos. *Et abii* a lo-
co in quo ista audivi, ut opus injunctum
aggrederer, *amarus* bona amaritudine, sci-
licet contristatus et dolens super iniqui-
tatibus populi mei, *in indignatione spiri-
tus mei,* id est animæ meæ contra peccata
A eorum. Quemadmodum ergo Joannes in
Apocalypsi dicit sibi librum divinitus da- *Apoc.* x, 9, 10.
tum ad devorandum, qui fuit sibi in ore
dulcis ut mel, sed postea amaricavit ven-
trem ejus, ita Ezechieli nunc accidit. Pri-
mo enim dulce sibi erat audire verbum
Dei, sed propter effectum consequentem,
quo populi sui culpas pœnasque advertit,
ex verbo Dei anima ejus amaritudinem et
indignationem incurrit. Estque ista indi-
gnatio laudabilis. Quidam per levationem
et assumptionem Ezechielis præscriptam a
B spiritu, intelligunt eum corporaliter trans-
latum ad locum præfatum, sicut de Ha- *Dan.* xiv, 35.
bacuc legitur in Daniele. *Manus quoque** * enim
Domini, id est virtus et gratia divini sub-
sidii, *erat mecum confortans me,* ut mihi
commissa negotia efficaciter adimplerem.
Et veni ad transmigrationem, id est po- 15
pulum a Judæa translatum, *ad acervum
novarum frugum,* id est ad locum sic ap-
pellatum, vel in quo fruges recentes col-
lectæ jacebant, ita quod circa messem hoc
accidit ; *ad eos* Judæos, *qui habitabant*
C *juxta fluvium Chobar ; et sedi ubi illi
sedebant, et mansi ibi septem diebus mœ-
rens in medio eorum,* id est, peccata illo-
rum cum dolore et planctu considerans, et
ab eorum increpatione interim silens. Pri-
mo ergo notavit et observavit quid age-
rent, ut certius distinctiusque cognosceret
qualiter eos argueret. Quidam tamen affir-
mant, quod ex negligentia tacuit, et quod
ideo quoque verbis sequentibus incre-
petur.

Quum autem pertransissent septem di- 16
D *es, factum est verbum Domini ad me, di-
cens : Speculatorem dedi te domui Israel,* 17
id est, spiritualem speculatorem constitui
te populo Judæorum. Quemadmodum enim
speculator principis in turre locatur, ut
undique circumspiciat, et quidquid adver-
sitatis venire viderit, domino et populo
suo annuntiet ; sic pastor, prædicator, præ-
latus, seu doctor populo insidias dæmo-
num, pericula vitiorum, pœnitentiæ fru-
ctum, beatitudinis amabilitatem intimare
sollicite debet. Porro, secundum Hierony-

mum, qui speculator futurus est, et Dei
verba populo narraturus, multo tempore
debet quiescere, et dolere ad mala quæ
vidit, nihilque in conscientia habere eo-
rum quæ in aliis correpturus est. *Et au-*
dies de ore meo verbum de exhortatione,
increpatione et emendatione ipsorum; *et*
annuntiabis eis ex me, id est ex parte
mei, ut magis advertant, Deum in suo
honorantes præcone.
18 *Si dicente me ad impium, Morte mori-*
eris, id est, pro morte peccati mortem
æternæ miseriæ patieris, vel ante tempus
de vita præsenti tolleris, *non annuntiave-*
ris ei, ut avertatur a via sua impia ma-
la, id est conversatione iniqua, qua itur
ad inferni tormenta, *et vivat* vita gratiæ
in præsenti, et vita gloriæ in futuro, im-
pia conversatione abjecta; *ipse impius in*
iniquitate sua morietur, id est, pro suis
peccatis peribit, nisi aliunde sibi subve-
nero; et quoties mortaliter peccat, spi-
ritualiter moritur. *Sanguinem autem ejus*
de manu tua requiram, id est, mortem
animæ seu damnationem ejus tibi impu-
tabo, erisque reus tanti flagitii, quum tua
negligentia ille perierit. Hinc secundum
Hieronymum, magnum discrimen est, Dei
sermones tacere vel timore, vel pigritia,
vel adulatione. Propter quod loquitur Isa-
Is. VI, 5. ias : Væ mihi quia tacui. Et Heli sacerdos,
I *Reg.* II, 22-25; III, 12-14; IV, 18. eo quod filios suos non satis rigorose cor-
ripuit, graviter est punitus. *Si autem tu*
19 *annuntiaveris impio* verba correptionis
et informationis, *et ille non fuerit conver-*
sus ab impietate sua; ipse quidem in ini-
quitate sua morietur : præsertim quum et
ipsa impietas animæ mors sit, Salvatore
Matth. VIII, 22. testante, qui ait : Dimitte mortuos sepelire
mortuos suos; *tu autem animam tuam*
liberasti, id est, periculum culpæ ac ne-
gligentiæ ignaviam præcavisti, per quod
damnationis æternæ causam vitasti.
20 *Et si conversus justus a justitia sua*
fuerit, et fecerit iniquitatem : hæc est ma-
la conversio, quæ potius subversio, quam
conversio est vocanda; *ponam offendicu-*
lum, id est obicem, *coram eo,* id est, non
A repente eum damnabo, sed per adversa et
aspera, per languorem atque tormenta ex-
ercebo admoneboque eum ut corrigatur.
Hinc per Osee Dominus ait : Sepiam viam *Osee* II, 6.
tuam spinis. Itaque væ eis quos sine ob-
staculo Deus permittit peccare. *Ipse mo-*
rietur, id est, suis exigentibus peccatis
damnabitur, *quia non annuntiasti ei,* ut
per adversa seu alio modo resipisceret a
peccatis. *Et non erunt in memoria justi-*
tiæ ejus quas fecit, id est, pristina merita
sua præmium salutis non sortientur, quia
B non perseveravit usque in finem. Dicitur
autem Deus oblivisci ac reminisci, per
quamdam metaphoram : quia ad modum
obliviscentis se habet, dum succurrere ces-
sat, vel opera non acceptat, vel æternaliter
damnat; per oppositum quoque reminisci
asseritur. Porro opera meritoria mortali
peccato mortificata, per pœnitentiam rur-
sum in memoria Dei sunt, et reviviscunt.
Sanguinem vero ejus de manu tua requi-
ram, id est, de illo rationem a te exigam.
Si autem tu annuntiaveris justo, ut non 21
C *peccet justus,* sed usque in finem perse-
veret, *et ille non peccaverit* saltem morta-
liter; *vivens vivet* per gratiam in via, glo-
riamque in patria, *et tu animam tuam*
liberasti. Hinc secundum Hieronymum,
opera bona indigent assiduo præceptore,
ne lassus optimo cursu, retrahat pedem.
Et facta est ibi, videlicet in loco quo 22
mihi præinducta revelata sunt verba, *su-*
per me manus Domini, id est jussio ac
allocutio Dei. *Et dixit ad me : Surgens,*
egredere in campum, et ibi loquar tecum.
D Illi enim inter quos sedit, divinæ revela-
tionis sibi fiendæ adspectu indigni fue-
runt. Locus insuper solitarius et quietus,
contemplationi est aptior : unde et Christus *Matth.* XIV, 23.
ascendit in montem solus orare, ut exhi-
beret imitandi exemplum. *Et surgens,* 23
egressus sum in campum. Et ecce ibi glo-
ria Domini stabat quasi gloria quam vidi
juxta fluvium Chobar, id est, talis visio
divinæ majestatis, talisque similitudo ani-
malium et rotarum, firmamenti ac throni,
atque in ipso sedentis, mihi ibidem ap-

paruit, qualem primo capitulo mihi osten- A
sam descripsi. *Et cecidi in faciem meam*
Ezech. II, 1. propter causas in expositione præceden-
24 tis capituli assignatas. *Et ingressus est in*
me spiritus, et statuit me supra pedes
Ibid. 2. *meos.* Hoc totum ibidem expositum est.
Et dixit ad me : Ingredere et include-
re, id est, te ipsum include, *in medio do-*
mus tuæ. Aliqui dicunt, quod jussus est se
in domo sua includere, quatenus re ipsa
obsidionem Judæorum in Jerusalem figu-
raret. Alii asserunt, quod in pœnam præ-
memorati sui silentii jussus est se ipsum B
25 includere. *Et tu, fili hominis, ecce data*
sunt super te vincula, id est, vinculis li-
gandum te trado, vel ad præfigurandam
Judæorum in Jerusalem vinculationem, vel
ob culpam silentii inordinati. *Et ligabunt*
te in eis noti tui : quod tamen æquanimi-
ter feres, imo volo quod ita ligari te fa-
cias. *Et non egredieris* de clausura domus
ac vinculis *de medio eorum,* id est inter
Judæos usque ad certum tempus, quod
26 non exprimitur hic. *Et linguam tuam ad-*
hærere faciam palato tuo, id est, aucto- C
ritatem et efficaciam prædicandi, copiam-
que verbi cœlestis auferam tibi ad tem-
pus. *Et eris mutus,* quantum ad Judæos
inter quos sedisti, *nec quasi vir objur-*
gans eos, id est impietates eorum. Asse-
runt quidam, taciturnitatem hanc, Prophe-
tæ pro culpa prætacta inflictam, ut qui
nimis tacuit ex propria voluntate, obmu-
tescat invitus ex divina virtute. Verum-
tamen verba sequentia non concordant : in
quibus causa taciturnitatis istius adscri-
bitur peccato plebis perversæ. *Quia do-* D
mus exasperans est, id est, familia ista
me jugiter offendendo, indignam se præ-
bet prædicationis instructionisque verbo.
Quum autem locutus fuero tibi, id est, 27
dum tempore congruo commisero tibi lo-
qui ad eos : tempus enim tacendi, et tem- Eccle. III, 7.
pus loquendi; *aperiam os tuum,* influendo
tibi sapientiam ad loquendum, et facul-
tatem exsequendi injunctum officium. *Et*
dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus :
Qui audit verba mea, *audiat* ea salubri-
ter; *et qui quiescit,* id est, a peccatis ces-
sat, *quiescat* feliciter. Loquitur Deus instar
hominis moleste graviterque ferentis duri-
tiam audientium verba sua, tanquam di-
cat : Qui vult verba mea audire, audiat;
et qui non vult, dimittat. Ideo subditur :
Quia domus exasperans est. Ideo justum
est sic alloqui eam. Juxta quem modum
in Apocalypsi Dominus ait : Qui in sor- Apoc. XXII,
dibus est, sordescat adhuc; et qui nocet, 11.
noceat adhuc.

Postremo, quæ in isto capitulo ad litteram dicta sunt de Ezechiele et ingratissimo populo Judæorum, facile est applicare bono prælato, doctori, seu Ecclesiæ Christi prædicatori, et populo christiano duro, inverecundo, et impœnitenti, secundum quod præcedenti articulo tactum recordor. Diligentissime autem pensandum est omni principi et prælato, omnique curam animarum habenti, quod de speculatore domus Israel dictum est : quemadmodum scilicet de manu ejus omnium pereuntium animas Deus requirat, nisi ipse quod in se est, cum debita sollicitudine fecerit, et sui officii actus universos rite impleverit. O quam grave et supergrave onus est, animarum curam habere ! Et quis ad hanc venire non trepidat, nisi qui divini judicii rigorem non expavescit?

ARTICULUS VI

ELUCIDATIO CAPITULI QUARTI : ET TU, FILI HOMINIS, SUME TIBI LATEREM.

SICUT jam patuit, Prophetæ nunc ver- A
bis, nunc factis prophetant. Unde in
hujus jam exponendi capituli principio Do-
minus quædam facta jubet Prophetæ, per
1 quæ vastitas Jerusalem prophetatur. *Et tu,*
fili hominis, sume tibi laterem, in quo
lineæ faciliter protrahantur, *et pones eum*
coram te, taliter eum situando, ut aptius
in eo depingere valeas; *et describes in eo*
civitatem Jerusalem: sicut in mappa mun-
di sub brevi spatio variæ urbes pinguntur.
2 *Et ordinabis adversus eam obsidionem,* id
est, in gyro lateris ordinate depinges ea B
quibus oppida obsidentur, contra Jerusa-
lem in latere pictam; *et ædificabis muni-*
tiones, id est, munitionum similitudines
pinges. Porro munitiones dicuntur, quibus
urbs cingitur, ne obsessi egredi queant.
Et comportabis aggerem, scilicet pingendo
imagines eorum qui ligna et lapides fe-
runt, quibus impleantur fossata; *et dabis*
contra eam castra, depingendo bellatorum
exercitus ac militum acies. *Et pones,* id est
describes, *arietes in gyro* civitatis depictæ
in medio lateris : in cujus lateris ambitu C
infra extremitatem ipsius, scilicet in ipso
latere, omnia ista describebantur. Sunt au-
tem arietes instrumenta pugnantium, qui-
bus muri quatiuntur, præsertim circa fun-
damenta, lapidumque junctura dissolvitur.
3 *Et tu, sume tibi sartaginem ferream, et*
pones eam in murum ferreum, inter te et
inter civitatem. Sartago ferrea, quæ instar
ferrei muri inter Prophetam et urbem sic
pictam locatur, implacabilem Dei iram
contra Jerusalem signat : ita quod sicut
per murum ferreum homo perspicere ne- D
quit, sic Deus urbem istam ad parcendum
non intueretur, nec precibus flecteretur.
Juxta quem modum ait Jeremias in Thre-
nis : Opposuisti nubem tibi, ne transeat *Thren.* III,
oratio. *Et obfirmabis faciem tuam ad eam,* 44.
id est, urbem vultu irato atque distorto
adspicies : ad designandum quod Deus eam
oculo districtæ æquitatis adspiciat, juxta
illud in Psalmo : Vultus Domini super fa- *Ps.* XXXIII,
cientes mala, ut perdat de terra memo- 17.
riam eorum. Hinc per Jeremiam Dominus
protestatur : Plaga inimici percussi te casti- *Jer.* XXX, 14.
gatione crudeli. *Signum est domui Israel :*
id est, per ista prophetice designatur, quæ
futura sint Judæis in Jerusalem et urbibus
ejus.

Consequenter facto prænuntiatur duratio
seu tempus captivitatis, vel ut aliis placet,
tempus iniquitatis tam decem tribuum Is-
rael, quam duarum, videlicet Juda ac Ben-
jamin. Præcipit ergo Deus Prophetæ : *Et* 4
tu dormies super latus tuum sinistrum in
domo tua clausus et vinctus, ita ut in aliud
latus te vertere non poteris : sicut infra
docetur. Porro per latus sinistrum, desi-
gnatur regnum decem tribuum, quod fuit
magis a Deo elongatum ac reprobum. Sta-
tim enim a regno filiorum David divisum, III *Reg.* XII,
cœpit idola colere, nec cessavit a tanto 16 *et seq.*
facinore usque in diem quo captum est at-
que translatum, ut patet in libris Regum.
Et pones iniquitates domus Israel, id est
decem tribuum, *super eo,* id est super la-
tus istud sinistrum, per dormitionem tuam
in latere sinistro, ostendens captivitatem
atque miseriam decem tribuum pro suis
impietatibus eis inflictas, *numero dierum*
quibus dormies super illud. Quis autem sit
numerus iste, mox adjicietur. *Et assumes*
iniquitatem eorum per mysticas repræsen-
tationes et aliquales afflictiones pro eis.
Ego autem dedi tibi annos iniquitatis eo- 5
rum numero dierum trecentos et nonaginta

dies : id est, pro anno iniquitatis eorum, injungo tibi diem dormiendi modo præscripto, ita ut quot diebus in sinistro latere dormies, tot annis decem tribus in captivitate et afflictione manebunt; vel, ut alii dicunt, in peccatis fuerunt, præsertim in idololatria. *Et portabis iniquitatem domus Israel,* id est decem tribuum, per modum jam dictum. Unde, secundum Hieronymum et eum sequentes, per iniquitatem datur intelligi pœna pro peccato inflicta. Annos autem trecentos et nonaginta captivitatis et oppressionis decem tribuum, computat S. Hieronymus a tempore captivitatis populi decem tribuum, sub rege eorum Phacee filio Romeliæ, a Theglathphalasar rege Assyriorum : a qua captivitate usque ad annum quadragesimum regis Assueri mariti Esther, qui filios Israel per omne suum imperium dispersos, de gravissima morte eripuit, laudavit, exaltavit, et magna libertate dotavit, ut patet in libro Esther. Computat ergo Hieronymus a tempore captivitatis prætactæ, usque ad annum Assueri quadragesimum, annos trecentos ac nonaginta.

IV *Reg.* XV, 29. — *Esther* VIII.

6 *Et quum compleveris hæc,* id est dormitionem istam in latere tuo sinistro, *dormies super latus tuum dextrum secundo* per respectum ad primam dormitionem. Per latus dextrum designatur regnum Juda, quod erat Deo carius, et ejus cultui magis adhærens. *Et assumes iniquitatem domus Juda,* id est, captivitatem ejus tua dormitione et afflictione prophetaliter designabis, *quadraginta diebus :* ita ut quot diebus sic dormies, tot annis durabit illorum captivitas. Ideo subditur : *diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi.* Horum quadraginta annorum numerum sumit B. Hieronymus a tempore transmigrationis Joachin regis Juda, quem Nabuchodonosor rex Babylonis duxit in Babylonem, usque ad primum annum Cyri regis Persarum, qui primo imperii sui anno contulit populo regni Juda libertatem atque licentiam redeundi in propria, sicut in Esdra habetur, et Isaias prædixit.

IV *Reg.* XXIV, 15. — I *Esdr.* I. — *Is.* XLV, 13.

Præterea expositio ista aliis displicet. Nam quantum ad primam ejus partem, non videtur eis idonea, quum decem tribuum captivitas adhuc duret; quantum ad partem quoque ipsius secundam, nam captivitas Judæorum in Babylone duravit annis septuaginta, quemadmodum Jeremias prædixit. Ista secunda objectio fortior est quam prima. Denique quarto Regum docemur, quod Nabuchodonosor rex Babylonis octavo regni sui anno transtulit Joachin; Sedeciam quoque regem Juda captivavit nonodecimo sui imperii anno. Deinde ibidem conscribitur, quod filius Nabuchodonosor patri suo in regno succedens, elevavit Joachin de carcere anno tricesimo septimo transmigrationis suæ. Quum ergo Nabuchodonosor octavo sui imperii anno transtulerit Joachin, et post regnavit annis triginta septem, vel circiter : siquidem filius ejus primo regni sui anno eduxit de carcere Joachin; constat quod a transmigratione Joachin usque ad mortem Nabuchodonosor, fluxerunt anni ad minus triginta septem. Post quos regnavit Evilmerodach filius Nabuchodonosor, deinde Balthasar filius Evilmerodach, sub quo Darius rex Medorum et Cyrus rex Persarum demoliti sunt Babylonem. Occisoque Balthasar, regnavit Darius super Chaldæam : post cujus mortem sumpsit Cyrus imperium. Idcirco non video quomodo a transmigratione Joachin usque ad primum annum regni Cyri, non computentur nisi quadraginta anni. Inquisitive hæc dico.

Jer. XXV, 11, 12; XXIX, 10. — IV *Reg.* XXIV, 12. — *Ibid.* XXV, 8. — *Ibid.* 27. — *Dan.* V, 30, 31.

Quidam ergo exponunt hunc locum de tempore iniquitatis et idololatriæ decem tribuum ac duarum, ita quod iniquitas idololatriæ decem tribuum duravit annis trecentis et nonaginta : quorum ducenti et quadraginta anni computantur a primo anno Jeroboam regis Israel, qui in vitulis aureis peccare fecit decem tribus, usque ad nonum annum Osee regis Israel, qui cum populo suo captus est a Salmanasar rege Assyriorum, ut legitur quarto Regum. Annos autem deficientes a totali numero prædicto, scilicet annos centum et quadra-

III *Reg.* XII, 26 *et seq.* — IV *Reg.* XVII, 6.

ginta octo, accipiunt pro tempore Judi- A
cum, a tempore Gedeonis seu mortis ejus, usque ad tempus Samuelis : quibus annis
Judic. VIII. 33; X, 6; I Reg. VII, 3, 4. filii Israel servierunt Baalim et Astaroth. Sed ista expositio videtur magis incompleta quam prima. Primo, quoniam idololatria decem tribuum nono anno Osee regis finem non habuit, sed adhuc in impietatibus suis perdurant. Secundo, quoniam filii Israel servierunt idolis multo tempore, et frequenter ante Gedeonem, ut patet in diversis passibus libri Judicum. Tertio, quia nec toto tempore post mortem Gedeonis B
usque ad præsidentiam Samuelis idola coluerunt, imo interim sæpe pœnituerunt, atque sub bonis judicibus Deo servierunt. Unde in Judicum libro post mortem
Judic. X, 10, 15, 16. Gedeonis leguntur ad Deum clamasse, pœnituisse, et omnia a se idola projecisse. — Insuper quadraginta annos iniquitatis regni Juda, computant a tempore Manassæ regis Juda, usque ad annum undecimum
IV Reg. XXV, 2 et seq. regni Sedeciæ, quo capta est Jerusalem et destructa. Sed ex libro Jeremiæ facile est probare, quod Judæi ab anno undecimo re- C
gni Sedeciæ, ab idololatria non cessabant. Prima itaque expositio videtur veritati propinquior : et rationabiliter dici posse opinor, quod computatio quadraginta annorum afflictionis regni Juda, incipiat a captivitate illa generali et maxima sub Sedecia, et protrahatur usque ad tempus quo Judæi in Chaldæa aliquam singularem consolationem de sua liberatione ex Prophetarum verbis sortiti sunt, vel aliud notabile relevamen. Deductionem autem numeri annorum præinductarum expositionum non D
posui, quia in commentis nunc copiose vulgatis habetur.

Præterea, sicut refert gloriosus Hieronymus, quidam trecentos et nonaginta annos decem tribuum, et quadraginta regni Juda jungentes, faciunt annos quadringentos et triginta, et volunt eos impleri a baptismate Salvatoris usque ad consummationem mundi. Hæc Hieronymus. Verum ad oculos nunc patescit, quam vana fuerit calculatio horum. Alii vero, ut scribit Hieronymus, et præsertim Judæi qui post Christi passionem in sua persiterunt perfidia, a secundo anno Vespasiani, quo Jerusalem capta est, computant annos præfatos, quibus finitis, reversuros dicunt Judæos ad pristinum statum. Hæc Hieronymus. Sed jam palam est, quam inanis fuerit illa assertio. Verumtamen ex his posset sumi occasio fideliter opinandi et computandi annos præmemoratos quadringentos et triginta a tempore propheticæ revelationis istius usque ad Christum, in cujus primo adventu ac passione finem accepit peccatum, et iniquitas deleta fuit, atque adducta justitia sempiterna, prout in Daniele prædictum Dan. IX, 24. est. Quod autem tot anni vel circiter fluxerint a tempore hujus revelationis usque ad Christi passionem, non esset ad probandum difficile; nec obstaret, si non esset præcise tantumdem durationis, quoniam in Scripturis, quod modicum est de numero vel tempore, in descriptione ingentium numerorum ac temporum non reputatur.

Et ad obsidionem Jerusalem convertes 7
faciem tuam, id est vultu minaci urbem seu ejus in latere depictam imaginem intuendo, *et brachium tuum erit exsertum,* id est extentum adversus eam, ad designandam percussionem ei imminentem. *Et prophetabis adversus eam,* non verbis dumtaxat, sed et gestu et habitu corporis.
Ecce circumdedi te vinculis. Hoc præce- 8
denti capitulo dictum est aliis verbis : Fili Ezech. III, 25. hominis, ecce data sunt super te vincula. Jussit quippe Deus Ezechieli, ut faceret se ligari. *Et non te convertes a latere tuo in latus aliud :* per quod nulla cruciatuum requies designatur; *donec compleas dies obsidionis tuæ,* id est, quoadusque finiantur supradicti trecenti et nonaginta, et quadraginta, seu quadringenti et triginta dies reclusionis tuæ in propria domo : de quibus præcedenti capitulo dictum est. Ingre- Ibid. 24. dere et includere in medio domus tuæ. Itaque infra trecentos et nonaginta dies non potuit se sanctus Ezechiel a sinistro latere in dextrum convertere, et infra qua-

draginta dies non se a dextro potuit latere A
vertere in sinistrum.
Consequenter præmonstratur fames Ju-
9 dæorum in Jerusalem et Judæa. *Et tu, su-
me tibi frumentum et hordeum et fabam,
et lentem, et milium, et viciam, et mittes
ea in vas unum :* id est, terræ nascentia
ista miscebis, non ex quolibet seorsum
specialem panem vel escam formando, sed
ejusdem generis panes tibi parando ex illo
commixto : quemadmodum tempore famis
et obsidionis non quæruntur ciborum di-
versitates atque deliciæ, sed quomodo ven- B
ter possit impleri. *Et facies tibi panes, nu-
mero dierum quibus dormies super latus
tuum,* id est in numero quantus est nu-
merus dierum quibus in sinistro dormies
latere, scilicet trecentos et nonaginta. *Tre-
centis et nonaginta diebus comedes illud,*
id est, quolibet die comedes panem unum,
parce edendo, ut moris est tempore obsi-
dionis ac famis. Ideo subditur :
10 *Cibus autem tuus quo vesceris,* videlicet
panis, *erit in pondere :* utpote *viginti sta-
teres in die :* ita quod quilibet panis ha- C
buit viginti stateres. Porro, secundum Hie-
ronymum, siclus seu stater habet quatuor
drachmas. Drachmæ autem octo, Latinam
unciam faciunt : ita ut unus panis decem
habeat uncias, quo trahitur anima magis,
quam sustentatur. Unde et alii dicunt, quod
stater sit media uncia. *A tempore usque
ad tempus,* id est a vespere unius diei ad
vesperam alterius diei, *comedes illud,* id
11 est panem sic ponderatum. *Et aquam in
mensura bibes,* videlicet *sextam partem
hin,* id est sextarii. Secundum Hierony- D
mum, hin duos sextarios facit Italicos.
A tempore usque ad tempus bibes illud, id
est secundum sensum prætactum, videli-
cet hora comestionis. Verumtamen deter-
minata harum quantitas mensurarum, no-
bis ignota est, quum secundum locorum
ac temporum varietates, diversificentur
pondera et mensuræ; sed certum est, quod
valde parva erat propter mysticam signi-
12 ficationem. *Et quasi subcinericium hor-
deaceum comedes illud,* id est, panes isti
instar hordeacei panis subcinericii erunt,
sicque comedentur a te, non ut laute, sed
viliter præparati. *Et stercore, quod egre-
ditur de homine, operies illud in oculis
eorum,* id est, humanis stercoribus cibos
præfatos coram Judæis operies, ut prius
visus abhorreat, quam gustus nauseam fe-
rat. Istud tamen Dominus postea tempe-
ravit.
Quid interea ista significent, et cur ista
Dominus imperavit, subjungitur : *Sic co-* 13
*medent filii Israel panem suum pollutum
inter gentes,* id est inter eos ad quos du-
centur captivi. Fit autem comminatio ista,
secundum Hieronymum, contra eos qui
in Judæa exsistentes, nondum fuerant ca-
ptivati. Nam subditur : *ad quas ejiciam
eos,* tradendo eos manibus gentium.
Et dixi : A, a, a, Domine Deus. Trina 14
ejusdem repetitio, magnæ seriositatis in-
dicium est, sicut in Jeremia habetur : Ter- *Jer.* XXII,
ra, terra, terra, audi verbum Domini. *Ec-* 29.
*ce, Domine Deus, anima mea non est
polluta,* manducando cibaria lege prohi-
bita; *et morticinum et laceratum a bestiis
non comedi ab infantia mea usque nunc.*
Morticinum vocatur, quod sine sanguinis
sui effusione vitam amittit. *Et non est in-
gressa in os meum omnis caro immunda,*
id est lege prohibita. Ex quibus innotescit,
diligentissimam custodiam divinorum præ-
ceptorum fuisse in Ezechiele : sicut et in
Petro apostolo, qui simili modo locutus
est Deo, varia bestiarum genera lege pro-
hibita, sibi ad manducandum monstran-
ti : Absit a me, Domine, quia nunquam *Act.* X, 14.
comedi commune quid aut immundum.
Consequenter Dominus annuens preci Pro-
phetæ, adjungit : *Ecce dedi tibi fimum* 15
boum pro stercoribus humanis, ut minor
tibi sit horror in comedendo tam detesta-
bilem panem ; *et facies panem tuum in
eo,* id est, præparabis sive operies.
Et dixit ad me, exponendo quid mea 16
comestio tam defectuosa designaret : *Fili
hominis, ecce ego conteram baculum pa-
nis,* id est ciborum sustentationem, *in
Jerusalem.* Unde Symmachus et Theodo-

tion Firmamentum transtulerunt : sicque in
Ps. civ, 16. Psalmo cantamus, Vocavit famem super terram, et omne firmamentum panis contrivit. *Et comedent panem suum in pondere, et in sollicitudine,* id est timore, et mensura angusta ; *et aquam in mensura et in*
17 *angustia bibent : ut deficientibus pane et aqua,* ac ceteris alimentis, *corruat unusquisque ad fratrem suum,* quærens a proximo suo auxilium : quoniam humanæ naturæ hoc est, ut tempore angustiæ et pressuræ, in alio magis quam in se ipso homo confidat ; *et contabescant in iniquitatibus suis,* id est, spiritualiter pereant, corporaliterque deficiant in suis criminibus, et pœnis quas pro illis merentur.

Præterea, secundum Hieronymum, de panibus secundum dies dormitionis in dextro latere quadraginta diebus, hic omnino tacetur, ut occulte Scriptura significet, non eamdem esse pœnam atque sententiam

A Dei contra populum Juda, qui notitiam habuit Dei, et decem tribuum, qui a religione Dei omnino recessit. Insuper, teste Hieronymo, usque hodie Judæi comedunt panem suum non in stercore humano, quoniam idolis non ministrant, sed in fimo boum, dum universa quæ faciunt, propter ventrem et carnem et terræ hujus bona operantur, scilicet propter terram Judææ. Nos autem terrena deliciasque carnales contemnimus, atque cœlesti reficimur pane. Multis quoque Christianis propter ini-
B quitates eorum aufertur robur spiritualis edulii, virtus et gratia sacramenti, aqua sapientiæ salutaris, panis vitæ et intellectus, panis lacrimarum et actionum bonarum.

Postremo, quod præscripta mala contigerint Jerusalem et Judæis tempore Babylonicæ circumvallationis et captivitatis, in Jeremia et Lamentationibus ejus copiose describitur : similiter in Isaia.

ARTICULUS VII

EXPLANATIO CAPITULI QUINTI : ET TU, FILI HOMINIS, SUME TIBI GLADIUM.

CONSEQUENTER quodam parabolico facto prænuntiantur modus et forma de-
1 molitionis Jerusalem. *Et tu, fili hominis.* Frequentissime appellatur a Deo Ezechiel, filius hominis, vel in figura Christi taliter
Matth. viii, 20; ix, 6; xi, 19, etc. in Evangelio sæpe vocati, vel ut, propriæ infirmitatis conscius et fragilitatis humanæ memor, ex divinarum frequentia revelationum non extollatur, vel in signum amoris Dei creatoris ad personam speciemque humanam, vel propter familiaritatem Prophetæ ad Deum. *Sume tibi gladium acutum radentem pilos,* id est rasorium quo barbæ tonsores utuntur ; *et duces per caput tuum et barbam,* vel propria manu, vel potius per manum rasoris. *Et assumes tibi stateram ponderis,* id est apta ad ponderandum, *et divides eos,* scilicet pilos ca-

C pitis et barbæ in tres partes æquales : quod facilius fit ponderando, quam nu-
merando. *Tertiam partem* pilorum *igni* 2
combures in medio civitatis, quam habitas ; vel, civitatis Jerusalem pictæ in latere (ut dictum est capitulo præcedenti), comburendo super laterem pilos ; *juxta completionem dierum obsidionis,* id est, ad designandum quod implebuntur quæ dies obsidionis a te præfiguratæ repræsentant, de quibus præcedenti dicebatur articulo. *Et assumens tertiam partem pi-
D lorum tuorum, concides gladio in circuitu ejus,* puta per gyrum civitatis prædictæ Jerusalem in latere exaratæ. *Tertiam vero aliam* partem pilorum *in ventum disperges.* Porro quid ista significent, infra ha- vers. 12.
betur in littera hujus capituli. *Et gla-*

dium nudabo post eos : id est, Judæos in A
captivitatem ductos, vel ad aliena territo-
ria profugos, per tertiam partem pilorum
in ventum dispersam significatos, perse-
quar et occidam. Unde Judæos in Ægy-
ptum profugos, Nabuchodonosor rex Baby-
lonis persecutus est, quosdam in Ægypto
occidens, alios secum captos deducens.

3 *Et assumes inde parvum numerum,* id
est, modicos pilos colliges de his quos
dispersisti in ventum, *et ligabis eos in*
summitate pallii tui. Per quos designan-
tur Judæi, a Chaldæa in Judæam reducti, B
4 divinitusque protecti. *Et ex eis,* id est pi-
lis in ora pallii congregatis, *rursum tolles*
aliquos pilos, *et projicies eos in medium*
ignis, et combures eos igni. Per quos ex-
primuntur Judæi a Chaldæa in Jerusalem
et Judæam reducti, qui ibidem in tribu-
II *Esdr.* I, 3. latione magna fuerunt, ut patet in libro
Esdræ ; posteri quoque istorum, qui a
Græcis vehementer oppressi fuerunt, præ-
sertim tempore regis Antiochi, prout pri-
I *Mach.* I; II *Mach.* VI, VII, etc. mo atque secundo libro Machabæorum ple-
nissime scribitur. *Et ex eo egredietur* C
ignis, id est, ex Judæis a plebe Græcorum
oppressis quidam exibunt, adhærendo regi
Antiocho et aliis regibus Judæos premen-
tibus, *in omnem domum Israel,* id est ad
infestandos omnes filios Israel, qui Judæ
Machabæo et fratribus ejus adhærebant.
I *Mach.* VII, 5 *et seq.*; II *Mach.* III, 4 *et seq.*; IV. De hoc in libris Machabæorum multa le-
guntur, qualiter quidam impii ex Israel
concitaverunt reges præfatos contra fide-
les Judæos, feceruntque majus malum in
Judæa, quam gentes. Ista expositio S. Hie-
ronymi melior universaliorque consistit, D
et plura complectens, quam quorumdam
judaizantium qui ista aliter interpretan-
tur, quod recitare infructuosum apparet.

5 *Hæc dicit Dominus : Ista est Jerusalem,*
de qua ista prænuntiantur. *In medio genti-*
um posui eam, et in circuitu ejus terras, id
est, regiones atque provincias multas. Je-
rusalem quippe dicitur esse in umbilico
et quasi in medio terræ habitabilis : quæ
septem climatibus dispertitur, in quorum
quarto ac medio Jerusalem sita est. De
qua ait Psalmista : Deus autem rex noster *Ps.* LXXIII, 12.
ante sæcula, operatus est salutem in me-
dio terræ. Præterea, ut scribit Hierony-
mus, Jerusalem ab oriente cingitur Asia,
ab occidente Europa, a meridie et austro
Libya et Africa, a septentrione Scythis,
Armenia atque Perside, et cunctis Ponti
nationibus. *Et contempsit judicia mea,* id 6
est divina testimonia ac præcepta judicia-
lia, quæ Deus judicat vera et justa, *ut plus*
esset impia per idololatriam, Prophetarum
occisionem, et alia infinita facinora, *quam*
gentes, id est gentiles idololatræ. Quo enim
Judæi plura a Deo beneficia erant sortiti,
majorique ejus notitia, admonitione, et vo-
catione informati, eo graviora fuerunt eo-
rum peccata. Dictio illa, *ut,* tenetur hic
concomitanter, non causaliter. *Et præcepta*
mea, id est moralia in Decalogo scripta,
contempsit *ultra quam terræ quæ in cir-*
cuitu ejus sunt, id est gravius quam na-
tiones : quæ interdum ex naturali ratione,
opera quædam ex genere bona fecerunt,
suisque diis inanibus firmius adhæserunt
quam Judæi Deo vero et omnipotenti, juxta
illud Jeremiæ : Ite et videte, si mutavit *Jer.* II, 10, 11.
gens deos suos; populus autem meus mu-
tavit gloriam suam in idolum. *Judicia*
enim mea prætacta *projecerunt* habitato-
res Jerusalem de corde suo atque me-
moria.

Idcirco hæc dicit Dominus Deus : Quia 7
tu Jerusalem, et Judæa, *superastis gentes*
magnitudine vitiorum, *et juxta judicia*
gentium non estis operati, id est, magis
transgressi estis mea præcepta, quam illæ
præcepta deorum suorum, *ideo hæc dicit* 8
Dominus : Ecce ego ad te sto ad ultionem
paratus, *et ego ipse faciam in medio tui*
judicia, id est justas vindictas, *in oculis*
gentium, tradendo te voluntati hostium
tuorum Chaldæorum. *Et faciam in te quæ* 9
non feci, id est majores vindictas ac pu-
nitiones, quam præteritis unquam feci
temporibus in urbe una a populo uno, *et*
quibus similia ultra non faciam. Videtur
huic contrarium, quod tempore Titi non
minora flagella a Romanis perpessa est.

Respondet Hieronymus, quod non fuerunt A
similia, sed majora, quemadmodum majus
fuit peccatum eorum tunc quum Dei Fi-
lium occiderunt, quam quod antea idola
coluerunt. Alii dicunt, et verum est, quod
dictio, Ultra, in Scripturis non semper
designat, a parte post perpetuitatem, sed
interdum aliquam notabilem atque inso-
litam temporis durationem : secundum
IV *Reg.* VI, 23. quod quarto Regum habetur, quemadmo-
dum Syri non addiderunt ultra intrare
Ibid. 24. terram Israel ; et tamen mox subditur,
10 quod post breve tempus regressi sunt. *Id-*
circo comedent patres filios in medio tui,
et filii comedent patres suos. Hinc Jere-
Thren. IV, 10. mias ait in Threnis : Manus mulierum
misericordium coxerunt filios suos ; facti
Ibid. 9. sunt cibus earum. Et iterum : Melius fuit
occisis gladio, quam interfectis fame. *Et*
faciam in te judicia, id est, justa tibi
supplicia inferam ; *et ventilabo universas*
reliquias tuas in omnem ventum, id est,
eos qui post captivitatem Babylonicam
residui fuerint, per loca diversa disper-
gam : quod post mortem Godoliæ fuisse C
Jer. XLI. impletum, in Jeremia plenius et in Scho-
lastica recitatur historia.
11 *Idcirco vivo ego, dicit Dominus :* id est,
quemadmodum verum est me esse viven-
tem et vitam superessentialem, perfectam,
actualissimam et immensam ; sic verum
est quod dico, videlicet, *nisi,* id est si non,
hoc est, imo, utique, *pro eo quod pactum*
meum violasti, id est, legem a me datam
transgressus es, *et nomen meum,* seu me
ipsum supersanctissimum, *inhonorasti in*
omnibus offensionibus tuis ; ego quoque D
confringam te, id est, te per manum Chal-
dæorum occidam, et Jerusalem ac tem-
plum comminuam, *et non parcet oculus*
meus, id est, clemens non erit adspectus
meus in te.
Consequenter Dominus pandit, quid di-
cta in principio hujus capituli designent,
de tripartita divisione pilorum. Signavit *
* Signant enim, quod Judæi triplici vastitate per-
12 irent. *Tertia pars tui, peste morietur et*
fame in medio tui, o Jerusalem. Nam an-
tequam caperetur Jerusalem a Chaldæis,
multi omnino in ea, pestilentia perierunt
et fame. Et ista plaga famis et mortis, su-
pra expressa est nomine ignis, quoniam in
Scripturis omnis gravis afflictio nomine
ignis signatur. *Tertia pars tui, gladio ca-*
det in circuitu tuo. Multos enim Judæ-
orum occiderunt Chaldæi hinc inde ex-
tra Jerusalem. *Tertiam vero partem tuam*
in omnem ventum dispergam. Hoc intel-
ligitur de his qui in captivitatem ducti
fuerunt, vel in Ægyptum fugerunt. *Et gla-*
B *dium evaginabo post eos,* quosdam eis-
dem hostibus suis usque ad internecionem
tradendo.
Et complebo furorem meum, id est ju- 13
stitiæ meæ rigorem, qui propter simili-
tudinem operis, scilicet dirissimæ ultio-
nis, furor patienti videtur, *et requiescere*
faciam indignationem meam in eis, id
est, detestationem qua peccata eorum de-
testor, ostendam in eis per digna tormen-
ta; *et consolabor,* id est, per modum con-
solati seu consolantis se ipsum habebo
me. Irascens quippe atque indignans dele-
ctatur, quando ad libitum injuriam sibi
illatam ulciscitur. Deus quoque in actu
æquitatis lætatur, et sicut in bonis actibus
complacentiam, ita in vitiis displicentiam
habet. Quamvis autem omnipotens atque
invariabilis Deus loquitur more humano,
et secundum humanum affectum, tamen
passiones in eo locum nullum habere cer-
tissimum est. Simili modo loquitur in Pro-
verbiis : Ego in interitu vestro ridebo ; et *Prov.* I, 26.
per Isaiam, Ego consolabor super hostibus *Is.* I, 24.
meis. *Et scient* per experientiam debitæ
punitionis, vel ipsi qui punientur et occi-
dentur, vel alii qui illorum exemplo terre-
buntur, *quia ego Dominus locutus sum in*
zelo meo, id est magno affectu quo virtu-
tes diligo, culpas abhorreo, *quum impleve-*
ro indignationem meam in eis. Qui autem
occidebantur, etsi non in ipsa sui occi-
sione id cognoverunt, tamen post mortem,
in inferno vel purgatorio hoc sciverunt.
Et dabo te, o Jerusalem, *in desertum,* id 14
est habitatione privatam, *et in opprobrium*

in gentibus, id est inter gentes, *quæ in*
15 *circuitu tuo sunt. Et eris opprobrium,* id
est materia exprobrandi, *et blasphemia,* id
est res maledicta seu blasphemata, *et exemplum,* cujus intuitu alii corrigent semetipsos, et Deum timebunt, ne patiantur
similia, *et stupor,* id est admirationis materia, *in gentibus,* quæ tantam tuam cala-
16 mitatem admirabuntur. *Quando misero sagittas famis,* id est punitiones et pœnas
ex victualium carentia procedentes, *pessimas* non malitia culpæ, sed pœnæ; *et conteram in vobis baculum panis,* id est ali-
17 mentorum sustentationem. *Et immittam*
A *in vos bestias pessimas,* quæ depopulationem terræ sequi solent. Cetera patent.

Spiritualiter quoque ipsa Ecclesia, exigentibus suis excessibus, passa est et nunc patitur his similia, et spiritualibus alimentis animæ destituuntur, passionibus carnis subduntur, dæmonibus obsequuntur.

Postremo omnia jam in textu isto descripta, in Isaia et Jeremia copiose habentur, sed propter prolixitatem vitandam allegationes dimitto, præsertim quum littera plana sit, nec speciale aliquid de Christi
B mysteriis contineat. Unde in talibus locis immorandum non arbitror.

ARTICULUS VIII

EXPOSITIO CAPITULI SEXTI : ET FACTUS EST SERMO DOMINI AD ME.

PRÆCEDENTI capitulo specialiter prænuntiata est civitatis Jerusalem vastitas ; nunc totius Judææ dejectio annun-
1 tiatur. *Et factus est sermo Domini ad me,*
2 *dicens : Fili hominis, pone faciem tuam*
ad montes Israel, ut per seriosam vultus tui directionem ad eos, designetur quam ponderosa sint ea quæ dices; *et propheta-*
3 *bis ad eos, et dices : Montes Israel, audite*
verbum Domini Dei : Hæc dicit Dominus Deus montibus et collibus, rupibus et vallibus. Nominibus rerum istarum sunt intelligendi habitatores earum, quorum pressura captivitasque prædicitur ; vel si ad insensata sermo dirigitur, hoc ideo fit, non ut ipsa audiant formaliter, sed materialiter, in quantum præbent hominibus occasionem atque materiam advertendi verba divina, per hoc quod audiunt homines verbum Dei factum esse ad illa, non propter illorum, sed eorum informationem : quemadmodum irrationales inanimatæque creaturæ in Scripturis invitantur ad laudandum benedicendumque Dominum creatorem.

Ecce ego inducam super vos, id est habitantes in locis hujusmodi, *gladium* Chal-
C dæorum, *et disperdam excelsa vestra,* id
est loca vel ædificia illa sublimia in qui-
bus idola colebantur, *et demoliar aras ve-* 4
stras, id est altaria idolorum super vobis ædificata, *et confringentur simulacra vestra,* id est idola. Omnia ista atque sequentia quædam fecerunt, Deo inspirante, Chaldæi. Ideo ipsemet Deus dicit se ea facturum. *Et dejiciam interfectos vestros,* id est cultores vestros, qui colendo super vobis idola, se ipsos spiritualiter occiderunt peccando, *ante idola vestra,* illa videlicet,
D quæ in vobis coluntur, ut innotescat quod vana sunt idola, quæ suos non valuerunt tueri cultores, in tantum quod corpora
quoque eorum insepulta manserunt. *Et* 5
dabo cadavera filiorum Israel idololatrarum *ante faciem simulacrorum vestrorum,* permittens eos occidi ibidem, ut ubi pec-
caverunt, et punirentur. *Urbes desertæ* 6
erunt. Chaldæi namque non ipsam Jerusalem tantum, sed ceteras etiam urbes Judææ destruxerunt. *Et conterentur delubra vestra :* id est, loca voluptatis in quibus

idola colebantur, redigentur in pulverem ; A
et delebuntur opera vestra : videlicet, dii
quos fabricastis, et idololatriæ loca, omnia
quoque gesta iniqua damnabuntur.

Consequenter Dominus non omnes per-
8 ituros prædicit. *Et relinquam in vobis,* id
est, quosdam vestrum conservabo in vita,
eos qui fugerint gladium, id est, percus-
sionem Chaldæorum evaserint, *in genti-
bus,* inter quas habitabunt, *quum disper-
sero vos,* id est aliquos vestrum, *in terras*
9 gentilium. *Et recordabuntur mei,* id est,
me laudabunt, colent, ac prædicabunt, *li-*
berati vestri, videlicet isti in vita, Deo dis-
ponente, conservati ut per eos notitia Dei
Israel manifestaretur gentilibus, *in genti-
bus, ad quas captivi ducti sunt :* juxta
Tob. xiii, 3, 4. illud Tobiæ : Confitemini Domino, filii Is-
rael, et in conspectu gentium laudate eum,
quoniam ideo dispersit vos inter gentes
quæ ignorant eum, ut enarretis mirabilia
ejus, et faciatis eas scire, quia non est
alius Deus omnipotens præter eum. Simi-
Dan. iv, 31-34; vi, 25-27. liter per Danielem data est regi Nabucho-
donosor, et regi Dario, multisque, imo innu-
merabilibus aliis illorum subditis, notitia
veri atque altissimi Dei. Per Mardochæum
quoque et Esther multi gentilium ad Ju-
Esther viii, 17. daismum fuerunt conversi, ut habetur in
libro Esther. Hæc ergo fecerunt per hoc,
quod Deus gratiam pœnitendi veraciter
præstitit eis, sicut mox subditur :

*Quia contrivi cor eorum fornicans et
recedens a me,* non ipsum esse cordis, sed
vitia ejus destruendo : secundum quod Sa-
Prov. xii, 7. lomon ait, Verte impios, et non erunt. Fuit
autem in Judæis istis non solum fornicatio
spiritualis, quæ potissime idololatriam re-
spicit, sed insuper corporalis : quibus com-
Osee iv, 12. petebat id Osee, Spiritus fornicationis de-
cepit eos, et fornicati sunt a Deo. *Et oculos
eorum fornicantes post idola sua,* id est
ad idola infideliter respicientes : quos con-
trivi, auferendo ab eis tantum flagitium,
Ps. cxviii, 37. sicut orat Psalmista : Averte oculos meos
ne videant vanitatem. *Et displicebunt si-
bimet super malis quæ fecerant,* id est,
consideratione vitiorum suorum se sper-
nent ac reprobabunt. Hæc est displicentia
bona ac optima, quæ ad sui ipsius con-
temptum et Dei amorem disponit veraciter
pœnitentem. Quo autem propriam fragili-
tatem, ingratitudinem, negligentiam, im-
pietatem clarius adspicit, eo sibimet am-
plius displicet ; sicque humilis, patiens,
mitis efficitur, omni confusione ac pœna
dignum se arbitrans. Quocontra de impœ-
nitentibus ac superbis scriptum est : Ini- II Petr. ii, 9, 10, 17.
qui, audaces, sibi placentes, quibus caligo
tenebrarum reservatur. Hinc ad Romanos
B Paulus docet : Debemus autem nos firmi- Rom. xv, 1.
ores, imbecillitates infirmorum sustinere,
et non nobis placere.

Et scient per illuminationem gratiæ sibi 10
concessæ ac pœnitentiam salutarem, *quia
ego Dominus non frustra locutus sum,* id
est, non inaniter per Prophetas prædixi,
ut facerem eis malum hoc, id est castiga-
tionem istam pœnalem, tamen paternam
ac piam. Pœnæ etenim vitæ præsentis,
sunt medicinæ atque remedia contra pec-
cata. Dum ergo ad eas emendatio sequitur,
C non sunt frustra inflictæ : alias frustra
sunt, quantum ad patientem. Cedunt ta-
men in bonum commune, atque in deco-
rem ordinis universi, justitiamque divi-
nam commendant. Hinc per Jeremiam de
induratis Dominus ait : Frustra percussi Jer. ii, 30.
filios vestros ; disciplinam non receperunt.

Hæc dicit Dominus : Percute manum 11
tuam, et allide pedem tuum : id est, in-
star eorum qui vehementer dolent et stu-
pent, vel aliquid deflent, percute manus
tuas ad invicem, et pedem allide ad ter-
D ram propter magnitudinem culparum at-
que pœnarum filiorum Israel. *Et dic, Heu,
ad omnes abominationes malorum domus
Israel,* scilicet Judæorum adhuc exsisten-
tium in Judæa ; *quia gladio, fame, peste
ruituri sunt,* unus sic, alter sic, prout
subditur : *Qui longe est* ab hostibus, *pe-* 12
ste morietur ; qui autem prope hostes est,
*gladio corruet ; et qui relictus fuerit et
obsessus, fame morietur* in urbe seu for-
talitio. Itaque, qui manus adversariorum
evaserit, in manus Dei cadet. *Et scietis* per 13

effectum justitiæ meæ, *quia ego Dominus,* omnia regens, intuens atque dijudicans, verax in verbis, et justus in factis, *quum fuerint interfecti vestri in medio idolorum vestrorum, in omni colle excelso, et subter omne lignum nemorosum,* id est in locis idololatriæ, *ubi accenderunt thura redolentia idolis suis.* Distributiones istæ non sunt multum stricte accipiendæ, sed secundum subjectam materiam, atque accommode, et pro generibus singulorum.
14 *Et faciam terram* eorum *desolatam et*
destitutam habitatoribus, *a deserto Deblatha :* quæ (secundum Hieronymum) est in terra Emath, et ut alii dicunt, ad locum istum in una parte sua terminatur Judæa; *in omnibus habitationibus eorum,* id est per universa habitabilia loca ipsorum. Chaldæi quippe totam Judæam in solitudinem quodammodo redegerunt.

Sensus moralis

MORALITER, quod in exordio hujus capituli dicitur ad montes et colles, rupes ac valles, de superbis ac vanis Christianis accipitur, qui in oculis suis magni et sapientes sunt, et præesse vel exaltari famarique cupiunt, et de eorum ministris, fautoribus vel subjectis, superiorum suorum pravitatem sectantibus. Horum excelsa atque simulacra, id est pompositates, præsidentias, varia phantasmata, confictaque dogmata, et cetera quæ magis colunt quam Deum, videlicet ventrem, venerem, aurum, divitias, Deus confringet; et ipsi infelices peribunt, nec tempore necessitatis, plagæ ac mortis, poterunt adjuvari per ista inania in quibus confidunt. Verumtamen quidam ex istis, Deo propitiante, redeuntes ad cor, pœnitent; et Dei beneficia recordantes, atque Creatorem suum laudantes, alios quoque trahunt ad Deum. Quorum cor ante fornicans, et a Deo recedens, ipse clementissimus Dominus tanta gratia ungit, emendat et perficit, ut ubi abundavit delictum, abundet et gratia. (*Rom.* v, 20) Unde quo gravius peccaverint, humiliores fiunt, et sibi vehementissime displicent, vituperari desiderant, laudes suas gravissime ferunt. — Postremo, sicut Ezechieli Deus præcepit, super iniquitates et clades populi Israel manus percutere, pedem allidere, et plorare, et Heu exclamare; ita et veri virtuosique Christiani, proximorum suorum excessus et ærumnas totis præcordiis debent verbo et facto portare, deflere, itemque pro viribus caritative relevare ac amovere, sicut ait Apostolus : Flere cum flentibus, (*Ibid.* xii, 15) et, Alter alterius onera portate. (*Galat.* vi, 2.)

ARTICULUS IX

DECLARATIO CAPITULI SEPTIMI : ET FACTUS EST SERMO DOMINI AD ME.

QUINTO capitulo direxit Propheta verbum suum contra Jerusalem; sexto autem capitulo, contra montes, colles, rupes, valles Israel. Nunc sermo prophetalis contra totam Judæam dirigitur. Et sicut moris est vehementer dolentium, eadem verba repetere, vel verbis diversis idem significare, ita nunc ait Propheta. Unde in textu non est magna difficultas, nec immorandum est planis non mysticis, quatenus obscuris ac mysticis convenientius insistatur.
Et factus est sermo Domini ad me, di- 1
cens : Et tu, fili hominis, hæc dicit Do- 2
minus Deus terræ Israel : Finis venit, venit finis, id est, terminus habitationis jam instat, *super quatuor plagas terræ,* id est totius Judææ, ad omnem scilicet plagam ejus : ita quod ad plagam suam orientalem, occidentalem, septentrionalem, australem,

a Chaldæis vastabitur, habitatoribusque
privabitur usque ad tempus præfixum.
3 *Nunc finis super te :* id est, statim post
hanc prophetiam, veniet super te, o Ju-
dæa, finis habitationis hominum in te mo-
do degentium. Ezechiel quippe orsus est
Ezech. I, 2. prophetare in Babylone quinto anno Se-
IV *Reg.* XXV, 1. deciæ regis, cujus imperii nono anno in-
gressus est rex Babylonis Judæam, cepit-
Ibid. 2. que Jerusalem anno undecimo Sedeciæ. *Et*
immittam furorem meum, id est, justitiæ
meæ rigorem exercebo, *in te; et judicabo*
te juxta vias tuas, id est opera vitiosa,
quibus ad infernum transisti. Viæ autem
hominum sunt, non opera tantum exteri-
ora, sed omne meritum sive demeritum :
quod est medium quoddam inter statum
4 præsentem et vitam alterius sæculi. *Et non*
parcet oculus meus super te : id est, sa-
pientia qua cuncta intueor, vel clementia
qua electos præsertim contemplor, non ha-
bebit te a debitis castigationibus suppor-
tatum; *et non miserebor,* afflictorum suspi-
ria exaudiendo. *Sed vias tuas ponam super*
te, id est, peccata tua inexcusabiliter tibi
imputabo, et justa pro eis tibi infligam
tormenta; *et abominationes tuæ in medio*
tui erunt, id est, manifeste ac evidenter
punientur in te, et omnibus innotescent.
5 *Hæc dicit Dominus Deus : Afflictio una,*
id est, magna atque præcipua nunc prope
est, *afflictio ecce venit,* puta captivitas et
6 pressura tua a Chaldæis. *Finis venit, venit*
finis. Repetitio, confirmationis ac serio-
sitatis admonendæque intentionis est si-
gnum. *Evigilavit adversum te,* id est, vigi-
lanter ac indilate tibi propinquat afflictio,
7 diu clementer dilata. *Venit contritio,* id
est destructio, *super te,* o popule Judæo-
rum, *qui habitas in terra* Judææ; *prope*
est dies occisionis, et non gloriæ montium,
id est principum Judæorum, qui non ha-
buerunt a Chaldæis gloriam, sed interfe-
ctionem.
10 *Egressa est contritio :* id est, destructio
tua tam prope est, ut dici possit jam tibi
inflicta, et ab hostibus tuis in te profecta,
eo quod certissime tibi immineat. Hinc

A per Jeremiam Dominus loquitur populo
huic : Non poterat vos Dominus ultra por- *Jer.* XLIV, 22.
tare propter malitiam studiorum vestro-
rum. *Floruit virga :* id est, flagellum quo
percutiamini, omnino paratum est, sicut
virga recens apta est ad cædendum. Po-
testque nomine virgæ rex Babylonis intelli-
gi, qui fuit instrumentum divinæ potentiæ
in correctione Judæorum : quemadmodum
de rege Assyriorum scriptum est in Isaia,
Væ Assur, virga furoris mei et baculus ipse *Is.* X, 5.
est. *Germinavit superbia :* id est, contem-
B ptus vester in Deum, fructum plagarum
produxit. Pœna enim est effectus peccati.
Idcirco superbia, quando tam ingens est
ut ultionem Dei requirat, germinare asse-
ritur. *Iniquitas surrexit in virga impie-* 11
tatis. Per virgam impietatis, intelligi potest
regia potestas Sedeciæ regnantis injuste :
in quo multiplicata fuit iniquitas, propter
quam ipse cum populo periit. *Non ex eis,*
et non ex populo, id est, iniquitas ista non
fuit principaliter ex ministris vel vulgo,
neque ex sonitu eorum; sed ex parte re-
C gum et principum ac majorum, qui tan-
quam pastores cæci gregem duxerunt in *Matth.* XV, 14.
foveam, et perditionis eorum causa fue-
runt. Ideo subditur : *et non erit requies*
eis. Chaldæi enim Judæis a se obsessis,
requiem non dederunt; nec his qui in
Ægyptum fugerunt, requies fuit, ut di-
ctum est.
Venit tempus vastitatis præfatæ. *Qui* 12
emit, non lætetur : quia quod emit, mox
perdet. *Et qui vendit* hereditaria bona, quæ
solent cum dolore venundari, *non lugeat :*
D quia etsi non venderet, nihilo minus sta-
tim amitteret, Chaldæis cuncta vastantibus.
Quia ira, id est ultio Dei, *super omnem*
populum ejus, id est, toti populo Judæo-
rum per Chaldæos jam infligetur. *Quia qui* 13
vendit, ad id quod vendidit non reverte-
tur quinquagesimo anno, qui dicitur jubi-
læus : quo omnia vendita hereditaria, ad *Lev.* XXV, 10.
priorem dominum revertebantur. Per hoc
designatur, quod antequam jubilæus adve-
niret, caperentur ac disperirent. *Et adhuc*
in viventibus vita eorum, id est, in Judæis

nondum exstincta est vita naturalis, sed
mox ruituri sunt. *Visio enim ad omnem
multitudinem ejus,* id est revelatio prophetica de totius Judaici populi vastitate,
non regredietur, id est, irrita non erit, nec
revocabitur; *et vir in iniquitate vitæ suæ
non confortabitur,* id est, nulli proderit sua
iniquitas, nec præbebit ei robur ad evadendum mala quæ imminent. Imo quanto
quis amplius peccat, eo infirmior est coram Deo; summaque fortitudo est, vitia
superare, ac Deo subjectum consistere.

Consequenter populo Judæorum ironice
14 dicitur : *Canite tuba,* excitando vos ad pugnandum contra Chaldæos; *præparentur
omnes* Judæi tubam audientes ad prælium.
Quod autem istud ironice dictum sit, sequenti verbo patescit : *et non est qui vadat
ad prælium,* id est, nullus Judæorum audebit egredi ad præliandum contra Chaldæos. *Ira enim mea super universum populum ejus,* puta Judææ : id est, ego
auxilium universo populo subtraho, eosque adversariis trado.
15 *Gladius foris,* id
est, exercitus Chaldæorum armatus, extra
urbium mœnia fusus est, et quos invenerit, ibi occidet; *pestis et fames intrinsecus,*
id est, qui intra urbes se tueri putabant,
illic pestilentia consumentur ac fame. Ideo
additur : *qui in agro est, gladio morietur,*
quum fuerit a Chaldæis inventus.

16 *Et salvabuntur,* id est, in vita conservabuntur, vel per pœnitentiam consequentur salutem, *qui fugerint ex eis,* id est,
manum Chaldæorum evaserint; *et erunt in
montibus,* ad quos confugerint ad latendum, *quasi columbæ convallium,* id est,
quæ ex sua natura in convallibus cupiunt habitare; *omnes trepidi,* id est inveniri atque occidi timentes, *unusquisque in
iniquitate sua,* id est pro suo peccato,
quo sibi conscius est se mortem meruisse.
Quemadmodum enim columbæ quæ in convallibus demorantur secure, sunt formidolosæ dum timore volentium capere eas
ad montes convolant, ibique sistunt; ita
17 et isti. *Omnes manus dissolventur* istorum
ita timentium, id est, invalidæ erunt ad

A resistendum. Passio namque timoris dum
vehemens est, infrigidat multum, et reddit
membra impotentia atque trementia : imo
et timor iste patulam facit vesicam, ut
nequeant cohibere urinam. Ideo subditur :
et omnia genua istorum *fluent aquis,* id
est urinæ humoribus. *Et accingent se cili- 18
ciis* ex pœnitentia et dolore, ut misericordiam consequantur a Deo, ne hostium incidant manus; *et operiet eos formido,* ita
ut in vultu et membris per pallorem ac
tremorem, interior timor appareat; *et in*
B *omni facie confusio,* id est pudor de sua
impietate atque miseria, *et in universis
capitibus eorum calvitium,* eo quod pili
ex fame ac ceteris calamitatibus defecerint
sive exciderint, vel eos sibi propriis manibus præ dolore extraxerint.

*Argentum eorum foras projicietur, et au- 19
rum eorum in sterquilinium erit.* Hoc ideo
dicitur, quoniam præ timore hostium omnia sua a se projecerunt, ut expeditius
currendo, diffugerent, suam tantum vitam
conservare optantes; vel quia hostes eo-
C rum pretium quo se redimere cupiebant,
ex contemptu rejecerunt. *Argentum eorum
et aurum eorum non valebit liberare eos
in die furoris Domini,* id est, Chaldæi nullum pretium sument, ut eis parcant in die
quo tradentur isti Judæi in manus ipsorum. *Animam suam non saturabunt,* id
est, appetitui cibi ac potus satisfacere non
valebunt, *et ventres eorum non implebuntur :* victualibus namque deficientibus,
emere pro argento et auro sustentaculum
vitæ non poterunt; *quia scandalum ini-*
D *quitatis eorum factum est* argentum et aurum ipsorum, dum sibi ex his idola fabricarent, quæ eis ruinam culpæ et pœnæ
præbuerunt. *Et ornamentum monilium 20
suorum,* id est monilia sua ornata aurea
sive argentea, *in superbiam posuerunt,* id
est, ad ostentationem exposuerunt, et donis
Dei in superbiam sunt abusi; *et imagines
abominationum suarum,* id est idola superstitionum, *et simulacrorum,* id est deorum falsorum, *fecerunt ex eo,* statuas aureas
argenteasque formando. *Propterea dedi eis*

illud argentum et aurum *in immunditiam,* id est ad majorem eorum deturpationem, permittendo eos cadere in ido-
21 lolatriæ sordes. *Et dabo illud in manus alienorum,* videlicet Chaldæorum, *ad diripiendum, et impiis terræ in prædam.* Chaldæi enim pessimi erant. *Et contaminabunt illud,* id est, contaminata esse a vobis ostendent, et in usus illicitos cultumque deorum suorum illud convertent.

22 *Et avertam faciem meam,* id est pietatis respectum, opem et protectionem, *ab eis,* scilicet perversis istis Judæis. *Et violabunt arcanum meum,* id est, Chaldæi templum, et præsertim Sanctum sanctorum, in quo
Hebr. IX, 7. nullus ingredi debuit nisi pontifex, et hoc, semel in anno, inhonorabunt ac polluent, illud intrando, vitiosa ibi agendo, ipsumque ædificium funditus destruendo. *Et intrabunt in illud emissarii,* scilicet sagittarii Chaldæorum. De hoc plorat Jeremias in
Thren. I, 10. Threnis : Vidit, inquiens, gentes ingressas in sanctuarium Dei, de quibus præceperas, ne intrarent in illud.

Deinde loquitur Dominus ad Prophetam :
23 *Fac conclusionem,* id est, Judæorum comprehensionem et dejectionem brevi sermone complectere, eosque irretractabiliter opprimendos conscribe; *quoniam terra plena est judicio sanguinum,* id est, Judæa vehementer condigna est per divinum judicium tradi hostibus ad occidendum : ut sicut in terra ista fusus est sanguis innocentium ac Prophetarum, præsertim tempo-
IV *Reg.* XXI, 16. re regis Manassæ, ut legitur quarto Regum; sic in ea effundatur sanguis impiorum; *et*
24 *civitas plena iniquitate,* puta Jerusalem. *Et adducam pessimos de gentibus,* id est crudelissimos Chaldæos, *et possidebunt* Chaldæi *domos eorum,* videlicet Judæorum : quia in suam potestatem has redegerunt, et ad placitum destruxerunt. *Et quiescere,* id est cessare, *faciam superbiam potentium,* scilicet Sedeciæ et principum ejus ac sacerdotum, quos sibi subjecerunt Chaldæi; *et possidebunt* Chaldæi *sanctuaria eorum,* id est templum et sacra loca ipsius : quæ in suam Chaldæi potestatem redegerunt,

A sicut de domibus dictum est. *Angustia* 25
superveniente requirent Judæi *pacem* ab hostibus, *et non erit :* quoniam eis non
parcent. *Conturbatio super conturbationem* 26
veniet, id est, una afflictio alteri adjungetur, *et auditus* rumor de Chaldæorum adventu ac hostilitate, *super auditum :* ita quod nuntio mala nuntianti alter mox occurrens, eadem nuntiabit. *Et quærent visionem de propheta :* quemadmodum in Jeremia copiose narratur, quod Sedecias *Jer.* XXXVII, 16; XXXVIII, 14-27.
rex occulte quæsivit a Jeremia verbum Dei,
B et principes sciscitabantur quid cum rege contulisset. Quærebant quoque a pseudoprophetis quid immineret. *Et lex peribit a sacerdote.* Chaldæi quippe occiderunt sacerdotes, et libros legis incenderunt; sacerdotes etiam legem impie reliquerunt. *Et consilium a senioribus* Judæorum peribit : qui erant judices ordinarii, et captivitate instante, nec sibi nec aliis consulere potuerunt, sed occidebantur.

Rex lugebit, scilicet Sedecias, quando 27
rex Babylonis filios ejus, eo cernente, fe- IV *Reg.* XXV, 7.
C cit occidi, ejusque oculos jussit erui, et ipsum vinctum in Babylonem perduci. *Et princeps induetur mœrore :* quod accipi potest de principe militiæ, vel generaliter de principibus cum rege captis. Sæpe etenim ponitur singularis numerus pro plurali. *Et manus populi conturbabuntur :* sicut jam dictum est, Omnes manus dissol- *vers.* 17.
ventur. Nec dubium quin nomine manuum, ipsi homines designentur, vel fortitudo et opus eorum, secundum quod totum nomine partis sæpius significatur. *Secundum*
D *viam eorum faciam eis,* infligendo quod meruerunt, tamen citra condignum, quum in omni opere justitiæ meæ mixtum sit opus clementiæ. *Et secundum judicia eorum judicabo eos :* id est, secundum quod ipsi in judicando meruerunt a me judicari, recipere ac puniri, sic faciam eis. Hoc est quod Christus ait in Evangelio : Quo judicio judicaveritis, judicabitur de *Matth.* VII, 2.
vobis. Et Jacobus : Judicium, inquit, sine *Jacob.* II, 13.
misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordiam. Dicitur autem judicium im-

misericordium esse sine misericordia, non quod nulla sit ibi pœnæ justæ remissio, sed quia justitia in tali judicio prædominatur, evidentiusque relucet. *Et scient quia ego Dominus.* Iste versiculus, ut ait Hieronymus, in hoc Propheta frequenter repetitur, quod cruciatus atque supplicia sequatur scientia Dei, ut quem non intelligebant per beneficia, per tormenta cognoscant.

A Juxta spiritualem intelligentiam, facillimum reor, ea quæ de Synagoga ad litteram dicta sunt, Ecclesiæ Christi et impiis Christianis applicare : præsertim quum etiam corporaliter ipsa urbs Jerusalem ac tota Judæa, fide Christi recepta, propter transgressionem evangelicæ legis, ab infidelibus victa sit et exterminata, destructis in ea Christi Ecclesiis.

ARTICULUS X

ELUCIDATIO CAPITULI OCTAVI : ET FACTUM EST IN ANNO SEXTO.

NUNC particularius, quam ante, denuntiatur Prophetæ causa destructionis
1 Jerusalem et Judææ. *Et factum est in anno sexto* transmigrationis Joachin, *in sexto mense* anni istius, *in quinta mensis,* id est quinto die mensis ejusdem. Itaque visio ostensa est per quatuordecim menses post primam capitulo primo descriptam. Illa enim fuit ostensa quinto anno transmigrationis, quarto mense, quinta die mensis; (Ezech. I, 1, 2.) et (ut ait Hieronymus) per tantum tempus, videlicet annum duosque menses, intermissa est prophetia, vel interim gesta sunt quæ jam supra descripta sunt. *Ego sedebam in domo mea.*

Dicunt aliqui, quod die isto necdum completi fuerunt dies quadringenti triginta, quibus Ezechiel jussus est super latera sua dormire. (Ibid. IV, 4-6.) Quamvis enim finiti jam essent dies trecenti nonaginta, quibus pro decem tribubus dormivit super latus sinistrum, nondum tamen fuerunt completi dies quadraginta, quibus dormire habuit pro duabus tribubus super dextrum latus. Dicunt ergo, quod Ezechiel adhuc fuit in domo sua reclusus, jacens super dextrum latus : quibus contrariari videtur quod ait Propheta, Sedebam in domo mea; et de præsentibus secum mox subdit, Senes Juda sedebant coram me. Unde apparet quod

B sumat Sedere univoce, prout distinguitur contra Jacere. Et forte præceptum illud de jacendo, fuit sibi postea mitigatum, et tempus jacendi abbreviatum. Quod quia incertum est, nec multum probabile, posset quis dicere quod dormitione super sinistrum latus completa, non statim ad aliud latus se posuit ad jacendum, sed repausavit. Quod quoniam item ambiguum est, potissime quod multis diebus distulerit, dici potest cum prima positione quod Sedere capitur hic pro Manere, et quod C senes Juda, id est seniores duarum tribuum in Babylonem translati, venerant ad consolandum Prophetam, tamdiu instar ægri jacentem. Porro secundum Hieronymum, Propheta sedebat in domo sua, fugiens frequentiam populi.

Et senes Juda sedebant coram me, vel animo audiendi verbum Dei, vel animo insidiandi sermonibus Vatis. Et aliqui asserunt, quod venerunt ad inquirendum de statu Jerusalem. Unde subjungitur : *Et cecidit ibi* illis præsentibus *super me ma-* D *nus Domini Dei,* id est potestas et gratia prophetalis seu divina illuminatio, et mentis excessus, et raptus, alienatioque ab exterioribus sensibus, ad contemplandum statum Judæorum in Jerusalem. *Et vidi* 2
imaginaria simul et intellectuali visione;

et ecce similitudo quasi adspectus ignis, id
est, similitudo hominis mihi apparuit in
specie ignis, et per modum ignis splen-
dentis. Per similitudinem hominis, signifi-
cabatur Deus omnipotens in throno gloriæ
residens : qui ad insinuandum judiciorum
suorum terrorem, vel naturæ suæ simplici-
tatem ac puritatem et agilitatem, in forma
ignis apparuit ; vel, ut quidam affirmant,
ad designandum combustionem Jerusalem.
Ab adspectu lumborum ejus et deorsum
erat *ignis ; et a lumbis ejus et sursum,*
quasi adspectus splendoris, ut visio ele-
ctri. Hæc visio similis est cum illa quæ
Ezech. I, 27. in fine primi capituli scripta est atque ex-
posita, et verba ista ibidem exposita sunt.
3 *Et emissa* a Deo ad me *similitudo ma-*
nus hominis, non ipsa manus (omnia et-
enim ista in imaginaria visione fiebant),
apprehendit me in cincinno capitis mei. Sic
Dan. XIV, 35. et Habacuc legitur ab angelo apprehen-
sus : sed Propheta iste, imaginarie ; ille,
realiter. *Et elevavit me spiritus,* id est
angelus cujus ministerio repræsentatio is-
ta imaginaria atque prophetica mihi fie-
bat, *inter cœlum et terram,* puta in aere,
elevatione (ut dicitur) imaginaria, non re-
ali. Videbatur namque Prophetæ quod sic
elevaretur : per quod mentis suæ elevatio
designabatur. Verumtamen viri sancti fre-
quenter ex contemplationis excessu legun-
tur corporaliter elevati in aere. *Et adduxit*
me in Jerusalem in visione Dei, id est per
spiritualem visionem a Deo factam : ita
quod ista adductio non fuit corporalis, si-
ve in corpore, sed in spiritu, per hoc
quod similitudines rerum hic descripta-
rum, formabantur ac repræsentabantur in
spiritu seu animo Ezechielis. Propter quod
corpus ejus mansit in domo qua jacuit,
anima quoque in corpore mansit. Juxta
quem modum leguntur quidam ad paradi-
sum, infernum, purgatoriumque adducti.
Juxta ostium interius, id est ad ostium
atrii immundorum, et intra januam istam,
quod respiciebat ad aquilonem. Erant enim
adhuc duo alia hujus atrii ostia, quorum
unum fuit versus orientem, aliud versus

A austrum. *Ubi erat statutum idolum zeli,*
id est statua Baal : quæ dicitur idolum zeli
per causam, quia per ejus cultum Judæi
iram Dei contra se provocabant. Propter
quod subditur : *ad provocandum æmula-*
tionem, id est indignationem atque vin-
dictam Dei in eos, juxta illud Deuterono-
mii : Ipsi me provocaverunt in eo qui non Deut. XXXII, 21.
erat Deus, et irritaverunt in vanitatibus
suis ; et ego provocabo eos in eo qui non
est populus. *Et ecce ibi gloria Dei Israel,* 4
id est, divina majestas mihi ibidem appa-
B ruit, *secundum visionem quam videram*
in campo, id est per talem imaginationem
et repræsentationem, per qualem et an-
te mihi apparuit in campo : ut dictum Ezech. III, 23.
est capitulo tertio ; estque eadem cum
illa quæ describitur primo capitulo. Ap- Ibid. I, 3 et seq.
paruit autem gloria Dei, seu gloriosa vi-
sio ejus juxta idolum, non quod tali dele-
ctaretur consortio, sed ut suæ præsentiæ
potestate templum idolumque designaret
delendum.

Et dixit ad me : Fili hominis, leva ocu- 5
C *los tuos* interiores *ad viam aquilonis,* id
est ad aquilonarem portam. *Et levavi ocu-*
los meos ad viam aquilonis : et ecce ab
aquilone portæ altaris, id est a parte aquilo-
nari, in qua fuit porta altaris vel idoli Baal,
vel holocaustorum. Eratque porta hæc, di-
recte respiciens ad altare hoc, idcirco porta
altaris vocatur. Itaque ab hac parte fuit
idolum zeli positum *in ipso* portæ *intro-*
itu. Et dixit ad me : Fili hominis, putas- 6
ne, vides tu quid isti faciunt ? utpote
abominationes magnas, id est irrationabi-
D les idololatrias, quæ sunt abominabilia
scelera, *quas domus Israel facit hic* in
templo mihi consecrato, sicque ex parte
loci aggravatur peccatum, *ut procul rece-*
dam a sanctuario meo, puta a templo, non
per localem distantiam, sed protectionis
subtractionem, et solitæ inhabitationis ces-
sationem. *Et adhuc conversus,* id est ad
alium locum oculos dirigens, et te ver-
tens, *videbis abominationes majores.*

Et introduxit me ad ostium atrii tem- 7
pli : in quo atrio stabant mundi secundum

legem; *et vidi, et ecce foramen unum in* A
8 *pariete. Et dixit ad me : Fili hominis,*
perfode parietem, foramen istud amplifi-
cando, ut ingredi queas, et quæ intus
aguntur, conspice. *Et quum perfodissem*
9 *parietem, apparuit ostium unum. Et dixit*
ad me : Ingredere, et vide abominationes
pessimas quas isti faciunt hic. Secundum
Hieronymum, per minoris foraminis dila-
tationem, et parietis perfossionem, desi-
gnatur tam in Ecclesia, quam in singulis
nobis, per vitia parva, majora monstrari,
et quasi per quædam foramina ad abomi- B
nationes maximas perveniri : quemadmo-
dum per turpem sermonem libidinosus
quis esse cognoscitur, etiam si callide vitia
10 sua celet. *Et ingressus, vidi : et ecce om-*
nis similitudo reptilium et animalium
abominatio, scilicet statuæ bestiarum, *et*
universa idola domus Israel depicta erant
in pariete in circuitu per totum.

Ecce quanta idololatrarum cæcitas at-
que insania, ut rationales creaturæ, irra-
tionalia tamque vilissima bruta adorent.
Sap. xiii-xv. De hoc in libro Sapientiæ multa scribun- C
tur, quemadmodum miserrimas bestias
Is. ii, 20. colant : de quibus loquitur Isaias, quod
talpas et vespertiliones adoraverint. Unde
Rom. i, 23. ad Romanos scribit Apostolus : Mutaverunt
gloriam incorruptibilis Dei, in similitudi-
nem imaginis corruptibilis hominis, et
volucrum, et quadrupedum, et serpenti-
um. Porro, secundum Hieronymum, in no-
stri templi parietibus, et animarum no-
strarum penetralibus idola monstrantur
depicta, dum omnibus vitiis subjacemus,
et pingimus in corde nostro vitiorum con- D
scientias, imaginesque diversas : quod ma-
xime faciunt qui ex humano rubore ali-
qua mala devitant, quorum cogitationes et
affectiones in corde coram Deo versare
non erubescunt, hominum magis quam Di-
vinitatis curantes intuitum.

11 *Et septuaginta viri de senioribus do-*
mus Israel, et Jezonias filius Saphan,
stabat in medio eorum stantium ante pi-
cturas, tanquam principalis in idololatriis
istis. *Et unusquisque habebat thuribulum*
in manu sua : sicque quod Deo fuerat
exhibendum, brutis sacrilegi, brutis infe-
liciores, fecerunt thurificantes. *Et dixit* 12
ad me spiritus, cujus obsequio omnia hæc
mihi ostendebantur : *Certe vides, fili ho-*
minis, quæ seniores domus Israel faciunt
in tenebris, etc. Quasi dicat : Ex eo quod
in templo faciunt congregati, considerari
potest quid singuli in suo faciant cubili :
qui enim publice peccare non metuunt,
incessabiliter intra se cogitando et appe-
tendo excedunt. *Dicunt enim, Non videt*
Dominus nos, id est, actus humanos non
cognoscit, *dereliquit Dominus terram,* id
est, de inferioribus istis non habet curam
seu providentiam. Istud dixerunt isti Ju-
dæi, vel quia tam impie egerunt ac si ita
putassent : sicque dixerunt, id est facto
monstrarunt sic esse, quemadmodum de
quibusdam dicit Apostolus, Dicunt se nos- *Tit.* i,
se Deum, factis autem negant; vel quia
errorem negantium providentiam Dei uni-
versa distincte cognoscere, disponere et
complecti, inciderunt. In quorum persona
ait Psalmista : Dixerunt : Quomodo scit *Ps.* lx
Deus? et, Si est scientia in Excelso? Unde 11.
et in Job inducitur : An cogitas quod Deus *Job* xxii
excelsior cœlo sit? Nec nostra considerat, 14.
et circa cardines cœli perambulat. Verum,
ut ait Hieronymus, multi sunt peccatores,
et ambulantes juxta cogitationes et con-
cupiscentias, qui Deum non putant curare
mortalia, nec illum ad nostra vitia per-
tinere. Certe quando peccamus, si cogi-
taremus Deum videre, et esse præsentem,
nunquam quod ei displicet faceremus.

Et dixit Dominus *ad me : Adhuc con-* 13
versus, videbis abominationes majores quas
isti faciunt. Et introduxit me per ostium 14
portæ domus Domini, quod respiciebat ad
aquilonem, id est per portam atrii sacer-
dotum. *Et ecce ibi mulieres sedebant, plan-*
gentes Adonidem. Adonis iste, secundum
gentiles, fuit pulcherrimus juvenis, atque
amasius Veneris, quem aper percutiens
interfecit. Unde gentilium feminæ ipsum
omni anno die suæ occisionis planxerunt.
Quarum idololatriam secutæ sunt feminæ

Judæorum : quod et viris earum id per- A
mittentibus imputatur : fuitque prædictis
scelestius, quoad hoc, quod in porta atrii
15 sacerdotum fiebat. *Et dixit ad me : Certe
vidisti, fili hominis.* Tanquam dicat : Ex
his scire, aliisque insinuare potes, quam
juste irascar, et tormenta inferre propo-
nam populo huic. *Adhuc conversus, vide-
bis abominationes majores his.*
16 *Et introduxit me in atrium domus Dei
interius,* id est in atrium sacerdotum tem-
plo propinquius; *et ecce in ostio templi, in-
ter vestibulum,* id est porticum templi, *et* B
altare holocaustorum in eodem atrio posi-
tum, *quasi viginti quinque viri dorsa ha-
bentes contra altare* Domini, et facies ad* (* *templum*)
orientem. In quo contra legem fecerunt,
(Cf. *Exod.* xxvi, 22, 23.) qua per Moysen Dominus jussit, ne versus
orientem adorarent more gentilium, sed
potius contra occidentem et versus tem-
plum. Sed viri hi in Dei contemptum op-
posito modo gesserunt, dorsa vertendo ad
altare, et vultus ad orientem. *Et adorabant
ad ortum solis,* videlicet ipsum solem,
(*Rom.* i, 25.) servientes creaturæ potius quam Creatori, C
qui est super omnia Deus omnipotens, in-
circumscriptus, et benedictus in sæcula.
Istud quodammodo imitantur inobedien-
tes, Deo rebelles, vanis et caducis magis
quam summo, incommutabili, immenso-
que bono adhærentes, et per hoc, dorsum
contra eum et ejus templum vertentes,
divitias quoque sæculi, et carnis delicias,
ac temporales honores magis quam Crea-
torem colentes, cogitantes, amantes, et ex-
quirentes.
17 *Et dixit ad me : Certe vidisti, fili ho-* D
minis, tanta horum facinora. *Numquid leve
est hoc domui Juda?* tanquam dicat : Non
utique, sed gravissima sunt ista peccata.
Quia replentes terram iniquitate, id est
corda et corpora sua inquinantes. Dicitur
enim terra iniquitate repleri, dum habi-
tantes in ea, abundantissime peccant. Hinc
(*Job* xxxi, 26-28.) sanctus Job : Si vidi, inquit, solem quum
fulgeret, et lunam incedentem clare, et
lætatum est in abscondito cor meum, et
osculatus sum manum meam : quæ est
iniquitas maxima, et negatio contra Deum
altissimum. *Et ecce applicant ramum ad
nares suas.* Ramum enim palmarum quem
idolo applicuerunt, deinde naribus propriis
applicabant, in signum reverentiæ idolo-
rum, quasi dulce aliquid odorantes, quo
se sanctificari credebant : sicut fideles pa-
nes consecratos ad Dei honorem, ori ac
naribus admovent.
Ergo et ego faciam in furore, id est in 18
rigore justitiæ, ultionem in eos, *et non
parcet oculus meus,* id est censura atque
intuitus sapientiæ meæ. *Et quum clama-
verint ad aures meas,* id est ad misericor-
diam et providentiam meam, *voce magna,
non exaudiam eos* tempore suæ angustiæ,
eo quod clament ad me non zelo justitiæ,
neque ex caritate, sed timore servili, et
inevitabili necessitate. Si autem pœnituis-
sent, et ex caritate Dominum exorassent,
exaudisset utique eos, quantum ad anima-
rum salutem et culpæ remissionem ; sed
non expedit peccatoribus semper, ut pre-
ces eorum quibus a præsentis vitæ tribu-
lationibus eripi flagitant, exaudiantur. Hinc
ait Hieronymus : Qui non intelligunt quid
eis prosit, et orant frequenter saluti con-
traria, expedit eis ut non exaudiantur a
Domino. Unde et in oratione dicimus : Fiat (*Matth.* vi, 10.)
voluntas tua : non voluntas nostra, quæ
errare consuevit; sed tua, quæ futura co-
gnoscit. Magnæque interdum felicitatis est,
ad præsens misericordiam non mereri.
Postremo, et omnibus istud applicari po-
test qui tempore prosperitatis ac sospitatis
Deum non curant, neque honorant, et ejus
præcepta parvi pendunt, quod dum immi-
nente persecutionis seu mortis periculo ad
Deum clamaverint solo servili timore, quo
pœnam metuunt, non exaudientur, nec
gratiam consequentur. Propter quod in
Proverbiis increata Sapientia testatur : Quia (*Prov.* i, 24-29.)
vocavi, ac renuistis, despexistis omne con-
silium meum, et increpationes meas ne-
glexistis ; ego quoque in interitu vestro
ridebo, et subsannabo, quum vobis id quod
timebatis, evenerit. Quum irruerit repen-
tina calamitas, tunc invocabunt me, et ego

non exaudiam, eo quod exosam habuerint A disciplinam, et timorem Domini non susceperint. Itaque indulta pœnitentiæ tempora non perdamus, nec corporis robore abutamur, sed dum sana sunt membra, Deo altissimo fortiter ministremus.

ARTICULUS XI

EXPOSITIO CAPITULI NONI : ET CLAMAVIT IN AURIBUS MEIS.

1 Et *clamavit in auribus meis* interioribus (omnia enim ista fiebant in repræsentatione imaginaria intus exhibita, exteriorum sensuum usu suspenso) *voce magna* angelus, per quem mihi hæc ostendebantur, *dicens : Appropinquaverunt visitationes,* id est debitæ correctiones seu punitiones, *urbis* Jerusalem. Unde Septuaginta transtulerunt, Ultiones. *Et unusquisque* eorum per quos Deus peccata urbis hujus ulciscetur, *vas interfectionis,* id est instrumentum interficiendi habitatores Jerusalem, *habet in manu sua.* Est enim C consuetudo Hebræi sermonis, ut omne id quod alicujus contentivum seu effectivum est, vas vocetur. Et hoc loco pro vase Septuaginta transtulerunt, Securim.

2 *Et ecce sex viri,* id est ministri Dei, et angeli in forma virorum, *veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad aquilonem,* id est de porta aquilonaris atrii mundorum. Templum enim habuit atria tria, scilicet mundorum et immundorum, hoc est, in quo stabant Judæi mundi aut immundi secundum legem, ac atrium sacer- D dotum. Aliqui quoque dicunt ibidem fuisse et quartum atrium, puta gentilium Deum illuc adorare volentium. *Et uniuscujusque* horum sex virorum *vas interitus,* id est instrumentum occidendi iniquos, fuit *in manu ejus,* ad figurandum quod parati atque idonei essent ad exsequendum Dei præceptum contra injustos. *Vir quoque unus,* id est angelus quidam præcipuus, *in medio eorum, vestitus erat lineis.* Septuaginta transtulerunt, Podere, quæ fuit unum B de vestimentis pontificis. Hinc secundum Hieronymum, angelus iste apparuit in habitu pontificis, et asserunt quidam quod Christum magni consilii Angelum repræsentavit. (*Is.* IX, juxta LX) *Et atramentarium scriptoris,* id est materia in qua scribere posset, *ad renes ejus* fuit. Unde Symmachus transtulit, Tabulas scriptoris, ut scilicet omnium peccata describeret, et numerum justorum a peccatoribus segregaret. *Et ingressi sunt* septem angeli isti. Per septenarium autem universitas designatur : ideo septem angeli advenerunt ad demonstrandum, quod universi angelici spiritus parati sunt semper obsequi Creatori. *Et steterunt juxta altare æreum.* Siquidem duo erant in templo altaria, unum thymiamatis aureum, quod fuit intrinsecus, et alterum æreum holocaustorum ante templum. Steterunt autem juxta altare, ut cujuscumque viderint ibi non esse peccata dimissa, divinæ eum sententiæ seu interfectioni subjacere cognoscant.

3 *Et gloria Domini Israel assumpta est de Cherub, quæ erat super eum ad limen domus.* Istud duobus modis exponitur. Primo, secundum Hieronymum, sensus est quod non ipse Dominus in throno residens super quatuor animalia (quæ infra Cherubim nuncupantur, quoniam undique oculata) recessit a pristino loco, videlicet a capitibus animalium, ad limen domus seu templi; sed quod ipse misit unum de animalibus istis, quod singulari numero masculinoque genere dicitur Cherub, ad limen domus. Sicque illo pergente, gloria

seu effigies Dei præclara in throno appa- A
rens, assumpta fuit de Cherub, per hoc
quod desiit esse super ipsum. Secundo
exponitur, quod gloria Dei seu præfata ejus
similitudo, recessit a capitibus animalium,
quæ Cherub vocantur, sumendo singulare
pro plurali, et transiit ad limen templi :
per quod significabatur recessus Dei de
propitiatorio, quod erat intra Sancta san-
ctorum super alas Cherubim, ita quod non
darentur de cetero divina responsa ponti-
fici de propitiatorio, sicut ante. Itaque glo-
ria Dei, quæ erat super eum, id est, super B
Cherub apparuit, hoc est super caput cu-
juslibet quatuor animalium, non in qua-
tuor simul locis, sed alte in throno sedens,
assumpta est.

Et vocavit Dominus *virum qui indutus*
4 *erat lineis :* de quo dictum est; *et dixit*
Dominus ad eum : Transi per mediam ci-
vitatem, videlicet *in medio Jerusalem,* id
est per omnia loca ipsius, *et signa Thau*
super frontes virorum gementium et do-
lentium super cunctis abominationibus,
quæ fiunt in medio ejus, id est, qui non C
solum non peccaverunt enormiter et per
idolorum culturam, sed aliorum insuper
facinora idololatriasque luxerunt. Porro,
secundum Hieronymum, Thau est ultima
littera Hebraici alphabeti : per quam per-
fecta in viris aliorum peccata deflentibus
scientia designatur, quibus merito est par-
cendum. Vel, secundum Hebræos, quoniam
Thau est prima littera hujus vocabuli THO-
RA, quod legem significat, illi hoc signum
acceperunt, qui legis præcepta custodie-
runt. Mystice per litteram Thau, quæ crucis D
habet figuram, signantur qui crucem Chri-
sti frontibus suis fideliter imprimunt, et
in Christo confidunt, qui salvantur; qui
5 vero ita signati non fuerint, pereunt. *Et*
illis dixit, id est, aliis sex angelis Dominus
jussit : *Transite per civitatem* Jerusalem,
sequentes eum, videlicet angelum lineis ve-
stimentis indutum, Thauque scribentem,
et percutite omnes qui signum Thau in
fronte non habent. *Non parcat oculus ve-*
6 *ster, neque misereamini. Senem, adolescen-*
tem, virginem, parvulum, et mulieres inter-
ficite. Omnem autem super quem videritis
Thau, ne occidatis. Per ista figurabatur,
quod Chaldæi sine clementia occiderent
Judæos idololatras; justis vero, ut Jeremiæ
et Baruch, et filiis Rechab, Abdemelech
Æthiopi eunucho, Deus tunc pepercit. *Et a*
sanctuario meo incipite, id est, primo oc-
cidite ministros templi, sacerdotes, et prin-
cipales qui aliis causa peccandi fuerunt.
Judicium nempe gravissimum in his qui *Sap.* VI, 6.
præsunt, fiet; et quo altior gradus, eo gra-
vior casus. Ideo Petrus apostolus : Tem- I *Petr.* IV,
pus, inquit, est ut judicium a domo Dei 17.
incipiat.

Cœperunt ergo occidere *a viris seniori-*
bus qui erant ante faciem domus, id est,
qui juxta sanctuarium erant, atque in tem-
plo. *Et dixit ad eos,* scilicet Deus ad sex 7
angelos : *Contaminate domum,* id est, tem-
plum polluite, seu a Chaldæis contaminan-
dum significate, *et implete eam* interfectis,* * atria
scilicet sacerdotum cadaveribus. Dicebatur
autem secundum legem Moysis locus con-
taminari, propter casum aut sanguinem *Num.* XIX,
mortui ibi cadentis seu morientis. Sicque 14.
Chaldæi contaminaverunt templum : quod
angeli præfiguraverunt. Dixit quoque Deus
ad angelos : *Egredimini* de templo, occi-
dendis occisis, id est occisis his qui fuerant
occidendi. *Et egressi sunt, et percutiebant*
eos qui erant in civitate non habentes in
fronte Thau. *Et cæde completa, remansi* 8
ego cum ceteris signo Thau signatis; *rui-*
que super faciem meam in imaginaria vi-
sione, *et clamans, aio : Heu, heu, heu, Do-*
mine Deus. Ex compassione et admiratione
collapsus est, et ad ampliorem doloris ex-
aggerationem, ter Heu exclamavit. *Ergone*
disperdes omnes reliquias Israel, id est
universos de regno Juda superstites? tan-
quam dicat : Tam terribiliter vindicas, et
tam pauci in vita remanent, ut omnes vi-
deantur perdendi. Loquitur autem Prophe-
ta in excessu, ut moris est dolentium
vehementer.

Denique, Propheta sic ejulante, et divi-
næ æquitatis rigorem stupente, Deus re-

9 spondet, sicut subjungitur. *Et dixit ad* A
me, ostendens se juste egisse : *Iniquitas*
domus Israel et Juda, id est decem tri-
buum atque duarum, *magna est nimis val-*
de, id est gravissima et quasi ineffabiliter
magna; *et repleta est terra* Judææ *sangui-*
nibus, id est peccatis et operibus carnis,
vel innocentium in ea occisorum cruori-
IV *Reg.* XXI, 16. bus : præsertim tempore Manassæ regis, ut
dictum est; *et civitas repleta est aversio-*
ne, id est, habitatores Jerusalem pleni fue-
runt infidelitate, idololatria, blasphemia,
ceterisque spiritualibus, quæ sunt directe B
contra Deum, peccatis. *Dixerunt enim :*
Dereliquit Dominus terram, non habendo
curam actuum humanorum, *et Dominus*
non videt, id est, inferiora non agnoscit.
Istud præcedenti capitulo habitum, pleni- *Ezech.* IX, 12.
usque expositum est. *Igitur et meus non* 10
parcet oculus, etc. Istud vicissim expositum
est. *Viam eorum super caput eorum red-*
dam, id est, pro peccatis debitas pœnas
per Chaldæos infligam, ut sciant providen-
tiam esse in me.
Et ecce vir qui indutus erat lineis, qui 11
scripsit in frontibus bonorum Thau : quem
quidam putant Gabrielem fuisse; *respondit*
verbum Domino, a quo præceptum acce-
pit : *Feci sicut præcepisti mihi,* signum
Thau justorum frontibus imprimendo.

ARTICULUS XII

DECLARATIO CAPITULI DECIMI : ET VIDI : ET ECCE IN FIRMAMENTO.

HOC capitulo Propheta prænuntiat, qua C
specie destructionis dejiceretur urbs
1 ipsa Jerusalem, puta incendio. *Et vidi : et*
ecce in firmamento quod erat super caput
Cherubim, id est in similitudine illa quæ
super caput quatuor animalium appare-
bat, instar cœli stellati seu firmamenti,
quasi lapis sapphirus, id est similitudo
throni sapphirini. Ideo subditur : *quasi*
species similitudinis solii apparuit super
ea. Lapis equidem iste habuit formam
throni, secundum Hieronymum. Per hæc
verba insinuatur, quod effigies illa Domi- D
ni residentis in throno, quæ recessit a
capitibus animalium superposito loco ad
limen domus, jam rediit ad pristinum lo-
cum. Verum de firmamento et throno ac
animalibus dictum est prolixe primo ca-
pitulo.
2 *Et dixit* Dominus sedens in throno, *ad*
virum qui indutus erat lineis, id est ad
angelum in viri specie apparentem, et ve-
Ezech. IX, 2, 3, 11. stibus lineis coopertum, de quo multa sunt
dicta præcedenti capitulo : *Ingredere in*
medio rotarum quæ sunt subtus Cheru-
bim. Quatuor enim erant rotæ retro et sub-
tus, sequentes quatuor animalia, quæ nunc
Cherubim nuncupantur. *Et imple manum*
tuam prunis ignis, id est ignitis carboni-
bus, *quæ sunt inter Cherubim.* Dictum est
enim, quod animalia apparuerunt in me- *Ezech.* I, 5.
dio ignis nubem involventis, itemque quod
similitudo et adspectus animalium fuit *Ibid.* 13.
quasi carbonum ignis ardentium. *Et ef-*
funde super civitatem Jerusalem, ad insi-
nuandum quod a Chaldæis sit succenden-
da. Omnia autem ista fiebant in visione
imaginaria, per similitudines rerum inte-
rioribus sensibus Prophetæ repræsentatas,
quarum significationem, Deo intus illumi-
nante, veraciter intellexit. *Ingressusque*
est in conspectu meo secundum quod Do-
minus sibi præcepit.
Cherubim autem, id est quatuor anima- 3
lia, *stabant a dextris domus* Dei, id est
templi, *quum ingrederetur vir* lineis in-
dutus ad Cherubim. Verumtamen animalia
intra atrium templi apparuerunt, scilicet

ad latus ejus dextrum. *Et nubes implevit* A
atrium ejus *interius,* videlicet templi : in
quo atrio animalia apparuerunt. Per nu-
Ezech. I, 4. bem hanc, de qua dictum est primo capi-
tulo, divinæ majestatis designabatur præ-
sentia : secundum quod tertio Regum et
secundo Paralipomenon, templo completo,
III Reg. VIII, 10. 12; II Par. V, 14; VI, 1. scribitur nubes seu nebula domum Domi-
ni implevisse ; dixitque Salomon : Domi-
nus pollicitus est quod habitaret in nebu-
4 la. *Et elevata est gloria Domini desuper*
Cherub ad limen domus. Hoc præcedenti
Ezech. IX, 3. capitulo dupliciter recordor expositum. Ne- B
que enim hoc aliud est, nisi quod dicitur
ibi : Et gloria Domini Israel assumpta est
desuper Cherub ad limen domus. *Et re-*
pleta est domus, videlicet templum, *nube*
præfata, ita quod Domino ad limen domus
pergente, nubes eum sequens, domum to-
tam impleverit, non unum atrium tantum;
et atrium repletum est splendore gloriæ
Domini, id est claritate a Dei majestate
5 micante ac fusa. *Et sonitus alarum Che-*
rubim, id est quatuor animalium, *audie-*
batur usque ad atrium exterius : in quo C
stabant homines secundum legem immun-
di ; *quasi vox Dei omnipotentis loquentis,*
id est tanquam sonus magnificus atque
mirabilis, qualem esse condecet sonum
vocemque Dei omnipotentis : de quo can-
Ps. XXVIII, 4. tamus in Psalmo, Vox Domini in virtute,
vox Domini in magnificentia. Hinc dictum
Ezech. I, 24. est supra primo capitulo : Audiebam so-
num alarum quasi sonum aquarum mul-
tarum, quasi sonum sublimis Dei. Per hu-
jusmodi quoque motionem, significabatur
agilitas angelorum ad divinorum manda- D
torum executionem.

6 *Quumque præcepisset* Dominus *viro, qui*
indutus erat lineis, scilicet angelo, *dicens :*
Sume ignem de medio rotarum, quæ sunt
inter Cherubim juxta animalia, tamen sub-
tus et retro ea. Similitudo autem ignis
etiam in medio rotarum apparuit, sicut his
verbis innuitur. *Ingressus ille, stetit juxta*
7 *rotam* unam. *Et extendit Cherub manum*
suam de medio Cherubim, id est, unum de
quatuor animalibus, manum suam levavit

de medio animalium, inter quæ fuit, *ad*
ignem qui erat inter Cherubim, id est, qui
inter animalia apparebat; *et sumpsit.* Non
tamen propria manu sumpsit ignem, se-
cundum Hieronymum, vel ob tristitiam
puniendæ Jerusalem, vel ob gloriæ magni-
tudinem stupens : quæ verba sano indigent
intellectu. *Et dedit in manus ejus, qui*
indutus erat lineis. Qui accipiens ignem,
egressus est atrium templi, ut ignem su-
per civitatem dispergeret : quod et fe-
cit, licet jam non exprimatur, quum satis
intelligi detur per verba præhabita. Qui-
dam tamen dicunt, quod istud idcirco non
explicatur, quoniam civitas tunc non fuit
combusta, sed postea annis sex evolutis.
Quod si verum esset, nec supra dictum
fuisset, quod angeli percusserunt habita-
tores civitatis. Non enim mox post hæc
fuerunt percussi, sed paulo ante urbis in- IV Reg. XXV, 1-9; II Par. XXXVI, 17, 19.
cendium, ut legitur quarto Regum.

Deinde describitur dispositio animalium,
et modus præfatæ visionis, quæ cum visi-
one in primo capitulo posita, paucis dem- Ezech. I, 5 et seq.
ptis, concordant : unde nec hic resumenda
sunt, illic satis deducta. *Et apparuit in* 8
Cherubim similitudo manus hominis sub-
tus pennas eorum. Dictum est enim primo
capitulo, quemadmodum quodlibet animal Ibid. 8.
habuit quatuor manus similes manibus
hominis sub quatuor alis, sub qualibet
unam. *Et vidi : et ecce quatuor rotæ juxta* 9
Cherubim. Erant enim quatuor rotæ et
quatuor animalia. *Rota una juxta Cherub*
unum, et rota alia juxta Cherub unum :
id est, cuilibet animali consequenter jun-
cta fuit una rota, assequens illud. *Species*
autem rotarum erat quasi visio lapidis
chrysolithi, id est similis adspectui seu
colori chrysolithi : qui est lapis pretiosus,
rubeum et aureum habens colorem. Ve-
rumtamen primo capitulo dictum est, quod Ibid. 16.
adspectus rotarum erat quasi visio maris;
nunc vero similis fertur chrysolitho, ut
similitudo pennarum per ignem, puta ur-
bis incendium per rubeum colorem, de-
monstretur. *Et omne corpus earum,* puta 12
rotarum, *et colla, et manus, et pennæ, et*

circuli, plena erant oculis in circuitu qua-
tuor rotarum. Secundum Hieronymum, ro-
tæ istæ dicuntur habere colla et manus et
pennas, intelligendo per hæc efficientias
rerum in singulis, non membrorum ima-
gines. Cur autem oculata circumquaque
Ezech. I, 18. dicantur animalia sive rotæ, dictum est
supra. Per circulos, secundum Hierony-
mum, intelliguntur canthi ferrei, quibus
lignorum rotunditas stringitur et arcta-
13 tur. *Et rotas istas vocavit* Dominus vel
angelus *volubiles, audiente me :* quia ad
quatuor partes terræ æqualiter mobiles
Ibid. 17. erant, ut primo capitulo declaratum est
plenius.
14 *Quatuor autem facies habebat unum*
animal : imo quodlibet quatuor animalium
habuit quatuor vultus; et *facies una,* id
est prima, fuit *facies Cherub; et facies se-*
cunda, facies hominis; et in tertio facies
leonis, et in quarto facies aquilæ. Faciem
quam nunc Propheta vocavit faciem Che-
Ibid. 10. rub, primo capitulo appellavit faciem bo-
vis seu vituli : cujus rationem assignat Hie-
ronymus, quod facies Cherub est facies
vituli, id est multum similis vultui vituli.
Loquitur autem de Cherub secundum for-
mam ejus in templo seu tabernaculo Moy-
sis. Sed huic responsioni quidam objiciunt:
Ant. Jud. lib. III, c. 6. primo, quod secundum Josephum, facies
Cherub est facies cujusdam avis ab homini-
bus nunquam visæ, sed Deus ostendit eam
Moysi in monte Sinai; secundo, quod se-
cundum Rabbi Salomonem, facies Cherub
fuit quasi vultus pueri gratiosi. Ista duo ar-
gumenta se invicem destruunt, nec aliquid
certum includunt, nec major est horum
quam S. Hieronymi auctoritas, potissime
quum ubertim se asserat a doctissimis He-
bræorum instructum. Insuper quæritur,
cur facies Cherub dicatur hic prima, quum
Ezech. I, 10. primo capitulo dicta sit tertia. Et respon-
A dendum quod ideo, quia magis directe ap-
parebat vultui Prophetæ, quam aliæ tres.
Facies quoque non describuntur hic dis-
positæ, ut primo capitulo; sed uno per
gradus ordine linealiter dispositæ hic scri-
buntur, ibi autem per dextrum et sini-
strum ac sursum. *Ipsum est animal quod* 15
videram juxta flumen Chobar. Quasi di-
cat : Eadem pro maxima parte est visio, et
una interpretatio. Porro quod ait, Ipsum
est animal, non est accipiendum quod fue-
rit dumtaxat animal unum, sed quod singu-
B lum quatuor animalium jam visorum, est
idem cum singulo quatuor animalium quæ
primo capitulo juxta fluvium Chobar visa
scribuntur.
Et egressa est, id est recessit, *gloria Do-* 18
mini, id est similitudo sive effigies Deum
repræsentans, in throno residens sapphiri-
no, ut dictum est sæpe, *et stetit super Che-*
rubim, id est super capita animalium in
loco priori. *Et illis,* scilicet animalibus, 19
de atrio templi *egredientibus, rotæ subse-*
cutæ sunt. Semper enim sequebantur ani-
C malium motum, et illis quiescentibus quie-
scebant. *Et stetit* gloria Domini *in introitu*
portæ domus Domini orientalis, id est ad
portam templi orientalem ; *et gloria Dei*
Israel erat super ea, id est super capita
animalium, secundum quod sæpe exposi-
tum est.
Ipsum est animal quod vidi subter Deum 20
Israel, id est sub firmamento, super quod
apparuit Deus sedens in throno; *et intel-*
lexi quod Cherubim essent, id est, quod
animalia ista essent illa animalia oculosa
D mihi prius ostensa, et rite Cherubim nun-
cupata. *Quatuor per quatuor vultus uni,* 21
id est, per singula quatuor animalia, seu
in quolibet eorum, quatuor vultus fuerunt.
Istud et cetera nunc omissa, primo capi-
tulo prolixe exposita sunt.

ARTICULUS XIII

EXPLANATIO CAPITULI UNDECIMI : ET ELEVAVIT ME SPIRITUS.

1 *Et elevavit me spiritus* angelicus, elevatione imaginaria et spirituali, non corporali, ut dictum est plenius articulis præinductis; *et introduxit me ad portam domus Domini,* id est templi, *orientalem:* ad quam accessit, et in qua stetit gloria Domini, sicut circa præcedentis articuli atque capituli finem jam patuit; *quæ respicit solis ortum,* id est versus orientem. *Et ecce in introitu portæ* hujus *viginti quinque viri* fuerunt ; *et vidi in medio eorum Jezoniam filium Azur, et Pheltiam filium Banaiæ, principes populi,* id est principales inter Judæos : qui et alios ad vitia idololatriamque traxerunt; ideo tanquam in peccato actores præcipui, in medio aliorum cernuntur.

Ezech. x, 19.

2 *Dixitque ad me* spiritus : *Fili hominis, hi sunt viri.* Loquitur autem vel de duobus istis dumtaxat, vel de istis aliisque viginti quinque, *qui cogitant iniquitatem,* cum consensu rationis plenario, *et tractant consilium* [*pessimum*] *in urbe ista,*
3 *dicentes : Nonne dudum ædificatæ sunt domus ?* id est, ab antiquo ædificia urbis hujus steterunt, ergo et modo confidimus ea non destruenda, nec nos propter idololatriam puniendos. Hæc est una verborum istorum expositio, penes quam verba sequentia sensum habent conformem. *Hæc,* puta Jerusalem, *est lebes,* id est olla per similitudinem, *nos sumus carnes :* id est, quemadmodum carnes manent in olla usque ad plenam decoctionem, ita et nos in civitate ista conservabimur usque ad maturam ætatem naturalemque mortem. Hieronymus exponit ad sensum oppositum, ut verba ista sint impœnitentium, desperantium semetipsos, tanquam dicant : Licet dudum ædificatæ sint domus, nos tamen agnoscimus urbem hanc esse instar lebetis, nosque pro carnibus, ut in ea consumamur et concrememur. Alii asserunt, quod Judæi dixerunt hæc verba derisorie contra Jeremiam, qui destructionem Jerusalem prænuntiavit sub similitudine ollæ succensæ, libri sui capitulo primo. *Idcirco* 4
vaticinare de eis, fili hominis.

Jer. i, 13.

Et irruit in me spiritus Domini, id est, 5
Spiritus Sanctus seu angelus instigavit et docuit me ad loquendum ac prophetandum. *Et dixit ad me : Loquere. Hæc dicit Dominus : Sic,* id est tam perverse, *locuti estis, domus Israel, et cogitationes cordis vestri ego novi.* Unde primo Regum Dominus protestatur : Non juxta intuitum hominis ego judico; homo enim videt quæ parent, Deus autem intuetur cor. Et sanctus Job loquitur : Scio, Domine, quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio. *Plurimos* 6
occidistis in urbe hac, etiam innocentes, præsertim tempore Manassæ, *et implestis vias,* id est plateas, *ejus interfectis.*

I Reg. xvi, 7. — Job xlii, 2. — IV Reg. xxi, 16.

Propterea hæc dicit Dominus : Interfecti vestri, id est a vobis occisi, *quos posuistis in medio ejus,* id est, in Jerusalem eos dejecistis vel sepelistis, *hi sunt carnes,* id est, instar carnium hic igne persecutionis consumpti sunt ; *et hæc* Jerusalem *est lebes,* quia in ea tanquam in olla tribulationis ardore exstincti sunt; *et educam vos de medio ejus,* id est extra Jerusalem : ita quod non erit vobis ut æstimatis. *Gladium* 8
metuitis Chaldæorum, *et gladium inducam super vos* eorum quos formidatis. *Daboque vos in manum hostium,* scilicet Chaldæorum, *et faciam in vobis judicia,* id est justas ac rationabiles ultiones juxta demeritorum vestrorum exigentiam vel mensuram.

10 *In finibus Israel judicabo vos,* id est,
in terminis vestræ provinciæ vos ad mor-
tem damnabo, et Chaldæis judicandos præ-
stabo. Chaldæi quippe comprehenderunt
IV *Reg.* xxv, 5. regem Sedeciam in planitie Jericho, et
principes ejus fugientes hinc inde cepe-
runt, ut scribitur quarto libro Regum.
11 *Hæc non erit vobis in lebetem,* id est, in
Jerusalem non manebitis, nec in ea ca-
12 detis, sed alibi, sicut nunc dixi. *Quia in
præceptis meis non ambulastis.* Tota equi-
dem vita hæc, via est et ambulatio quæ-
dam ad aliam vitam, sæculumque futu-
rum. *Et judicia,* id est judicialia mandata
per quæ servatur justitia inter proximos,
mea non fecistis, vel generaliter ea non
custodistis quæ ego judico bona ac ob-
servanda; *sed juxta judicia gentium quæ
in circuitu vestro sunt, estis operati,* gen-
tilium vobis vicinorum idololatriam, ritum
et leges sequendo.
13 *Et factum est quum prophetarem, Phel-
tias filius Banaiæ mortuus est :* vel quia
tunc vere atque realiter obiit, vel quia in
visione ita apparebat Prophetæ, ad figu-
randum quod in brevi moreretur pro suis
criminibus. *Et cecidi in faciem meam* ima-
ginario casu, *clamans voce magna, et di-
xi : Heu, heu, heu, Domine Deus : consum-
mationem tu facies reliquiarum Israel?* id
est, numquid omnes qui supersunt, Judæ-
os tua ultione consumes? quasi dicat : Ita
videtur, considerando æquitatis tuæ rigo-
rem. Virtualiter quoque his verbis orat
Propheta, ne plaga desæviat.
14 *Et factum est verbum Domini ad me,*
15 *dicens : Fili hominis, fratres,* id est pro-
ximi *tui, viri propinqui,* id est consangui-
nei *tui,* videlicet sacerdotes et alii tecum
in Chaldæam translati, *et omnis domus
Israel,* id est de aliis duodecim tribubus
quidam, qui ad regnum Juda confugerant,
et cum Joachin de Judæa in Babylonem
perducti sunt, *et universi quibus dixerunt
habitatores Jerusalem : Longe recedite a
Domino,* id est, ad Deum nostrum non
pertinetis, ideo tanquam desperati, quod
placet facite, et idola colite. Qui enim in

A Jerusalem et Judæa remanserant, irrise-
runt et inique egisse putabant eos qui se
regi Babylonis sponte tradiderunt secun-
dum Jeremiæ consilium, se vero in ter-
ra propria æstimabant mansuros. Propter
quod subditur : *Nobis data est terra* Ju-
dææ *in possessionem,* ita quod hereditarie
ac secure possidebimus eam. *Propterea* 16
*hæc dicit Dominus : Quia longe feci eos
in gentibus,* id est, quoniam eos qui cum
Joachin translati sunt, longe feci a Judæa
abduci, *et quia dispersi eos in terris,* id
B est per loca diversa pro peccatis eorum :
quia tamen consilio prophetæ Jeremiæ ac-
quieverunt, exeundo ad regem Babylonis,
qui eos hinc inde locavit, *ero eis in san-
ctificationem modicam,* id est, plerique
eorum non idolis, sed mihi deservient, et
gratiam alicujus sanctimoniæ eis infun-
dam : quales fuerunt Daniel et socii ejus,
Mardochæus, ac alii multi ipsis subjecti;
in terris ad quas venerunt.
Propterea loquere : Hæc dicit Dominus : 17
*Congregabo vos de populis, et adunabo de
C terris in quibus dispersi estis, daboque
vobis humum Israel.* Hoc fuit impletum
primo anno Cyri regis, et deinceps, qui
inspiratione divina dedit Judæis licentiam
redeundi ad propria, ut scribitur Esdræ I *Esdr.*
primo. *Et ingredientur illuc,* scilicet ad 1 *et seq.* 18
Judæam, *et auferent omnes offensiones,
cunctasque abominationes ejus de ea :* id
est, peccata idololatriæ et cetera enormia
scelera, quibus ante contaminaverunt ter-
ram suam, de cetero evitabunt. Nam tem-
pore Esdræ, Nehemiæ, Aggæi, Zachariæ,
D Zorobabel, viguit multum cultus Dei in
synagoga et templo. *Et dabo eis cor unum,* 19
id est caritate sibi invicem et Deo unitum,
atque in Dei obsequio concors; *et spiri-
tum novum,* id est per gratiam, virtutes
ac dona spiritualiter renovatum, *tribuam
in visceribus eorum,* animas eorum salu-
briter reformando : sicut ait Apostolus,
Renovamini spiritu mentis vestræ; orat- *Ephes.*
que Psalmista, Cor mundum crea in me, 23. *Ps.* L,
Deus, et spiritum rectum innova in visce-
ribus meis. Id ipsum per Jeremiam Domi-

Jer. xxxii, 39. nus repromittit : Dabo, inquiens, eis cor A
unum et animam unam.
Et auferam cor lapideum, id est du-
rum, pertinax atque indocile, *de carne*
eorum, non cordis substantiam, sed duri-
tiam auferendo, *et dabo eis cor carneum,*
id est pium, docile, faciliter divini sermo-
nis, internæ inspirationis, compunctionis-
que capax : ad quod hortatur Apostolus
I Tim. iv, 7. Timotheum, Exerce te ipsum ad pietatem.
Eccli. v, 13. Et in Ecclesiastico docetur : Esto mansue-
20 tus ad audiendum verbum Dei. *Ut in præ-*
ceptis meis ambulent, perseverando usque B
in finem, *et judicia mea,* id est testimonia
legis divinæ, et cetera quæ justa ac vera
judico, *custodiant ; et sint mihi in popu-*
lum per specialem dilectionem, providen-
tiam, et beneficentiam mei ad eos, *et ego*
sim eis in Deum per devotionem, obedi-
entiam, et conversionem eorum ad me.
21 *Quorum autem cor post offendicula et abo-*
minationes suas ambulat, id est, qui pri-
stina et consueta vitia non relinquunt, sed
prosequuntur, qui scandalizant et scanda-
lizantur (quocontra dicit Apostolus ad Ro- C
Rom. xiv, 13. manos, Videte ne ponatis fratribus offen-
diculum vel scandalum), *horum viam in*
capite suo ponam, id est, debitas pœnas
eis inducam, et quod merentur infligam,
dicit Dominus Deus.
22 *Et elevaverunt Cherubim,* id est præ-
memorata quatuor animalia oculatissima,
ob scientiæ eminentiam Cherubim dicta,
alas suas, et rotæ cum eis se levaverunt,
ut extra civitatem volarent ; *et gloria Dei*
Israel erat super ea : quia ut dictum est
sæpe, effigies divinam majestatem repræ- D
sentans, apparuit sedens in throno super
23 animalium capita. *Et ascendit gloria Do-*
mini de medio civitatis Jerusalem : vide-
batur enim effigies illa die primo de tem-
plo exire, deinde urbem relinquere, ad
designandum divinæ protectionis subtra-
ctionem ab ea : sicut et Christus dixit

Judæis, Relinquetur vobis domus vestra Matth. xxiii, 38.
deserta ; *stetitque super montem qui est*
ad orientem urbis, id est supra montem
Oliveti : quoniam eminentior locus ei con-
gruebat ; itemque ad designandum quod
neque finaliter, neque in toto misericor-
diam suam a Judæorum populo tolleret.
Et spiritus angelicus *levavit me,* secun- 24
dum imaginariam apparentiam, *reduxitque*
in Chaldæam : non per motum localem,
quia nec sic eam reliquit, sed sicut sub-
jungitur : *in visione spiritus Dei,* id est
in spirituali ostensione per angelum Dei
in me formata ; *ad transmigrationem,* id
est Judæos transmigratos : de quibus pau-
lo ante dixit Propheta : Ego sedebam in Ezech. viii, 1.
domo mea, et senes Juda sedebant me-
cum. *Et sublata est a me visio quam vi-*
deram, id est, raptus mentis cessavit, et
ad me ipsum reversus, cœpi exterioribus
rursum sensibus uti. *Et locutus sum ad* 25
transmigrationem præfatam, a Judæa in
Babylonem translatam, *omnia verba Do-*
mini quæ ostenderat mihi, id est, visio-
nem istam eis exposui pro consolatione
ipsorum, et ne deridentium eos verba cu-
rarent, et beneficia divinitus sibi promis-
sa agnoscerent, ac Domino deservirent. Un-
de, secundum Hieronymum, insultandum
non est his qui divino judicio pœnis tra-
duntur : nec exprobrandum homini pœ-
nitenti, quia in Ecclesiastico scriptum est,
Ne irrideas hominem in amaritudine ani- Eccli. vii, 12.
mæ ; imo talibus toto affectu condolere et
auxiliari debemus.

Postremo, instantissime Dominum exo-
remus, ut tollat semper cor durum a no-
bis, detque cor molle ac tenerum ad sus-
cipiendum in se promptissime verbum
Dei, quemadmodum Jacobus : In mansue- Jacob. i, 21.
tudine, ait, suscipite insitum verbum. Ni-
hilo minus esse duri debemus, non susci-
piendo impressionem peccati, nec dando Ephes. iv, 27.
locum diabolo.

ARTICULUS XIV

EXPOSITIO CAPITULI DUODECIMI : ET FACTUS EST SERMO DOMINI.

ADHUC describit Propheta modum et
formam captivitatis Judæorum, præ-
1 sertim regis ac principum ejus. *Et factus*
2 *est sermo Domini ad me, dicens : Fili ho-*
minis, in medio domus exasperantis tu
habitas, id est inter rebelles Judæos, qui
iniquitatum suarum excessibus justitiam
Dei ita offendunt, et Deum naturaliter dul-
cem atque clementem, ad tam districtam
ultionem et castigationem inducunt, ut
quasi indignans, exasperatus, iratus, cru-
delis appareat : sicut ad Romanos dicit
Rom. XI, 22. Apostolus, Vide severitatem Dei ; et Ba-
Baruch IV, 7. ruch inducit, Exacerbastis eum qui fecit
vos, Deum æternum. *Qui oculos* corporis
et animæ *habent ad videndum* corporali-
ter ac spiritualiter, *et non vident* spiritu-
aliter, id est, quæ ad salutem pertinent
non attendunt ; simili modo *aures* habent
ad audiendum, et non audiunt verbum
Dei salubriter ac devote : *quia domus ex-*
asperans est, mentem habens a Deo aver-
sam. Tales sunt omnes sæculi hujus pru-
dentes, vani atque carnales, qui ad ea
quæ Dei sunt, et animarum salutem con-
cernunt, cæci ac surdi consistunt. Tales
a principio fuerunt Judæi communiter, se-
cundum quod in Deuteronomio Moyses lo-
Deut. XXIX, 2, 4. quitur eis : Vos vidistis universa magnalia
quæ coram vobis Dominus fecit ; et non
dedit vobis Dominus cor intelligens, et
oculos videntes, et aures quæ possent au-
dire usque in præsentem diem. Omnibus
nempe Deus intellectum (qui est oculus
animæ) contulit, ut spiritualiter videant,
et spiritualia bona intelligant ; sed iniqui
dono Dei abutuntur, atque in rebus car-
nalibus, transitoriis ac terrenis intellectum
suum ita immergunt, ut ad considerandum
divina, eum erigere nequeant. Quoniam
A igitur verbis non instruuntur, jubet Do-
minus Ezechieli, ut operibus seu facto
parabolico eos admoneat. Sicut enim pa-
rabola verbi est, quando per unum ver-
bum intelligitur aliud ; ita parabola facti
est, quando fit aliquid ad designandum
aliud factum, sicut nunc agitur Deo ju-
bente.
Tu ergo, fili hominis, fac tibi vasa 3
transmigrationis, id est instrumenta qui-
bus transmigrantes utuntur, ut sunt ba-
culus, repositorium alimenti, etc., *et trans-*
B *migrabis per diem coram eis,* ut clara luce
te videant. *Transmigrabis autem de loco*
tuo, id est a propria domo, *ad locum al-*
terum in conspectu eorum, si forte adspi-
ciant, id est, adspiciendo discant causam
operis tui. *Et efferes foras vasa tua* jam 4
dicta, ostendens te eis paratum ad trans-
migrandum. Vel vasa ista, sunt sarcinæ
deportandæ. *Tu autem egredieris vespere*
coram eis, id est die jam declinante. Jussus
est ergo Propheta claro die transmigrare
de loco suo ad alium locum, ut postquam
C quæ facturus esset illi viderint, egrediatur
distinctius vespere coram ipsis. *Perfode* 5
tibi parietem : forsitan domus tuæ ; *et*
egredieris per eum in conspectu eorum. 6
In humeris portabis sarcinas tuas, *in ca-*
ligine efferes viaticum aut alia quæque ;
faciem tuam velabis, et non videbis ter-
ram, oculis obtectis, *quia portentum te*
dedi domui Israel, id est in figuram seu
signum eorum quæ superventura sunt po-
pulo tuo et regi ipsius. Nam verba et facta
Prophetarum, in signum sunt.
D *Feci ergo sicut præceperat mihi Domi-* 7
nus. Vasa mea protuli quasi vasa trans-
migrantis per diem, et vespere perfodi
parietem, etc. *Et factus est sermo Domini* 8

9 *ad me, dicens : Fili hominis, numquid* A
non dixerunt ad te domus Israel : Quid
tu facis? id est, quid gesta ista insolita
10 significant et portendunt? *Dic ad eos : Hæc*
dicit Dominus : Super ducem onus istud
qui est in Jerusalem, id est, punitio per
gesta tua præfigurata, imminet Sedeciæ
regi in Jerusalem commoranti ; *et super*
omnem domum Israel quæ est in medio
eorum, qui in Jerusalem atque Judæa co-
habitant, id est, universis tribubus seu po-
pulis Sedeciæ subjectis 'afflictio ista in-
11 cumbit. *Dic : Ego portentum vestrum,* id B
est, ego Ezechiel datus sum vobis in si-
gnum, ut ex factis et verbis meis agno-
scatis futura ; *quomodo feci* figuraliter seu
in figura, *sic fiet illis* in veritate atque
realiter.

Consequenter facta Ezechielis ad propo-
situm applicantur, et quodammodo expo-
nuntur. *In transmigrationem et captivita-*
tem ibunt, id est, ad aliam terram captivi
ducentur : quod significavit transmigratio
12 Ezechielis per diem. *Et dux qui est in me-*
dio eorum, videlicet Sedecias, *in humeris* C
portabitur, vel jumentorum, vel eorum
qui cum eo fugerint, secundum Hierony-
mum. Vel, secundum alios, præ debilitate,
quando ei oculi eruti fuerant, non poterat
ire, nisi apodiando se super humeros se-
cum pergentis, et ipsum ducentis. Unde
superius quo dictum est, In humeris por-
tabis, aliqui textus habent, Portaberis :
sicque Ezechiel in signum ita portatus ex-
isset. *Et in caligine egredietur :* quia tem-
pore noctis fugit. *Parietem perfodient, ut*
educant eum : fugit enim ipse, et famuli D
ejus per viam portæ quæ fuit inter dupli-
V Reg. xxv, cem murum ad hortum regis, ut legitur
quarto Regum, hoc est per locum secre-
tum ac subterraneam viam, ut dicitur.
Servi regis foderunt parietem, ut domi-
num suum educerent, vel quia ingressus
viæ subterraneæ fuerat obturatus, vel quia
in medio erat paries, quem oportuit per-
forari antequam pateret ingressus ad viam
præfatam. *Facies ejus operietur, ut non*
videat oculo terram : quia Chaldæi quum

eum cepissent, confusibiliter eum tracta-
bant, et velut morte dignum velabant : ad
quod designandum jussus fuit Ezechiel
vultum velare. *Et extendam rete meum,* 13
id est potestatem meam omnia concluden-
tem, vel exercitum Chaldæorum mihi cir-
ca ejus punitionem subservientem, *super*
eum, et capietur in sagena mea : quia Deo
agente, apprehensus et captus fuit a Chal-
dæorum exercitu. *Et adducam eum in Ba-*
bylonem, in terram Chaldæorum. Id fecis-
se se perhibet Deus, quod ipso volente ac
disponente fecit rex Babylonis et populus
ejus. *Et ipsam non videbit.* Nabuchodono-
sor enim fecit ei oculos erui in Reblatha, IV Reg. xxv,
et vinctum catenis duxit in Babylonem, ut 7 ; Jer. lii,
scriptum est quarto Regum. *Ibique morie-* 11.
tur in carcere. Ista quoque Jeremias Sede-
ciæ prædixit : Babylonem, inquit, intrabis, Jer. xxxiv,
et ipsam non videbis. 3.

Ex his et consequentibus, aliisque di-
versis Prophetarum eloquiis luce clarius
innotescit, quam distinctam atque certissi-
mam omnium inferiorum ac futurorum
cognitionem habeat Deus sapiens, felix et
adorandus : cujus oppositum quidam stulti
philosophi probare conati sunt.

Et omnes qui circa eum sunt, id est, 14
cum Sedecia fugerunt, *præsidium,* id est
auxiliatores *ejus, et agmina ejus, disper-*
gam in omnem ventum. Videntes enim
Chaldæos super se irruentes, regem reli- IV Reg. xxv,
querunt, atque hinc inde territi diffuge- 5.
runt. *Et gladium evaginabo post eos.* Hoc
Dominus dicit se peracturum, quia Chal-
dæi ipso volente, gladios suos extraxerunt
post eos currendo, et quosdam eorum post-
modum in Ægypto occidisse feruntur. *Et* 15
scient quia ego Dominus, quum disperse-
ro illos in gentibus. Tunc namque per pœ-
nas divinam justitiam noverunt, deditque Is. xxviii,
vexatio intellectum auditui. *Et relinquam* 19.
ex eis viros paucos, id est, in vita conser- 16
vabo, *a gladio et fame et pestilentia :* ita
quod has tres plagas evadent ; *ut enarrent*
omnia scelera eorum, id est tam sua quam
aliorum Judæorum, qui perierunt vel ca-
pti fuerunt. Verbis enim et factis divinam

justitiam et suam impietatem monstra-
bant, dum pœnitentia ducti, quod verum
fuit confessi sunt, et sua calamitate quid
meruerint, prætenderunt *in gentibus ad
quas ingredientur*. Jeremias autem et Ba-
ruch ejus notarius, aliorum facinora gen-
tibus in Ægypto recitarunt.

Consequenter jubetur Propheta factis
ostendere, quid communis populus in Je-
17 rusalem pateretur. *Et factus est sermo Do-*
18 *mini ad me, dicens : Fili hominis, panem
tuum,* id est cibum, *in conturbatione co-
mede,* id est cum inquietudine animi et
dolore; *sed et aquam tuam,* id est potum,
19 *in festinatione et mœrore bibe. Et dices
ad populum terræ,* puta Judæos tecum in
Chaldæam translatos : *Hæc dicit Dominus
Deus ad eos qui habitant Jerusalem in
terra Israel : Panem suum in sollicitudi-
ne comedent,* id est cum angustia et pavo-
re, tempore obsidionis suæ a Chaldæis, *et
aquam suam in desolatione bibent,* id est
cum ingenti tristitia, et quasi cum despe-
ratione evadendi; *ut desoletur terra a mul-
titudine sua,* id est, habitatorum suorum
copia denudetur. Tenetur autem dictio *ut*,
consecutive, non causaliter. *Propter iniqui-
tatem omnium qui habitant in ea.* Quam-
vis enim in Judæa aliqui justi fuerunt,
ut Jeremias, Baruch, et filii Rechab, ta-
men aliorum respectu tam pauci exstite-
20 rant, ut quasi nulli videantur fuisse. *Et
civitates quæ nunc habitantur* in Judæa,
desolatæ erunt, id est, habitatoribus pri-
vabuntur ac destruentur, *terraque* Judææ
deserta, id est inculta erit et non habitabi-
tur, usque ad tempus præfinitum a Deo.

Deinceps increpatur error incredulorum
Judæorum, qui Prophetarum oracula non
credebant, sed deridebant, dicentes quod
de longe distantibus vaticinarentur, nec
21 dicta sortirentur effectum. *Et factus est*
22 *sermo Domini ad me, dicens : Fili homi-
nis, quod est proverbium istud vobis,* id
est Judæis, *in terra Israel, dicentium, In
longum differentur dies,* id est, tempus
impletionis vaticiniorum satis tardabit, *et
peribit omnis visio,* id est, prophetica de-
nuntiatio erit cassa? De hoc et in Isaia le-
guntur perversi dixisse : Manda, remanda; *Is.* x
exspecta, reexspecta; modicum ibi, mo- 10.
dicum ibi. *Ideo dic ad eos : Hæc dicit* 23
Dominus Deus : Quiescere, id est cessare,
faciam proverbium istud, ejus falsitatem
operibus demonstrando, *neque vulgo dice-
tur ultra in Israel; et loquar ad eos* per
Prophetas, *quia appropinquaverunt dies*
captivitatis et dejectionis eorum, *et sermo
omnis visionis,* id est, verba prophetalium
revelationum de vastitate eorum, mox im-
plebuntur. *Non enim erit ultra omnis vi-* 24
sio cassa, id est, nulla prophetica revelatio
frustrabitur, *neque divinatio,* id est futu-
rorum revelatio divinitus facta, erit *ambi-
gua in medio filiorum Israel.* Hic sumitur
nomen divinationis in bono : quod alibi
communiter in malo accipitur, scilicet pro
usurpata futurorum denuntiatione. Unde
et impii quidam vocantur divini. *Quia ego* 25
*Dominus loquar, et quodcumque locutus
fuero verbum, fiet,* id est, verificabitur pro
loco et tempore sicut prædixero.

Et factus est sermo Domini ad me, di- 26
cens : Fili hominis, ecce domus Israel di- 27
centium, id est, familia Judæorum incredu-
lorum, tua verba subsannantium, ita ait :
Visio quam hic videt, id est, quam iste
Ezechiel nobis denuntiat, *in dies multos*
extenditur, id est, tarde implebitur, *et in
tempora longa iste prophetat,* id est de his
quæ post spatia diuturna vix fient : unde
nec nobis curanda est comminatio ejus.
Ideo dic ad eos : Hæc dicit Dominus : Non 28
prolongabitur ultra omnis sermo meus, id
est, tempore a me pronuntiato implebitur,
et quæ de vestra, o Judæi increduli, va-
stitate prædixi, in vestris contingent die-
bus, et per experientiam vestræ punitionis
scietis vera esse quæ dixi.

Præterea advertendum, quod duplici ex-
sistente prophetia, videlicet prædestinatio-
nis, qua aliquid pronuntiatur secundum
quod est in prædestinatione divina, et com-
minationis : ista quæ dicta sunt de pro-
phetiæ impletione, potissime intelligenda
sunt de prophetia prædestinationis. Pro-

phetia vero comminationis non semper A
impletur, saltem secundum tenorem superficiemque verborum; non tamen falsa est neque cassatur, quia secundum intentionem et sensum revelantis impletur aut verificatur.

ARTICULUS XV

EXPOSITIO CAPITULI TERTIIDECIMI : ET FACTUS EST SERMO DOMINI.

POSTQUAM sermo propheticus sacerdo- B
tum, deinde regis ac principum culpas
pœnasque descripsit, nunc idem agit de
1 pseudo Judæorum prophetis. *Et factus est*
2 *sermo Domini ad me, dicens : Fili ho-*
minis, vaticinare ad prophetas Israel qui
prophetant. De qualibus autem prophetis
loquatur, innuit subdens : *et dices prophe-*
tantibus de corde suo, id est ex propria
adinventione, conjecturatione seu fictione.
er. xiv, 14. De quibus Dominus ait per Jeremiam : Ego
non misi eos; mendacium et vanitatem, et
seductionem cordis sui prophetant vobis. C
3 *Hæc dicit Dominus Deus : Væ prophetis*
insipientibus.

Quamvis juxta consuetudinem Scripturarum, non solum veri et boni atque divinitus illuminati vates, vocentur prophetæ,
bid. xxviii, assim. sed etiam mali et falsi (nam et in Jeremia Hananias pseudo frequenter nuncupatur
III Reg. viii; IV Reg. x, etc. propheta, et tertio quartoque Regum dicuntur prophetæ Baal; Paulus quoque ad Titum, quemdam gentilem poetam vocat
Tit. i, 12. prophetam : Dixit, inquiens, quidam proprius eorum propheta, Cretenses semper D
mendaces); vere tamen et proprie appellantur Prophetæ, qui divinitus illustran-
II Petr. i, 1. tur, juxta illud Petri : Non voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. Denique pseudoprophetæ dicendi sunt insipientes; boni autem, sapientes : imo, secundum Hieronymum, mali prophetæ vocantur insipientes. Quocirca quæri potest, an Balaam fuit propheta insipiens. Et apparet quod sic, quoniam malus. Videtur autem quod fuit propheta sapiens, quia divinitus illustratus, saltem quoad ea quæ in libro Numerorum scribitur prophetasse. Unde habetur : Assumpta Num. xxiv, 3, 2, 4.
Balaam parabola sua, irruente in se spiritu Dei, ait : Dixit auditor sermonum Dei, qui visionem Omnipotentis intuitus est. Et respondendum, quod propheta dici potest insipiens, vel ratione conversationis, dum opera ejus veritati atque justitiæ obviant; vel ratione sermonis, dum verba ejus veritati doctrinæ repugnant. Primo modo fuit Balaam propheta insipiens, propter quod de se ipso disseruit : Dixit homo cujus ob- Ibid. 3.
turatus est oculus.

Qui sequuntur spiritum suum, id est proprias considerationes, æstimationes et inclinationes : de quibus apud Jeremiam dicitur, Visionem cordis sui loquuntur, Jer. xxiii, 16.
non de ore Domini; *et nihil vident.* Nihil enim intelligitur neque cognoscitur, nisi verum, secundum Philosophum : ideo falsi prophetæ, absolute loquendo, nihil vident, id est, nihil vere spiritualiterque intelligunt, quoad ea de quibus prophetare præsumunt. Ideo apud Isaiam dicitur : Speculatores ejus cæci omnes. *Quasi vul-* Is. lvi, 10.
pes in desertis prophetæ tui, Israel, errant: 4
id est, quemadmodum vulpes in silvis avibus fraudulenter insidiantur, sic pseudo isti animas simplicium simulata æquitate decipiunt, spiritualiterque occidunt, atque ad corporalem mortis plagam pertrahunt, confirmando impios in peccatis. Propterea in Threnis loquitur Jeremias : Prophetæ Thren. ii, 14.
tui non aperiebant iniquitatem tuam, ut te

ad pœnitentiam provocarent; viderunt au- A
tem tibi assumptiones falsas.
Hinc pseudo consequenter increpantur
5 a Domino. *Non ascendistis ex adverso :* id
est, peccatis populi non vos efficaciter op-
posuistis, verbo et opere increpando, nec
etiam iræ seu ultioni divinæ justitiæ po-
pulo imminenti occurrendo, Deum preci-
bus mitigando : quemadmodum Moyses et
Aaron fecisse leguntur. Moysi quippe Do-
Exod. minus ait : Dimitte me, ut irascatur furor
XXXII, 10. meus contra eos. Et dum populus Israel
Num. XVI, igne Dei incenderetur, Aaron sumpto thu- B
47, 48. ribulo accurrit, et thus jaciens, inter vivos
ac mortuos stetit, ut scribitur in Numeris.
*Neque opposuistis murum pro domo Is-
rael :* id est, mediatores idonei non fuistis
inter Deum et filios Israel, totis viribus
satagendo ne populus divinam vindictam
incurreret : quemadmodum Jeremias, cui
Jer. VII, 16. Dominus dixit, Non assumas laudem et
orationem pro ipsis, et ne obsistas mihi;
ut staretis in prœlio, id est, orationibus
dimicaretis contra percussiones populo Is-
rael imminentes a Deo et inimicis eorum. C
Nam, teste Hieronymo, sicut hosti murus
opponitur, et adversario contra venienti
solet occurri, ita Dei sententia Sanctorum
6 precibus frangitur. *Vident vana,* id est
phantastica, stulta, atque saluti contraria,
et divinant, id est, usurpative pronunti-
ant, *mendacium, dicentes, Ait Dominus :*
per quod se conformant modo loquendi
Prophetarum sanctorum, quatenus divini-
tus inspirati credantur; *quum Dominus
non miserit eos. Et perseveraverunt con-
firmare sermonem,* id est, verba sua con- D
ficta ac falsa pertinaciter defenderunt;
nec increpati a sanctis Prophetis, inania
revocarunt. Quibus Dominus increpatorie
7 ait : *Numquid non visionem cassam vidi-
stis?* id est, inanem utique consideratio-
nem seu contuitionem habuistis. *Et di-
xistis, Ait Dominus, quum ego non sim
locutus* hujusmodi.
8 *Propterea hæc dicit Dominus : Quia lo-
cuti estis vana, et vidistis mendacium :*
quod non est vere, sed apparenter videre,
quum verum, sit intellectus objectum;
ideo ecce ego ad vos debite puniendos me
habebo, *ait Dominus Deus. Et erit manus* 9
mea, id est potestas ad ulciscendum, seu
justa potestatis meæ punitio, *super pro-
phetas qui vident vana. In consilio populi
mei non erunt,* id est in congregatione
electorum Judæorum, quia non illumina-
buntur a Deo de secretis Dei, ut illi; nec
cum illis salvabuntur, sed erunt cum re-
probis a sinistris; nec de Babylonica capti-
vitate eruentur. *Et in scriptura domus
Israel non scribentur,* id est in libro vitæ,
in quo veri conscripti sunt Israelitæ. Vel
ad litteram sensus est, quod non describe-
retur eorum genealogia in libro, quemad-
modum aliorum, qui de Chaldæa in Ju-
dæam reversi sunt : quorum fuit descripta
prosapia, ut unusquisque ad patrum suo-
rum hereditatem rediret. Primæ exposi-
tioni consonat illud in Psalmo : Deleantur *Ps.* LX
de libro viventium, et cum justis non scri- 29.
bantur. Unde et Jeremias ait ad Dominum :
Recedentes a te, in terra scribentur. *Nec* *Jer.* XVII
in terram Israel ingredientur, videlicet in
regnum cœleste ac regionem vivorum, quæ
est terra videntium Deum, et per terram
Israel designatur. Potest tamen per terram
Israel Judæa intelligi, ad quam isti non
fuerunt reducti. *Et scietis quia ego Do-
minus Deus,* ex consideratione punitionis
illorum.
Eo quod deceperint populum meum, 10
dicentes : Pax, pax, id est, hostes non su-
pervenient vobis, et si venerint, nil noce-
bunt. Bis quoque dixerunt, Pax, ad confir-
mationem majorem. *Et non est pax :* quia
Chaldæi supervenient vobis, et capient vos,
o Judæi, qui pseudovatibus credidistis. *Et
ipse,* videlicet populus meus per creatio-
nem, quem deceperunt pseudo, *ædificabat
parietem,* id est munimentum contra Chal-
dæos, scilicet ipsam Jerusalem, vel con-
fugiendo ad regem Ægypti, vel in idolis
confidendo; *illi autem* pseudo *liniebant
eum luto absque paleis,* id est vanis et fri-
volis persuasionibus adulatoriisque ser-
monibus : per talia populum in errore

Jer. xxiii, 14. firmando, juxta illud Jeremiæ : In prophe-
tis Jerusalem vidi iter mendacii ; et con-
fortaverunt manus pessimorum, ut non
converteretur unusquisque a malitia sua.
11 *Dic ad eos qui liniunt absque tempera-
tura,* id est ad pseudo, qui modo præscri-
pto liniunt luto absque paleis. Temperatu-
ra vero est exhortatio bona ex Scripturis,
in qua simul fit mentio de misericordia et
justitia, de humana fragilitate ac indigen-
tia, et de divina pietate ac munificentia, ut
timendo speremus, et sperando timeamus,
nec insit vana securitas, nec formidolosa
pusillanimitas. Hac temperatura usus fuit
II Mach. v, 11. Judas Machabæus, de quo legitur : Singulos
armavit non hasta et clypeo, sed optimis
sermonibus et exhortationibus. *Quod ca-
surus sit* paries sic linitus, sicut subjun-
gitur. *Erit enim imber inundans,* id est
Chaldæorum exercitus instar aquæ abun-
dans et copiosus, et tanquam pluvia super
Jerusalem cadens ; *et dabo lapides præ-
grandes desuper irruentes,* id est principes
in exercitu Chaldæorum : qui super popu-
lum Juda irruerunt ; de quibus Jeremias
Jer. i, 15. prædixit, quod poneret unusquisque so-
lium suum super muros Jerusalem ; *et ven-
tum procellæ dissipantem,* id est regem
Babylonis suo præcepto exercitum agitan-
tem, atque Jerusalem demolientem. Vel
ventus procellæ, est tribulatio illa intrin-
secus missa a Deo, videlicet famis ac pe-
stilentiæ, quæ Jerusalem et Judæam ma-
12 xime dissipabant. *Siquidem ecce cecidit
paries,* id est, munimentum vestrum con-
tra Chaldæos paratum, deficiet : ponendo
præteritum pro futuro, more prophetico,
ad insinuandum certitudinem prophetiæ.
Numquid non dicetur, id est impropera-
bitur, *vobis,* o pseudo, *Ubi est litura qua
linistis,* id est adulatio et persuasio qua
aliis spem fatuam impressistis? Istud enim
ab universis reliquiis Judæorum potuit eis
Ps. vii, 12. improperari, et Deus judex justus, fortis et
patiens, in morte eorum eis tantum ob-
jecit piaculum.
13 *Propterea hæc dicit Dominus : Et erum-
pere,* id est super vos consurgere, *faciam*

A *spiritum tempestatis,* id est præfatum ven-
tum procellæ, *in indignatione mea,* id est
in zelo justitiæ meæ, quo vestra detestor
peccata. *Et imber inundans,* id est Chal-
dæorum exercitus, *in furore meo erit* præ-
valens vobis ; *et lapides prægrandes,* vide-
licet principes præinducti, *in ira,* vel mea
vel sua, supervenient vobis *in consumptio-
nem,* id est ad vestram exterminationem.
Et destruam parietem quem linistis abs- 14
que temperamento : quia, ut dictum est,
per Chaldæos omnia Judæorum munimenta
B dejecta sunt ; *et adæquabo eum terræ :* quia
et regem Ægypti cum populo suo, ipsam-
que Jerusalem et idola ejus Chaldæi solo
tenus calcaverunt, vicerunt seu destruxe-
runt. *Et revelabitur fundamentum ejus :*
id est, pariete isto destructo, patebit in quo
fuerit stabilitus, et cui innitebatur. Quo
designatur, quod Jerusalem auxiliumque
Ægypti et spes Judæorum inanis, funditus
a Chaldæis dejicerentur. Ideo subditur : *et
cadet, et consumetur,* id est destruetur, *in
medio ejus,* id est in semetipso, vel in me-
C dio populi mei. *Et complebo indignationem* 15
*meam in pariete, et in his qui liniunt eum
absque temperamento,* id est, tam ipsum
parietem, quam pseudo, simul per Chal-
dæos dejiciam. *Dicamque vobis,* o Judæi :
Non est paries, id est, munimenta prædicta
defecerunt, *et non sunt qui liniunt eum,*
id est, pseudo occisi sunt, utpote *prophetæ* 16
Israel qui prophetant ad Jerusalem men-
daciter, *et vident ei visionem pacis,* id est,
pacem false ei promittunt, quam se dicunt
prævidere futuram, *et non est pax,* secun-
D dum quod illi confingunt.

Insuper loquitur sanctus Ezechiel adver-
sus nefarias Judaicæ gentis prophetissas.
Et tu, fili hominis, pone faciem tuam con- 17
*tra filias populi tui, quæ prophetant de
corde suo :* id est, impias filiorum Israel
prophetissas, de suis confictionibus vati-
cinantes, vultu irato atque distorto intue-
re, saltem oculos corporales dirigendo ad
locum habitationis earum, ad insinuandum
iram ac ultionem Dei adversus eas. Porro,
ut ait Hieronymus, sicut contra veros et

sanctos Prophetas pseudoprophetæ diabolico spiritu inspirabantur; sic contra divinas et sanctas Prophetissas feminæ quædam dæmoniaco spiritu agebantur, spiritu prophetali se vigere dicentes, quales fuerunt contra quas nunc tractatur.

18 *Vaticinare super eas, et dic : Væ quæ consuunt pulvillos sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis :* id est, pœna captivitatis et famis, imo et sempiternæ damnationis imminet prophetissis, quæ per verba blanda et vana atque conficta promissa, populum Israel cujuslibet ætatis confirmant in suis erroribus atque peccatis. Vel ad litteram intelligendum est, quod consuebant pulvillos, et cervicalia præparabant ad ponendum ea sub cubitis atque capitibus Judæorum, quatenus per hoc non verbis dumtaxat, sed et rebus ac factis, felicitatem, quietem et pacem eis futuras prædicerent. Verbis enim et factis seu signis prophetæ et prophetissæ fallaces conformabant se veris Prophetis, sicut et vitia virtutibus se palliant atque sub specie boni multa mala geruntur. Unde sicut sancti Prophetæ nunc verbis, nunc signis seu sensibilibus factis prophetabant, ita et pseudo : ut patet de
Jer. XXVIII, Hanania in Jeremia, et de Sedecia quodam
10, 11. III *Reg.* XXII, in libro tertio Regum, qui sibi fecit ferrea
11. cornua. Hæc ergo fecerunt *ad capiendas,* id est decipiendas, *animas :* ex quo secuta est captivitas populi a Chaldæis. *Et quum caperent,* id est fallerent, *animas populi mei, vivificabant animas eorum,* id est, vitam securam et longam eis spondebant, atque in bono statu seu via salutis eas esse dicebant.

19 *Et violabant me ad populum meum,* id est, me a populo Israel inhonorari fecerunt, meque provocaverunt ad affligendum eos, feceruntque populum meum male sentire de me, *propter pugillum hordei et fragmen panis,* id est propter vilissimum commodum et modicum quæstum. In quo patet quam enormis fuit earum impietas, quæ spiritualibus carnalia eatenus præferebant, et pro indigna mercede

A Deum tam graviter offenderunt. *Ut interficerent,* id est, suis comminationibus ad peccandum inducerent, *animas quæ non moriuntur,* id est, animas justorum, quæ vita gratiæ vivunt, nec mortalibus peccatis consentiunt; *et vivificarent,* id est, feliciter et virtuose vivere, diuque ac prospere victuras esse assererent, *animas quæ non vivunt,* id est animas impiorum, quæ vita gratiæ carent, et morte peccati prostratæ sunt. Justis enim, quia nil eis præstabant, comminabantur adversa; perversis autem
B prospera, propter eorum dona. Unde in
Michæa scriptum est : Si quis non dederit *Mich.* I[II]
in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium. *Mentientes populo meo credenti mendaciis* prophetissarum istarum.

Propter hoc, hæc dicit Dominus Deus, 20
qui nullum peccatum deserit impunitum : *Ecce ego ad pulvillos vestros,* id est, peccata deceptionum vestrarum ulciscar, *quibus vos capitis animas volantes,* id est leves,
vagas, instabiles, quæ circumferuntur om- *Ephes.*
ni vento doctrinæ; *et dirumpam eos de* 14.
C *brachiis vestris,* id est, auferam vobis facultatem taliter decipiendi instabiles, interficiendo vos ipsas. *Et dimittam animas quas vos capitis,* id est, de reti et laqueo fraudulentiæ vestræ eripiam eas, *animas ad volandum,* id est ad levitatem et circumferentiam doctrinarum dispositas; vel, Animas ad volandum, id est creatas a me ad contemplationis volatum, elevationem-
que mentis ad desiderium æternorum. *Et* 21
dirumpam cervicalia vestra, id est fallacia blandimenta, *et liberabo populum meum*
D *de manu vestra,* vestram perversitatem atque hypocrisim eis monstrando; *neque erunt ultra in manibus vestris ad prædandum,* id est ad spoliandum eos donis gratiæ et virtutum, et corporalibus bonis eorum per vestra blanda figmenta, itemque ad subjiciendum eos potestatibus dæmonum. *Et scietis quia ego Dominus* per pœnas vitæ præsentis et inferni.

Pro eo quod mœrere fecistis cor justi 22
mendaciter, id est per verba mendosa, prophetando sibi adversa; vel, quia de ve-

stra perversitate afflictus est justus; vel, A quia aliqualiter a vobis seductus, dolebat mendaciter, id est injuste, inordinate cor suum contristans; *quem ego non contristavi,* id est, sic contristandum non censui, nec effective, sed permissive eum afflixi; *et confortastis manus,* id est vires operativas ac opera, *impii,* confortatione damnabili per adulationes et vaticinationes pestiferas, *ut non reverteretur a via sua mala* per pœnitentiam, *et viveret* per gratiam et evasionem de manibus Chaldæorum.
23 *Propterea vana non videbitis, et divinationes,* id est usurpatas futurorum eventiones, *non divinabitis amplius:* quoniam protinus vos occidam. Unde per Jeremiam Dominus ait de ipsis: Ecce ego cibabo eos absinthio, et potabo eos felle. *Jer.* XXIII, 15.

ARTICULUS XVI

DE SPIRITUALI EJUSDEM CAPITULI TERTIIDECIMI INTELLECTU.

QUÆ in præsenti capitulo ad litteram B de pseudoprophetis Judæorum scribuntur, antiqui expositores de hæreticis spiritualiter interpretantur: quod non hic tantum, sed in aliis quoque Scripturarum locis veteris Testamenti communiter faciunt, utpote Didymus, et post eum Hieronymus, et ante eos Origenes, multique alii: et rationabiliter, quia eorum temporibus abundabant hæretici Ecclesiam enormiter molestantes. Posteriores autem expositores, quorum temporibus defecerunt hæretici, et pastores Ecclesiæ ad gran- C dem atque deflendam ruinam dilapsi sunt, de prælatis, pastoribus, doctoribus, prædicatoribusque Ecclesiæ, quorum conversatio verbis non consonat, ista atque similia exposuerunt. Itaque de istis hæc exponendo, Dominus ait:

3 *Væ prophetis insipientibus.* Hi namque appellantur prophetæ, quia de futuro reproborum judicio ac tormento, electorumque gaudio sempiterno, multa denuntiant. *Qui sequuntur spiritum suum:* quia etsi vera prædicent, sacram quoque Scriptu- D ram recte intelligant, concupiscentias tamen suas sequuntur, passionibus animæ superantur, cogitationibus vanis et frivolis immorantur, nec agunt quæ docent: imo quos verbis ædificant et informant, operibus vitiosis inexemplaribusque corrumpunt. Quocontra in Ecclesiastico jubetur: Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. *Eccli.* XVIII, 30. Quibus per Isaiam Dominus comminatur: Væ, filii desertores, ut faceretis consilium, et non ex me; et ordiremini telam, et non per spiritum meum. *Is.* XXX, 1. Proprium ergo sensum non sequamur, sed cum Psalmista Deo cum omni affectu dicamus: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. *Ps.* CXLII, 10. *Et nihil vident.* Isti sunt qui in mortalibus jacent peccatis: quia etsi Deum per Scripturas cognoscant seu videant notitia informi, non tamen formata notitia, quum excæcati sint mente, privati illustratione Solis justitiæ, quibus sol intelligentiæ non resplendet. De quibus ad Titum scribit Apostolus: Dicunt se nosse Deum, factis autem negant. *Tit.* I, 16. Denique in prima Joannis epistola conscriptum est: In hoc scimus, quoniam cognovimus Deum, si mandata ejus observamus. Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est. I *Joann.* II, 3, 4.

5 Insuper Dominus improperat istis: *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis vos murum pro domo Israel.* Debet enim prælatus et pastor ac prædicator, pro defensione sui gregis se ipsum objicere medium, et devotissimis precibus Deum pla-

care, dæmones expugnare, suisque subditis A
tempore tentationis, persecutionis et ad-
versitatis, totis viribus subvenire. Hoc nem-
pe est, stare *in prælio in die Domini,*
juxta sensum præcedenti articulo introdu-
ctum. Hoc modo pro filiis suis ac proximis
II *Cor.* XII, opposuit Paulus se murum, qui dixit : Li-
15. bentissime impendam, et superimpendar
ego ipse pro animabus vestris ; et denuo,
Rom. IX, 3. Optabam ego ipse anathema esse a Christo
pro fratribus meis Judæis. Hinc ait Joan-
I *Joann.* III, nes in prima sua epistola : Christus pro
16. nobis animam suam posuit ; et nos debe- B
6 mus pro fratribus animas ponere. *Vident*
vana. Sæpe enim inutilibus considerati-
onibus sunt intenti, et ea loquuntur ad
quæ loquenda divinitus non mittuntur.
Hinc de negligentibus et indignis prælatis
Is. LVI, 10. scriptum est in Isaia : Speculatores cæci
omnes, canes muti, videntes vana, et dor-
mientes. Qui enim contra subditorum pec-
cata efficaciter non exclamant ac prædi-
cant, dicuntur canes muti, non valentes
latrare, et dormientes torpore acediæ.

Super istos erit divina vindicta tanto C
terribilior, quo ipsi negligentiores exstite-
Sap. VI, 4, 6. rint. Quibus Sapiens ait : Altissimus inter-
rogabit opera vestra, et cogitationes vestras
scrutabitur ; cito et horrende apparebit
9 vobis. *In consilio populi mei non erunt,* id
est in consortio electorum : de quibus fa-
Ps. CX, 1. tur in Psalmo, Confitebor tibi, Domine, in
toto corde meo, in consilio justorum et
Ps. I, 5. congregatione ; et rursus, Ideo non resur-
gunt impii in judicio, neque peccatores
in consilio justorum. Præterea justorum
consilium, est de his quæ pertinent ad D
salutem, quomodo placeant Deo, et pro-
ximos suos ædificent, vel sibi commissos
salubriter regant. In hujuscemodi autem
consilio negligentes prælati ac reprobi non
consistunt ; sed et divinæ sapientiæ secre-
ta consilia eis per Spiritum Sanctum non
revelantur, sicut electis et Paulo, qui lo-
Act. XX, 27. quitur : Non subterfugi quominus annun-
tiarem vobis omne consilium Dei. Et in
Sap. IX, 13, Sapientia inducitur : Quis hominum po-
17. terit scire consilium Dei, nisi tu, Deus,

dederis sapientiam, et miseris spiritum
tuum de cœlis? *Et in scriptura domus*
Israel non scribentur, scilicet in libro vi-
tæ. De qua scriptura dicit Salvator : Gau- *Luc.* X, 2
dete quia nomina vestra scripta sunt in
cœlis. Hinc non agnoscuntur a Deo per
approbationem, sed dicit ad eos : Nun- *Matth.* V
quam novi vos ; discedite a me, operarii 23; *Luc.* XI
iniquitatis. 27.

At vero isti decipiunt populum Dei, di- 10
cendo, Pax, pax : quando videlicet impiis
blandiuntur, et peccantibus de divina mi-
sericordia indiscrete fiduciam præbent,
quasi non secundum magnitudinem mi-
sericordiæ Dei esset et magnitudo justitiæ
ejus ; nec terribilia Dei judicia, sempiter- *Rom.* XI, 3
nasque tartari pœnas, subditis satis com-
memorant. *Et ipse,* populus christianus,
ædificabat parietem, id est operum quæ
ex suo genere bona sunt, congeriem vel
munimentum contra diabolum et infer-
num ; *illi autem,* videlicet inefficaces præ-
lati, doctores et prædicatores verbosi, non
virtuosi, *liniebant eum luto absque paleis,*
id est verbis sine exemplis, vel sermoni-
bus sale discretionis ac sapientiæ non con-
ditis. Ad hoc quippe quod juste vivant
subjecti, non sufficit quod doceantur age-
re bona, sed et ut faciant ea bene, hoc
est cum debitis virtutum circumstantiis,
scilicet congruo loco et tempore, cum re-
cta intentione ex caritate ; nec sufficit
doctrina sine vita. Ideo paries sic constru-
ctus, casurus est. Admonendi quoque sunt
præsidentes, ut verbo et opere cum sapi-
entiali discretione liniant et confortent
spiritualem subditorum in virtutibus fa-
bricam, quemadmodum in prima ad Ti-
motheum docet Apostolus : Esto exemplum I *Tim.*
fidelium in verbo, in conversatione, in ca- 12, 13, 1
ritate ; attende lectioni, exhortationi, do-
ctrinæ : hæc enim faciens, et te ipsum
salvum facies, et eos qui te audiunt.

Erit enim imber inundans, id est, co- 11
piosa adversitas, vel sæcularium hominum
multitudo a virtutibus retrahens ; *et dabo*
lapides prægrandes desuper irruentes, id
est aerias potestates mentem tentantes, *et*

ventum procellæ, id est flatus tentationum. Per ista dejicitur paries præmemoratus non bene linitus, ad confusionem prælatorum. Quibus verbis consonat quod
Matth. vii, 26, 27. ait Salvator : Omnis qui audit verba mea, et non facit ea, similis est viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam ; et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam ; fuitque ruina ejus magna.

Porro quod in textu subjungitur contra prophetissas iniquas, ad deceptrices vetulas, quæ se sapientes ostendunt, et contra feminas spiritualiter aliis præsidentes, nec suum officium debite exsequentes, est re-
18 ferendum. Quod vero mox subditur, *Væ quæ consuunt pulvillos sub omni cubito, et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas,* contra omnes adulatores, deceptores, simulatores et callidos, sophisticeque loquentes, profertur : qui injustos laudando, animas vitiis mortuas vivificant, seu vivere asserunt vita gratiæ ac virtutum ; justos autem vituperando, interficiunt seu interfectas affirmant animas, quæ non moriuntur gratiam amittendo. Et heu, quam multi hæc faciunt, propter quæstum vilissimum hominumque favorem, ut hominibus vanis complaceant ! Istos istorumque pulvillos et cervicalia, Deus dire dijudicabit, ac districte damnabit. Propter quod scriptum
A est in Job : Simulatores et callidi provocant iram Dei. Job xxxvi, 13. In Ecclesiastico quoque : Qui sophistice loquitur, odibilis est ; in omni re defraudabitur : non est illi data a Domino gratia ; omni enim sapientia defraudatus est. Eccli. xxxvii, 23, 24. Isaias demum testatur : Popule meus, qui te beatificant, ipsi te decipiunt. Is. iii, 12. Hinc orat Psalmista : Oleum peccatoris non impinguet caput meum. Ps. cxl, 5. Hæc ergo vitia semper vitemus, et anima nostra stabilita sit in affectu boni, amoreque Dei, non volans per inania et mundana. Ei
B autem quod nunc dicitur, quemadmodum adulatores et fallaces capiunt animas volantes, consonat quod in secunda Petri epistola de inobedientibus dicitur : Audaces, sibi placentes, pellicientes animas instabiles. II Petr. ii, 10, 14.

Mœrere fecistis cor justi, quem ego non 22
contristavi. Ex hoc innotescit quam grande piaculum sit, justum vexare aut contristare, præsertim ex proposito : in quo multum culpabiles sunt, qui bonorum prælatorum exhortationibus non acquiescunt, nec jussis obtemperant, et qui spiritualibus
C personis graves et importuni exsistunt. Cetera ex præcedenti articulo facillime intelligi possunt.

Est autem pro dictorum intellectu sciendum, quod sicut triplex est vita, videlicet naturæ, gratiæ, gloriæ ; ita triplex est mors, utpote mors naturæ, mors culpæ, mors gehennæ seu infernalis miseriæ.

ARTICULUS XVII

EXPLANATIO CAPITULI QUARTIDECIMI : ET VENERUNT AD ME VIRI.

CAPITULO nunc tractando ostenditur, qui digni, qui item indigni sint responsione divina ; deinde, quod Deus in punitione pravorum justissimus sit, nec personarum acceptio apud eum exsistat.
1 *Et venerunt ad me viri seniorum Israel,* id est quidam de senioribus Judæo-
D rum in Chaldæa morantium, *et sederunt*
coram me. Et factus est sermo Domini ad 2
me, dicens. Illis coram Propheta sedentibus, revelavit Deus Prophetæ per inspirationem occultam seu illustrationem internam, quales essent qui venerunt, et cur venissent : in quo patet magna familiari-

3 tas Dei superpiissimi ad hunc vatem. *Fili*
hominis, viri isti posuerunt immunditias
suas, id est idololatrias, vel cetera animæ
et corporis inquinamenta, quæ puritati
virtutum contrariantur, *in cordibus suis,*
id est, peccata sua subdole occultando, et
per consensum mentis in ipsis manendo ;
et scandalum iniquitatis suæ, id est vitia
sua alios scandalizantia, *statuerunt contra*
faciem suam, id est, oculo mentis objece-
runt ad cogitandum et perseverandum in
ipsis, ita quod in ipsorum memoria dele-
ctantur. Quocontra Dominus ait in Jeremia: B
Jer. iv, 14. Lava a malitia cor tuum : usquequo mo-
rabuntur in te cogitationes noxiæ? *Num-*
quid interrogatus respondebo eis ? Hinc
innuit Dominus cur venissent, videlicet
ut per Prophetam aliquid interrogarent a
Deo ; sed quoniam non quæsierunt, nec
quærere intendebant ex caritate et vera
devotione, sed potius ex curiositate aut
fictione, animoque tentandi veritatem Pro-
phetæ, indigni fuerunt divina responsione
et exauditione : ideo perhibet Dominus
quod eis non respondebit.

Hoc quoque generaliter de universis
Christianis intelligi potest, quod qui per
se ipsum vel alium, quamvis virtuosum,
Deum precatur aut sciscitatur, exaudiri
nullatenus promeretur, nec intus a Spiritu
Sancto de dubietate sua docebitur, si in
voluntate peccandi persistat, secundum
Ps. lxv, 18. quod ait David in Psalmo : Iniquitatem si
adspexi in corde meo, non exaudiet Do-
Prov. xxviii, 9. minus. Et Salomon asserit : Qui declinat
aures suas ne audiat legem, oratio ejus
erit exsecrabilis. Porro qui a Deo doceri et D
certificari desiderat, impleat illud Jacobi :
Jacob. i, 5, 6. Si quis indiget sapientia, postulet a Deo,
qui dat omnibus affluenter, et dabitur ei;
postulet autem in fide, nihil hæsitans. Hoc
Sap. i, 1, 2. est quod in Sapientiæ libro habetur : Sen-
tite de Domino in bonitate, et in simpli-
citate cordis quærite illum : quoniam in-
venitur ab his qui non tentant illum ;
apparet autem eis qui fidem habent in
illum. Tales autem non sunt nisi homines
spirituales, qui carnalia oblectamenta de-

A spiciunt. Propter quod loquitur Isaias :
Quem docebit Dominus scientiam? et quem Is. xxviii, 9
intelligere faciet auditum ? Ablactatos a
lacte, avulsos ab ubere.

Propter hoc loquere eis : Hæc dicit Do- 4
minus : Homo de domo Israel, qui po-
suerit immunditias suas in corde suo, et
scandalum iniquitatis suæ statuerit contra
faciem suam, secundum sensum jam ta-
ctum, *et venerit ad Prophetam, interro-*
gans per eum me; ego Dominus respondebo
ei in multitudine immunditiarum sua-
rum, id est secundum exigentiam pecca-
torum suorum, videlicet taliter quod non
proderit sibi ad salutem, nec inde profi-
ciet : quia obscure, vel secundum homi-
nem, vel omnino non respondebo. Interdum
namque ponitur affirmatio pro negatione :
sicut in Exodo, ad Moysen loquitur Pha-
rao, Sic Dominus sit vobiscum, quomodo Exod. x, 10
ego dimittam Israel; et sicut communiter
dicimus ei qui frequenter reddit mala pro
bonis : Ego concedam vel dabo tibi quod
petis, secundum quod facta tua merentur.
C *Ut capiatur domus Israel in corde suo,* id 5
est in vitiis atque erroribus sui cordis de-
prehendatur : juxta illud Proverbiorum,
Iniquitates suæ capient impium, et vincu- Prov. v, 22
lis peccatorum suorum constringetur. Rur-
susque Salomon contestatur : In insidiis Ibid. xi, 6
suis capientur iniqui. Porro vocabulum *ut,*
tenetur hic consecutive, non causaliter. Ad
hoc enim Deus responsionem non subtra-
hit, ut homo plus peccet, sed subtractio-
nem hanc consequitur major transgres-
sio. Verumtamen quod ait, Ut capiatur do-
mus Israel in corde suo, intelligi potest de
captione increpationis divinæ in judicio,
dum impius propria conscientia male egis-
se convincitur. Sicque *ut,* tenetur causa-
liter, quoniam malum pœnæ est directe
causaliterque a Deo : quia in se et in or-
dine ad totius universi decorem, bonum
exsistit.

Propterea dic ad domum Israel : Hæc 6
dicit Dominus : Convertimini et recedite
ab idolis vestris, id est ab idolorum cultu-
ra, per veram ac stabilem contritionem; *et*

ab universis contaminationibus vestris, id A
est peccatis, quibus animæ deturpantur,
atque dæmonibus per deformitatis macu-
lam similes fiunt, *avertite facies vestras,*
id est aciem mentis et recordationem ad
reiterandum hujusmodi; non tamen ad de-
flendum et humiliandum vos propter ea,
quum per Jeremiam Dominus sit locutus :
Jer. III, 2. Leva oculos tuos in directum, et vide ubi
non prostrata sis. Quantum vero ad pri-
mum modum avertendi faciem a peccatis,
Ps. CXVIII, 37. orat vir sanctus : Averte oculos meos ne
videant vanitatem.

7 *Quia homo de domo Israel,* id est de
semine Jacob natus, *et de proselytis qui-
cumque advena fuerit in Israel,* id est de
gentilibus ad Judaismum conversis, inter
Judæos habitans peregrinus, *si alienatus,*
id est mente aversus, *fuerit a me, et po-
suerit idola sua in corde suo,* ea amando,
et in ipsorum cultu persistere proponen-
do, *et venerit ad Prophetam ut interroget
per eum me; ego Dominus respondebo ei
per me,* responsione reali, ipsum debite pu-
niendo, non per Prophetam ejus dubia C
8 absolvendo. *Et ponam faciem meam super
hominem illum,* oculo æquitatis ipsum in-
tuendo ad puniendum; *et faciam eum in
exemplum et in proverbium,* id est, taliter
eum tractabo, quod alii videntes vel au-
dientes terrebuntur, communiterque inter
se dicent : Ne fiat nobis ut illi ; vel, Sic
faciat tibi Deus, quemadmodum illi.

9 *Et propheta quum erraverit* a veritate
atque justitia, *et locutus fuerit verbum* non
rectum; *ego Dominus decepi prophetam
illum* permissive, non directe et effective. D
Istud, secundum Hieronymum, dicitur, ne
pseudoprophetarum fortitudini adscribatur
quod populus fallitur, et magis vult audire
falsa quam vera, sed quod iræ Dei sit, quod
perversus atque incredulus populus magis
vult audire pseudo, quam veros prophetas.
De pseudo autem prophetis hæc littera lo-
quitur. Unde et tertio Regum Michæas dixit
III Reg. XXII, 23. ad regem Israel : Dominus dedit spiritum
mendacii in ore omnium prophetarum tuo-
rum. *Et extendam manum meam,* id est
potestatis meæ vindictam, *super eum, et de-
lebo eum* per mortem *de medio populi mei
Israel. Et portabunt iniquitatem suam,* 10
id est, debitas pœnas luent, tam pseudo-
propheta, quam is qui per eum interrogat
Deum sinistre. *Juxta iniquitatem inter-
rogantis, sic iniquitas prophetæ* fallacis
erit : id est, similis erit amborum culpa
et pœna, loquendo in genere : tamen in
specie, ceteris paribus, major est culpa
pseudoprophetæ, quam interrogantis per
ipsum, eritque major pœna ipsius. *Ut non* 11
B *erret ultra domus Israel a me,* id est, ne
amplius per pseudoprophetas fallatur, *ne-
que polluatur in universis prævaricatio-
nibus suis* prioribus et consuetis; *sed sit
mihi in populum* per gratiam qua eum
gubernem, *et ego sim eis in Deum,* per
veram eorum devotionem ad me, ac cete-
ros latriæ actus, quos mihi impendent.

Consequenter ostenditur divina justitia
in punitione malorum. *Et factus est sermo* 12
Domini ad me, dicens : Fili hominis, ter- 13
ra quum peccaverit mihi, id est contra me
et ad meam injuriam : per terram autem,
incolæ ejus signantur; *ut prævaricetur,* id
est, mea præcepta transgrediatur, *præva-
ricans,* peccatis peccata adjiciendo. Quidam
per terram de qua nunc sermo, determina-
te intelligunt Judæam, et habitatores ejus,
qui de patrum suorum justitia nimium
præsumebant : contra quos consequenter
Dominus loquitur. Sed quia in fine capi-
tuli hujus loquitur Deus de ipsa Jerusalem
per modum specialem, hinc alii per ter-
ram intelligunt quascumque terras gen-
tilium, ita quod hic describitur diversus
modus puniendi gentiles atque Judæos pro
tempore illo, prout in exponendo textu
clarebit : et expositio ista rationabilis esse
videtur, nec a verbis Hieronymi dissona,
qui hic per terram singulas regiones in-
telligit.

Itaque de quacumque gentilium terra
Dominus subdit : *Extendam manum meam
super eam,* ad puniendum iniquos, *et con-
teram virgam panis ejus,* id est, sustenta-
culum alimentorum ejus tollam ab ea, *et*

mittam in eam famem, et interficiam de A
ea hominem et jumenta, id est habitatores
14 ipsius. *Et si fuerint tres viri isti in medio*
ejus, Noe, Daniel, et Job; ipsi justitia sua,
id est merito suæ vitæ, *liberabunt animas*
suas, id est vitam a plaga divinitus missa,
imo et a morte æterna. Liberabunt autem
se dispositive, per modum causæ merito-
riæ ac formalis, vel etiam efficientis in-
strumentalis, in quantum sunt efficientes
causæ operum suorum. Deus autem est li-
berator efficiens principalis : qui ait in
Osee xiii,4. Osee, Salvator non est præter me. — *Quod* B
15 *et si bestias pessimas,* id est crudelissimas
ac voracissimas, *induxero super terram,*
ut vastent eam, homines et jumenta ne-
16 cando, *et tres viri isti fuerint in ea; vivo*
ego, dicit Dominus Deus, quia nec filios
nec filias liberabunt de plaga æquitatis di-
vinæ, *sed ipsi soli liberabuntur,* si eorum
propinqui ac alii non fuerint virtutes eo-
17 rum secuti. — *Vel si gladium induxero*
super terram, id est interfectionem ab ho-
stibus, *et dixero gladio : Transi per ter-*
ram. Omnia enim obediunt Deo sublimi et C
benedicto, omnipotenti et sancto, qui om-
nium institutor est naturarum, omnium-
que collator est virium. Vel per gladium
designati sunt pugnatores divinitus insti-
gati ad invadendum aliquam regionem. *Et*
18 *interfecero de ea hominem et jumenta, et*
tres viri isti fuerint in medio ejus; non
liberabunt filios et filias, sed ipsi soli li-
19 *berabuntur. — Si autem pestilentiam mi-*
sero in terram illam, etc. Hic eadem ver-
ba dicuntur de pestilentia, quæ de aliis
tribus dicta sunt plagis, puta de fame, D
bestiis, gladio. Quod autem in secunda et
tertia plaga dicitur, Filios et filias non li-
berabunt, in prima etiam subintelligen-
dum est plaga : nam et ex consequenti-
bus datur intelligi. Prædictisque consonat
Ps. xlviii, 6, 8. illud Psalmi : Cur timebo in die mala? Ini-
quitas calcanei mei circumdabit me. Fra-
ter non redimit, redimet homo? Non dabit
Deo placationem suam.

Denique quæstionem non parvam, cur
ceteris Patriarchis ac vatibus derelictis,
hos tres nominet Deus, in fine hujus arti-
culi tangam.

Deinceps ponitur specialis modus pu-
niendi Jerusalem. *Quod et si quatuor ju-* 21
dicia mea, id est justitiæ meæ flagella,
pessima, non malitia culpæ, sed pœnæ : de
quo malo ait Amos propheta : Si erit ma- Amos iii,6
lum in civitate, quod Dominus non fecit?
Unde et scriptum est in Jona : Misertus est Jonæ iii,10
Dominus super malitia quam locutus est,
ut faceret eis, videlicet Ninivitis, et non
fecit. Quæ autem sint ista flagella, subjici-
tur : *Gladium et famem, et bestias malas,*
et pestilentiam immisero in Jerusalem, id
est in populum ejus, *ut interficiam de ea*
hominem et pecus. Quod et propter enor-
missimam magnitudinem scelerum ejus,
factum est tempore Sedeciæ. Nam et be-
stiæ, fugientes Judæos a facie Chaldæo-
rum, in desertis et saltibus vexaverunt.
[*Tamen*] *relinquetur in ea salvatio edu-* 22
centium filios et filias, id est, aliqui de
populo Judæorum evadent mortem, et filios
ac filias procreabunt, vel procreatos secum
de Judæa in Babylonem traducent. Tan-
quam dicat : Quum aliæ terræ una plaga
penitus depopulentur, de Jerusalem tamen
aliqui remanebunt, quamvis quatuor pla-
gæ præfatæ simul infligantur eidem. Et
hoc, ex sola Dei clementia, qui urbem
illam elegit ut templum et cultus Divini-
tatis post Babylonicam captivitatem refor-
marentur in ea. Unde, ut aliqui dicunt,
jam non fit hic de Noe, Job, Danieleque
mentio, eo quod sine meritis patrum Deus
id fecerit vel fecisset, quanquam nullus
sanctorum patrum tunc in Jerusalem ex-
stitisset.

Et ipsi prædicti Judæi in vita servati,
egredientur de Judæa *ad vos* jam in Chal-
dæam translatos; *et videbitis viam eorum,*
id est iter corporale; vel, Viam, id est opera
vitiosa, per quæ tanquam medium iter ve-
nerunt in captivitatem; *et adinventiones*
eorum, videlicet idololatrias, et cetera vitia
excogitata ex mera malitia. Hæc enim in suo
effectu, hoc est captivitate et pœna pro eis
inflicta, considerari poterant et patebant.

Et consolabimini super malo quod induxi A
in Jerusalem per Chaldæos : vel gaudendo
de hoc, quod saltem aliqui civium ejus re-
manserunt in vita, quos universos putastis
occisos; vel, Consolabimini super malo Je-
rusalem, id est de supplicio ejus, ita quod
malum hoc erit vobis occasio atque mate-
ria relevandi vestram tristitiam, qua do-
luistis quod ad Jeremiæ consilium tradi-
distis vos sponte regi Babylonis, et item
quod tam horribile malum Jerusalem eva-
sistis; *in omnibus* tribulationibus *quæ* per
23 Chaldæos *importavi super eam. Et conso-* B
labuntur isti de Jerusalem venientes *super*
vos, id est, consolationem vobis infundent,
recitando quam duriora adversa accide-
rint sibi quam vobis; *et scietis* per istos
justitiæ meæ effectus, *quod non frustra*
fecerim omnia quæ feci in ea, scilicet in
Jerusalem. Deus quippe et natura nil fa-
ciunt frustra. Et prædicta Deus operatus
est ad suæ justitiæ declarationem, ad im-
piorum correctionem, ad aliorum admoni-
tionem atque cautelam, ad Prophetarum
suorum verificationem, ad nominis sui ho- C
Prov. xvi, 4. norem et gloriam. Omnia enim propter se
ipsum operatus est Dominus, quum ipse
sit omnium rerum summum bonum ac
ultimus finis.

Jam quæritur, cur præ ceteris Sanctis
Noe, Daniel, et Job hic exprimantur. Re-
spondet Hieronymus : Quoniam Noe suis
orationibus diluvium differre non potuit,
Dan. ix, 3 seq. Daniel quoque captivitatem Judæorum fle-
tibus suis mitigare nequivit, et Job filios
Job i, 5. suos et filias, pro quibus quotidie sacrifi-
cavit, ab interitu non redemit. Verumtamen
ex hac causa viderentur hi viri ad orandum
pro aliis minus idonei. Dominus autem
eos specialiter explicando, videtur innuis-
se quod erant ad deprecandum pro aliis
eminenter idonei. Idcirco dici rationabili-
ter posse reor, quod ad insinuandum effi-
caciam eorum in orando, et zelum quem
habuerunt pro proximis, exprimuntur. Da-
nieli enim dixit Gabriel angelus : Vir de- Dan. ix, 23.
sideriorum es tu. Quamque ferventer et
fructuose pro Judæis oraverit, in ejus vo-
lumine innotescit. Job quoque misericor-
dissimus fuit, secundum quod protestatur :
Ab infantia crevit mecum miseratio. Et Job xxxi, 18.
ipse pro singulis filiorum ac filiarum sua-
rum quotidie immolavit ac supplicavit.
Nec dubium quin Noe, quum longo tem-
pore arcam paravit, pro mundi salvatione
instanter oraverit, quum de ipso dicatur :
Noe vir justus atque perfectus fuit. Gen. vi, 9.

Postremo quæ dicta sunt de plagis Dei
contra iniquos, et quod viri sanctissimi
neminem liberarent de plagis his, intelli-
gendum videtur, quando omnipotens Deus
secundum æquitatis suæ rigorem procedit,
vicissim autem agit clementius. Unde et
Abrahæ dixit, quod parceret Sodomæ, si Ibid. xviii, 32.
inveniret in ea decem justos. Angeli quo-
que dixerunt ad Lot : Si habes hic tuorum Ibid. xix, 12.
quempiam, educ eum. Et sicut in Gene-
si satis innuitur, si juvenes illi qui ha-
bituri fuissent filias Lot conjuges, acqui-
evissent sermonibus Lot, Dominus pro-
pter Lot eruisset eos de interemptione
Sodomorum.

ARTICULUS XVIII

EXPOSITIO CAPITULI QUINTIDECIMI : ET FACTUS EST SERMO DOMINI AD ME.

CONSEQUENTER diversis parabolis seu D
similitudinibus inutilitas Judæorum,
et ipsius Jerusalem signatur subversio, et
primo per similitudinem a ligno vitis abs-
ciso acceptam. Ipsa etenim Synagoga in
Prophetis frequenter vinea appellatur :
juxta illud Isaiæ, Vinea Domini Sabaoth, Is. v, 7.
domus Israel est; et in Psalmo, Vineam Ps. lxxix, 9.

de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes, et A
plantasti eam. Per Jeremiam quoque Do-
Jer. XII, 10. minus loquitur : Pastores multi demoliti
sunt vineam meam. Infructuosi ergo in-
creduli que Judæi, merito comparati sunt
absciso vineæ ligno. Quemadmodum au-
tem vinea quamdiu fructificat, inter om-
nia ligna pretiosissima est, secundum Hie-
ronymum ; ita dum uvas ferre desistit,
inutilissima comprobatur. Sic fuerat de
Judæis. Denique, sicut gratia naturam per-
ficit, sic culpa hanc inficit; et quo anima
magis in vitiis habituatur, eo aptitudo li- B
beri arbitrii ad virtutes, amplius minoratur
vel debilitatur. Hinc ipsa peccati consue-
tudine invalescente, videtur homo totaliter
inhabilis fieri ad bonum gratiæ ac virtu-
Prov. XVIII, 3. tum, sicut et Salomon ait : Impius quum
in profundum peccatorum venerit, con-
temnit. Verumtamen habilitas ista arbitrii,
nunquam in toto aufertur, præsentis vitæ
statu durante. Homo enim non immobili-
tatur in termino, nisi in morte.
1 Itaque sanctus Ezechiel : *Et factus est,*
2 inquit, *sermo Domini ad me, dicens : Fili* C
hominis, quid fiet ligno vitis, id est absci-
so vineæ ramo, *ex omnibus lignis nemo-*
rum, id est, exsistenti de numero ligno-
3 rum in nemoribus positorum? *Numquid*
tolletur de ea, puta de vite, *lignum,* id est
ramus seu portio ejus, *ut fiat opus,* id est
aliquod instrumentum aptum ex ipso, *aut*
fabricabitur de ea paxillus, ut dependeat
in eo quodcumque vas? Est autem paxil-
lus quippiam parieti infixum, ut in eo ip-
4 so aliquid suspendatur. *Ecce igni datum*
est in escam. Non enim ad aliud utile est, D
nisi ut comburatur, et ignem conservet.
Utramque partem ejus consumpsit ignis,
postquam in ignem projectæ fuerunt, *et*
medietas ejus redacta est in favillam : sic-
que totum comburitur. Per duas partes
intelliguntur extremitates seu summitates
ligni. Unde Aquila transtulit, Duo novis-
sima ejus; Symmachus vero et Theodoti-
on, Duas summitates ejus. *Numquid utile*
erit ad opus? Littera difficultatem non
habet.

Propterea hæc dicit Dominus Deus : 6
Quomodo lignum vitis exsistens *inter li-*
gna silvarum, quod dedi igni ad devoran-
dum. Ex divina enim providentia ortum
est, ut lignum tale ignis incendio depute-
tur. Sicut ergo hoc lignum tradidi igni,
sic tradam habitatores Jerusalem manibus
Chaldæorum, *et ponam faciem meam in* 7
eos ad puniendum. Septuaginta transtule-
runt : Obfirmabo faciem meam, id est,
vultu quasi irato eos adspiciam. *De igne*
egredientur, id est, tribulationem quæ fuit
in urbe Jerusalem tempore obsidionis, ex-
eundo urbem occulte effugient, *et ignis,*
id est alia grandis afflictio, *consumet eos.*
Unde regem Sedeciam et multos secum IV Reg. x
egredientes de urbe, clam comprehende- 4-7.
runt atque gravissime afflixerunt Chaldæi,
ut dictum est. *Et scietis* vos, Judæi in
Chaldæam translati, vel in vita servati,
quia ego Dominus, quum dedero terram 8
Judææ *inviam et desolatam,* id est trans-
euntibus atque inhabitantibus spoliatam,
eo quod prævaricatores exstiterint habita-
tores ipsius.

Postremo, quod nunc de Synagoga litte-
raliter dictum est, ad Ecclesiam facile est
spiritualiter applicare. Etenim, quo majo-
ra fuerunt gratiæ dona virtutumque ger-
mina in Christi Ecclesia, quam unquam
in Synagoga, eo nomen vineæ eminentius
competit matri Ecclesiæ, quam Synagogæ.
Christus quoque in Evangelio se ipsum
nominat vitem, et fideles suos nuncupat Joann. x
palmites. Mali igitur Christiani, qui sunt 5.
ecclesia malignantium, comparantur ligno
vitis infructuoso absciso, quod in ignem
projicitur. Propter quod ait Salvator : Si Ibid. 6
quis in me non manserit, mittetur foras
sicut palmes, et arescet; et colligent eum,
et in ignem mittent, et ardet. Ex talibus
ergo impiis Christianis fieri nequit opus
salubre, nec esse possunt, secundum quod
tales, instrumentum virtutum, opera vir-
tuosa elicitive ac meritorie producendo,
Salvatore testante : Non potest arbor mala Matth. v
fructus bonos facere. Insuper ex eis, ut 18.
tales sunt, effici nequit paxillus, id est

aliorum prælatus idoneus, in Deo per gratiam fortiter fixus, cui alii innitantur, in quo dependeant, a quo verbo et opere confortentur : quemadmodum Dominus ait
s. xxii, 23, 4. per Isaiam de Eliacim : Figam illum paxillum in loco fidelium, gloriæ domus patris sui; et suspendent super eum omnem
A gloriam domus patris ejus, vasorum diversa genera, omne vas parvulum, etc. Ideo adversariis suæ salutis traduntur, ita quod servi sunt peccati ac dæmonis, ministri corruptionis, a propria carne ac sæculo nequam devicti : sicque tandem in ignem gehennæ mittuntur.

ARTICULUS XIX

EXPOSITIO CAPITULI SEXTIDECIMI : ET FACTUS EST SERMO DOMINI AD ME, DICENS.

Rursus beatus Ezechiel impietates Synagogæ describit metaphorice sub persona mulieris fornicariæ, in maxima penuria natæ, atque a viro eximio clementer nutritæ, ornatæ ac desponsatæ : quæ universis tanti tamque piissimi mariti beneficiis facta ingrata, alium admittit amatorem, et paulatim omni se adulterio exponit sine rubore.
1 *Et factus est sermo Domini ad me, di-*
2 *cens : Notas fac,* id est, ad memoriam revoca, *Jerusalem,* id est regno ac populo
3 Juda, *abominationes suas; et dices : Hæc dicit Dominus Deus : Radix tua,* id est vis generativa, de qua velut de radice prodisti, *et generatio tua,* id est nativitas, fuit *de terra Chanaan,* id est de terra Chananæa, in qua peregrinatus ac demoratus est Abraham, Isaac quoque et Jacob cum duodecim Patriarchis ad tempus. Quamvis autem Judæorum radix atque nativitas, fuerit de terra ista secundum esse naturæ, quia in ea nati fuerunt Isaac et Jacob parentes populi hujus; nunc tamen videtur Propheta per increpationem hæc dicere, ad innuendum quod secundum esse peccati, et similitudinem scelerum, prodierunt de terra ac populo Chanaan, illorum idololatrias atque facinora imitando. Propter quod subditur : *pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa.* In terra etenim Chanaan, quæ fuit terra promissionis, quia filiis Israel a
B Deo promissa, habitaverunt Amorrhæi et
Cethæi, de semine Cham et Chanaan filii *Gen.* x, 15, 16.
Cham generati : quos filii Israel tempore
Josue occiderunt, sed postea eorum secuti *Josue* xi, 3, 8.
sunt crimina : idcirco populus Amorrhæus eorum pater dicitur, ratione virorum; et mater, ratione feminarum.
Et quando nata es, in Ægypto videlicet, 4
in qua filii Israel primo vehementissime
multiplicati fuerunt, *in die ortus tui,* id *Exod.* i, 7.
est tempore quo ibi morata ac genita es, *non est præcisus umbilicus tuus,* id est,
C non statim legem a Deo accepisti, nec idololatriæ vitiis caruisti, sed vitam ad tempus duxisti gentilem. Loquitur autem Propheta, ut dixi, de Jerusalem plebeque Judæorum sub figura feminæ, cujus, dum nascitur, primo mox umbilicus præciditur. Per umbilicum vero fetus, quamdiu in ventre est, attrahit alimentum. Itaque, per hoc quod umbilicus Jerusalem dicitur non præcisus, signatur quod pudendæ nativitatis exordia, non sint ei statim abscisa. *Et in aqua non es lota in salutem.*
D Cruenta infantium corpora, statim ut ex utero fusa sunt, solent lavari. Unde et spiritualis generatio lavacro indiget. Per verba igitur præinducta designatur, quod plebs illa Judaica non fuit mente mundata a vitiis per lacrimas contritionis. *Nec sale salita.* Infantium corpora utero fusa, ab obstetricibus sale continguntur, ut sicciora

sint et restringantur, atque ad obturationem abscisionis. Per hoc ergo, quod Jerusalem dicitur non esse sale salita, insinuatur quod nil spiritualis saporis ac diligentiæ habuit, ita quod defuit ei sal sapientiæ salutaris. *Nec involuta pannis.* Infantilia membra pannis involvuntur, ne defluant. Sensus itaque est, quod plebs prædicta non fuit virtutibus vestita, sed vitiis defluens.

5 *Non pepercit super te oculus,* id est, Deo sic a te offenso, nemo misertus est tui, et oculo pietatis nullus te adspexit, *ut facerem tibi unum de his misertus tui,* id est, aliquod prædictorum quatuor beneficiorum tibi per eum impenderem. Deus enim frequenter subvenit gratiamque infundit uni homini per ministerium et virtutes et preces alterius : quia etsi prædestinatio non ex nostris est meritis, effectus tamen ejus ex meritis esse potest. *Sed projecta es super faciem terræ,* id est a Deo relicta, irreverenter ab hostibus tuis tractata, et in lata via quæ ducit ad mortem projecta ; nec posita es in cunis vel lecto, hoc est in tranquillitate mentali et diligenti cordis custodia et spirituali aliorum educatione ; *in abjectione animæ tuæ,* id est propter tua peccata, quia te abjeci, et tu me a tuis præcordiis abjecisti.

6 *Transiens autem per te,* non localiter proficiscendo, sed pietatis meæ respectum per omnium corda dirigendo, atque miserias singulorum considerando, *vidi te conculcari in sanguine tuo,* id est prædictis vitiorum immunditiis supplantari ac pollui. *Et dixi tibi, quum esses in sanguine tuo :* id est, quamvis ob tua facinora misericordiam meam non mereveris, ego tamen ex propria et naturaliter mihi inexsistenti clementia, quum esses in vitiis istis mortalibus, dixi tibi, ad pœnitentiam te provocando : *Vive* vita gratiæ, et cor tuum converte ad me. *Dixi, inquam, tibi* exsistenti *in sanguine tuo : Vive.* Repetitio, est dicti confirmatio, et ingens veritatis
7 assertio. *Multiplicatam quasi germen agri dedi te,* id est, prolis ac divitiarum abundantia te ornavi et auxi, ut agro uberrimo similis esses, videreturque in te impleta benedictio qua pater Isaac filio suo Jacob benedixit : Ecce, inquiens, odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. *Et multiplicata es* divitiis, fama et gloria, *et ingressa es* sponsi cubiculum, vel annos pubertatis, ut dicere possis illud Canticorum : Introduxit me rex in cubiculum suum ; *et pervenisti ad mundum muliebrem,* id est ad ornamentum sponsarum. Unde Symmachus transtulit, Ad ornatum mulierum. Per quod significatur, quod pervenit ad tempus quo fuit nubilis, et Deo spiritualiter copulabilis. *Ubera tua intumuerunt, et pilus tuus germinavit.* Tempore enim pubertatis crines et ubera ad completum incrementum propinquant. *Et eras nuda, et confusione plena :* id est, dum corporis pulchritudinem et ornatum habebas, adhuc virtutibus nuda fuisti, ideoque confusione et inordinatione peccati repleta.

Gen. xxvii, 27. — Cant. ii, 4.

Et transivi per te : secundum sensum 8
præhabitum. Loquitur namque Propheta de Deo, quasi de homine per viam pergente, et puerum a matre relictum cernente ac miserante, suscipiente et confovente. *Et vidi te* oculo pietatis taliter nudam ; *et ecce tempus tuum, tempus amantium,* id est, ad tempus nuptiarum venisti, quo vir et uxor matrimonialiter se complectuntur ac diligunt : ita quod eras disposita suscipere legem a Deo, et ei in sponsam uniri. *Et expandi amictum meum,* id est indumenta virtutum, *super te, et operui ignominiam tuam,* id est vitiorum turpitudinem. *Et juravi tibi,* id est, per me ipsum testatus sum firmiterque asserui benefacere tibi, *et ingressus sum pactum tecum,* id est, fœdus amicitiæ pepigi tecum, legem tibi in monte Sinai dando, et te ibi in uxorem sumendo, ne ultra cum idolis atque dæmonibus fornicareris, sed mihi tantummodo deservires. *Et facta es mihi,* id est meo conjugio copulata, et per fœdus præinductum mihi obligata atque adstricta, et populus peculiaris mihi effecta.

Exod. xx

9 *Et lavi te aqua,* id est, rore gratiæ te a A
peccatis purgavi, *et emundavi sanguinem*
tuum ex te, id est, opera criminosa abstuli
tibi. *Et unxi te oleo* pietatis, contra pec-
catorum vulnera et dolores ; oleo quoque
consolationis ac devotionis, ita ut mente
Exod. promptissima ac devota, munera Deo of-
xxv, 21. ferres : ut dicitur in Exodo. *Et vestivi te*
10 *discoloribus,* id est, variis cærimoniis le-
gis, multisque gratiarum charismatibus; *et*
calceavi te hyacintho. Secundum Hiero-
nymum, hyacinthina calceamenta non vi-
ris, sed feminis conveniebant. Quoniam B
ergo ad Jerusalem sub persona feminæ
sermo Prophetæ dirigitur, hyacinthinis cal-
ceis scribitur calceata, id est recto et con-
decenti virtutum incessu. *Et cinxi te bys-*
so, id est regulis vitæ ac lineis veritatis. De
bysso quippe tenuissima fila texuntur. *Et*
indui te subtilibus. Per subtilia, secundum
Hieronymum, designatur vestis tantæ sub-
tilitatis, ut pilorum et capillorum tenuita-
tem habere credatur : per quam spiritua-
lizatio populi hujus a pristina crassitudine
accipi potest, vel pulchritudo cultus di- C
vini.
11 *Et ornavi te ornamento* multiplici (sic-
ut subjungitur) : *et dedi armillas in mani-*
12 *bus tuis, et torques circa collum tuum ; et*
dedi inaurem super os tuum, et circulos
auribus tuis, et coronam decoris in capite
tuo. Hæc et plura alia atque similia or-
namenta contulit Deus Judæis, quamvis
non omnia singulis, sed quædam istorum
præcipuis, puta sacerdotibus, regibus sive
principibus. Scriptum est enim in Isaia :
Is. III, 16, Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, au- D
18 *et seq.* feret Dominus ornamentum calceamento-
rum, et lunulas, et torques, et monilia, et
armillas, et mitras, et discriminalia, et pe-
riscelidas, et murænulas, et olfactoriola, et
inaures, et annulos, et gemmas, et cete-
ra quæ ibidem subduntur. — Spirituali-
ter, per armillas in manibus, intelliguntur
opera bona in viribus operativis ; per tor-
ques circa collum, prædicatio efficax, so-
nora atque decora ; per inaurem super
os, sermo discretus. Inauris autem, fuit
aurium ornamentum, ex eis dependens.
Non autem ponebatur super os ; sed ideo
dicitur nunc superpositus ori, quoniam
circulus in similitudinem inauris factus,
ex fronte pendebat usque ad os, qui nunc
inauris vocatur, secundum Hieronymum.
Per circulos aureos, refrenatio atque con-
clusio aurium, ne verba detractoria et no-
civa auscultent ; per coronam decoris in
capite, dominatio rationis super alias vires.
Et ornata es auro et argento. His enim 13
divitiis abundavit frequenter Jerusalem.
Spiritualiter autem, per aurum sapientia,
per argentum eloquentia designatur. *Et*
vestita es bysso, et polymito, et multicolo-
ribus. Hoc jam habitum atque expositum
est. Quod enim paulo ante, Subtilia, hoc
nunc, Polymitum vocat. Nam et Septua-
ginta utrumque uno verbo, quod est, τρί-
χαπτον, expresserunt. Joseph quoque in
Genesi, vestem talarem et polymitam ha- *Gen.* XXXVII,
buisse narratur. Insuper post vestimento- 3.
rum descriptionem, de cibis fit mentio.
Similam, quæ est medulla frumenti, *et*
mel, et oleum comedisti, utendo eis seor-
sum, vel ex tribus his panem dulcissimum
conficiendo. Unde in Psalmo habetur : Ci- *Ps.* LXXX,
bavit eos ex adipe frumenti, et de petra 17.
melle saturavit eos. *Et decora facta es*
vehementer nimis, id est præ cunctis ur-
bibus adornata in corporalibus ac spiritu-
alibus bonis, in honore et fama ac sapi-
entia, in personis egregiis, in variis Dei
beneficiis. Propter quod secundo Regum
David dixit : Quæ est gens alia super ter- II *Reg.* VII,
ram, sicut populus tuus, Israel ? *Et pro-* 23.
fecisti in regnum, id est, regia civitas
facta es atque metropolis, tempore David, *Ibid.* V, 5,
qui in te, o Jerusalem, habitavit. 7, 9.
Et egressum est nomen tuum in gentes, 14
id est, ubique famosa effecta es, ita quod
omnium gentium linguæ de tua excellen-
tia loquerentur, *propter speciem tuam,* id
est bonorum omnium affluentiam, qua te
adornavi ; *quia perfecta eras in decore*
meo, id est beneficiorum ornatu tibi a me
collato, *quem posueram super te,* ita quod
non a temetipsa, sed mea pietate et gratia

ita es exaltata. Istud potissime est imple- A
tum tempore David et Salomonis, quibus
pene omnes in circuitu reges ac populi
III *Reg.* x, 24. erant subjecti; omnesque reges terræ de-
siderabant videre faciem Salomonis, et
audire sapientiam ejus. Denique fama hæc
Judæorum ad Græcos pervenit, et Plato-
nem ad visitandam Ægyptum, Judæam,
atque ad inspiciendum libros Moysis, cre-
ditur induxisse, secundum quod B. Augu-
stinus in libro de Civitate Dei, hinc inde
innuere ac sentire videtur.

15 *Et habens fiduciam in pulchritudine* B
tua, id est, ex consideratione abundantiæ
omnium rerum tibi a me præstitarum,
præsumptuosa et audax effecta, atque in
te immoderanter confisa, *fornicata es in*
nomine tuo, id est, a me sponso tuo aver-
sa, vitiis subdita, dæmonibus idolisque
conjuncta : et hoc, a temetipsa ex propria
perversitate, quæ tot beneficiis fuisti in-
grata. *Et exposuisti fornicationem tuam*
omni transeunti, id est, cuicumque idolo
tibi occurrenti, et omni diabolo te tentanti
præbuisti cor tuum, et nullam idololatriam C
abjecisti, *ut ejus fieres* per consensum seu
cultum, instar adulteræ quæ voluptate sa-
tiari non valet, et nulli se viro, quamvis
16 vilissimo, negat. *Et sumens de vestimentis*
meis, id est hyacintho, bysso, polymito, et
ceteris quibus te indui et ornavi, *fecisti*
tibi excelsa hinc inde consuta, id est idola
seu idolorum loca sublimia, ex diversis
ornamentis præfatis instar emplastri com-
posita; *et fornicata es super eis,* id est
cum idolis istis, vel, de illis vestimentis
fecisti tibi idololatrandi materiam, *sicut* D
non est factum neque futurum est, id est
enormius quam aliquæ gentes fecerunt,
sive facturæ sint. Minus enim quam tu
peccaverunt, idolis serviendo.

17 *Et tulisti vasa decoris tui,* id est vasa
sacra dedicata cultui Dei in templo, facta
de auro meo et argento meo, quæ dedi
tibi; et fecisti tibi imagines masculinas,
id est idola Belis seu Baal, et Chamos, ac
Melchom, et Astaroth. Quoniam quidem de
Jerusalem loquitur quasi de meretrice,
idola vocat imagines masculinas, continu-
ando parabolam de meretrice cum ma-
sculis fornicante. *Et fornicata es in eis,*
idololatriam, quæ est præcipua species
fornicationis spiritualis, committendo. *Et* 18
sumpsisti vestimenta tua multicoloria : de
quibus nunc dictum est; *et vestita es eis*
in sacris idolorum ad honorem ipsorum.
Et oleum meum, et thymiama meum, id
est oleum quod tibi concessi in fomentum
lucernarum in templo, et thymiama quod
super altare incensi ad divinæ majestatis
honorem fuit cremandum, *posuisti in con-*
spectu eorum, id est coram idolis in cul-
tum ipsorum; *et panem meum,* id est 19
panes propositionis, seu alios quoslibet,
similam, oleum, et mel, quibus enutrivi
te, posuisti in conspectu eorum in odorem
suavitatis, quia in se dulcia sunt, ad pla-
cendum eis, et ut eos tibi placares. Porro
oleum quod offerebatur in templo pro lu- *Exod.* x
cernis, aliud erat ab oleo quo licuit uti 6; xxvii, etc.
Judæis ad proprium commodum, ut patet
in Exodo et Levitico. *Et factum est* tan-
tum malum a te, *ait Dominus Deus.*

Et tulisti filios tuos et filias tuas quas 20
generasti mihi, id est meo obsequio me-
rito deputandos, *et immolasti eis,* id est
idolis, *ad devorandum.* Istud quod ait, Ad
devorandum, dupliciter intelligi potest.
Uno modo, ad tangendum ac ambiendum
ab igne. Nam more gentilium, filios suos
et filias suas infantes per ignem transtu-
lerunt, vel adultos transire cogebant. Unde
Aquila et Symmachus ac Theodotion in-
terpretati sunt, Transduxisti, seu, Trans-
tulisti. Alio modo, Ad devorandum, id est
ad moriendum pro idolorum honore: quod,
ut legitur, specialiter fiebat idolo Moloch.
Quod (ut fertur) æreum fuit, intrinsecus
concavum : in cujus concavitate igne fa-
cto, statuaque fortiter calefacta, ponebatur
puer sive puella in manibus idoli, illico-
que puer comburebatur. Sed tunc sacer-
dotes tympana percutiebant, ne parentes
clamore pueri audito dolerent, imo potius
exsultarent, credentes prolem sine dolore
transisse ad vitam felicem. Unde et locus

iste dictus est TOPHET, quod Latine dici- A
tur tympanum. De isto nil dicit in præ-
senti passu S. Hieronymus. Huic tamen
expositioni videtur favere translatio Sep-
tuaginta interpretum, qui pro, Ad devo-
randum, posuerunt, In consumptionem.
Ps. cv, 37, Hinc ait Psalmista : Immolaverunt filios
suos et filias suas dæmoniis. Et, Effude-
runt sanguinem innocentem, sanguinem
filiorum suorum et filiarum suarum, quas
sacrificaverunt sculptilibus Chanaan. De-
4 Reg. xvi, nique quarto Regum legitur Achaz trans-
duxisse filium suum per ignem. *Numquid* B
parva est fornicatio tua? Quasi dicat: Non
plane, sed maxima vehementer atque hor-
renda est idololatria ista. Ideo exaggerans
21 replicat : *Immolasti filios tuos* idolis, *et*
dedisti illos, consecrans eis, videlicet ido-
lis, quorum venerationi sobolem tuam to-
taliter dedicasti, serviens creaturæ et vani-
tati atque figmento, potius quam Creatori
et veritati, ac primo universitatis prin-
cipio.
22 *Et post omnes abominationes tuas et*
fornicationes, non es recordata dierum C
adolescentiæ tuæ, quibus in Ægypto con-
versata es, *quando eras nuda* virtutibus,
et confusione plena, id est vitiorum inor-
dinatione et adversariorum illusione, *con-*
culcata in sanguine tuo, id est diversis
23 oppressa peccatis. *Et accidit post omnem*
malitiam tuam jam descriptam, *væ, væ*
tibi, id est gravis punitio, vel duplex suc-
cessive afflictio, scilicet ab Assyriis et
Chaldæis ; vel, væ præsentis angustiæ, ac
gehennæ quantum ad eos qui non pœni-
tuerunt. Porro peccata quæ fiunt non ex D
passione, infirmitate, et excusabili igno-
rantia, sed ex animo deliberato, ex habitu
vitioso, ex certa scientia, proprie dici pos-
sunt malitiæ.
24 *Et ædificasti tibi lupanar,* id est idolo-
latriæ domum. Siquidem dictum jam est,
per fornicationem in toto isto capitulo,
idololatriam designari. Quum enim anima
ad Dei imaginem condita, ideo facta sit ut
Creatoris sui sit sponsa, ei mentaliter ad-
hærendo, ab ipso spiritualem fecunditatem
et fructum virtutum sortiendo ; merito
aversio ejus a Deo, præsertimque conver-
sio ejus ad idola, adulterium fornicatioque
vocatur. *Et fecisti tibi prostibulum,* id est
idololatriæ ædes, *in cunctis plateis. Ad* 25
omne caput viæ, id est in viarum capiti-
bus, *ædificasti signum prostitutionis,* id
est idololatriæ *tuæ,* ut loca culturæ deo-
rum facilius invenirentur, et promptius
ad ea homines convenirent : in quo in-
notescit, cum quanto fervore coluerunt
idola; *et abominabilem fecisti decorem tu-*
um, ita quod quanta fuerat tua a me præ-
stita pulchritudo, tanta facta est tua a te
turpitudo. *Et divisisti pedes tuos omni*
transeunti, id est, nullius tibi occurrentis
vel innotescentis idololatriam respuisti :
imo ad communicandum cum universo-
rum idololatria, fuisti parata, ad similitu-
dinem incontinentissimæ meretricis. Unde
Septuaginta transtulerunt, Divaricasti cru-
ra tua omni transeunti.
Et fornicata es cum filiis Ægypti vici- 26
nis tuis magnarum carnium: id est, Ægy-
ptiorum idololatrias es secuta, habentium
magna virilia : per quæ idololatriæ ma-
gnitudo designatur. Ægypto autem ex una
parte est Judæa vicina. Propter quod Do-
minus in Genesi ait ad Abraham : Tibi Gen. xv, 18.
dabo omnem terram hanc a fluvio Ægypti
usque ad fluvium magnum Euphraten : ut
ex una parte habeat Ægyptios ; ex altera
autem, Assyrios, cum quibus paulo post
scribitur fornicata. *Et multiplicasti for-*
nicationem tuam ad irritandum me con-
secutive. Non quod Deus invariabilis et
superdeliciosissimus ullatenus in se irri-
tetur, aut conturbetur, sed quoniam per
modum irritati se habet, dum post tanta
beneficia infligit tam acerba supplicia.
Ecce ego extendam manum meam super 27
te, ad vindictam tuorum facinorum, *et au-*
feram justificationem tuam, id est obse-
quia idolis facta, quibus te justificari pu-
tabas. Vel per justificationem intelligitur
templum a Chaldæis combustum, quod in
libro Machabæorum ubertim sanctificatio 1 Mach. 1,
nuncupatur. Primæ expositioni favet trans- 23, 39, etc.

latio Septuaginta interpretum, quæ est, A
Auferam legitima tua. *Et dabo te in animas,* id est in voluntatem et potestatem,
odientium te, utpote *filiarum Palæstinarum,* id est urbium seu gentium de terra
Philistinorum, qui specialiter adversabantur Judæis. Frequenter autem in divinis
Josue xv-xix, passim. Cf. I *Par.* vii, 28, 29; viii, 12. Scripturis per filias, intelliguntur civitates
sub metropoli constitutæ, præsertim in libro Josue. Porro Philistæi contra Jerusalem cum Chaldæis venisse, eamque cum
illis destruxisse leguntur. *Quæ erubescunt in via tua scelerata,* id est, super enormi- B
tate scelerum tuorum ipso auditu verecundantur, et opera tua abhorrent; erubescerentque tam horrenda committere, et
taliter deum suum confictum offendere, sicut tu verum Deum innumerabiliter offendisti.
28 *Et fornicata es cum filiis Assyriorum,*
eorum idololatrias exercendo, *eo quod necdum fueris expleta,* id est præscriptis
29 idololatriis satiata. *Et multiplicasti fornicationem tuam in terra Chanaan cum*
Chaldæis, Chaldæorum deos in terra tua C
colendo. *Et nec sic satiata es* falsorum
cultu deorum.
30 *In quo mundabo cor tuum? dicit Dominus Deus :* id est, tam vitiosissima es
effecta, ut pene incurabilis videaris, nec possis quodammodo reformari. Hæc autem difficultas intelligenda non est ex parte medici, scilicet omnipotentis Dei, cui
omnia æque possibilia sunt, sed ex parte infirmi, in quo est indispositio maxima.
Osee vi, 4. Unde apud Osee Dominus loquitur : Quid
faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Ju- D
Is. i, 5. da? Estque simile his illud Isaiæ : In quo
percutiam vos ultra, addentes prævaricationes? *Quum facias omnia hæc opera mulieris meretricis et procacis,* sic fornicando spiritualiter et impudenter cum quibuslibet idolis, sicut illa fornicatur cor-
31 poraliter cum quibuscumque viris. *Quia*
fabricasti lupanar tuum, id est idololatriæ
ædem, *in capite omnis viæ, et excelsum tuum,* id est locum altum ad deorum culturam, *fecisti in omni platea; nec facta*
es quasi meretrix fastidiosa, augens pretium fornicationis, quasi lassata frequenti
concubitu, *sed quasi mulier adultera,* quia 32
per legis susceptionem et fœderis percussionem, eras mihi specialiter desponsata, *quæ super,* id est ultra, *virum suum inducit alienos* ardore libidinis.
Omnibus meretricibus dantur mercedes; 33
tu autem dedisti mercedem cunctis amatoribus tuis, id est, idolis atque dæmonibus quos coluisti, rerum abundantiam tibi a me concessam immolasti, *et donabas eis,*
ut intrarent ad te undique, id est, tecum in templis ac ædibus essent, *ad fornicandum tecum,* id est ad conjungendum se tibi per responsa vanissima atque similia,
quæ idololatræ quærunt ab idolis. *Factum-* 34
que est in te contra consuetudinem mulierum meretricum *in fornicationibus tuis,*
et post te non erit fornicatio : id est, tanta est idololatriæ tuæ impietas, ut ejus respectu, futurarum idololatriarum perversitas minor, aut quasi indigna nomine fornicationis videbitur. Simili modo quantum ad
malum pœnæ, de populo isto scriptum est
in Isaia : Ad gentem horribilem et divul- *Is.* xviii,
sam, post quam non est altera. *In eo enim quod dedisti mercedes, et mercedes non accepisti, factum est in te contrarium,* id est contra callidarum præcipue consuetudinem meretricum, quæ solent difficultate augere libidinis pretium, atque ex hoc amatores magis ad insaniam provocare.
Propterea, meretrix, id est, Jerusalem, 35
seu plebs Judæa idololatra, *audi verbum*
Domini. Quia effusum est æs tuum, id est, 36
divitias tibi a me condonatas, in idololatria expendisti, *et revelata est ignominia tua,* id est, omnibus patefacta est tua ignominiosissima idololatria, consistens *in fornicationibus tuis* spiritualibus *super,* id est ad, *amatores tuos,* videlicet deos confictos et alienos, quos dilexisti, a quibus et te amari putasti, *et super idola abominationum tuarum, in sanguine,* id est sanguinis effusione, *filiorum tuorum quos dedisti eis,* id est, quos idolis obtu-
listi; *ecce ego congregabo omnes amatores* 37

tuos, id est deorum tuorum cultores, quos A
aliquando propter deos eorum et tuos ama-
sti, et ab eis petisti auxilium : sicut et
Reg. xvi, Achaz a rege Assyriorum petiit opem, ut
dicitur quarto libro Regum; cum *quibus*
commixta es, id est, quorum idololatriæ
participem te præbuisti, *cum universis*
quos oderas, id est cum Philistæis et aliis
tibi semper odiosis, qui cum Chaldæis ad-
versus te convenerunt; *et congregabo eos*
super te undique, et nudabo ignominiam
tuam, id est, vitiorum tuorum confusibili-
tatem per debitam declarabo vindictam. *et* B
videbunt omnem turpitudinem tuam, id
est idololatriæ vilitatem.
38 *Et judicabo te judiciis adulterarum et*
effundentium sanguinem, id est, dira mor-
te te puniam, quemadmodum secundum
legem Moysis morti adjudicantur acerbæ
hæ feminæ, quæ nedum adulterantur, sed
propriam quoque prolem occidunt; *et da-*
bo te in sanguinem furoris et zeli, id est
in sanguinis tui effusionem, provenientem
ex furore seu rigore justitiæ meæ, et zelo
39 æquitatis divinæ. *Et dabo te in manus eo-* C
rum, et destruent lupanar tuum, id est
idololatriæ loca; *et nudabunt te vestimen-*
tis tuis, id est omnibus indumentis sive
divitiis, *et auferent vasa decoris tui :* de
quibus in isto capitulo dictum est; *et de-*
relinquent te nudam, id est ab omnibus
rebus spoliatam, vel etiam interfectam ac
insepultam. Ideo additur, *plenamque igno-*
40 *minia. Et adducent super te multitudi-*
nem, id est grandem exercitum, scilicet se
ipsos et sibi consociatos, *et lapidabunt te*
lapidibus, et trucidabunt te gladiis suis. D
Tunc namque Chaldæi quosdam Judæo-
rum lapidibus machinarum, quosdam en-
41 sibus suis necasse feruntur. *Et comburent*
domos tuas igni. Chaldæi quippe templum
Ibid. xxv, Dei, palatium regis, ac domus Jerusalem
combussisse scribuntur quarto Regum. *Et*
facient in te judicia, id est, prædicta sup-
plicia et judicia, quibus te damnabunt,
rebus complebunt, *in oculis mulierum*
plurimarum, id est diversarum nationum
quæ cum Chaldæis fuerunt, vel postea ista
facta viderunt. Et recte ait, In oculis mu-
lierum plurimarum, ut servet metaphoram,
qua de Jerusalem loquitur sub persona
adulteræ, quæ coram omnibus mulieribus
lapidatur, ut terreantur, et simile crimen
devitent. *Et desines fornicari* cum idolis,
vita tibi ablata, *et mercedes ultra non da-*
bis, munera idolis atque dæmonibus offe-
rendo, qui loco Dei tui prioris sponsi, cor
tuum possederunt.
Et requiescet indignatio mea in te, id 42
est, certam ac stabilem ultionem æquitas
mea exercebit in te : quo facto, *et aufere-*
tur zelus meus, id est specialis illa dile-
ctio, qua te ut sponsam amavi, *a te,* quam
ob tuam infidelitatem repudiavi ; *et quie-*
scam a solita castigatione paterna, *nec ira-*
scar amplius, puniendo te statim ad emen-
dationem, sicut electis irascor, quos mox
corrigo in salutem. Loquitur autem Deus
de se, quasi de viro uxorem suam adulte-
ram ita repudiante, detestante, et non cu-
rante, ut de cetero non irascatur, nec cu-
ret, quidquid mali culpæ ac pœnæ ei
contingat : et ita se habet Deus ad repro-
bos, dum illos libere et impune peccare
permittit, quasi non pertinentes ad se, ut
postea finaliter pereant. Propter quod ait
in Psalmo : Dimisi eos secundum desideria Ps. LXXX,
cordis eorum, ibunt in adinventionibus 13.
suis. Et in Osee : Non visitabo, inquit, su- Osee IV, 14.
per filias vestras, quum fuerint adultera-
tæ. Quocontra de electis testatur : Visitabo Ps. LXXXVIII,
in virga iniquitates eorum, et in verberi- 33.
bus peccata eorum ; et iterum, Ego quos Apoc. III,
amo, arguo et castigo. Idcirco ad Hebræos 19.
scribit Apostolus : Quod si extra discipli- Hebr. XII,
nam estis, ergo adulteri et non filii estis. 8.
Eo quod non fueris recordata dierum 43
adolescentiæ tuæ, id est beneficiorum quæ
tibi primo largitus sum, quando in adole-
scentia tua fuisti pauperrima (juxta sen-
sum præhabitum), *et provocasti me in om-*
nibus his peccatis præscriptis; *quapropter*
et ego vias tuas in capite tuo dedi, id est,
pro tuis criminibus justas tibi pœnas in-
flixi, *et non feci juxta scelera tua in om-*
nibus his abominationibus tuis, id est, non

tantum te percussi ut meruisti, sed citra
condignum te punivi. In operibus enim
divinæ justitiæ, misericordiæ opus misce-
Ps. cxliv, 9. tur, quoniam miserationes ejus super om-
nia opera ejus.

Consequenter demonstratur quantitas
iniquitatis Jerusalem, seu regni ac populi
Juda, per comparationem ad Sodomitas et
44 decem Israel tribus. *Ecce omnis qui dicit*
vulgo proverbium, quod statim subjungi-
tur, *in te assumet illud,* id est, tibi id ap-
plicabit, te sicut et alios deridendo. Deinde
ponitur forma proverbii : *Sicut mater, ita*
et filia ejus, id est similis ei in pravitate.
Unde communiter dicitur : Patrem sequi-
tur sua proles. Sed nunc fit de Jerusalem
45 sermo sub nomine mulieris. *Filia matris*
tuæ es tu, per imitationem peccati, *quæ pro-*
jecit virum suum, adulterando, et Deum,
ad quem amandum atque colendum con-
dita fuit, derelinquendo, ac pro eo idolo-
rum portenta inania venerando, *et filios*
suos, non veri Dei obsequio eos mancipan-
do, sed idolis immolando; *et soror soro-*
rum tuarum tu, id est similis eis in vitiis.
Hæ autem sorores, ut subditur, fuerunt
Sodoma atque Samaria. *Quæ projecerunt*
viros suos. Samaria quippe, id est populus
decem tribuum, reliquit Deum Israel, sicut
et populus Juda, et vitulos aureos coluit.
Nec Sodoma uni dumtaxat idololatriæ va-
nitati deservivit, nec ambiguum quin et
carnalia adulteria in istis viguerint. *Et fi-*
lios suos, eo modo quo ipsa Jerusalem.

Consequenter ostendit, qui fuerint pa-
ter, et mater, et sorores Jerusalem, seu
populi Juda. *Mater vestra Cethæa, et pa-*
vers. 3. *ter vester Amorrhæus.* Hoc supra exposi-
46 tum est in præsenti articulo. *Et soror tua*
major, Samaria, id est plebs decem tri-
buum, *ipsa et filiæ ejus,* id est civitates ei
subjectæ : intelligendo per urbes, earum
habitatores. Samaria nempe interdum est
nomen civitatis metropolis seu principalis
in regno decem tribuum, sicque accipitur
nunc; interdum vero est nomen regionis
illius. Dicitur quoque Samaria, soror ma-
jor Jerusalem, vel quia primo peccavit,
A secundum Hieronymum, vel quia decem
tribus numero excedebant populum Juda.
Quæ habitant ad sinistram tuam : quia in
parte aquilonari fuerunt respectu Jerusa-
lem. *Soror autem tua minor te,* id est mi-
nus populosa quam tu, *quæ habitat ad*
dexteram tuam, videlicet versus meridi-
em, quoad situm Jerusalem, *Sodoma, et*
filiæ ejus, puta Gomorrha, Adama, et Se-
boim. Unde dicit Hieronymus : Si de tem-
plo Jerusalem orientem adspicias, appro-
babis Samariam fuisse a sinistris, Sodomam
B vero a dextris. Quæritur, quum ante hanc
prophetiam fuerit Sodoma cum filiabus
suis subversa, quomodo jam dicitur habi-
tare a dextris Jerusalem. Respondet Hiero-
nymus, quod Sodoma refertur ad turbam
gentilium. Vel dici potest, quod Propheta
ponit hic tempus præsens pro præterito :
alioqui et eadem quæstio esset de decem
tribubus, quæ ante hanc prophetiam no-
scuntur in Assyrios esse translatæ.

Sed nec in viis earum ambulasti, quia 47
in vitiosioribus, *neque secundum scelera*
C *earum fecisti,* sed gravius eis peccasti. Id-
eo additur : *Pusillum minus pene scelera-*
tiora ab eis fecisti ? Quod ironice et inter-
rogative esse legendum, sequentia verba
demonstrant, ut sit sensus : Non utique
modicum minus peccasti quam illæ, sed
multo enormiora operata es mala *in om-*
nibus viis tuis. Hinc subditur : *Vivo ego,* 48
dicit Dominus Deus. Secundum Hierony-
mum, in veteri Testamento Dei juramen-
tum est, Vivo ego, dicit Dominus; in novo
autem Testamento, Amen, amen, dico vo- Joann. i, 51;
D bis. *Quia non fecit Sodoma soror tua, ip-* v, 19; etc.
sa et filiæ ejus, sicut fecisti tu, o Jeru-
salem, *et filiæ tuæ,* id est civitates tibi
subjectæ : hoc est, non tam graviter pec-
caverunt illæ, ut tu cum subditis tibi.
Quod consequenter ostenditur.

Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis 49
tuæ : superbia, in appetitu excellentiæ, at-
que inani de propriis viribus præsumptio-
ne; *saturitas panis,* id est vitium gulæ in
usu alimentorum nimium delicato atque
superfluo. Nomine enim panis, omnis cibus

exprimitur. *Et abundantia,* id est divitia- A
rum affluentia : ad quam sequebatur deli-
ciarum effusio. Unde Septuaginta transtu-
lerunt, In abundantia deliciis affluebat. *Et*
otium ipsius et filiarum ejus, id est vaca-
tio a bonis operibus : ad quam concomi-
tatur intendere actibus vitiosis. Otia enim
dant vitia, sicut de talibus fert Psalmista :
Ps. LXXII, 5, 6. In labore hominum non sunt, et cum ho-
minibus non flagellabuntur : ideo tenuit
eos superbia, operti sunt iniquitate et impi-
etate sua. *Et manum egeno et pauperi non*
porrigebant. In quo patet quam crudeles B
et immisericordes exstiterint. Ideo dedit
Rom. I, 28, 24. eos Deus in reprobum sensum, ita ut con-
tumeliis afficerent corpora sua in se ipsis,
50 sicut subjicitur. *Et elevatæ sunt* tumore
superbiæ : ad quam consequi solet animæ
ruina ad peccata carnalia ; *et fecerunt abo-*
minationes coram me, scilicet vitia contra
naturam ; *et abstuli eas,* id est, civitates
istas subverti, pluens super eas ignem et
sulfur, *sicut vidisti,* id est, ex Scripturis
cognovisti ; vel, Vidisti, quia usque in præ-
Sap. X, 7. sens patent indicia subversionis Pentapo- C
lis, ut dicitur in libro Sapientiæ. Prædictis
autem Sodomorum peccatis non caruit po-
pulus Juda, et ultra hæc omnia detestan-
dissimis idololatriis maculabantur. Unde et
Matth. XI, 24. Christus in Evangelio Matthæi ait : Terræ
Sodomorum remissius erit in die judicii
quam tibi. Loquitur autem Judæis, quam-
vis non urbi Jerusalem, sed civitati Ca-
pharnaum.
51 *Et Samaria,* id est decem tribus, *dimi-*
dium peccatorum tuorum non peccavit;
sed vicisti eas sceleribus tuis, id est in D
templo Dei idola adorando, et Prophetarum
verba spernendo, ac præmemoratis idolo-
latriis te subdendo ; *et justificasti sorores*
tuas, videlicet Sodomam et Samariam, *in*
omnibus abominationibus tuis, quas ope-
rata es : id est, tanta est tua impietas, ut
ejus comparatione illæ quasi justæ appa-
reant, quamvis absolute loquendo, multum
52 damnabiles fuerint. *Ergo et tu,* Jerusalem,
porta confusionem tuam, id est ignomi-
niosa supplicia, *quæ vicisti sorores tuas*
peccatis tuis, sceleratius agens ab eis. Ju-
stificatæ enim sunt a te, id est respectu
malitiæ tuæ. *Ergo et tu confundere,* de
peccatorum tuorum turpitudine erubescen-
do : quod bonum est.
Et convertam ad fidem, *restituens eas* 53
in statu salutis, *conversione Sodomorum*
cum filiabus suis, et conversione Samariæ
cum filiabus suis. Conversio namque So-
domorum civitatumque Sodomæ, et con-
versio Samariæ ac urbium ejus, aliud non
est, nisi conversio sororum ipsius Jerusa-
lem. Verba autem intricata sunt. *Et con-*
vertam reversionem tuam, id est ex te re-
vertentes ad Deum, o Jerusalem, *in medio*
earum, videlicet sororum tuarum, inter
quas habitas ; *ut portes ignominiam tuam,* 54
id est, tuam adversitatem, confusionem, et
pœnam æquanimiter feras : juxta illud Mi-
chææ, Iram Domini portabo, quia peccavi Mich. VII, 9.
ei ; *et confundaris in omnibus quæ fecisti,*
id est, de universis tuis peccatis salubriter
erubescas, *consolans eas,* ipsas modo præ-
fato justificando, vel majora durioraque
eis patiendo. Solatium autem est misero,
miseriæ habere consortem. Et qui pecca-
vit, si doleat eo quod a Deo relictus sit,
dum audit alium gravius excessisse, gau-
dere potest quod non sit in tantum relictus
ut ille : sicque ex illius malo consolatur
indirecte. Sed de malo culpæ nunquam
directe gaudere vel consolari quis debet,
quum hoc caritati Dei et proximi obviet.
Et soror tua Sodoma et filiæ ejus, vi- 55
delicet civitates ejus prædictæ, *revertentur*
ad antiquitatem suam, id est ad fidem et
gratiam Dei, quam olim ante suam excæ-
cationem et impietatem habuerunt. Simili
sensu *Samaria et filiæ ejus revertentur ad*
antiquitatem suam. Et tu, Jerusalem, *et*
filiæ tuæ, revertemini ad antiquitatem ve-
stram. Per prædicationem enim Christi et
Apostolorum, multi de Jerusalem, Judæa,
Galilæa et Samaria Judæi, ad fidem con-
versi sunt, et in fine sæculi generaliter
convertentur, quando juxta Apostolum ad
Romanos, Omnis Israel salvus fiet. Per So- Rom. XI, 26.
domæ et filiarum ejus conversionem, in-

telligit sanctus Hieronymus conversionem
gentilitatis ad gratiam Dei, quam habuit
olim, antequam ad idololatriam laberetur.
Infelices Judæi putant in sui Messiæ adventu Pentapolim reparandam, et corporaliter reponendam in tanto decore ut fuit
Gen. XIII, 10. antequam subverteretur, quando erat sicut
paradisus Dei, ut scriptum est in Genesi.
Ibid. XIX. Quibus repugnat quod in diversis sacræ Scripturæ locis satis innuitur, quod civitates illæ nunquam reparabuntur, sitque in sempiternum duratura ipsarum subversio. Præterea, quidam per Sodomam intelligunt filios Moab et Ammon, eo quod pater eorum Lot mansit in Sodomis. Expositio autem Hieronymi videtur præstantior, quia et plus comprehendit, et illam includit.

56 *Non fuit autem Sodoma, soror tua, au-
dita in ore tuo,* id est, de ea et ejus sub-
versione nec locuta es, nec memor fuisti,
in die superbiæ tuæ, id est tempore quo
temporaliter prosperabaris et impune pec-
57 casti, *antequam revelaretur malitia tua,*
id est, priusquam per evidentem Dei vin-
dictam cunctis pateret; *sicut hoc tempore*
vastitatis tuæ a Chaldæis revelata est *in
opprobrium,* id est, ita quod tu fueris op-
probrium atque despectio, *filiarum,* id est
civitatum, *Syriæ, et cunctarum in circuitu
tuo filiarum Palæstinarum,* quæ maledi-
xerunt tibi, impietatibus tuis per vindictas
58 ad lucem deductis. *Scelus tuum et igno-
miniam tuam tu portasti,* id est, pro sce-
leribus tuis digna flagella luisti, et plenius
lues, ut subditur. Hujus equidem tempore
prophetiæ, inchoata fuit pressura Jerusa-
59 lem a Chaldæis. *Ait Dominus Deus. Quia
hæc dicit Dominus Deus : Et faciam tibi*
quod meruisti, videlicet pœnas pro culpa,
sicut despexisti juramentum, id est asser-
tionem qua te fortiter obligasti ad cultum
Exod. XXIV, 7. divinum, dicendo : Omnia quæ locutus est
Dominus, faciemus et erimus obedientes;
ut irritum faceres pactum, id est, legem
tibi datam transgredereris, et amicitiæ pa-
ctum inter nos initum violares.

Quamvis autem tu ex tua perversitate
A sic egeris, ego tamen ex mea pietate agam
quod subditur : *Et recordabor ego pacti* 60
mei initi *tecum in diebus adolescentiæ tuæ :*
quando videlicet post exitum de Ægypto,
te in monte Sinai in sponsam assumpsi, et
Christum tibi mittendum spopondi. *Et su-
scitabo tibi pactum sempiternum,* scilicet
evangelicæ legis usque ad finem sæculi
duraturæ. De quo scriptum est in Jeremia :
Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et su- Jer. XXXI, 31.
scitabo domui Israel et domui Juda pactum
novum. *Et recordaberis viarum tuarum,* 61
B id est, peccata tua ad memoriam pœniten-
do reduces, *et confunderis* salubriter, quod
tam inhoneste egeris coram Deo, *quum
receperis sorores tuas te majores cum mi-
noribus,* id est, quum intra Ecclesiam Chri-
sti fuerint associatæ Samaria et Sodoma,
quarum una dicta est soror tua major,
altera minor, ac alias gentes receperis, per
has designatas, quarum nonnullæ numero
excedebant Judæos, aliæ non. *Et dabo tibi
eas in filias.* Primitiva nempe Ecclesia in
Jerusalem ex Judæis collecta, merito alia-
C rum Ecclesiarum seu gentium conversa-
rum appellata est mater. *Sed non ex pacto
tuo,* id est non ex efficacia et virtute ve-
teris legis, sed novæ. Unde Septuaginta
transtulerunt, Non ex testamento tuo. Qui-
dam vero exponunt, Non ex pacto tuo, id
est merito tuo, sed ex mea clementia.

Et suscitabo ego pactum meum tecum, 62
id est, novum testamentum ac evangelicam
legem tibi proponam ac dabo. *Et scies quia
ego Dominus.* In evangelicæ enim legis
tempore contulit Spiritus Sanctus majo-
D rem Dei notitiam hominibus, quam antea
unquam. Propter quod per Isaiam fuit
prædictum, Repleta est terra scientia Do- Is. XI, 9.
mini; et per Jeremiam, Omnes cognoscent Jer. XXXI, 34.
me a minimo eorum usque ad maximum,
dicit Dominus. *Ut recorderis* beneficiorum 63
meorum, *et confundaris* super ingratitu-
dine tua, *et non sit tibi ultra aperire os
præ confusione tua,* id est, iniquitatem
tuam excusare non valeas, nec aliquid mi-
hi objicere ex erubescentia, qua intra te
de tuis verecundaberis vitiis, *quum placa-*

tus fuero tibi in omnibus quæ fecisti, id est, universa peccata tua tibi clementer dimisero per Christi adventum, incarnationem ac passionem, et totam ejus in hoc A mundo sanctissimam vitam, quæ tota fuit omnibus nobis meritoria atque salvifica; *ait Dominus Deus,* cujus sermo est veritas, et qui est veritas ipsa.

ARTICULUS XX

EXPOSITIO SPIRITUALIS EJUSDEM CAPITULI SEXTIDECIMI.

I Cor. x, 11. OMNIA, sicut ait Apostolus, in figura
contingebant Judæis; scripta sunt autem ad eruditionem nostram. Quemadmo-
2 dum ergo Dominus jubet Prophetæ, ut
notas faciat Jerusalem seu Judæis abominationes eorum; sic jubet prælatis atque pastoribus, ut gregi sibi commisso peccata
3 sua vigorose denuntient. *Et dices* Jerusa-
lem : *Radix tua et generatio tua de terra Chanaan. Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa.* Secundum quod ait Hieronymus, si Jerusalem vel populus Juda de semine Abrahæ, Isaac et Jacob descendens, C et Deum patrem habens, ista, quia peccavit, audivit : quid fiet de nobis, qui ex gentium sordibus sumus vocati, omnemque maculam in lavacro seu Baptismo Salvatoris amisimus, si polluerimus indumen-
Matth. xxii, 11-13. tum Christi, nec nuptialem habuerimus
vestem? Utique vinctis manibus et pedibus projiciemur in tenebras infernales ac flammas. Itaque malorum atque carnalium Christianorum radix et generatio, fecunditas et origo, est de terra Chanaan, id est de sæculo isto lascivo, quoniam infidelium D vitam sectantur, et sæculi vitiis implicantur : quorum pater est Amorrhæus, qui interpretatur, multo sermone celebratus, quia inanium hominum humanam laudem et magnam cupientium famam, impietatem amentiamque sequuntur. Quid enim insanius, quam hominibus potius quam Deo velle placere, magisque appetere famam in præsenti, quam gloriam in futuro? Et mater tua Cethæa, quæ interpretatur insa-

B niens, vel, in insaniam mittens. Omnis autem qui peccat, ex diabolo est, et insanit, I Joann. iii, 8.
quum æternæ sapientiæ corde cæco dissentiat.

Et quando nata es, id est spiritualiter 4
renovata, sive ad Deum pia contritione conversa, o Christi Ecclesia, *non est præcisus umbilicus tuus,* id est, fomitem concupiscentiæ non satis diligenter exstirpare pro viribus studuisti. Unde, secundum Gregorium, umbilicum præcidere, est carnis vitia resecare. Feminis quippe luxuria est in umbilico; viris, in lumbis. *Et in aqua* lacrimarum ac pœnitentiæ, *non es lota,* sed innocentiæ vestem in Baptismate sumptam, quotidie turpius maculasti. *Nec sale salita,* id est discretionis vigore condita. Siquidem nomine salis, gustus sapientiæ atque discretio exprimuntur. Hinc Christus
præcipit apud Marcum, Habete in vobis Marc. ix, 49.
sal; itemque Apostolus ad Colossenses, Ser- Coloss. iv, 6.
mo vester semper in gratia sale sit conditus. Porro, secundum Origenem, Salvator noster Jesus Christus est sal cœleste : et non tantum terrena, sed cœlestia quoque suo sapore condivit. *Nec involuta pannis,* id est Dei auxilio a vitiis præservata, virtutum armis circumamicta, justitia circumquaque vestita.

Non pepercit super te oculus, id est, tui 5
ipsius miserta non es, nec animæ tuæ vulneribus condoluisti, *ut facerem tibi unum de his* prædictis quatuor gratiæ donis. Quo-
contra in Ecclesiastico scriptum est : Mi- Eccli. xxx, 24.
serere animæ tuæ, placens Deo; et : Qui Ibid. xiv, 5.

sibi nequam est, cui bonus erit? Omnes A
ergo iniqui sibi ipsis vere crudelissimi
sunt, animas suas gravissime vulnerantes,
ita ut medicinam non admittant, videlicet
correptionem caritativam et emendationem
condignam. *Sed projecta es super faciem
terræ,* id est terrenis atque carnalibus per
affectum immersa : quod potissime spectat
ad eos qui cœptam justitiæ semitam de-
serunt et recidivant. Quibus in secunda
sua Canonica loquitur beatissimus Petrus :
II *Petr.* II, 21, 22. Melius erat illis non cognoscere viam ju-
stitiæ, quam post agnitionem retrorsum B
reverti. Contigit enim eis illud veri pro-
verbii : Canis reversus ad suum vomitum,
et sus lota in volutabro luti.

6 *Transiens autem per te, vidi te concul-
cari in sanguine tuo.* Christus ad litteram
corporaliter inter Judæos et quosdam gen-
tilium ambulavit : quos omnes suis vitiis
conculcatos inspexit. Quos tamen ad pœni-
tentiam invitavit, et dixit : *Vive* per gra-
tiam. Deinde per Apostolos terras genti-
lium visitavit atque convertit, loquens per
Ephes. v, 14. Paulum : Surge, qui dormis, et exsurge a C
7 mortuis, et illuminabit te Christus. *Multi-
plicatam* numero et merito, *quasi germen
agri dedi te,* variis gratiarum charismati-
bus te ornando. Ideo Corinthiis scribit Apo-
I *Cor.* III, 9. stolus : Dei agricultura estis. *Et multipli-
cata es,* ac per totum orbem terræ diffusa,
et grandis effecta, magnitudine virtutum
et gratiæ, *et ingressa es* per fidem, *et perve-
nisti ad mundum muliebrem,* id est nuptia-
lem decorem. *Ubera tua intumuerunt,* id
est, sapientia tua atque scientia, secundum
quod dona sunt Spiritus Sancti, creverunt, D
ita quod animas erudire quivisti; *et pilus
tuus germinavit,* id est, cogitationes tuæ
fructuosæ fuerunt. Quemadmodum namque
de capite pili, ita de corde cogitationes
exsurgunt. *Et eras nuda, et confusione
plena,* antequam te mihi conjungerem,
o Ecclesia ex gentilitate collecta.

8 *Et transivi per te, et vidi te : et ecce
tempus tuum, tempus amantium,* id est,
ad ætatem nubilem pervenisti : quando vi-
Galat. IV, 4. delicet venit temporis plenitudo, in quo
misit Pater Filium suum carissimum, qui
sibi in utero Virginis per incarnationis
mysterium Ecclesiam desponsavit, juxta
illud in Psalmo : Tanquam sponsus proce- *Ps.* XVIII,
dens de thalamo suo. *Et expandi amictum
meum super te,* id est, vestem innocentiæ
in Baptismo, *et operui ignominiam tuam,*
id est originalem infectionem, illam debi-
litando, ejusque reatum, quantum in me
est, amovendo. *Et ingressus sum pactum
tecum, ait Dominus Deus,* id est, evange-
licam legem tibi præfixi servandam, et
summam amicitiam inter me et te esse in-
stitui, dicendo : Sicut dilexit me Pater, et *Joann.* X
ego dilexi vos; et item, Majorem hac di- 9. *Ibid.* 13
lectionem nemo habet, quam ut animam
suam ponat quis pro amicis suis. Nempe,
ut Moyses loquitur, quid Dominus Deus *Deut.* X, 1
noster requirit a nobis, nisi ut diligamus
eum? *Et facta es mihi,* id est mihi in Ba-
ptismate desponsata, per caritatem unita,
per cultum complacita. Propter quod ait
Apostolus : Despondi vos uni viro virginem II *Cor.* XI
castam exhibere Christo. In Apocalypsi quo-
que angelus ait Joanni : Veni, ostendam *Apoc.* X
tibi novam nuptam sponsam Agni. Qui ta- 9.
les sunt, spiritualiter vivunt, dicente Apo-
stolo : Qui autem sunt Christi, carnem *Galat.* V,
suam crucifixerunt cum vitiis et concupi-
scentiis. De quibus ait Salvator ad Patrem :
Tui erant, videlicet per prædestinationem, *Joann.* XV
et mihi eos dedisti, per gratiæ vocationem, 6.
et sermonem tuum servaverunt.

Et lavi te aqua Baptismi. Etenim nisi 9
quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu San- *Ibid.* III,
cto, non videbit regnum Dei. *Et emundavi
sanguinem tuum,* id est peccata, *ex te.*
Omnia enim in Baptismo purgantur. Et
Isaias : Si abluerit, inquit, Dominus sor- *Is.* IV, 4
des filiarum Sion spiritu ardoris. Christus
nempe baptizat in Spiritu Sancto et igne, *Matth.* I
ut scribitur apud Matthæum. Propterea ad 11.
Ephesios testatur Apostolus : Christus di- *Ephes.*
lexit Ecclesiam, mundans illam lavacro 25-27.
aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi
gloriosam Ecclesiam, non habentem macu-
lam neque rugam. *Et unxi te oleo :* quo
animæ vulnera mitigantur. Hinc Samari-

Luc. x, 34. tanus semineci infudit vinum et oleum. A
Vel, Unxi te oleo, id est saporosa instru-
ctione Spiritus Sancti : de quo in prima
I Joann. II, 27. sua Canonica dicit Joannes, Unctio ejus
docet vos de omnibus. Ungit quoque nos
Christus oleo Unctionis extremæ. Et in
Apoc. III, 18. Apocalypsi Dominus monet : Collyrio in-
unge oculos tuos, ut videas.
10 *Et vestivi te discoloribus,* id est variis
donis atque ornatibus gratiæ gratum fa-
I Cor. XII, 8-10. cientis et gratis datæ. Alii namque datur
per Spiritum sermo sapientiæ, alii gratia
virtutum, alii operatio miraculorum. Hinc B
Ps. XLIV, 10. de Ecclesia concinit Psalmista : Adstitit
regina a dextris tuis in vestitu deaurato,
circumdata varietate. *Et calceavi te hya-
cintho,* id est ordinato processu virtutum.
Ephes. VI, 15. Unde dicit Apostolus ad Ephesios : Calcea-
ti pedes in præparatione Evangelii pacis.
Cant. VII, 1. Salomon quoque in Canticis : Quam pulchri
sunt, inquit, gressus tui in calceamentis,
filia principis! *Et cinxi te bysso,* id est
carnis mortificatione : quoniam sicut bys-
sus multis candida fit tunsionibus, sic ca-
ro diversis castigationibus et flagellis at- C
teritur, ut spiritualiter reflorescat. Hinc
Luc. XII, 35. Salvator hortatus est : Sint lumbi vestri
præcincti. Et in Proverbiis de muliere for-
Prov. XXXI, 22. ti asseritur : Byssus et purpura indumen-
tum ejus. Itemque Apostolus ad Colossen-
Coloss. III, 5. ses : Mortificate, ait, membra vestra quæ
sunt super terram. *Et indui te subtilibus,*
id est divinissimis donis Spiritus Sancti,
quæ septem sunt. De Sapientia equidem
Sap. VII, 22. increata scriptum est : Est enim in illa
spiritus intelligentiæ, unicus, sanctus, mul-
tiplex, et subtilis. Vel, subtilia sunt ipsa D
genera contemplationis, quæ a doctoribus
II Cor. III, 18. assignantur. Unde ait Apostolus : Nos autem
revelata facie gloriam Domini speculantes.
Est autem et vana subtilitas, qua quis do-
lis intendit et curiosis. Propter quod, jux-
Prov. XIV, 17. ta scripturam Proverbiorum, Vir versutus
Is. XIX, 9. odiosus est. Isaias quoque loquitur : Con-
fundentur texentes subtilia. Ecclesiasticus
Eccli. III, 24. quoque ait : In supervacuis rebus noli
scrutari multipliciter.
11 *Et dedi armillas in manibus tuis,* id est
opera virtuosa viribus operativis : ut im-
pleas illud Apostoli, Remissas manus eri- Hebr. XII, 12.
gite. *Et dedi inaurem super os tuum.* Per 12
inaurem, quæ ornamentum est aurium, et
modo præcedenti articulo super os posi-
ta fertur, obedientia potest intelligi, dum
mandatis Dei auditis mox obedimus, sicut
de populo electo Dominus protestatur : In Ps. XVII, 45.
auditu auris obedivit mihi. *Et circulos au-
ribus tuis.* Per circulum, qui est sphæri-
cæ figuræ, intelligitur reversio mentis in
suum Creatorem, a quo manavit, sicut ait
Psalmista : Convertere, anima mea, in re- Ps. CXIV, 7.
quiem tuam. *Et coronam decoris in capite
tuo,* id est reformationem imaginis beatis-
simæ Trinitatis in superiori animæ por-
tione : juxta illud Apostoli, Renovamini Ephes. IV, 23.
spiritu mentis vestræ. Vel, corona capitis,
est caritas in voluntate, virtutum regina
decorque.
Et ornata es auro, id est sanctæ dile- 13
ctionis fervore : de quo in Apocalypsi Do-
minus ait homini tepefacto, Suadeo tibi Apoc. III, 18.
emere aurum ignitum et probatum; *et ar-
gento,* id est sermone sacræ Scripturæ :
eloquia enim Domini, eloquia casta, argen- Ps. XI, 7.
tum igne examinatum. *Similam, et mel, et
oleum comedisti,* id est, spiritualibus ali-
moniis, consolatoriis ac dulcibus es refecta,
corpore Christi et sanguine ejus nutrita, et
gustasti quam dulcis est Dominus. *Et de-* I Petr. II, 3.
cora facta es vehementer nimis. Nunquam
enim fuit plebs aliqua tantis Dei gratiis
adornata, sicut Ecclesia : cui et dicitur,
Concupiscet rex decorem tuum; et rursus Ps. XLIV, 12.
in Canticis, Pulchra es, amica mea, suavis Cant. VI, 3.
et decora. *Et profecisti in regnum.* Hoc
est quod in prima sua epistola loquitur
Petrus : Vos autem genus electum, rega- I Petr. II, 9.
le sacerdotium. Denique utroque dominio,
scilicet spirituali ac sæculari, ornatur Ec-
clesia. Gens quoque et regnum quod non Is. LX, 12.
servierit ei, peribit. In summo quoque
Pontifice, utriusque potestatis est plenitu-
do. *Et egressum est nomen tuum in gentes* 14
propter speciem tuam. Christianorum enim
fama ubique celeberrima fuit, ita ut innu-
merabiles aliarum sectarum ad eorum fi-

dem converterentur. Unde Apostolus ad
II Cor. II, 15. Corinthios profitetur : Christi bonus odor
sumus in omni loco. *Quia perfecta eras in*
decore meo, quem posueram super te, dicit
Dominus. Hinc ad Corinthios scribit Apo-
I Cor. I, 4, 5, 7. stolus : Gratias ago Deo meo, quia in om-
nibus divites facti estis in eo, ita ut nihil
vobis desit in ulla gratia.

15 *Et habens fiduciam in pulchritudine*
tua, id est in gratia et abundantia merito-
rum tuorum, donisque Dei tibi concessis,
fornicata es in nomine tuo, id est a Crea-
tore sponso tuo Domino Jesu Christo aver-
sa, atque caducis amorose conjuncta, et in
propriis adinventionibus delectata. Unde
Ps. LI, 9. in Psalmo cantamus : Ecce homo qui non
posuit Deum adjutorem suum, sed speravit
in multitudine divitiarum suarum, et præ-
valuit in vanitate sua. Verum sicut docet
Hieronymus : Quanto quis sublimior fu-
erit, tanto plus timere debet ne corruat;
nec Dei liberalitatem, suam quis putet esse
virtutem. *Et exposuisti fornicationem tu-*
am, id est mentis a Deo aversionem, *omni*
transeunti, id est cuilibet spiritui tentanti,
16 omnique vitio occurrenti. *Et sumens de*
vestimentis meis, id est præmemoratis tibi
a me præstitis ornamentis, *fecisti tibi ex-*
celsa hinc inde consuta, id est materias
superbiendi, et alios aspernandi : nunc de
isto, nunc de illo bono a Deo collato, nunc
de pluribus simul inaniter tumens. Hoc
ergo agunt improvidi et ingrati. Porro
qui vere sapientes illuminatique sunt, quo
plura a Deo beneficia sunt sortiti, eo plus
satagunt Deo consistere grati, subjecti et
cari. Quod quum fieri nequeat nisi per
veram humilitatem, primo omnium humi-
litatem intime amplectuntur. *Et fornicata*
es super eis, id est talibus magis quam
Deo intendens, *sicut non est factum ne-*
que futurum est. Impii etenim Christiani
fornicantes mente a Deo, ceteris gentibus,
aliis paribus, sunt pejores.

17 *Et tulisti vasa decoris tui, et fecisti tibi*
imagines masculinas : id est, animæ tuæ
potentias, quæ virtutum receptacula sunt,
a Dei contemplatione ac amore avertens,
vana et falsa documenta tibi in tuam per-
niciem confinxisti, quibus potius quam
divinæ Scripturæ vacasti. *Et sumpsisti ve-* 18
stimenta tua multicoloria, etc., id est, om-
nibus beneficiis Dei abusa es; et quæ Deum
honorare et colere debuisti, vana atque il-
licita honorasti, teque ad placendum sæ-
culo decorasti. *Et tulisti filios tuos et filias* 20
tuas, et immolasti eis ad devorandum. Hoc
agunt, qui subditos suos seu discipulos
carnalemve sobolem ad vitia trahunt, ad
vitam mundanam alliciunt : per quod cre-
aturæ magis quam Creatori deserviunt, et Rom. I, 25.
se ipsos ac suos spiritualiter necant, ac
dæmonibus immolant. Hæc ecclesiæ mali-
gnorum, qui quum spiritu cœperint, carne Galat. III, 3.
consummantur et recidivant, dicuntur :
cui impœnitenti consequenter imprope-
ratur.

Et post omnes abominationes tuas, non 22
es recordata adolescentiæ tuæ : id est, per
pœnitentiam non redisti ad me; nec animo
revolvisti quanta erat miseria atque ino-
pia tua tempore gentilitatis, seu pristinæ
ac mundanæ conversationis, antequam do-
nis gratiæ ditareris : sicque beneficiis meis
fuisti ingrata. *Et accidit post omnem ma-* 23
litiam tuam, de qua non pœnituisti, *væ,*
væ, id est duplex calamitas, *tibi :* scilicet
pœna damni et pœna sensus; vel subtra-
ctio gratiæ in præsenti, et gloriæ in futu-
ro: vel, væ animæ et corporis. Propterea
Jeremias de impiis dicit : Induc super eos Jer. XVII, 18.
diem afflictionis, et duplici contritione con-
tere eos, Domine Deus noster. Nec obstat
illud Nahum, Non consurget duplex tribu- Nahum I, 9.
latio : pro quo alia translatio continet, Non
vindicabit Dominus bis in id ipsum. Hoc
enim de ultione plenaria dictum est. In-
terdum vero pœna jam inchoatur, et in
futuro completur.

Et ædificasti tibi lupanar. Hoc agunt 24
qui loca certa constituunt ad exercendum
in eis opera vitiosa, quibus a Deo anima
fornicatur. Præterea, secundum Hierony-
mum, ædificat sibi lupanar, qui tota frontis
libertate delinquit, juxta illud Salomonis :
Impius quum in profundum peccatorum Prov. XVIII, 3.

venerit, contemnit. Cui Jeremias dicit : A
Jer. III, 3. Frons mulieris meretricis facta est tibi,
noluisti erubescere. *Et fecisti tibi prosti-*
bulum in cunctis plateis, id est, ubique
in latis viis seu actibus reprobandis præ-
buisti aliis locum et occasionem peccandi.
25 *Ad omne caput viæ ædificasti signum*
prostitutionis tuæ. Hoc facit qui omni vi-
tiorum se genere polluit. *Et abominabilem*
fecisti decorem tuum, id est, pristinæ tuæ
perfectioni in donis gratiæ ac virtutum
maximam irreverentiam, maculam sive in-
juriam intulisti, ita quod quanto major
erat ante spiritualitas tua, tanto est dete-
stabilior nunc carnalitas tua. *Et divisisti*
pedes tuos omni transeunti, id est, uni-
versis occurrentibus præbuisti te sociam
ad peccandum, et aliorum peccatis com-
municare parata fuisti. Quocontra ait Scri-
I *Tim.* v, 22. ptura : Ne communicaveris peccatis alienis;
Ephes. v, 11. itemque Apostolus, Nolite communicare
operibus infructuosis eorum, magis autem
26 redarguite. *Et fornicata es cum filiis Ægy-*
pti. Hoc faciunt ecclesiastici ac spirituales
seu religiosi, dum sæcularibus commiscen-
tur et conformantur. Contra quod dicit
Rom. XII, 2. ad Romanos Apostolus : Nolite conformari
huic sæculo. In Jeremia quoque habetur :
Jer. II, 18. Quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas
aquam turbidam ? Siquidem per Ægy-
ptum, quæ tenebræ interpretatur, excæ-
cati amatores mundi istius exprimuntur.
27 Ideo *auferam justificationem tuam,* id est,
opera tua, apparenter non veraciter bona,
Prov. XVI, 25. damnabo. Est enim via quæ videtur homini
bona, novissima autem ejus ducunt ad
mortem. *Et dabo te in animas odientium*
te, filiarum Palæstinarum, id est princi-
pum mundi et dæmonum. Philistiim quip-
pe, qui Palæstini vocantur, interpretantur
potione cadentes : quales sunt contrariæ
potestates, quæ de calice Babylonis bibe-
runt. *Quæ erubescunt in via tua scelera-*
ta. Videmus, heu, heu, heu ! ad oculum,
tam aperte sceleratissimam esse multorum
sacerdotum et spiritualium vitam, quod et
vulgus et principes sæculares detestantur,
abhorrent et erubescunt.

Et fornicata es cum filiis Assyriorum. 28
Per Assyrios, qui interpretantur dirigen-
tes, jam designantur qui scandalis suis
proximos dirigunt in errorem, et talibus
præfati ubertim in malis consentiunt. Et
fornicata es *in terra Chanaan,* id est pe- 29
regrinationis præsentis, *cum Chaldæis,* id
est dæmonibus, illorum suggestionibus ad-
hærendo. Denique sicut electi de virtuti-
bus transeunt ad virtutes, ita injusti ac
reprobi de aliis vitiis ad alia tendunt.
Quumque priorum scelerum non agunt
B pœnitentiam, augent delictis delicta, ita ut
nullo satientur errore, sed quasi longam
restem trahunt peccatum. Contra quod di-
citur in Isaia : Væ qui trahitis iniquitatem *Is.* v, 18.
in funiculis vanitatis, et quasi vinculum
plaustri peccatum; et in Ecclesiastico scri-
ptum est, Peccator adjiciet ad peccandum. *Eccli.* III, 29.
Porro Chanaan, fluctuatio interpretatur : et
præsens vita fluctuationibus plena est, ni-
si in quantum mens per gratiam stabilitur
in Deo.

In quo mundabo cor tuum ultra? Hoc 30
C Dominus loquitur animæ in vitiis habitu-
atæ : quæ non passione, sed deliberatione
pessime vivit, nec erubescit, nec peccata
sua ponderat aut perpendit; eos quoque,
a quibus increpari et corrigi possit, de-
vitat : cui, quod subditur, convenit : *quum*
facias omnia hæc opera mulieris meretri-
cis et procacis. Hoc equidem facit anima
quæ sine timore atque mensura cum omni
frontositate ac impia libertate, de uno pec-
cato in aliud labitur, et a Sponso cœlesti
se totam avertens, cum vanis caducisque
D rebus, imo cum omnibus dæmonibus for-
nicatur. Omnis quippe anima quæ non est
Creatoris sui sponsa, dæmonis exstat adul-
tera. De talibus scriptum est in Jeremia :
Percussisti eos, Domine, et non doluerunt, *Jer.* v, 3.
renuerunt accipere disciplinam; indura-
verunt facies suas supra petram, et no-
luerunt reverti. *Quia fabricasti lupanar* 31
tuum, id est aversionis cubiculum, *in ca-*
pite omnis viæ, id est in principio omnis
operationis tuæ, illic in vanis quiescens,
atque ex prava intentione operari inci-

piens, *et excelsum tuum,* id est superbiæ A
signum, *in omni platea,* id est in latis tuis
operibus, quæ ducunt ad mortem. Hoc
agunt, qui opera vitiose incepta, cum ela-
tione continuant. Quocontra in Ecclesia-
Eccli. x, 29. stico legitur : Noli te extollere in faciendo
Ibid. vi, 2. opere tuo : rursusque, Non te extollas in
cogitatione tua velut taurus. *Nec facta es*
quasi meretrix fastidiosa, augens preti-
um, etc. Hoc competit his qui facillime
inducuntur ad vitia, qui vili pro commo-
do corruunt ad iniqua, qui humani favoris
intuitu vel mercede Deum offendunt, et B
proximo nocent. Imo nonnullæ utriusque
sexus reperiuntur personæ miserrimæ,
quæ alios vel aliàs ad fornicationem cor-
poralem spiritualemve alliciunt vel invi-
tant. Electi autem et virtuosi, pro nulla
re volunt Deum offendere, justitiamque
relinquere : qui dicere queunt cum sancto
Job xxvii, 5, 6. Job : Donec deficiam, non recedam ab in-
nocentia mea ; justificationem quam cœpi
tenere, non deseram.
35 *Propterea, meretrix, audi verbum Do-*
mini. Ecclesia vel anima quondam Deo C
fidelis atque unita, dum vitiis servit, me-
Is. i, 21. retrix appellatur, juxta illud Isaiæ : Quo-
modo facta est meretrix civitas fidelis ?
36 *Quia effusum est æs tuum,* id est, talentum
tibi a Deo concessum inutiliter expendi-
sti, beneficiis Dei abutens ; *et revelata est*
ignominia tua : id est, vitæ tuæ turpitudo
omnibus, te inverecunde ac publice trans-
grediente, innotuit ; vel, quia de ipsa tua
superbia aut aliis vitiis te jactasti : quem-
admodum de quibusdam in Isaia scriptum
Ibid. iii, 9. est, Peccatum suum quasi Sodoma prædi- D
37 caverunt, nec absconderunt. *Ecce ego con-*
gregabo omnes amatores tuos, id est crimi-
num suggestores et dæmones, cum quibus
spiritualiter adulteria commisisti, illorum
instinctui magis quam Spiritus Sancti in-
stigationi consentiens ; *et congregabo eos*
super te undique, id est in die judicii tui
particularis, vel potius universalis, *et nu-*
dabo ignominiam tuam coram eis. Tunc
enim Judex omnipotens cuncta peccata
deducet in publicum, imo et multa vitia
quæ usque tunc nulli alii patuerunt, publi-
cabit. Propter quod dicit Anselmus, quod
tunc varia mala quasi de insidiis contra
nos consurgent, de quibus nil suspicaba-
mur adversi. Etenim delicta singula quis *Ps.* xviii, 13.
intelligit, dinumerareve potest? Ideo de-
precamur : Ab occultis meis munda me, *Ibidem.*
Domine. Unde secundum beatum Bernar-
dum, contra hujusmodi culpas incertas,
aliqua semper supererogationis opera de-
votionisque exercere debemus.
Et judicabo te judiciis adulterarum et 38
effundentium sanguinem, id est, æternali-
ter te damnabo, sicut enormiter peccantes
merentur. *Et dabo te in manus eorum,* id 39
est, dæmonibus tradam te puniendam ; *et*
destruent lupanar tuum, tua peccata et
quietem ac delectationem in vitiis habi-
tam, incessabilibus punitionibus impedi-
endo seu auferendo : juxta illud in Psal-
mo, Iter impiorum peribit ; et Isaiæ, Erit *Ps.* i, 6.
fortitudo impiorum ut favilla stuppæ, et *Is.* i, 31.
opus eorum quasi scintilla, et succendetur
utrumque simul. *Et nudabunt te vesti-*
mentis tuis, et auferent vasa decoris tui,
id est, palliatis virtutum operibus quibus
te ficte coram hominibus perornasti, o in-
felix, destituent, demonstrando per pœnas
quod verum est. *Et lapidabunt te lapidi-* 40
bus, id est infernalibus percussionibus, *et*
trucidabunt te gladiis suis, mortem mi-
seriæ inferendo, non naturalem vitam tol-
lendo. *Et comburent domos tuas,* id est 41
corpora, *igni* gehennæ : quando cadent *Ps.* cxxxi
super ea carbones, et in ignem dejicien- 11.
tur, non tamen consumentur, sed jugiter
punientur. *Et desines fornicari,* id est
cum delectatione peccare. *Et auferetur* 42
zelus meus a te, quia æternæ oblivioni te
tradam, nec bona gloriæ tibi volam ; *nec*
irascar amplius, te paternaliter ad pœni-
tentiam castigando. *Et non feci juxta sce-* 43
lera tua in omnibus his : quia etiam in
inferno puniuntur iniqui citra condignum.
Ecce omnis qui dicit vulgo proverbium, 44
in te assumet illud, dicens : Sicut mater,
ita et filia ejus. Filia matris tuæ es tu. 45
Istud, secundum expositionem præcedenti

articulo introductam, perfacile est cuili-
bet iniquorum congregationi Christiano-
rum aptare : quæ aliorum fidelium impiæ
conversationi conformis est, præcedenti-
umque pravorum sectatur peccata, ita ut
rite illorum filia nuncupetur ; quæ item
soror fertur sororum suarum, puta Sama-
riæ, qua hæretici, ac Sodomæ, qua gen-
47 tiles signantur. *Sed nec in viis earum*
48 *ambulasti,* quia plus illis peccasti. *Quia*
non fecit Sodoma sicut tu fecisti. Christi-
anorum enim peccata, ceteris paribus, gra-
viora sunt aliorum peccatis, quoniam plu-
ra a Deo bona sortiti sunt, et ingratiores
consistunt, melius quoque veritatem no-
verunt : præsertim autem in clericis gra-
vissima inveniuntur facinora. Unde Corin-
I Cor. v, 1. thiis scribit Apostolus : Omnino auditur
inter vos fornicatio, et talis fornicatio,
51 qualis nec inter gentes. *Et Samaria,* id
est hæretici, *dimidium peccatorum tuo-*
rum non peccavit, rationibus præinductis.
52 *Ergo et tu porta confusionem tuam.* Im-
piorum enim damnatio gravissima est in
53 inferno. *Et convertam restituens eas,* etc.
Quomodo Samaria et Sodoma dicantur re-
stitui, et ad suam antiquitatem reverti,
præcedenti articulo patuit : quibus jam
addo, quod per restitutionem Samariæ
Hieronymus intelligit conversionem hære-
ticorum ad ecclesiasticam unitatem.
56 *Non fuit autem Sodoma, soror tua, audi-*
ta in ore tuo. Quod paulo ante præhabitum

A est, non est denuo introducendum. Eodem
etenim sensu quo præcedenti articulo di-
cta est Jerusalem non fuisse recordata sub-
versionis Sodomorum, donec ejus quoque
iniquitas gentibus innotesceret per vin-
dictas ; ita ecclesia Christianorum impœ-
nitentium et pravorum, non recordatur
qualiter Deus frequenter impias nationes
ac Sodomitas punivit, donec et ipsa divi-
nitus castigetur, ejusque scelera ceteris
per flagella ei illata patescant. *Et faci-* 59
am tibi, id est corrigam, *sicut despexisti*
B *juramentum,* id est obligationem qua te
ad Dei obsequium adstrinxisti, vel in Ba-
ptismo, vel religionis ingressu, vel Ordi-
num susceptione, vel alias aliquo modo, *ut*
irritum faceres pactum juramenti præfa-
ti vel mutuæ dilectionis seu evangelicæ
legis.
Et recordabor ego pacti mei tecum in 60
diebus adolescentiæ tuæ, id est, rursus
memor ero fœderis amicitiæ quod in con-
versionis tuæ exordio pepigi tecum, pro-
mittens tibi gratiam salutarem, quando-
C cumque hanc pœnitendo requireres ; *et*
suscitabo tibi pactum sempiternum, id est,
completam amicitiæ exhibitionem atque
finalem conversionem. Istud refertur ad
impios ab æterno prædestinatos, qui li-
cet ad tempus errent, finaliter tamen non
pereunt, imo salubriter erubescunt et con-
vertuntur, pariterque salvantur. Cetera ex
præcedenti articulo clara sunt.

ARTICULUS XXI

EXPOSITIO CAPITULI SEPTIMIDECIMI : ET FACTUM EST VERBUM DOMINI.

HOC nunc elucidando capitulo describit
Propheta regni Juda culpas pœnas-
que, sub similitudine cedri ac vitis, et
1 aquilæ cedri medullam transferentis. *Et*
factum est verbum Domini ad me, dicens:
2 *Fili hominis, propone ænigma, et narra*

D *parabolam ad domum Israel, et dices.* Æni- 3
gma et parabola idem sunt, utpote sermo
habens obscuritatem, quo aliud præfertur
verbis, aliud tenetur in sensibus, ita quod
per rem verbis significatam, res alia desi-
gnatur, quemadmodum in præsenti, sicut

patebit. *Hæc dicit Dominus Deus : Aquila* A
grandis, id est Nabuchodonosor rex Baby-
lonis, *magnarum alarum,* id est magnos
habens exercitus : qui nomine alæ signan-
Is. VIII, 8. tur, juxta illud in Isaia, Erit extensio ala-
rum ejus (videlicet regis Assyriorum) im-
plens latitudinem terræ tuæ, o Emmanuel;
longo membrorum ductu, id est, potentes
principes possidens, qui erant quasi mem-
bra ipsius; *plena plumis,* id est divitiis, *et*
varietate, id est diversis mundi ornatibus.
Osee VIII, 1. De aquila ista scriptum est in Osee : Quasi
aquila super domum Dei. *Venit ad Liba-* B
num, id est ad templum Jerusalem : de
Zach. XI, 1. quo scriptum est in Zacharia, Aperi, Liba-
ne, portas tuas. Dicitur autem templum
Libanus, vel propter ejus sublimitatem ac
eminentiam, vel quia de lignis Libani erat
partim constructum. Libanus quippe mons
fuit valde sublimis, in quo arbores pul-
cherrimæ nascebantur. *Et tulit medullam*
cedri, id est meliora electaque bona Jeru-
salem.

4 *Summitatem frondium ejus avulsit,* id
est, Jechoniam regem a regali potestate C
amovit, *et transportavit eam in terram*
Chanaan, id est, in Chaldæam transtulit
IV *Reg.* XXIV, 15. eum : quemadmodum quarto Regum ple-
nius scribitur. Chaldæa autem secundum
Hieronymum, terra Chanaan appellatur. Di-
cuntque aliqui, quod Chanaan in Hebræo,
interdum est nomen proprium, et ita de-
signat Judæam, in qua ante filios Israel
habitaverunt Chananæi. Interdum vero est
nomen appellativum, et sic mercationem
significat. Sic quoque terra Babyloniæ seu
Chaldæa, terra Chanaan dicitur, quoniam D
mercatores hanc frequentabant. *In urbe*
negotiatorum posuit illam, id est, in Ba-
bylone collocavit Nabuchodonosor Jecho-
niam præfatum. Ibi namque posuit eum
Ibidem, et XXV, 27. in carcere, ut legitur quarto Regum. *Et*
5 *tulit de semine terræ,* id est, Sedeciam ac-
Ibid. XXIV, 17. cepit pro Jechonia : qui Sedecias fuit de
semine terræ Juda, quia de sanguine re-
gio, atque avunculus Jechoniæ; *et posuit*
illud in terra, id est, in Judæa constituit
eum regem, *pro semine,* id est loco Jecho-
niæ, *ut firmaret radicem,* id est, potesta-
tem suam fundaret, *super aquas multas,*
id est populum multum, quibus eum rex
Babylonis præfecit. Aquæ enim multæ, po- *Apoc.* XVII, 1, 15.
puli multi, ut in Apocalypsi habetur. *In*
superficie posuit illud, id est, Sedeciam
non profundavit nec stabilivit in regno,
sed cito amovit, sicut id quod solum in
superficie ponitur, neque infigitur.

Quumque germinasset, id est, in re- 6
gnum processisset, et potestatem suam di-
latare cœpisset, *crevit in vineam latiorem,*
pluribus dominando, *humili statura,* id
est non statu libero, sed subjecto, quia sub
rege Babylonis subditus fuit, *respicienti-*
bus ramis ejus ad eam, id est, ad aquilam
præinductam respicientibus principibus ac
populis Sedeciæ, quoniam Chaldæis sub-
jecti fuerunt; *et radices ejus,* id est fun-
damentum sive stabilitas Sedeciæ, *sub illa*
erant, id est sub potestate regis Babylonis.
Facta est ergo vinea : id est, rex iste Se-
decias et populus ejus per incrementum
assimilati sunt viti; *et fructificavit in pal-*
mites, id est, in personis divitiisque pro-
fecit, *et emisit propagines,* id est, filios ge-
neravit. Quamdiu enim Sedecias cum suis
mansit sub imperio regis Babylonis, bene
sibi et populo successit. Denique de vi-
nea ista et ejus propagine scriptum est in
Isaia : Vinea Domini Sabaoth, domus Israel *Is.* V, 7.
est, et vir Juda germen delectabile ejus;
item in Psalmo, Extendit palmites suos *Ps.* LXXIX, 12.
usque ad mare, et usque ad flumen pro-
pagines ejus.

Consequenter fit mentio de rege Ægy-
ptio, ad quem Sedecias misit legatos pe-
tentes auxilium contra regem Babylonis.
Et facta est aquila altera grandis, magnis 7
alis multisque plumis, id est Pharao rex
Ægypti. Quid autem per alas et plumas
intelligatur, jam patuit. *Et ecce vinea ista,*
utpote Sedecias cum majoribus suis, *quasi*
mittens radices suas ad eam, id est, lega-
tos suos ad regem Ægypti transmisit, *pal-*
mites suos extendit ad illam, id est, po-
pulos suos destinavit ad regem præfatum.
Unde et in Isaia prædictum est : Væ qui *Is.* XXXI, 1

descendunt in Ægyptum ad auxilium. *Ut* A
irrigaret eam, id est, ut rex Ægypti vi-
neam istam confoveret, *de areolis germi-
nis sui,* id est de locis seu urbibus populi
sui Ægyptii, destinando vineæ huic bella-
tores Ægyptios in succursum. Etenim per
areolam, quæ est locus bene seminatus,
intelliguntur urbes Ægypti bellatoribus
plenæ.

8 *In terra bona,* videlicet in Judæa, *su-
per aquas multas,* id est populos multos,
plantata est vinea jam prædicta, scilicet
Sedecias et domus ipsius a rege Babylo- B
nis, qui Sedeciam Judæis præfecit regem,
ut faciat frondes, id est, populos augeat
sui dominii, *et portet fructum* per gene-
rationem filiorum ac filiarum, *ut sit in
vineam grandem* potestate et numero ho-
minum.

9 *Dic,* o Ezechiel : *Hæc dicit Dominus
Deus : Ergone prosperabitur* Sedecias iste
cum suis, qui regi Babylonis fidelitatem
juravit, et tamen ad ejus hostem regem
Ægypti pro auxilio destinavit? quasi di-
cat : Male ei succedet. Ideo subditur : *Non-* C
ne radices ejus evellet? id est, rex Baby-
lonis vineam istam radicitus dissipabit; *et
fructus ejus distringet,* id est, filios Sede-
ciæ occidet, *et siccabit omnes palmites ger-
minis ejus,* id est, principes Sedeciæ spo-
liabit virtute ac vita, *et arescet* vinea ista
per regiæ potestatis amissionem, procrea-
tionisque filiorum defectum, quantum ad
Sedeciam. *Et non in brachio grandi,* id
est magna potestate Chaldæorum, *neque in
populo multo* de eorum exercitu, factum
est hoc. Pauci quippe Chaldæi insecuti D
sunt fugientem Sedeciam ac principes ejus
et filios, prævalueruntque hi pauci Chal-
dæi. *Ut evelleret eam radicitus,* id est, ut
Nabuchodonosor vineam istam funditus de-
10 moliretur. *Ecce plantata est* vinea hæc
in terra Juda a Babyloniorum rege ; *ergo-
ne prosperabitur* illi repugnando? *Nonne
quum tetigerit eam ventus urens,* id est
fervida impugnatio Chaldæorum, *siccabi-
tur,* vigorem perdendo, *et in areis germi-
nis sui arescet,* id est, in terra sua defi-
ciet? Unde Septuaginta transtulerunt : Cum
gleba germinis sui arescet.

Consequenter parabola ista in textu ex-
ponitur, sicut exposita est. *Et factum est* 11
verbum Domini ad me, dicens : Dic ad 12
domum exasperantem, id est Judæorum
familiam, Deum naturaliter pium ac dul-
cem suis perversitatibus ad diram ultio-
nem inducentem : *Nescitis quid ista signi-
ficent? Dic,* eam exponendo : *Ecce veniet
rex Babylonis,* designatus per aquilam pri-
mam, *in Jerusalem; et assumet regem* Je-
choniam *et principes ejus, et adducet eos
ad semetipsum in Babylonem. Et tollet de* 13
semine regum, videlicet Sedeciam patruum
Jechoniæ, *ferietque cum eo fœdus,* id est,
pactum amicitiæ percutiet secum ; *et ab
eo accipiet jusjurandum,* ita quod Sede-
cias juramento firmabit initum fœdus, quo
se obligabit ad obediendum regi Babylo-
nis, et ad persolvendum tributum. *Sed et
fortes terræ,* id est principes atque po-
tentes Judææ, *tollet* rex Babylonis, *ut sit* 14
regnum humile, regnum videlicet Juda
sub Sedecia, *et non elevetur* per rebellio-
nem contra Chaldæos, *sed custodiat pa-
ctum ejus,* videlicet regis Babylonis in per-
solutione tributi ac servitutis.

Qui Sedecias *recedens ab eo,* id est, a 15
rege Babylonis cor suum avertens, et pa-
ctum transgrediens, *misit nuntios ad Ægy-
ptum,* id est ad regem Ægypti, *ut daret
illi*,* scilicet Sedeciæ, *equos et populum* * *sibi*
multum in auxilium contra regem Chal-
dææ. *Numquid prosperabitur, vel conse-
quetur salutem,* prævalendo contra Chal-
dæos, *qui fecit hæc,* scilicet Sedecias? *Et
qui dissolvit pactum,* id est, initum fœdus
dirupit, *numquid effugiet* manum regis
Babylonis? Quamvis hoc ad litteram contra
Sedeciam dicatur, generaliter tamen accipi
potest contra omnes inita fœdera licita
confringentes : qui etsi forte hominum
manus evadant, omnipotentis tamen Dei
judicis manum nequaquam effugient. Ex
quibus secundum Hieronymum, discimus
etiam inter hostes fidem esse servandam,
et non considerandum cui, sed per quem,

juraveris. Multo enim fidelior est ille, qui
propter nomen Dei tibi credidit, et dece-
ptus est a te, quam tu, qui per occasio-
nem divinæ majestatis hosti tuo, imo jam
amico tuo, es molitus insidias.
16 *Vivo ego, dicit Dominus, quia in loco
regis cujus irritum fecit pactum,* id est
in Babylone civitate regis Nabuchodono-
sor, *morietur* Sedecias in carcere : sicut
Jer. xxxiv, 4, 5. et Jeremias sibi prædixit, quod non more-
17 retur in gladio, sed in pace. *Et non in ex-
ercitu grandi, neque in populo multo fa-
ciet contra eum,* videlicet regem Babylonis,
Pharao prælium in jactu aggeris, id est
aggerem jaciendo, *et in exstructione vallo-
rum.* Agger autem est collectio terræ atque
lignorum ad implendum fossata, quatenus
obsidentes possint pugnare ad propugna-
cula contra obsessos. Valli quoque dicun-
tur fossæ, quæ fiunt extra ante portas, ne
obsessi repente irruere possint super obsi-
dentes. Est itaque sensus, quod Pharao per
hæc atque similia non potuit regi Baby-
lonis resistere, nec Sedeciæ contra regem
illum opem præbere. Nam quum Ægyptii
egressi essent ad auxiliandum Sedeciæ,
mox audientes Chaldæorum occursum, re-
dierunt in sua perterriti. *Ut interficiat*
Pharao *animas multas,* id est plurimos
Chaldæorum. Ponitur autem pars pro toto,
quum ait, Ut interficiat animas multas :
quum animæ rationales sint immortales.
Ex quo etiam elucescit, quod vana ac stulta
fuerat argumentatio Sadducæorum, animas
humanas mortales esse dicentium atque
probantium, eo quod in libris Moysis sæpe
Exod. xii, 15, 19; xxxi, 15, etc. scriptum sit, animam occidi, vel aliquid
simile, ut quod Judas dixit fratribus suis
Gen. xxxvii, 22. de Joseph, Non interficiamus animam ejus:
quoniam et Prophetæ, quos certum est po-
suisse quod animæ nostræ sint immorta-
les, talem habent modum loquendi. Unde
et Jeremiæ quadragesimo scriptum est,
Jer. xl, 13-16. qualiter Johanan locutus est Godoliæ, quod
Ismael quidam venturus esset percutere,
id est occidere, animam ejus.
18 *Spreverat enim* Sedecias *juramentum*
regi Babyloniæ præstitum, *ut solveret fœ-*

A *dus* inter eos percussum. *Et ecce dedit
manum suam* ad manum regis Babylonis,
pactum secum ineundo. *Et quum omnia
hæc fecerit, non effugiet,* id est, quia tam
infideliter se habuit, non evadet, nec rex
Ægypti sibi succurrere poterit.
Propterea hæc dicit Dominus : Quoni- 19
*am juramentum quod sprevit, et fœdus
quod prævaricatus est, ponam in caput
ejus,* id est, de perjurio et pacti trans-
gressione puniam eum. *Et expandam su-* 20
per eum rete meum, id est potestatem me-
B am omnia complectentem, vel exercitum
Chaldæorum, *et comprehendetur in sagena
mea.* Captus est quippe ab exercitu Chal-
dæorum. *Et adducam eum in Babylonem,
et judicabo eum ibi in prævaricatione qua
despexit me :* id est, secundum demeritum
suæ prævaricationis, qua in meam inju-
riam juramentum ac pactum dirupit, fa-
ciam eum a rege Babylonis dijudicari, et
carceri mancipari. *Et omnes profugi ejus,* 21
id est quidam de omnibus illis, *cum uni-
verso agmine suo, gladio* Chaldæorum *ca-*
C *dent :* non utique absolute omnes, sed
omnes, exceptis demendis, de quibus sub-
jungitur : *residui autem in omnem ven-
tum dispergentur,* id est per loca diversa
ut lateant. Ista jam sæpe præhabita sunt,
idcirco non immoror.
Præterea, post prænuntiationem destru-
ctionis regni Judæorum per Chaldæos, præ-
dicitur regni ejusdem reparatio consum-
mata per Christum. *Hæc dicit Dominus* 22
Deus : Et sumam ego Dominus Deus, non
Nabuchodonosor, *de medulla cedri subli-*
D *mis,* id est, de semine nobiliori regiæ tri-
bus Juda educam atque accipiam Chri-
stum : qui secundum carnem natus est ex Rom. i, 3.
semine David, ut dicitur ad Romanos ; *et
ponam de vertice ramorum ejus,* id est,
de ramis altioribus cedri præfatæ, videli-
cet de præclarioribus hujus regalis tribus
personis, constituam Christum, *tenerum
distringam,* id est, Christum tenerrimæ
complexionis atque piissimum, in passione
letaliter premam. Dominus enim posuit in Is. liii, 6.
eo iniquitatem omnium nostrum, ut lo-

quitur Isaias. *Et plantabo super montem*
excelsum et eminentem, id est, Christum
regem præficiam ipsi Ecclesiæ seu syna-
gogæ electorum Judæorum : secundum
Is. IX, 7. quod in Isaia habetur, Super solium David
et super regnum ejus sedebit. Vel, Super
montem excelsum, id est montem Sion, in
Luc. II, 22; quo fuerat templum, in quo oblatus est
Joann. VIII, 2; X, 23, etc. Christus, et postea sæpius illic advenit,
docuit, atque miracula fecit : de quo mon-
Is. II, 2. te scriptum est Isaiæ secundo, Erit in no-
vissimis diebus præparatus mons domus
Domini in vertice montium.
23 *In monte sublimi Israel :* de quo monte
jam dictum est, quia et primitiva Ecclesia
ex Judæis constabat ; *plantabo illam* cedri
medullam, videlicet Christum pretiosissi-
mum Israel semen. Unde ait in Psalmo :
Ps. II, 6. Ego autem constitutus sum rex ab eo, etc.
Et erumpet in germen, multos converten-
do ad Deum, qui erant spirituales filii
ejus ; *et faciet fructum,* totum mundum
salvando. *Et erit in cedrum magnam :*
quia præ universis creaturis exaltatus est,
omnemque orbem terrarum, potestate, fe-
cunditate, et gratia sua implevit : secun-
dum quod Danielis secundo inducitur, quod
Dan. II, 34, 35. lapis præcisus de monte sine manibus,
crevit in montem magnum, et implevit
universam superficiem terræ. Hinc apud
Is. XLIX, 5, 6. Isaiam Christus loquens de Patre : Glori-
ficatus sum (inquit) in oculis Domini, et
dixit : Parum est ut sis mihi ad suscitan-
das tribus Jacob, et fæces Israel conver-
tendas ; dedi te in lucem gentium, ut sis
salus mea usque ad ultimum terræ. *Et*
habitabunt sub ea omnes volucres, id est
cuncti homines per liberum usum, id est
omnes in alta se erigentes sub cedro præ-
fata : hoc est, in Christi caritate, fide et
gratia quiescent ac permanebunt. De qua
Ps. XC, 1. spirituali habitatione fertur in Psalmo : Qui
habitat in adjutorio Altissimi, in prote-
ctione Dei cœli commorabitur. *Universum*

A *volatile sub umbra frondium ejus nidifi-*
cabit : id est, omne genus credentium sub
umbraculo seu protectione donorum cœ-
lestium Christi construet sibi animæ man-
sionem, in Christi confidens auxilio, et
dicens illud Psalmi : Sub umbra alarum Ps. LVI, 2.
tuarum sperabo. Hinc enim ait Scriptura :
Benedicentur in ipso omnes tribus terræ, Ps. LXXI, 17.
omnes gentes magnificabunt eum.
Et scient omnia ligna regionis, id est 24
populi universi ad fidem reducti : de qui-
bus Psalmista et Isaias loquuntur frequen-
B ter ; *quia ego Dominus humiliavi lignum*
sublime, id est populum Judæorum altius
in beneficiis Dei præ ceteris exaltatum,
et exaltavi lignum humile, id est popu-
lum gentilem quondam omni Dei gratia
destitutum ; *et siccavi lignum viride,* ut-
pote Synagogam, quæ olim in lege et Pro-
phetis fuit florens ac germinans, quæ post
Christi adventum ob suam incredulitatem
dejecta est, *et frondere feci lignum ari-*
dum, id est plebem nationum, converten-
do eam ad fidem, dandoque ei fructus
C virtutum, ornamenta donorum, et varia
supernaturalia gratiæ munera. Hoc totum
est quod ab Isaia prædictum est : Lauda, Is. LIV, 1.
sterilis, quæ non paris ; decanta laudem
et hinni, quæ non parturiebas : quoniam
multi filii desertæ, videlicet gentilitatis,
magis quam ejus quæ habet virum, utpote
Synagogæ.
Postremo innotescit ex his, quod pro-
phetia ista exponi non potest de Zoroba-
bel, ut aliqui somniant. Non enim fuit
tantæ excellentiæ, ut de ipso præinducta
D verificentur. Ideo Hieronymus exponit de
Christo.
Ego Dominus locutus sum, et feci : id
est, certissime ista implebo. Unde propter
certitudinem prophetiæ, ponit præteritum
pro futuro, sicut in Psalmo, quo ait : An- Ps. XXI, 32.
nuntiabunt cœli justitiam ejus populo qui
nascetur, quem fecit Dominus.

ARTICULUS XXII

EXPOSITIO CAPITULI OCTAVIDECIMI : ET FACTUS EST SERMO.

REDARGUIT insuper Dominus præsen- A
ti capitulo quemdam Judæorum er-
rorem, in quo eatenus obstinati fuerunt,
ut eum quasi in proverbium verterent, et
1 sine rubore exprimerent. *Et factus est*
2 *sermo Domini ad me, dicens : Quid est*
quod inter vos, o Judæi, *parabolam ver-*
titis in proverbium istud in terra Isra-
el? etc. Loquitur autem Deus ad popu-
lum sub persona Prophetæ. Quid vero pro-
Ezech. xvii, 2. prie dicatur parabola, præcedenti articulo
dictum est. Deinde inducitur forma para-
bolæ quam Judæi in proverbium conver-
terant, eam frequenter vulgariterque pro-
mentes: *Patres comederunt uvam acerbam,*
id est, culpam quæ amaritudinem pœnæ
adducit, commiserunt, *et dentes filiorum*
obstupescunt, id est, filii pœnam paren-
tibus debitam patiuntur. Quidam etenim
Judæorum contra Dei justitiam murmu-
rantes, dicebant se pro parentum suorum
peccatis puniri injuste. Et forte habuerunt
occasionem ita loquendi ex aliquibus di-
vinæ Scripturæ locis, in quibus secundum
superficiem dici videtur, quod filii inter-
dum pro parentum affliguntur peccatis :
quæ auctoritates præsenti articulo, quan-
tum Spiritus veritatis donaverit, tracta-
buntur, suisque locis allegabuntur.
3 *Vivo ego, dicit Dominus, si,* pro non, *erit*
vobis ultra parabola hæc in proverbium
in Israel : quia falsitatem ejus nunc de-
monstrabo; et vos qui tam dire errastis
in terra Israel, tollam de terra vestra in
captivitatem vel mortem, et postea filii
Israel meliorati, scient falsam esse istam
parabolam. Hinc per Jeremiam quoque Do-
Jer. xxxi, 29, 30. minus protestatur : In diebus illis non di-
cent ultra, Patres comederunt uvam acer-
bam, et dentes filiorum obstupuerunt; sed
unusquisque in iniquitate sua morietur :
omnis homo qui comederit uvam acer-
bam, obstupescent dentes ejus. Et hoc
nunc Dominus probat.
Ecce omnes animæ rationales, *meæ sunt* 4
per creationem (non tamen per prædesti-
nationem et gratiam), quoniam non sunt
ex traduce, sed creando infunduntur, et
infundendo immediate a Deo creantur. Id-
circo filius secundum animam non est ali-
quid patris, nec a patre directe processit :
hinc secundum hoc, pro peccatis paren-
B tum non punitur. *Ut anima patris, ita*
et anima filii mea est jure creationis,
quum sim omnium conditor rationalium
animarum. *Anima quæ peccaverit, ipsa*
morietur, morte peccati in via, et morte
miseriæ infernalis in gehenna, nisi pœni-
teat : imo peccando moritur, quia pecca-
tum mors animæ est, quia peccato sepa-
ratur a fonte vitæ Deo æterno : ideoque
carebit vita gratiæ in præsenti, et vita
gloriæ in futuro.
Et vir si fuerit justus, et fecerit judi- 5
C *cium,* non usurpatum nec temerarium,
sed discretum, se ipsum vel sibi subjectos
sapientialiter judicando, *et justitiam,* dan-
do cuique quod suum est; *in montibus* 6
non comederit idolothyta ad reverentiam
idolorum, *et oculos suos non levaverit ad*
idola domus Israel, quæ coluerunt Judæi,
ut ea adoret vel in ipsis confidat; *et uxo-*
rem proximi sui non violaverit opere vel
affectu, *et ad mulierem menstruatam non*
accesserit scienter, quia hoc in lege Moy- *Lev.* xviii, 19; xx, 18.
sis prohibetur. Omnia itaque ratione atque
D judicio sunt agenda, sicut ad Timotheum
scribit Apostolus : Sine præjudicio, id est I *Tim.* v, 21.
prævio judicio, nihil facias, in alteram
partem declinando. Denique, secundum

Hieronymum, spiritualiter in montibus comedit, qui superbia intumescens, aliis se præponit, et altiora se immoderanter scrutatur vel discutit, qualis fuit Pharisæus qui dixit : Gratias tibi ago, Deus, quoniam non sum sicut ceteri hominum. Insuper uxor hominis virtuosi, spiritualiter est sapientia, juxta illud Proverbiorum : Prudentiam voca amicam. Hanc contaminare ac violare desiderat, qui aliorum bene dicta reprehendit, facibusque accensus invidiæ, sancta violat, vera corrumpit, casta contaminat.

Luc. XVIII, 11. *Prov.* VII, 4.

Præterea super illud, Ad mulierem menstruatam non accesserit, dicit B. Hieronymus : Per singulos menses, gravia atque torpentia mulierum corpora, immundi sanguinis effusione relevantur. Unde et Septuaginta transtulerunt: Ad mulierem fluentem sanguine non accesserit. Quo tempore si vir coierit cum muliere, dicuntur concepti fetus vitium seminis trahere : ita ut leprosi et elephantici ex hac conceptione nascantur; et in fœda in utroque sexu corpora, vel parvitate vel enormitate membrorum, sanies corrupta degeneret. Præcipitur ergo viris, ut non solum in alienis mulieribus, sed in propriis quoque certa concubitus norint tempora, quando videlicet abstinendum, et quando non. Ideo enim Salomon loquitur : Tempus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexibus. Caveat autem uxor, ne victa concupiscentia zelet virum ; et maritus, ne vim faciat uxori, putans omni tempore subjectam sibi esse debere conjugii voluptatem. Unde et pulchre Pythagorici cujusdam sententiis dicitur : Adulter est uxoris propriæ, amator ardentior.

Eccle. III, 5.

7 *Et hominem non contristaverit,* inducendo aliquem ad inordinatam carnalem seu sæcularem tristitiam directe et ex animo. Talis namque tristitia mortem operatur. Est autem et bona tristitia, qua quis de malo culpæ fit dolens. De qua ad Corinthios legitur : Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Ecclesiastesque ait : Cor sapientium ubi tristitia, cor stultorum ubi lætitia. Taliter alium contristare, non est malum. Propter quod ait Paulus Corinthiis : Nam etsi contristavi vos in epistola, non me pœnitet : gaudeo enim, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Refert Hieronymus, quod in Evangelio Nazaræorum, contristare spiritum fratris, inter maxima vitia computatur. *Pignus debitori reddiderit,* non cuicumque, sed pauperi, sicut in Exodo Moyses scribit : Quod si ab egeno quis pro pignore vestimentum ejus receperit, et ille aliud in nocte operimentum non habeat, reddendum est ei ante solis occasum. Poterit vero illud de mane recipere, quamvis melius esset non recipere, sed donare, secundum Hieronymum. *Per vim nihil rapuerit,* quidquam spoliando violenter : quod est directe contra justitiam, est et contra caritatem. Ideo in Isaia habetur : Omnis violenta prædatio cum tumultu, et vestimentum mixtum sanguine, erit in combustionem, et cibus ignis.

Eccli. XXXVIII, 19. II *Cor.* VII, 10. *Eccle.* VII, 5. II *Cor.* VII, 8, 9. *Exod.* XXII, 26, 27. *Is.* IX, 5.

Panem suum esurienti dederit : propter quod docemur operibus misericordiæ insudare. Etenim, Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. *Et nudum operuerit vestimento :* sicut Baptista proclamat, Qui habet duas tunicas, det non habenti. Quid ergo fiet de his qui varia habent vestimenta in perticis scriniisque vacantia, et inopes, quos quotidie cernunt nudos aut seminudos incedere, vel saltem egere, non vestiunt? Denique esurientis cibatio et nudi vestitio, spiritualiter intelligi potest, ut esurienti ac sitienti justitiam, imo et omni spiritualibus bonis indigenti, communicemus quidquid gratiæ nobis concessum est, secundum quod Petrus hortatur : Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes.

Matth. V, 7. *Luc.* III, 11. I *Petr.* IV, 10.

Ad usuram non commodaverit. Ecce hoc loco usura generaliter prohibetur. Unde quod Moyses concessit filiis Israel, extraneis ad usuram accommodare, permissive fecit propter imperfectionem eorum, 8

Deut. XXIII, 20.

Deut. xxiv, 1. quemadmodum et libellum repudii ipsis
permisit. Hinc et David virum justum de-
Ps. xiv, 5. scribens, inter reliqua loquitur : Qui pe-
cuniam suam non dedit ad usuram. Ari-
stoteles quoque testatur, quod usura est
maxime contra naturam. *Et amplius non
acceperit.* Ut ait Hieronymus, putant qui-
dam usuram tantum esse in pecunia :
quod prævidens sacra Scriptura, omnium
rerum superabundantiam tollit, ut non
plus recipias quam dedisti. Unde et Chri-
Luc. vi, 35. stus ait : Mutuum date, nihil inde speran-
tes. Præterea advertendum, quod hic scri-
bit Hieronymus : Solent, inquit, in agris
frumenti et milii, vini et olei, ceterarum-
que specierum usuræ exigi, vel (ut ait
Scriptura) superabundantia, verbi gratia,
ut tempore hiemali demus decem modios,
ut in messe recipiamus quindecim, hoc
est, pro parte media amplius. Qui justissi-
mum se putaverit, quartam plus accipiet
portionem. Et solent argumentari et dice-
re : Dedi unum modium, qui seminatus,
fecit decem modios. Nonne justum est, ut
modium et dimidium de modio plus acci-
piam, quum ille mea liberalitate, novem
Galat. vi, 7. et dimidium de meo habeat? Nolite errare,
ait Apostolus : Deus non irridetur. Respon-
deat enim nobis breviter fœnerator mise-
ricors, utrum habenti dederit, vel non
habenti. Si habenti, utique dare non de-
buerat. Si dedit quasi non habenti, ergo
quare plus exigit quasi ab habente? Alii
pro pecunia fœnerata solent munuscula
diversi generis accipere, et non intelligunt
usuram ac superabundantiam appellari,
quidquid illud est, si ab eo quod dederint,
plus acceperint.

Ab iniquitate averterit manum suam, id
est, omnem potentiam operativam a pec-
cato retraxerit, nec aliquod membrum cor-
Rom. vi, 13. poris sui exhibuerit arma iniquitatis pec-
cato, seu instrumentum operis vitiosi; *et
judicium verum fecerit inter virum et vi-
rum,* id est inter quoslibet inter se causam
habentes : quod ad judices pertinet tam
9 ordinarios quam arbitrarios. *Et in præce-
ptis meis ambulaverit* perseveranter. Unde
A et Christus disseruit : Si vis intrare ad vi- Matth. xix, 17.
tam, serva mandata. *Et judicia mea cu-
stodierit,* secundum divinas leges in omni-
bus judicando, *ut faciat veritatem* vitæ
atque justitiæ, veritatem quoque doctrinæ
impleat opere.

Hic justus est : quoniam Deo et proxi-
mo, sibique ipsi exhibet quod tenetur; *vi-
ta* gratiæ in præsenti, et vita gloriæ, quæ
est beatifica Dei visio, in futuro *vivet, ait
Dominus Deus.* Patet ergo, quod propter
patris sui delicta non punietur : quod con-
B sequenter, quantum ad prolem malam,
probatur.

Quod si justus *genuerit filium latro-* 10
nem, id est, qui post ætatem discretionis
ad latrocinia ruerit, *effundentem sangui-
nem* per homicidium, vel per malum ex-
emplum aliquem occidentem, *et fecerit
unum de istis* vitiis jam inductis lege pro-
hibitis; *et hæc quidem omnia non facien-* 11
tem, id est præinducta opera bona omit-
tentem, seu quædam eorum negligentem,
sed in montibus comedentem, et uxorem
C *proximi sui polluentem,* etc., id est faci-
entem opera vitiosa, præscriptis actibus
virtuosis contraria. *Numquid vivet* per 13
gratiam? *quum universa hæc detestanda,*
id est omnia simul vel quædam eorum,
fecerit, morte morietur : quia non tantum
pro omnibus simul, sed pro singulis quo-
que mortem peccati atque inferni incur-
rit, imo et vicissim mortem corporalem,
sicut Judæi a Chaldæis propter præfata
peccata exstincti.

Quod si genuerit pater injustus *filium,* 14
D *qui videns omnia peccata patris sui, ti-
muerit et non fecerit simile eis,* etc.; *hic* 17
non morietur in iniquitate patris sui, id
est, pro illis non punietur, neque damna-
bitur, *sed vita* gratiæ et gloriæ *vivet. Et* 19
dicitis, o Judæi, *quare non portat filius
iniquitatem,* id est pœnam peccati *patris?
Videlicet, quia filius judicium et justi-
tiam operatus est.* Quasi dicat : Quemad-
modum justum est, patrem injustum in
suis vitiis mori; sic justum est, filium ju-
stum in suis virtutibus vivere. *Anima quæ* 20

peccaverit, ipsa morietur : juxta sensum A
præhabitum (non enim vitam naturalem
unquam amittet). *Filius non portabit ini-
quitatem patris, et pater non portabit ini-
quitatem filii. Justitia justi super eum
erit,* id est, sibi imputabitur, atque pro ea
præmium sortietur, *et impietas impii erit
super eum,* quia pro ea punietur.

Circa hæc oritur quæstio non parum
difficilis : An scilicet alii pro peccatis alio-
rum puniantur, et specialiter filii pro pec-
catis parentum. Et videtur quod imo : Pri-
mo, de originali protoplastorum peccato, B
*Ephes.*II,3. propter quod omnes nascimur filii iræ, et
gravi jugo deprimimur, de quo in Eccle-
*Eccli.*XL,1. siastico dicitur : Jugum grave super om-
nes filios Adam, de ventre matris usque
in diem sepulturæ. Secundo, quoniam in
Exodo Dominus loquitur populo Israel :
*Exod.*XX,5. Ego sum Dominus Deus tuus, fortis zelo-
tes, visitans iniquitatem patrum in filios
in tertiam et quartam generationem eo-
rum qui oderunt me. Iterum in Exodo
*Ibid.*XXXIV, 6, 7. quoque Moyses Deo locutus est : Domina-
tor Domine, misericors et clemens, pa- C
tiens et multæ misericordiæ et verax, qui
reddis iniquitatem patrum filiis ac nepo-
tibus in tertiam ac quartam progeniem.
Jer. XXXII, 17, 18. Sed et in Jeremia habetur : Domine Deus,
qui facis misericordiam in millibus, et
reddis iniquitatem patrum in sinum filio-
rum post eos. Denique pro peccato David
II *Reg.*XXIV, 15. populus ejus legitur percussus; filius quo-
que ipsius, quem Bethsabee in adulterio
Ibid XII,14. ab eo concepit, simili causa mox obiit.

Ad hanc quæstionem patet solutio ex
determinatione S. Thomæ in secunda se- D
cundæ. Ait enim, quod pœna consideratur
dupliciter : Uno modo secundum rationem
pœnæ. Et sic non debetur nisi peccato :
quia per pœnam reparatur æqualitas ju-
stitiæ, in quantum peccans, qui peccando
propriam voluntatem nimis secutus est,
aliquid patitur contra suam voluntatem.
Secundo consideratur pœna ut est quæ-
dam peccati medicina, non tamen mali
præteriti sanativa, sed a malo futuro præ-
servativa, et boni etiam promotiva. Sicque
aliqui puniuntur sine propria culpa, sed
non sine causa. Porro medicina non sub-
trahit majus bonum, ut minus bonum pro-
veniat, sed econtra. Idcirco quidam sine
sua culpa puniuntur in temporalibus bo-
nis a Deo, ut probentur vel humilientur,
aut simili aliqua causa, sicque in spiri-
tualibus crescant. Nunquam tamen quis
punitur per spiritualium subtractionem
bonorum sine propria culpa, nec in præ-
senti nec in futuro. Itaque filii et servi
quandoque in corporalibus puniuntur pro-
pter peccata parentum aut dominorum, in
quantum secundum corpus sunt aliquid
seu res quædam ipsorum, ita quod paren-
tes et domini in filiis et servis quodam-
modo puniuntur. Istud tamen non derogat
divinæ justitiæ, quoniam Deus sapiens at-
que omnipotens, ordinat pœnam hujus-
modi in bonum patientium. Unde auctori-
tates præallegatæ intelliguntur de pœnis
corporalibus, non spiritualibus ; nec de
omnibus corporalibus pœnis, sed tempo-
ralibus, non æternis; præsertim quoque de
filiis qui patrum imitantur peccata. Pro-
pter originale vero peccatum, posteri non
puniuntur aliquid amittendo quod eis ex
eorum merito debebatur aut inerat.

Si autem impius egerit pœnitentiam ab 21
omnibus peccatis suis. Non enim dimitti-
tur unum mortale sine alio, idcirco contri-
tio integra esse debet. *Et custodierit om-
nia præcepta mea.* Si enim, ut Jacobus
testatur apostolus, totam quis legem im- *Jacob.*II,10.
pleverit, offendat autem in uno, factus est
omnium reus. Omnia ergo præcepta quæ
ad statum alicujus respiciunt, eum servare
oportet, secundum quod pro loco, causa,
tempore, par est. *Vita* gratiæ *vivet, et non
morietur* morte culpæ seu damnationis
æternæ. Unde ait Salvator : Si quis sermo- *Joann.*VIII, 51, 52.
nem meum servaverit, mortem non gusta-
bit in æternum. *Omnium iniquitatum ejus* 22
non recordabor, quantum ad reatum cul-
pæ seu pœnæ æternæ, sed vicissim ad rea-
tum temporalis pœnæ in præsenti vel in
purgatorio, quando videlicet contritio non
sufficit ad deletionem peccati quantum ad

pœnam. Certum est autem, quod vera con- A
tritio delet peccatum quantum ad culpam,
et posset esse tam magna, quod etiam ea
deleret quantum ad pœnam : præcipue au-
tem caritas, id est fervor divini amoris,
I Petr. IV, 8. operit multitudinem peccatorum. *In justi-*
tia sua quam operatus est, vivet. Tanquam
dicat : In tantum filius non portabit ini-
quitatem patris, neque econtra, ut etiam
unus et idem pro pristinis non puniatur
peccatis, si perfecte convertatur, pœniteat
et satisfaciat.

23 *Numquid voluntatis meæ est mors im-* B
pii? dicit Dominus. Si per mortem impii,
intelligatur culpa, palam est quod illa non
sit a Deo volita; si autem pœna culpæ, illa
quoque non est directe et per se a Deo
volita, sed nostra iniquitate supposita. Id-
Sap. I, 13. eo scriptum est in libro Sapientiæ : Deus
mortem non fecit, nec lætatur in perdi-
Tob. III, 22. tione viventium. Idem habetur in libro
Tobiæ. *Et non magis ut avertatur a viis*
suis, id est peccatis, *et vivat* per gratiam
et opera virtuosa? Hoc est quod ad Timo-
I Tim. II, 4. thæum ait Apostolus : Deus vult omnes C
homines salvos fieri, et ad agnitionem ve-
ritatis venire. Multaque talia in Scripturis
dicuntur, quæ intelligenda sunt rite, se-
cundum Damascenum, de voluntate ante-
cedente, non de voluntate consequente,
quæ semper impletur, quia secundum eam
vult Deus aliquid absolute, hoc est secun-
dum plenam considerationem ipsius. Vo-
luntas autem Dei antecedens, non semper
impletur : quia secundum eam non dicitur
Deus aliquid velle absolute, et secundum
plenam rei considerationem, sed aliquam D
in communi.

24 *Si autem averterit se justus a justitia*
sua, et fecerit iniquitatem, numquid vi-
vet per gratiam? Non utique, nisi pœni-
teat. *Omnes justitiæ ejus non recordabun-*
tur, id est, æternaliter non præmiabuntur,
nec facient eum mihi acceptum, quoniam
per peccatum mortale deletæ occisæque
sunt; verumtamen si convertatur veraci-
ter, denuo vivificabuntur. *In prævarica-*
tione sua morietur, et in æternum peribit,
si in ea persistat. *Et dixistis,* excæcati Ju- 25
dæi : *Non est æqua via Domini,* id est,
processus divinæ justitiæ justus non est
in judicando hoc modo. *Audite ergo, do-*
mus Israel : Numquid via mea non est
æqua, et non magis viæ vestræ pravæ
sunt? Deus enim errare non potest, quum
ipse sit propria origo ac regula totius ve-
ritatis et æquitatis, juxta illud Sapientiæ :
Quum sis justus, Domine, omnia juste dis- Sap. XII, 15, 16.
ponis; virtus enim tua, justitiæ initium
est. Hinc Dominus ait ad Job : Numquid Job XL, 3.
condemnabis me, ut tu justificeris? *Quum* 26
enim averterit se justus a justitia sua, et
fecerit iniquitatem, morietur in ea. Eo
enim ipso quo id agit, spiritualiter mori-
tur, et nisi resipiscat, morte æterna ple-
ctetur. *Et quum averterit se impius ab* 27
impietate sua per veram contritionem, *et*
fecerit judicium et justitiam, ipse ani-
mam suam vivificabit vita virtutum : et
sicut ad vitam gratiæ se dispositive habi-
litavit, antequam sibi illam Deus infunde-
ret, sicque animam suam peccato mortu-
am, dispositive vivificavit; ita ad vitam
gloriæ, bene vivendo animam suam dispo-
nit. Is demum qui jam gratiam habet, ani-
mam suam vivificare potest vita gratiæ
amplioris, proficiendo in bonis. *Conside-* 28
rans enim ea quæ Dei sunt, *et avertens se*
ab omnibus iniquitatibus suis, vita gratiæ
vivet. Necesse est itaque, universa peccata
præhabita detestari atque relinquere, quia
si mens in unius peccati affectu perman-
serit, gratiam Dei nequaquam recuperat.

Idcirco unumquemque juxta vias suas, 30
id est secundum opera sua, tam interiora,
quæ sunt affectus et cogitatus, quam ex-
teriora, inter quæ et verba annumerantur,
judicabo. Denique in tali statu, seu talis a
Deo est quilibet judicandus, in quali sta-
tu, et qualis fuerit in puncto mortis : imo
in tali dispositione anima æternaliter per-
manebit, in quali a corpore exit. Propter
quod ait Damascenus : Quod angelis est
casus, hoc hominibus est mors. Quemad-
modum enim angeli mali cadendo incon-
vertibiliter a Deo aversi sunt : sic qui in

puncto mortis a Deo avertitur, inconvertibiliter manet aversus; et qui tunc ad ipsum convertitur, vel conversus manet, inavertibiliter manet conversus. Idcirco
Eccle. xi, 3. Salomon ait : Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. Ita nemo præsumat, nullus tutum se æstimet, sed juxta
I Cor. x, 12. Apostolum : Qui stat, videat ne cadat. Ideo
Prov. xxviii, 14. dicit Scriptura : Beatus homo qui semper est pavidus.

Convertimini, et agite pœnitentiam, intus dolendo, ore confitendo, atque operibus satisfaciendo, *ab omnibus iniquitatibus vestris :* quoniam pœnitentia efficax, integra est. Unde quæ occurrunt memoriæ, distincte confitenda sunt et deploranda. *Et non erit vobis in ruinam* damnationis ac foveæ infernalis *iniquitas* per pœnitentiam deleta, nec repetita : imo quandoque indirecte et occasionaliter prodest, dum homo post lapsum peccati cautior surgit, atque humilior fit, ferventiorque consistit : sic
Rom. v, 20. enim abundat gratia, ubi abundavit culpa.
31 *Facite vobis cor novum,* id est spiritualiter per caritatem et gratiam renovatum, *et spiritum novum,* id est reformatum, ut sitis voluntate ac intellectu in Domino renovati. Hoc dicitur, non quod homo propria potestate id facere queat, quum non fiat nisi per gratiæ infusionem a Spiritu Sancto; sed quoniam potest se homo ad istud disponere per liberum arbitrium et attri-

A tionem, faciendo quod in se est : quo facto, Deus non deerit, qui etiam vicissim quosdam piissime prævenit, et sine eorum prædispositione conversionis gratiam influit, sicut in Paulo. *Et quare moriemini, domus,* id est, filii *Israel,* morte culpæ atque gehennæ? quasi dicat clementissimus Deus : Hoc ex parte mei non accidet, quia paratus sum indulgere, auxiliari, itemque salvare.

Quia nolo mortem morientis, id est cul- 32
pam seu damnationem peccantis, secundum
B sensum prætactum, sed ut convertatur, et vivat salubriter hic inchoative et in spe, in patria autem consummative et in re. Istud vult Deus voluntate antecedenti, et voluntate signi generaliter quantum ad omnes; sed voluntate consequenti, quæ semper sortitur effectum, vult istud specialiter quantum ad prædestinatos, in quibus Dei voluntas de eorum finali conversione certissime adimpletur, etiam si usque ultimam vitæ suæ horam vitiose vixissent. *Dicit Dominus Deus. Revertimini,* qui a
C Deo estis aversi, mentem vestram a dispersione in multis, ad collectionem in uno Luc. x, 42.
quod solum necessarium est, revocando, *et vivite* per gratiam, ejusque meritorios actus. Ecce per verba præhabita consulit nobis supersapiens Deus : stantibus enim in bonis, tollit præsumptionis audaciam, impiis vero aufert desperationis occasionem, quatenus omnes simul salvemur.

ARTICULUS XXIII

ELUCIDATIO CAPITULI NONIDECIMI : ET TU, ASSUME PLANCTUM SUPER PRINCIPES.

DEINCEPS sermo divinus regni Juda describit peccata, sub figura leænæ et
1 leonum ac vineæ. Itaque Dominus ait : *Et tu,* o Ezechiel. Porro quod subditur, Fili hominis, non est de textu, nec in Hebræo, nec in commento Hieronymi. *Assume plan-*
D *ctum super principes Israel,* id est super filios Josiæ regis Juda, eorum peccata at-
que supplicia deplangendo, *et dices : Qua-* 2
re mater tua, o regia proles, *leæna,* id est leænæ similis in crudelitate, *inter leones cubavit,* id est, feroces principes ac

consiliarios habuit, eisque consensit? Ma-
ter ista, secundum Hieronymum, est ipsa
Ezech. xvi, 32. Jerusalem, quæ supra dicta est adultera :
et per Jerusalem istam nunc designatur
regia domus Juda, de qua nati sunt prin-
cipes, de quibus subjungitur : *In medio*
leunculorum adolescentium nobilium at-
que atrocium, qui in regis palatio versa-
bantur, *enutrivit catulos,* id est filios *suos,*
scilicet filios Josiæ, qui omnes ad vitia de-
3 clinabant. *Et eduxit* ad regnandum, *unum*
de leunculis suis, videlicet Joachaz, pri-
mogenitum Josiæ; *et leo,* id est rex Juda,
factus est, mox patre ejus defuncto; *et di-*
dicit capere prædam, id est alios spolia-
re, *hominemque comedere,* id est subditos
4 suos, seu alios quosque occidere. *Et au-*
dierunt de eo gentes, id est, atrocitatis suæ
fama ad nationes in gyro manentes perve-
nit, *et non absque vulneribus suis cepe-*
runt eum. Ægyptiorum enim exercitus ca-
piendo regem hunc Juda, læsus fuit pro
parte. *Et adduxerunt eum in catenis in*
IV *Reg.* xxiii, 33, 34; II *Par.* xxxvi, 4. *terram Ægypti :* juxta illud quarti Re-
gum : Vinxit eum Pharao Nechao, et tulit
secum in Ægyptum.
5 *Quæ* leæna jam dicta *quum vidisset quo-*
niam infirmata est, et periit exspectatio
ejus qua ipsum Joachaz rediturum putavit,
tulit unum de leunculis suis, videlicet Joa-
kim fratrem Joachaz, filium regis Josiæ :
qui Joakim ante dicebatur Eliacim, sed
IV *Reg.* xxiii, 34. rex Ægypti vocavit eum Joakim, ut legitur
quarto Regum; *leonem,* id est regem, *con-*
stituit eum. Pharao autem hoc fecit, sed
ad instantiam regiæ tribus, ideo ipsa id
fertur fecisse. Hieronymus tamen per se-
cundum leonem intelligit Jechoniam filium
Ibid. xxiv, 6. Joakim, qui post Joakim regnavit, ut scri-
bitur quarto Regum libro. Jechonias autem
6 alio nomine dictus est Joachin. *Qui ince-*
debat inter leones, tyrannorum sævitiam
imitando, atque feroces homines secum
habendo, *et factus est leo* per crudelita-
tem, non per laudabilem fortitudinem; *di-*
dicit prædam capere et homines devorare :
7 sicut de Joachaz dictum est; *didicit viduas*
facere, viros earum necando, *et civitates*
A *eorum in desertum adducere,* id est de-
struere, seu habitatoribus denudare; *et de-*
solata est terra et plenitudo ejus, id est
regio Judææ, *a voce rugitus illius,* id est
comminationum et exclamationum ipsius.
Et convenerunt adversus eum gentes un- 8
dique de provinciis, id est exercitus Chal-
dæorum, quibus juncti fuerunt bellatores
ex diversis gentibus in gyro Judææ ma-
nentibus, *et expanderunt super eum rete*
suum, id est potestatem ac turbam, obsi-
dendo Jerusalem. *In vulneribus earum ca-*
B *ptus est,* quoniam eum comprehendendo
aliqui læsi fuerunt. *Adduxerunt eum ad* 9
regem Babylonis, miseruntque eum in car-
cerem, ne audiretur vox ejus ultra super
montes Israel.

Quæritur de quo ista dicantur. Joakim
enim pater Jechoniæ non fuit ductus usque
in Babylonem, nec incarceratus ibidem;
sed quum cœpissent Chaldæi eum ad Ba-
bylonem perducere, in via mutato consi-
lio reduxerunt eum, et ante Jerusalem oc-
ciderunt, ut aliqui dicunt, atque cadaver
C ipsius projectum reliquerunt insepultum,
quemadmodum Jeremias prædixerat : Se- *Jer.* xxii, 19.
pultura asini sepelietur. Insuper Jechonias
filius hujus sponte se tradidit manibus re-
gis Babylonis. Ideo quidam istud exponunt
de Sedecia, qui Jechoniæ successit in re-
gno. Sed Sedecias non videtur captus in
vulneribus Chaldæorum, quia nec eis resi-
stere potuit, et sui fugerunt ab eo : nisi
per vulnerationem intelligatur afflictio qua
afflicti fuerunt Chaldæi, biennio quo ob-
sederunt Jerusalem, quando forte quidam
D eorum vulnerati fuerunt a civibus Jeru-
salem, ab intus contra vallantes pugnan-
tibus.

Consequenter de Jerusalem fit tracta-
tus sub metaphora vineæ speciosæ. Eadem
quippe res diversis similitudinibus atque
sermonibus designatur. *Mater tua,* id est 10
prædicta leæna sive Jerusalem, *quasi vinea*
in sanguine tuo, id est similis vineæ pul-
cherrimæ : quæ florum rubore sanguini
comparatur. Unde Septuaginta transtule-
runt : Mater tua quasi vinea, sicut flos in

malis granatis : videlicet quoniam splen- A
dor viroris ejus, floribus mali punici coæ-
quatur. Vel, Quasi vinea in sanguine tuo,
id est vineæ rubeæ assimilata, propter ef-
fusionem sanguinis Judæorum a Chaldæis.
Super aquam plantata est, id est in loco
fecundo et apto, vel super populum Juda,
cui præfuit regia tribus. *Fructus ejus et
frondes ejus,* id est filii et ministri, vel
divitiæ, *creverunt ex aquis multis,* id est
ex diversis causis et fontibus sive parenti-
11 bus. *Et factæ sunt ei virgæ solidæ,* id est
nobiles et elegantes personæ, *in sceptra* B
dominantium: quia profecerunt in regiam
dignitatem, et reges effecti sunt ex tribu
Juda per David. Unde Septuaginta trans-
tulerunt, In tribum ducum. *Et exaltata
est statura ejus inter frondes,* id est, vi-
nea ista per superbiam se erexit contra
Deum, et regem Babylonis divinæ justitiæ
ministrum in punitione Judæorum ; *et vi-
dit altitudinem suam,* id est, dignitatem
suam consideravit, non humili mente in
Deo, sed *in multitudine palmitum suo-
rum,* id est posteriorum, seu hominum ad C
se pertinentium, de quorum multitudine
se erexit.
12 *Et evulsa est* vinea ista *in ira,* id est in
Jacob. IV, 6. rigore divinæ justitiæ, quæ superbis resi-
stit, *in terramque projecta* est, id est a
Chaldæis depressa et conculcata ; *et ventus
urens siccavit fructum ejus,* id est, furio-
sus Chaldæorum exercitus filios Jerusalem
interfecit. *Marcuerunt et arefactæ sunt vir-
gæ roboris ejus,* id est, fortiores quique
de populo isto defecerunt et corruerunt ;
ignis comedit eam, quia Chaldæi combus- D
13 serunt Jerusalem. *Et nunc transplantata
est* vinea ista *in deserto, in terra invia et
sitienti.* Per desertum et terram inviam et
siccam, signatur locus translationis, vel
confugii, seu captivitatis regum Juda, et
populorum ipsius, puta pars Chaldææ, vel
Ægyptus, vel carcer, vel via deserti per
Jer. XXXIX, 4. quam Sedecias cum suis aufugit. *Et egres-
14 sus est ignis de virga ramorum ejus,* id
est de stirpe regia populi Juda. Per ignem
istum signatur Ismael de semine regio or- Jer. XLI, 1, 2.
tus, qui missus a rege filiorum Ammon,
Godoliam occidit, ut legitur in Jeremia.
Ideo subditur : *qui fructum ejus comedit,*
id est, Godoliam præfatæ vineæ palmitem
interemit. *Et non fuit in ea,* scilicet in
vinea ista, *virga fortis,* id est princeps im-
perterritus et confidens, *sceptrum domi-
nantium,* id est populi gubernator. Godolia
namque occiso, Johanan filius Caree cum Ibid. XLIII, 5, 7.
ceteris bellatoribus timore Chaldæorum de-
jectis, in Ægyptum confugit. *Planctus est
et erit in planctum,* id est, materia plan-
gendi est et erit : quod de regibus Juda fi-
liis Josiæ dictum est, de eorum videlicet
culpa pœnaque. Quis enim piæ mentis, si-
ne compassionis dolore hæc audiat ?

Postremo quod in secunda hujus capitu-
li parte de Jerusalem sub nomine vineæ
dicitur, ad militantem Ecclesiam potest
referri : quæ plantata est super aquam sa-
pientiæ salutaris, ac cetera dona Spiritus
Sancti ; cujus *fructus et frondes,* id est 10
opera virtuosa ac verba salubria, *creverunt
ex aquis multis,* id est cordibus profundis
gratiarum rore perfusis. Aqua enim pro- Prov. XVIII, 4.
funda, doctrina viri. *Et factæ sunt ei virgæ
solidæ in sceptra dominantium.* Isti sunt 11
personæ præcipuæ quæ ad pontificium,
vel regnum, seu præsidentiam adspirarunt.
Et exaltata est, id est, ex consideratione
donorum sibi divinitus præstitorum intu-
muit, aliosque contempsit. Ideo *evulsa est* 12
in Omnipotentis *ira, in terramque proje-
cta,* id est dæmonum tentationibus victa
et viliter conversata. *Et ventus urens sic-
cavit* eam, id est, gravis tentatio fecit eam
infructuosam, *et arefactæ sunt virgæ ro-
boris ejus,* quia et spirituales ac religiosi
collapsi sunt. *Et transplantata in deserto,* 13
in terra invia, id est potestati dæmonis
subdita ejusque corpus effecta, quæ olim
conversationem habebat in cœlis, et Chri- Philipp. III, 20.
sti corpus exstiterat. Hoc de subversis
Christianis verificatur.

ARTICULUS XXIV

EXPLANATIO CAPITULI VICESIMI : ET FACTUM EST IN ANNO SEPTIMO.

1 ET *factum est in anno septimo* transmi- A
grationis Joachin, alias Jechoniæ, *in*
quinto, videlicet mense hujus septimi an-
ni. In aliquibus autem textibus continetur
mense; sed non est in translatione seu tex-
tu Hieronymi, neque in libris correctis. *In*
decima mensis quinti die; *venerunt viri*
de senioribus Israel, ut interrogarent Do-
minum, et sederunt coram me. Mos enim
fuit Judæis, ut quæ scire optabant, a Deo
quærerent per Prophetas. Supra scriptum
Ezech. VIII, 1. est, Factum est in anno sexto, in sexto
mense, in quinta mensis, etc.; hic autem
habetur, Factum est in anno septimo, in
quinto (mense), in decima mensis, etc. Ex
quo trahit Hieronymus, quod post unde-
cim menses et quinque dies superioris
visionis, iterum sermo Dei fit ad Pro-
phetam.
2 *Et factus est sermo Domini ad me, di-*
3 *cens : Fili hominis, loquere senioribus Is-*
rael. Illis coram Propheta sedentibus, reve-
latio fit Prophetæ angelico ministerio, vel
sola interna allocutione, vel etiam exteri-
ori aliqua apparitione, quam illi nequa- C
quam viderunt : magis autem apparet,
quod interna allocutione dumtaxat ista au-
dierit. *Et dices ad eos : Hæc dicit Dominus*
Deus : Num ad interrogandum me veni-
stis ? Antequam illi quæstionem propo-
nant, ostendit se Deus scire quid in cordis
arcano prætenderent. *Vivo ego, quia non*
respondebo vobis ad votum, nec directe
ad ea quæ quærere vultis, *ait Dominus*
Deus, quia non intentione sincera, nec
fideli ac humili mente ad interrogandum
venistis. Unde ait Hieronymus : Sanctis et D
congruenter quærentibus datur responsio,
Is. LXV, 24. juxta illud : Adhuc loquentibus illis di-
cam, Adsum. Peccatoribus vero, quales et
isti fuerunt, non datur responsio, sed in-
crepatio pro peccatis. Hinc in Isaia scri-
ptum est : Miserans miserebitur tui Deus; Is. XXX, 19.
ad vocem clamoris tui statim ut audierit,
respondebit tibi. *Si,* pro quia, *judicas,* id 4
est judicare habes, *eos, fili hominis,* ex
commisso tibi officio; *si judicas* eos : hoc
ad majorem confirmationem et seriosita-
tem repetitur. Quoniam enim Ezechiel fuit
a Deo constitutus speculator, magister, et Ezech. III, 17.
doctor domus Israel, debuit eos judicare
judicio discretionis, et fortiter increpare,
B dando sententiam, an bene vel male age-
rent, itemque an impie se haberent. *Abomi-*
nationes patrum eorum ostende eis, id est,
detestanda parentum peccata istis eorum
filiis ad memoriam revoca. Quum præce-
denti capitulo dixerit, patrum peccata non
redundare in filios : cur modo præcipit
istud, nisi ut ostendantur, scilicet filii is-
ti, similia vitia perpetrare peccatis paren-
tum, atque hereditario malo longissimum
funem trahere peccatorum, ut quorum
imitantur peccata, pertimescant supplicia?
Et dices ad eos : Hæc dicit Dominus 5
Deus : In die qua elegi Israel, id est fi-
lios Jacob. Certum est, nil novitatis vel
mutabilitatis esse in Deo sublimi et be-
nedicto. Quos ergo ad vitam beatam cœle-
stem elegit, ab æterno elegit; sed signa
hujus electionis, certis et variis monstrat
temporibus. Quod autem ad cultum suum
filios Jacob elegerit, frequenter ostendit et
dixit. Verumtamen dies hujus electionis,
de quo jam sermo, intelligi potest dies seu
tempus quo misit Moysen ad filios Israel
in Ægyptum, ut inde eos educeret, eisque
diceret quod Deus preces eorum audisset.
Dixit enim Dominus ad Moysen : Hæc dices
filiis Israel, Qui est, misit me ad vos; et

Exod. III, 15. iterum : Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, misit me ad vos. *Et levavi manum meam pro stirpe domus Jacob,* id est, potentia mea usus sum, Ægyptios Israelitarum oppressores plagando ; *et apparui eis in terra Ægypti,* id est, majestatis meæ notitiam eis infudi per verba et opera miraculosa, per Moysen prolata seu facta. *Et levavi manum meam pro eis* liberandis. Eadem quippe Deus virtute reprobos percussit, et electos redemit. *Dicens : Ego Dominus Deus vester :* qui licet sim omnium Deus per creationem et generalem præsidentiam, vester tamen specialiter Deus sum per cultum et providentiam singularem.

6 *In die illa levavi manum meam pro eis, ut educerem eos de terra Ægypti, in terram quam provideram eis* tanquam filiis meis, quos per corporalium bonorum promissionem ac dationem, ad spiritualium bonorum amorem attrahere volui, *fluentem lacte et melle,* id est omnibus ad vitam necessariis atque accommodis exuberantem ; *quæ est egregia inter omnes terras.* Dicit hic quidam, se audisse ab his qui in Judæa et in Ægypto fuerunt, quod Ægyptus fertilior atque amœnior sit Judæa : ideoque eminentiam hujus terræ spiritualiter referendam ad Christum, qui in ea fuerat nasciturus, conversaturus, et moriturus pro nostra salute. Verumtamen huic repugnare videtur quod S. Hieronymus, terræ hujus incola, ait hoc loco : Juxta litteram, inquiens, inclytam esse terram Judææ, cunctisque terris fertiliorem, dubitare non poterit, qui a Rhinocolura usque ad Taurum montem cunctam consideraverit terram, et urbium potentiam, amœnitatemque regionum. Nihilo minus terra ista, præcipua appellatur, propter Christi mysteria in ea exhibita, et quia in ea tempore veteris Testamenti viguit cultus Dei. Unde pro eo quod Hieronymus transtulit, Egregia est inter omnes terras : Aquila in prima sua editione transtulit, Firmamentum ; in secunda, Inclytum ; Symmachus, Regionem ; Theodotion, Fortitudinem.

Et dixi ad eos : Unusquisque offensiones oculorum suorum abjiciat, id est, peccata quæ per visum incustoditum fiunt, devitet et corrigat. Hinc nempe in Numeris Dominus jussit filiis Israel, ut facerent sibi fimbrias quatuor per quatuor angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas, quas quum viderent, recordarentur omnium mandatorum Dei, nec sequerentur cogitationes et oculos per res varias fornicantes. Custodiendus ergo est visus, et cum Psalmista orandum : Averte oculos meos ne videant vanitatem. Alioqui mors ingredietur per fenestras domus nostræ, ut loquitur Jeremias, id est peccatum per corporis sensus. *Et in idolis Ægypti nolite pollui,* ea colendo : quorum cultura est animæ macula, verique Dei injuria et offensa. *Ego Dominus Deus vester,* naturaliter mundus et sanctus, cujus puritatem et sanctitatem imitari debetis, me solum colendo ac diligendo. 7 Num. XV, 38, 39. Ps. CXVIII, 37. Jer. IX, 21.

Et irritaverunt me, id est, justitiæ meæ rigorem promeruerunt, *noluerunique me audire,* id est verbis meis ac jussionibus obedire. *Unusquisque abominationes oculorum suorum non projecit :* secundum sensum præhabitum ; *nec idola Ægypti reliquerunt.* Ex quo innotescit, quod filii Israel in Ægypto Ægyptiorum idola coluerunt, aliqui saltem, etiam postquam Moyses venit ad eos. *Et dixi, ut effunderem indignationem meam super eos, et implerem iram meam in eis in medio terræ Ægypti.* Ex his patet, secundum quod ait Hieronymus, quod filii Israel in Ægypto auditis Moysis verbis, statim rebelles fuerunt, desperantes salutem, et contra Moysen mussitantes, atque divinis promissionibus diffidentes. Nam sicut in Exodo legitur, ad Moysen Aaronque dixerunt : Judicet Dominus inter nos et vos, quia fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone. Egressi quoque dixerunt ad Moysen : Nonne iste est sermo quem loquebamur ad te in Ægypto, dicentes, Recede a nobis, 8 Exod. V, 21. Ibid. XIV, 12.

ut serviamus Ægyptiis ? Hinc ergo com- A
minabatur Deus, quod eos in Ægypto oc-
cideret, sicut hic testatur Propheta, quam-
vis non sit in libris Moysis scriptum : non
9 enim omnia scripta sunt. *Et feci propter*
nomen meum, id est, eis tunc clementer
peperci, et quod ex justitia comminabar,
per misericordiam non implevi, propter
meam ipsius gloriam et nominis mei ho-
norem ; *ut non violaretur coram gentibus*
in quarum medio erant, id est, ne ego
ipse ab Ægyptiis impotens reputarer et
blasphemarer, sicque nomen meum et ma- B
jestas famaque mea vilesceret, *inter quas*
apparui eis, id est, me ipsis per verba
atque miracula notificavi, *ut educerem eos*
de terra Ægypti. Ideo si Deus eos in Ægy-
pto occidisset, dixissent Ægyptii : Idcirco
in terra nostra eos occidit, quia non po-
tuit eos de terra et manu nostra eripere.
10 *Ejeci ergo,* id est, velociter quasi cum
impetu quodam eduxi, *eos de terra Ægy-*
pti : juxta illud in Exodo : Egressi sunt,
Exod. XII, 39. compellentibus eos Ægyptiis, et nullam
facere moram sinentibus. *Et eduxi eos in* C
desertum, ut de Ægyptiorum consortio et
peccatis erepti, Dei præcepta in solitudine
11 facilius adimplerent. *Et dedi eis præcepta*
mea moralia, cærimonialia, et judicialia ;
et judicia mea, id est, quæ mihi bona,
justa, recta et vera videntur, *ostendi eis*
per Moysen, in cujus libris conscripta sunt
hæc. *Quæ faciens homo, vivet in eis :* quo-
niam observantes ea ex caritate, vita gra-
tiæ vixerunt, et vitam gloriæ meruerunt,
mortem quoque corporalem, quæ legis
12 transgressoribus inferebatur, evaserunt. *In-* D
super et sabbata mea dedi eis, id est præ-
ceptum de sabbatorum festivatione, ut
in eis ab omni opere servili quiescerent,
sicque se mihi conformarent, qui septimo
Gen. II, 2. die cessavi ab omni opere quod patravi ;
ut essent signum, id est specialis caritatis
indicium, *inter me et eos.* Magnum enim
dilectionis Dei ad eos exstitit signum, quod
sic voluit eos sibi conformari, vacare, et
in se mente expedita quiescere. Porro, se-
cundum Hieronymum, sabbatum et cir-
cumcisio in signum data sunt veri sabbati
et veræ circumcisionis, ut sciamus in ipso
perfecto æternoque sabbato requiescen-
dum a sæculi operibus, et non præputi-
um, sed cor circumcidamus. *Et scirent*
per gratiæ illustrationem, *quia ego Domi-*
nus sanctificans eos.

Denique sicut in Ægypto, ita et in de-
serto rebelles effecti sunt, secundum quod
subditur : *Et irritaverunt me domus Is-* 13
rael in deserto. In præceptis meis non
ambulaverunt perseveranter, nec genera-
liter : juxta illud in Psalmo, Non custo- *Ps.* LXXVII, 10.
dierunt testamentum Dei, et in lege ejus
noluerunt ambulare ; *et judicia mea pro-*
jecerunt, reprobando quæ approbo, et ap-
probando quæ reprobo : juxta illud Isaiæ,
Quæ nolui elegistis. *Et sabbata mea vio-* *Is.* LXV, 12.
laverunt vehementer, non vacando Deo in
ipsis, sed impie cogitantes, et carnaliter
appetentes. In Exodo etiam legitur qua-
liter quidam sabbato colligere voluerunt *Exod.* XVI, 27.
manna contra Moysis jussionem. *Dixi er-*
go, ut effunderem furorem meum super
eos in deserto, et consumerem, id est oc-
ciderem, *eos.* Sæpius quippe Deus eis ista
comminabatur, specialiter post aurei vi-
tuli formationem et adorationem, quum
dixit Dominus ad Moysen : Dimitte me, ut *Ibid.* XXXII, 10.
irascatur furor meus contra eos, et deleam
eos. *Et feci propter nomen meum,* id est, 14
propter nominis mei honorem eis pie pe-
perci, *ne violaretur coram gentibus, de*
quibus ejeci eos, id est coram Ægyptiis,
hoc est, ne Ægyptii ex Judæorum in de-
serto prostratione tam celeri scandaliza-
rentur, et male de Deo sentirent, ac di-
cerent quod in eremum eos duxisset ut
ibidem perimeret ipsos. Hanc autem ratio-
nem Moyses, Deum pro populo orans, fre-
quenter in suis precibus allegavit : Cur, *Ibid.* 11.
Domine, irascitur furor tuus contra popu-
lum tuum ? Ne, quæso, dicant Ægyptii : Non *Num.* XIV, 16.
poterat eos Dominus inducere in terram
quam eis promiserat, idcirco occidit eos.
Et rursus : Ne dicant, Callide eduxit eos *Exod.* XXXII, 12.
ut occideret eos in montibus, et deleret
e terra.

15 *Ego igitur levavi manum meam super* A
eos in deserto, ad percutiendum eos pro-
pter ipsorum adversum me murmuratio-
nes, incredulitates, ac diffidentias, *ne in-
ducerem eos in terram quam dedi,* id est
dandam prædixi, *eis, fluentem lacte et
melle, præcipuam terrarum omnium* ha-
bitabilium, secundum expositionem indu-
16 ctam ; *quia judicia mea projecerunt,* con-
traria eis agendo, *et in præceptis meis
non ambulaverunt.* Istam comminationem
aliqui referunt ad id, quod filii Israel au-
ditis exploratorum sermonibus, voluerunt B
Deut. I, 27. regredi in Ægyptum, dicentes : Odit nos
Num. XIV, 3. Deus ; et item, Utinam pereamus, et non
inducat nos Dominus in terram istam, ne
Ibid. 11 *et seq.* cadamus gladio. Tunc nempe voluit eos
Dominus repente disperdere, sed ad Moy-
sis preces mitigavit sententiam, et pau-
latim eos consumpsit infra quadraginta
circiter annos, ita quod nullus murmura-
torum illorum, ingressus est terram pro-
missam : quæ omnia in libro Numerorum
plenius recitantur. *Post idola enim cor
eorum gradiebatur,* id est, ad solitam ido- C
lolatriam afficiebantur, pronique erant,
idcirco divina præcepta faciliter negle-
xerunt.
17 *Et pepercit oculus meus,* id est pietatis
meæ adspectus, vel sapientiæ vultus seu
visus, quo eorum fragilitatem intuebar,
super eos, ut non interficerem eos tam
subito, ut fueram comminatus, dicendo :
Ibid. 12. Feriam eos pestilentia ; *nec consumpsi eos
in deserto.* Huic videtur obviare quod di-
ctum est, quia paulatim consumpti sunt.
Ad quod dici potest, quod populus dicitur D
proprie consumi, quando totaliter tollitur,
ita quod posteros non relinquit ; prædicti
autem Judæi filios post se reliquerunt.
Præterea circa hunc locum scribit Hiero-
nymus : Quæritur, quomodo eis peperce-
rit, quorum cadavera in solitudine corru-
erunt, et excepto Josue et Caleb, terram
promissionis nullus ingressus est, scilicet
de numeratis. Respondet Hieronymus : Ex
quo intelligimus vivere eos, nec æternis
suppliciis reservatos, nec deletos esse de
libro viventium, nec consumptos ante fa-
ciem Dei. Si enim quia in terram promis-
sionis ingressi non sunt, perisse credendi
sunt, ergo et Moyses periit.
Dixi autem ad filios eorum in solitu- 18
dine : In præceptis patrum vestrorum,
quibus jusserunt vobis facere talia impi-
etatis opera, qualia ipsi fecerunt, *nolite
incedere ; nec judicia eorum,* id est erro-
res inolitos, *custodiatis ; nec in idolis eo-
rum polluamini,* quoniam idololatria est
turpissima animæ macula. *In præceptis* 19
meis ambulate. Præceptum enim Domini *Ps.* XVIII, 9.
lucidum, illuminans oculos. *Et judicia
mea custodite* mentis memoria, *et facite
ea* in affectu. Judicia namque Domini ve- *Ibid.* 10.
ra, justificata in semetipsa. *Et sabbata mea* 20
sanctificate, id est, dies sabbati in sanctis
operibus Deo vacantes expendite, *ut sint
signum inter me et vos :* secundum intel-
lectum expositum ; *et sciatur,* id est, per
vestram obedientiam omnibus innotescat,
quia ego Dominus Deus vester per specia-
lem amorem, devotionem et cultum, non
idolum aliquod.
Et exacerbaverunt me filii, non meam 21
tranquillitatem minuendo, sed meam ju-
stitiam ad pœnas acerbas provocando ; *et
in præceptis meis non ambulaverunt.* Is-
tud contigit in peccato Beelphegor, et cum *Num.* XXV.
filiabus Madian, ut aliqui dicunt, quemad-
modum in Numeris habetur. *Et commi-
natus sum, ut effunderem furorem meum
super eos, et implerem iram meam in eis
in deserto.* Tunc enim gravissimam pœ-
nam meruerunt. *Averti* [*autem*] *manum* 22
meam a percussione eorum tam generali
ac dira, ut meruerunt. Quamvis enim tunc
quidam fuerint interfecti, aliis tamen in-
dultum est, et terram promissionis ingres-
si sunt. *Et* hoc *feci propter nomen meum,
ut non violaretur coram gentibus de quibus
ejeci eos.* Istud jam satis expositum reor.
Iterum levavi manum meam in eos in 23
*solitudine, ut dispergerem illos in natio-
nes, et ventilarem eos in terras, eo quod* 24
*judicia mea non fecissent, et præcepta
mea reprobassent, et post idola patrum*

suorum fuissent oculi eorum. Quemadmo-
dum Hieronymus ait hic : Ubi Deus ma-
num suam levavit contra filios istos, quo-
rum patres in solitudine corruerunt, ut
dispergeret eos in nationes, Scriptura non
dicit; sed ex eo quod hic ait Dominus per
Prophetam, factum esse credendum est.
Alii tamen dicunt, quod etiam Hierony-
mus tangit, quod scilicet Scriptura loqui-
tur hic de futuro per modum præteriti, ita
quod ista referenda sint ad tempora Ju-
dicum et Regum, quibus filii Israel præ-
fata facinora commiserunt, atque ob hoc
frequenter dispersi fuerunt ac gentibus
traditi, præsertim Assyriis et Chaldæis.
25 *Ergo et ego dedi eis præcepta non bona,*
et judicia in quibus non vivent. Hoc tri-
bus modis exponitur. Primo, secundum
Hieronymum sensus est, quod præcepta
atque judicia Dei in se bona, fuerunt Ju-
dæis in captivitate positis non bona, quia
ibidem ea servare non poterant, præser-
tim cærimonialia. Secundo, juxta Thomam
in prima secundæ, intelligitur de præce-
ptis cærimonialibus : quæ dicuntur non
bona et vitam non dantia, quoniam gra-
tiam a peccato purgantem non confere-
bant. Hanc expositionem tangit quoque
Hieronymus. Alii quidam exponunt præ-
cepta ista dici non bona, quia transgres-
soribus non fuerant bona, eo quod gravius
punirentur, acceptis istis præceptis, quam
26 ante. *Et pollui eos,* id est, intus contami-
nari permisi, atque pollutos ostendi, *in*
muneribus suis, id est sacrificiis, *quum*
offerrent omne quod aperit vulvam, pro-
pter delicta sua tollenda. Non ait cui ob-
tulerint ista : ideo quidam exponunt, quod
intelligendum sit eos hæc idolis obtulis-
se, quod fuit evidenter nefarium ; alii,
quod Deo obtulerint ea, et tamen polluti
monstrabantur, quia per talia sacrificia
peccata non auferebantur virtute sacrificii,
sed ex devotione fideque offerentium.

Deinde recoluntur peccata post ingres-
27 sum terræ promissionis commissa. *Quam-*
obrem loquere ad domum Israel, fili homi-
nis, et dices ad eos : Hæc dicit Dominus :
A *Adhuc in hoc blasphemaverunt me patres*
vestri, quum sprevissent me corde *con-*
temnentes, id est parvi pendentes aut non
curantes : peccatum enim cordis, præce-
dit vitia oris ; *et induxissem eos in terram* 28
promissionis, *super quam levavi manum*
meam, ut darem eam *eis.* Sic namque
Deus levavit manum suam super eam tem-
pore Josue, et etiam Abrahæ, cui id cum *Josue* I, 6.
juramento legitur promisisse in Genesi. *Gen.* XV, 18; *Exod.* VI, 8.
Viderunt omnem collem excelsum, et om-
ne lignum nemorosum, id est loca subli-
B mia et arboribus consita, ad exercendam
idololatriam apta. Porro distributio ista
collium et lignorum, accommoda est pro
generibus singulorum, quemadmodum mo-
ris est in Prophetis. *Et immolaverunt ibi*
victimas suas idolis, *et dederunt ibi irri-*
tationem oblationis suæ, id est oblationes
suas divinam justitiam offendentes, *et po-*
suerunt ibi odorem suavitatis suæ, id est
redolentia quæque ad reverentiam idolo-
rum, sicut est thymiama suave, *et libave-*
runt idolis *libationes suas* Domino immo-
C landas. *Et dixi ad eos* per Prophetas, non 29
ignoratorie, sed increpatorie : *Quid est*
excelsum, id est idololatriæ locus montu-
osus seu altus, *ad quod vos ingredimini*
ad idola honoranda ? quasi diceret : Vanus
nefandusque locus est, sicut et idolum
nihil est, quoad formale et numen, quod
esse putatur. *Et vocatum est nomen ejus*
Excelsum, usque ad hunc diem. Erantque
in Israel multa excelsa, ut in libris Regum III *Reg.* III,
et Paralipomenon sæpius legitur : Adhuc 2, 3; XII, 31; IV *Reg.* XII,
populus immolabat in excelsis. Hoc tamen 3; II *Par.*
D communiter scribitur illic de his qui in XXXIII, 17, etc.
excelsis, non idolis, sed vero Deo sacrifi-
cabant, quemadmodum tertio Regum di-
citur Salomon in excelso Gabaon obtu- III *Reg.* III,
lisse. 4; II *Par.* I, 3.

Propterea dic ad domum Israel : Hæc 30
dicit Dominus Deus. Istud jubetur Pro-
pheta loqui Judæis contemporaneis et co-
habitantibus sibi. *Certe in via,* id est in
peccatis, *patrum vestrorum vos polluimi-*
ni, eadem illis agendo, *et post offendicula*
eorum, id est vitia Dei offensiva, *vos for-*

nicamini spiritualiter in idolorum cultu- A
31 ra ; *et in oblatione donorum vestrorum*
idolis oblatorum, *quum traducitis filios*
vestros per ignem, consecrando eos idolis
per talem eorum tractum seu ductum per
ignem, *vos polluimini in omnibus idolis*
vestris, in quorum veneratione abusiones
istas committitis. Verumtamen secundum
Hieronymum, Judæi cum Ezechiele in ca-
ptivitate Babylonica positi, ista non fece-
rant, sed qui adhuc in Jerusalem habi-
tabant. Scriptura tamen loquitur de his
mixtim, quasi de eisdem. Nam quod sub- B
ditur, de captivis accipitur. *Et ego re-*
spondebo vobis, domus Israel, quum tot
mala egeritis : *Vivo ego, dicit Dominus*
Deus, quia non respondebo vobis forma-
liter verbis, sed potius realiter flagellis.
32 *Neque cogitatio mentis vestræ fiet di-*
centium, id est dicentis intra se et firmiter
proponentis, *Erimus sicut gentes, et sicut*
cognationes terræ, ut colamus ligna et la-
pides : id est, non ita erit, ut cogitatis.
Dicitis enim : Nolumus esse sub Domino,
nec volumus ejus populus appellari, sed C
liberi esse a legis observatione, et more
gentilium vivere, ac idola de lignis ac
saxis formata, ad libitum colere. Verum
quoniam Deus subinde ex sua immensa
clementia, ingratos, aversos ac pessimos,
quasi invitos per supplicia reducit ad se :
33 *Vivo ego, dicit Dominus Deus, quoniam*
in manu forti, id est virtute mea omni-
potenti, *et brachio extento,* id est potestate
mea ad actum se inducente, *et in furore*
effuso, id est rigore terribili, *regnabo su-*
per vos, id est, ad pristinam meam redi- D
gam servitutem, ut velitis nolitis, regem
me habeatis, sentiatisque me regem ira-
34 tum, cujus clementiam neglexistis. *Et edu-*
cam vos de populis nationum, et congrega-
bo vos de terris in quibus dispersi estis, id
est de terra Chaldæorum et aliis locis in
35 quibus ab invicem estis divisi. *Et addu-*
cam vos in desertum populorum, id est,
reducendo vos in Judæam, ducam vos ad
eremi loca, *et judicabor vobiscum ibi,* id
est, justus agnoscar a vobis, et me vobis
justum probabo, vosque reos monstrabo,
facie ad faciem, id est evidenter et per
illuminationes seu revelationes certissi-
mas, mea beneficia et vestra maleficia
commemorando.
Sicut judicio contendi adversus patres 36
vestros in deserto terræ Ægypti, quando
per illud duxi eos ad terram promissam :
tunc enim Deus per idonea argumenta et
signa, ingratitudinem Judæorum et suam
ad eos pietatem ostendit. Unde in Nume-
ris dixit : Usquequo multitudo hæc pessi- *Num.* XIV, 27, 11.
ma non credet mihi in omnibus mirabili-
bus, quæ feci coram eis? Et per Jeremiam
Dominus huic populo loquitur : Ecce ego *Jer.* II, 35.
judicio contendam tecum, eo quod dixe-
ris, Non peccavi. In Isaia quoque : Simul, *Is.* XLI, 1.
inquit, ad judicium propinquemus. *Sic*
judicabo vos reos. *Et subjiciam vos sce-* 37
ptro, id est imperio *meo ;* ne ultra idolis
ministretis, *et inducam vos* ad terram Ju-
dææ *in vinculis fœderis,* id est in nexu
et firmitate pacti amicitiæ quod inibo vo-
biscum, ut meo amore ligati, mihi jugiter
cohæreatis. Unde per Jeremiam Dominus
protestatur : In caritate perpetua dilexi *Jer.* XXXI, 3.
te, ideo attraxi te miserans. Itaque inno-
tescit, quod omnis præinducta Dei austeri-
tas, clementiam caritatemque potius quam
crudelitatem vel odium sonat : quum id-
circo hæc agat, ut suo eos subdat obse-
quio, in quo eorum salus consistit, nec
dæmonum subjiciantur tyrannidi. *Et eli-* 38
gam de vobis transgressores, id est, indu-
ratos inter vos de vestra societate abjici-
am. Juxta quem modum in Isaia habetur :
Planum facite iter, et eligite lapides, id *Is.* LXII, 10.
est, de via eos deponite. Sic enim zizania
eliguntur de tritico. *Et de terra incolatus*
eorum educam eos, id est de terra capti-
vitatis seu transmigrationis, *et terram Is-*
rael non ingredientur, quia indigni, sed
in diversis regionibus morientur ; *et scie-*
tis ex hac distinctione inter bonos ac ma-
los, *quia ego Dominus,* omnium provi-
dentiam habens, et justa judicia agens.
Et vos, domus Israel, hæc dicit Dominus 39
Deus : Singuli post idola vestra ambula-

te, et servite eis, id est, in consueta idololatria permanete. Hoc Dominus ait, non licentiando ut fiat, sed subsannando, si accidat : quemadmodum in Apocalypsi legitur, Qui in sordibus est, sordescat adhuc. Tanquam dicat : Quia mihi servire non vultis, idolis adhærete ; et videbitis quid inde habebitis. *Quod si et in hoc non audieritis me,* idola hinc inde colendo extra templum, secundum quod diu fecistis, *et nomen meum sanctum pollueritis,* id est, me ipsum nomine designatum inhonoraveritis, *ultra in muneribus vestris,* ea
40 idolis offerendo, *et in idolis vestris in monte sancto meo,* id est in templo; tunc utique pejus eveniet vobis, quum gravius sit, in templo divinæ majestati consecrato idololatrare, quam alibi. Porro littera ista in verbis obscura est, et aliquid supplere oportet, respiciendo ad intentionem Dei loquentis, in eo quod ait : Post idola vestra ambulate. Insuper, quod gravius esset id perpetrare in templo, Dominus manifestat : *In monte excelso Israel, ait Dominus Deus, ibi serviet mihi omnis domus Israel:* id est, in templo constituto in monte Sion, deservient mihi omnes electi Judæi de Babylone reversi, qui templum reparaverunt, atque in ipso Deo fideliter servierunt; *omnes, inquam, in terra,* id est, in Judæa hæc facient, *in qua placebunt mihi* tanquam boni cultores nominis mei. *Et ibi quæram primitias vestras, et initium decimarum vestrarum,* id est, præcipiam mihi offerri a vobis ad sustentationem ministrorum templi illa quæ lex præcipit immolari. Unde in Malachia Dominus ait : Inferte omnem decimam in horrea mea, et sit cibus in domo mea. Hæc ergo requiram *in omnibus justificationibus** *vestris,* id est obsequiis mihi impensis.

Apoc. xxii, 11. — Malach. iii, 10. — * sanctificationibus

41 *In odorem suavitatis suscipiam vos,* id est, sacrificia vestra, quæ mihi in odorem suavitatis offeruntur, habebo accepta, *quum eduxero vos de populis; et sanctificabor in vobis,* id est, sanctus ostendar in obsequio mihi a vobis exhibito, *in oculis nationum,* id est gentilium, qui post templi reædificationem venerunt adorare in Jerusalem, ut patet in libris Machabæorum, in Actibus quoque Apostolorum, et in Joanne.

I Mach. iv, 36 et seq.; II Mach. x, 1-8; Act. ii, 5; Joann. xii, 12, 20.

Et scietis per beneficiorum meorum ef- 42
fectum, *quia ego Dominus, quum induxe-*
ro vos in terram Israel. Et recordabimini 43
ibi viarum vestrarum, id est impiarum affectionum, quibus tenditur ad infernum, *et omnium scelerum vestrorum,* id est operum injustorum, quæ ex affectibus inordinatis procedunt. Hæc est recordatio bona pristinæ impietatis, dum quis priora mala ad animum revocat, ut salutarem pœnitentiam agat. *Et displicebitis vobis in conspectu vestro,* id est in consideratione vestri ipsorum, *in omnibus malitiis vestris,* id est ex recordatione pravitatum vestrarum. Hæc est displicentia optima et beata humilitatis magistra, patientiæ mater, mansuetudinis origo : quæ Dei iram exstinguit, ejusque displicentiam tollit, et pauperem peccatorem (quantumlibet impius fuerat) Deo conciliat. Ideo ad Romanos scribit Apostolus : Debemus non nobis placere. De iniquis quoque Archiapostolus in secunda sua fatetur Canonica : Hi sunt audaces, sibi placentes. Qui ergo vult Deo superglorioso placere, sibi ipsi displiceat, se semper contemnat : quod ei perfacile erit, qui propriam imperfectionem, vitiositatem, pronitatem ad malum, incomprehensibilemque defectuositatem vigilanter perpendit, et omne bonum Deo plene ad-
scribit. *Et scietis quia ego Dominus, quum* 44
benefecero vobis propter nomen meum, id est ad mei ipsius gloriam et honorem et ex bonitate clementiæ meæ, *et non secundum vias vestras malas, neque secundum scelera vestra pessima.* De peccatis autem filiorum Israel a Babylonica captivitate in Judæam reversorum, et de pœnitentia eorumdem, itemque de beneficiis Dei eis collatis, in libro Esdræ, et in Prophetis Aggæo, Zacharia, ac Malachia conscripta sunt plurima.

Rom. xv, 1. — II Petr. ii, 10.

Et factus est sermo Domini ad me, di- 45
cens : Fili hominis, pone faciem tuam con- 46

tra viam austri, id est versus seu contra A
Jerusalem. His enim qui in Babylone sunt,
Jerusalem ad austrum sita est, secundum
Hieronymum. *Et stilla,* id est, verba per
modum stillicidiorum effunde, *ad Afri-
cum,* id est Jerusalem. Africus quippe est
ventus flans a plaga meridionali sive au-
strali, in qua, ut dixi, erat sita Jerusalem.
Et prophetabis ad saltum agri meridiani,
id est ad Jerusalem : quæ saltui, id est
multitudini arborum infructuosarum, as-
similatur, eo quod impiis fuerat plena ho-
minibus.
47 *Et dices : Hæc dicit Dominus : Ecce ego
succendam in te ignem.* Chaldæi namque
combusserunt Jerusalem. *Et comburam,* id
est, occidam vel graviter puniam, *in te
omne lignum viride,* id est templi mini-
stros, qui per scientiam legis videbantur
florere : de quibus superius Dominus ait,
Ezech. IX, 6. A sanctuario meo incipite percutere ; *et
omne lignum aridum,* id est vulgares. Vel
per ligna viridia, intelligendi sunt justi ;
per arida, impii in Jerusalem interfecti.
De quibus in sequentis capituli dicetur
exordio. Vel viridia ligna sunt juvenes ;
arida, senes. Porro distributio ista accom-
moda est. Non enim omnes, absolute lo-
quendo, habitatores Jerusalem, in Jerusa-
lem vel etiam extra eam occisi fuerunt,
IV Reg. XXIV, 14; XXV, 11. sed quidam in Chaldæam deducti, ut le-
gitur quarto Regum. *Non exstinguetur
flamma succensionis* ejus, id est, ignis
comburens Jerusalem, non deficiet, donec
eam consumat. *Et comburetur in ea om-
nis facies ab austro usque ad aquilonem,*
id est, ipsi Judæi in Jerusalem occidi in-
cipient ; et ab ea, quæ per austrum si-
gnatur, usque ad Babylonem, quæ nomine
aquilonis exprimitur, per totum iter inter-
medium hinc inde gladio, fame, ac pesti-
lentia ruent. *Et videbit,* id est cognoscet, 48
universa caro, id est omnis homo, utpote
de omni hominum genere quidam : in Pro-
phetis equidem distributio, ut frequen-
B ter, intelligenda est potius de generibus
singulorum, quam de singulis generum,
et præsertim in Jeremia et Ezechiele; *quia
ego Dominus succendi eam,* puta Jerusa-
lem, per Chaldæos, qui mea inspiratione
atque potentia hoc egerunt, quamvis non
eo fine et modo quo volui.
Et dixi : A, a, a, Domine Deus. Istud 49
dixit Propheta ex compassione, vel deside-
rio ne sic fieret. Unde Septuaginta trans-
tulerunt, Nequaquam, Domine. *Ipsi dicunt
de me : Numquid non per parabolas lo-*
C *quitur iste?* id est, obscure loquitur nobis,
ut quid velit non intelligamus. Hoc dice-
bant Judæi, vel Prophetam deridendo, qua-
si tam involuta verba loquentem, quod nec
a se, nec ab aliis intelligeretur, ideoque
verba ejus curanda non essent; vel cupien-
do ut plano sermone eis sensum exprime-
ret. Unde et in principio sequentis capituli
clarius profert, quæ jam parabolice dixit.

ARTICULUS XXV

DE SPIRITUALI EJUSDEM CAPITULI VICESIMI INTELLECTU.

QUOD in capituli hujus initio Dominus D
perversos a divina sua responsione
repellit, hoc signat quod hi qui in pravi-
tatis manent affectu, divina allocutione,
inspiratione, illustratione indigni censen-
tur : imo etsi justus quispiam oret pro
eis, ut a Spiritu Sancto illustrentur, fre-
quenter non exauditur propter incapacita-
tem illorum. Insuper Christus cuilibet di-
gno ac virtuoso prælato seu doctori vel
Ecclesiæ prædicatori loquitur : *Si judi-* 4
cas eos, id est, quia ex mea commissione

judicare increpareque habes impios Christianos tibi commissos, seu ad te venientes instrui affectantes, *abominationes patrum eorum,* id est gentilium (de quorum radice descendimus), *ostende eis,* quatenus agnoscentes se de gentilibus tam iniquis progenitos, profundius se ipsos humilient. Hinc in epistola ad Romanos, volens Apostolus Christianos qui Romæ erant, et spiritualiter superbiebant, de gentilibusque descen-
Rom. I, 18 *et seq.* derant, humiliare, gentilitatis peccata commemorat et vitia contra naturam. Idcirco ex consideratione nostræ originis, nos semper humiliare debemus. Non enim ex semine Patriarcharum ac Prophetarum descendimus.

5 *Et dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus,* id est Christus mundi Salvator, Dei Patris unicus Filius, verusque Deus : *In die qua elegi Israel,* id est Ecclesiam ex gentibus congregatam, quæ Deum intuetur per fidem, *et levavi manum meam pro stirpe domus Jacob,* id est prædictis electis gentilibus, qui sunt Patriarcharum filii spirituales per fidei imitationem et vitæ
Ibid. IV; *Galat.* III, IV. parilitatem, quemadmodum in epistolis ad Romanos et Galatas plenissime docet Apostolus. Sic nempe Judæi illi increduli, Patriarcharum non fuerunt filii, quibus lo-
Joann. VIII, 39. *Ibid.* 44. quitur Christus : Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite ; et rursus : Vos, inquit, ex patre diabolo estis. Pro his quoque levavit Christus manus suas in cruce. *Et apparui eis,* per Apostolorum prædicationem, *in terra Ægypti,* id est sæculo isto nequam. Per Ægyptum enim, quæ tenebræ inter-
I Joann. V, 19. *Ephes.* V, 8. *Joann.* I, 5. pretatur, mundus iste in maligno positus designatur. De quo scribitur : Fuistis aliquando tenebræ ; et, Tenebræ eam non comprehenderunt. *Et levavi manum meam pro eis,* multa faciendo miracula per Apostolos aliosque discipulos pro conversione illorum, *dicens : Ego Dominus Deus vester.* Hoc enim Christus per Apostolos docuit, quod contemptis Judæis, gentes sibi in populum peculiarem elegisset. Propter quod Paulus et Barnabas dicunt Ju-
Act. XIII, 46, 47. dæis incredulis : Vobis oportebat primum

A loqui verbum Dei; sed quoniam repulistis illud, ecce convertimur ad gentes : sic enim præcepit nobis Dominus. Apud Joannem quoque loquitur Christus : Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas *Joann.* X, 16. oportet me adducere. Ad Romanos demum Apostolus ait : An Judæorum Deus tantum? Nonne et gentium? *Rom.* III, 29

In die illa. Dies ista, est tempus evangelicæ prædicationis et gratiæ. De quo scribit Apostolus : Nox præcessit, dies autem appropinquavit; et Isaias, In die illa erit *Ibid.* XIII, 12. *Is.* IV, 2. 6
B germen Domini (id est Christus Filius Dei) in magnificentia et gloria. *Levavi manum meam pro eis, ut educerem eos de terra Ægypti,* id est de conversatione mundana et vitiis sæculi, juxta illud Petri : Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione, sed pretioso sanguine Agni immaculati Christi; *I Petr.* I, 18, 19. *in terram quam provideram eis, fluentem lacte et melle, quæ est egregia inter omnes terras,* id est in Ecclesiam militantem seu societatem fidelium, communionemque ele-
C ctorum, et in mysticum corpus Christi : quæ terra abundat lacte innocentiæ et melle consolationis divinæ, sicut in Canticis legitur : Mel et lac sub lingua tua. Et Petrus hortatur : Quasi modo geniti infantes, lac concupiscite. *Cant.* IV, 11 *I Petr.* II, 2 Hæc insuper terra, communio, societas, et mysticum corpus Christi, omnibus quæ in mundo sunt terris seu gentibus, eminet. Potest autem per terram istam Ecclesia triumphans intelligi, quæ est terra viventium, opulentissima vehementer. Hinc ait Apostolus, quod Deus
D Pater eripuit nos de præsenti sæculo nequam, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ. *Galat.* I, 4 *Coloss.* I, 13.

Et dixi ad eos : Unusquisque offensiones oculorum suorum abjiciat. Hoc est 7 quod in Evangelio perhibet Christus : Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, *Matth.* V, 28. jam mœchatus est eam in corde suo. Sensuum autem refrenatio, et præsertim visus custodia, ad omnem pertinet Christianum, nec aliter ad cordis munditiam pervenitur. *Et in idolis Ægypti nolite pollui.* Ido-

la ista, sunt hæreticorum adinventiones A
stultæ atque inutiles imaginationes, vanis-
sima dialecticorum sophismata, spurcissi-
ma lubricorum phantasmata ; argentum
quoque et aurum, ac cetera delectabilia
mundi, quæ infelices sæculi amatores am-
plius quærunt, colunt et amant, quam
Deum sublimem, Creatorem omnipoten-
tem, omnis boni superditissimum fontem,
et bonum quomodolibet perfectionaliter
infinitum. In his igitur idolis cor nostrum
non polluatur per immoderatam occupa-
tionem, delectationem, sive amorem car- B
nalem. Ideo namque in prima sua Canoni-
I Joann. v, 21. ca scribit Joannes : Filioli, custodite vos a
simulacris.
8 *Et irritaverunt me, nolueruntque me
audire* impii Christiani, qui post gratiam
baptismalem redeunt in Ægyptum, id est
ad vitam mundanam, vitiosam, carnalem.
*Et dixi, ut effunderem indignationem me-
am super eos.* Hoc enim Deus in Scripturis
quotidie comminatur, ut quum ait in Evan-
Luc. XIII, 3. gelio Christus : Nisi pœnitentiam egeritis,
omnes similiter peribitis. Et Joannes Ba- C
Matth. III, 10. ptista : Jam, inquit, securis ad radicem
arboris posita est. Omnis ergo arbor quæ
non fecerit fructum bonum, excidetur et
9 in ignem mittetur. *Et feci propter nomen
meum,* id est, ob meum honorem eis pe-
perci, *ut non violaretur coram gentibus
in quarum medio erant.* Multi enim Chri-
stianorum olim habitaverunt, imo et nunc
habitant inter gentiles : qui si viderent
Christianos peccantes mox plagari et tolli,
dicerent Deum Christianorum nimis cru-
delem : quum tamen ad omnem præsiden- D
tem spectet clementia, secundum quod
Prov. XX, 28. Salomon in Proverbiis asserit, Roboratur
clementia thronus regis ; *inter quas appa-
rui eis,* per Apostolorum et aliorum san-
ctorum prædicationem, vel illuminationem
internam, *ut educerem eos de terra Ægy-
pti,* id est consortio gentium sæculari :
quæ gentes reputassent legem suam salu-
briorem lege Christianorum, si vidissent
Christianos peccantes statim tam rigorose
puniri.

Ejeci ergo eos de terra Ægypti, et eduxi 10
eos in desertum, id est ad locum Ecclesiæ,
quæ in principio pene a nullo habitaba-
tur, sed post Christi resurrectionem cœpit
a credentibus habitari. *Et dedi eis præce-* 11
pta mea, id est mandata Decalogi : de qui-
bus ait Legifer noster, Si vis intrare ad vi- *Matth.* XIX, 17.
tam, serva mandata ; *et judicia mea,* id est
evangelica consilia a me judicialiter seu
rationabiliter instituta, *ostendi eis* in Evan-
gelio ; *quæ faciens homo, vivet in eis,* per
gratiam salutarem. Lex quippe evangelica
ratione sacramentorum suorum continet
gratiam, et ad perfectionem adducit. *Insu-* 12
per et sabbata mea dedi eis, id est dies ce-
lebres, quos per prælatos Ecclesiæ institui
celebrandos. *Et irritaverunt me domus Is-* 13
rael, id est filii Ecclesiæ, *in deserto* præ-
fato. Statim enim in primitiva Ecclesia cœ-
perunt hæretici et alii impii pullulare.
*Dixi ergo, ut effunderem furorem meum
super eos.* Voluit enim eis Christus mox
inferre debitam pœnam, sed propter ma-
jus malum seu gravius scandalum vitan-
dum distulit, dicens : Sinite utraque cre- *Ibid.* XIII, 30.
scere usque ad messem.
Dixi autem ad filios eorum, id est di- 18
scipulos seu prolem carnalem : *In præ-
ceptis patrum vestrorum nolite incedere,*
sequendo eorum præcepta, divinis jussio-
nibus contraria. Obedire enim oportet Deo *Act.* V, 29.
magis quam hominibus. *Nec in idolis eo-
rum,* id est erroribus et peccatis, *pollua-
mini. Et exacerbaverunt me filii.* Videmus 21
enim quod posteri sæpe gravius peccant
quam prædecessores eorum : quibus com-
minatus est Christus atque pepercit, sicut
et patribus. Denique præcepta Christi in
se bona et optima, sunt istis non bona, in
quantum præceptis his cognitis et negle-
ctis sive omissis, gravius pereunt, Christo
dicente : Servus sciens voluntatem domini *Luc.* XII, 47.
sui, et non faciens, plagis vapulabit mul-
tis. *Et pollui eos in muneribus suis, quum* 26
offerrent omne quod aperit vulvam. Hoc
Dominus loquitur contra eos qui filios
suos ad ecclesiastica beneficia atque offi-
cia promovere nituntur, potius propter

temporale commodum, quam spiritualem A
profectum; et propter temporalem hono-
rem, quam virtutum amorem. Hi enim or-
dinem pervertentes, corporale præferunt
spirituali, temporale æterno.
27 *Adhuc et in hoc blasphemaverunt me*
28 *patres vestri, quum induxissem eos in*
terram Israel, id est Ecclesiæ militantis.
Viderunt omnem collem excelsum, id est
prælaturas et principatus vel altitudinem
sæcularis scientiæ, *et omne lignum nemo-*
rosum, id est infructuosorum hominum
collectiones, quibus præesse optabant. *Et* B
immolaverunt ibi victimas suas, etc., id
est, ea quæ ad Dei honorem facere vide-
bantur, perversa intentione egerunt, ad
placendum hominibus, atque ad conse-
29 quendum emolumentum terrenum. *Et dixi*
ad eos, per viros devotos, illorum vitia in-
crepantes : *Quid est excelsum, ad quod*
vos ingredimini? id est, quid est tempo-
ralis celsitudo, ad quam inaniter adspira-
tis? quasi dicat : Vana et fallax est; et
quum stare videtur, subito ruit, superbum-
31 que damnat. *Traducitis filios vestros per* C
ignem. Hoc agunt homines excæcati, qui
pro eo quod pueros virtutibus informa-
rent, vanitatibus assuefaciunt, atque per
vitiorum incentiva tendere docent.
32 *Neque cogitatio mentis vestræ fiet : Eri-*
mus sicut gentes. Frequenter quidam inu-
tiles Christiani cupiunt more gentilium li-
bere et impune peccare : quibus Christus
misericorditer obviat per adversa. Et im-
Luc. XIV, 23. pletur in eis quod ait Scriptura, Compelle
intrare; itemque quod Dominus loquitur
Osee II, 6. per Osee, Sepiam viam tuam spinis. Ideo D
regnare se dicit super eos in manu forti et
brachio extento, ac furore effuso : quia tot
adversitatibus eos exercet, quod tædio vi-
cti, despiciunt mundum. Sicque subjicit
35 eos sceptro suo. *Et adducam vos in deser-*
tum populorum, id est ad solitarium lo-
cum, ut ibi vos ipsos examinetis, et Deo
vacetis. Hinc Christus dixit discipulis :
Marc. VI, 31. Venite seorsum in desertum locum, et re-
quiescite pusillum. *Et judicabor vobiscum*
ibi facie ad faciem, id est, justus vobis
videbor : secundum sensum præcedenti
articulo (quo omnia plenius elucidata sunt)
positum. Hinc Dominus per Osee testatur :
Ducam eam in solitudinem, et ibi loquar *Osee* II, 14.
ad cor ejus.
Singuli post idola vestra ambulate, id 39
est, pristinis vanitatibus inhærete. Hoc Do-
minus ait ad impios subsannando, per
modum hominis suo servo rebelli et in-
corrigibili irascentis, eumque totaliter re-
pellentis. *In monte sancto meo excelso,* id 40
est in Ecclesia militante, *serviet mihi om-*
nis domus Israel, id est universi electi fi-
deles. *Ibi quæram primitias vestras,* etc.,
id est sacrificia spiritualia vel etiam cor-
poralia. *In odorem suavitatis suscipiam* 41
vos, id est, acceptos habebo vos, per hoc
quod eritis bonus odor meus in omni loco, II *Cor.* II, 15.
alios per bonam famam vestram ædifican-
do ad gloriam meam. *Et scietis,* per expe- 42
rientiam beneficiorum meorum, *quia ego*
Dominus, quum induxero vos in terram
Israel, id est, fide, caritate, et opere esse
vos fecero in Ecclesia, seu in mystico cor-
pore Christi. *Et recordabimini ibi viarum* 43
vestrarum et omnium scelerum vestrorum,
id est, pœnitentiam salutarem tunc faci-
etis, quam nemo extra Ecclesiam, id est
extra ecclesiasticam unitatem seu commu-
nionem, agere potest. *Et displicebitis vobis.*
Quanto Deus hominem magis illuminat,
tanto proprias ærumnas et culpas clarius
cernit, profundiusque perpendit : ac per
hoc amplius displicet sibi in se, et se to-
to corde contemnit; nec injurias graviter
tolerat, sed omni vilipensione dignum se
reputat.

Cetera innotescunt ex præcedenti arti-
culo. Et quod de moralitate ultimæ par-
ticulæ hujus capituli nunc omitto, in se-
quentis capituli explanatione locum ha-
bebit : eo donante, a quo bonum omne
descendit; cujus superoptimæ pietati, et
non nostræ æquitati, adscribere semper de-
bemus quidquid virtutis et gratiæ sortiti
fuerimus.

ARTICULUS XXVI

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI PRIMI : ET FACTUS EST SERMO DOMINI AD ME.

QUIA in fine præcedentis capituli dixit A
Propheta populum loqui ad ipsum,
quod per parabolas seu obscure loqueretur
ad eos, ita quod manifestam quærebant
narrationem; idcirco Dominus clare nunc
exprimit quod in fine præcedentis capi-
1 tuli metaphorice dixit. *Et factus est sermo*
2 *Domini ad me, dicens : Fili hominis, pone*
faciem tuam ad Jerusalem, id est, vultu
severo atque minaci versus eam intende :
ut ex ponendi ac inspiciendi modo designe-
tur adventus hostium contra eam, ejusque
punitio. Unde Septuaginta transtulerunt : B
Obfirma faciem tuam contra Jerusalem. *Et*
stilla, id est, prophetando loquere, *ad san-*
ctuaria, id est contra templum et Sancta
sanctorum quæ erant in templo; *et pro-*
pheta contra humum Israel.
3 *Et dices terræ Israel.* Per humum seu
terram, habitatores ejus intelliguntur. *Hæc*
dicit Dominus Deus : Ecce ego ad te ut
justus ultor adspicio, *et ejiciam gladium*
meum de vagina sua, id est, me volente ac
instigante, Chaldæi gladios suos contra te
evaginabunt, *et occidam* per manum Chal- C
dæorum *in te justum et impium.* Quamvis
enim habitatores Jerusalem pro maxima
parte sceleratissimi fuerint, aliqui tamen
boni ibi fuerunt, qui capta Jerusalem,
a Chaldæis occidebantur. Quemadmodum
etiam in captione Samariæ seu decem tri-
buum a Salmanasar rege Assyriorum, qui-
dam justi pariter capti fuerunt atque ab-
Tob. I, 2; VI, 11; IV, 21. ducti, sicut Tobias, et forsitan Raguel ac
Gabelus. Nec istud repugnat divinæ justi-
tiæ, quia frequenter Deus temporaliter af-
fligit electos sine eorum demerito, sicut D
Job I, II; *Tob.* II, 12. Job et Tobiam : non tamen sine rationabili
causa, quoniam ordinat eis adversa hu-
jusmodi ad gratiam ampliorem in via, glo-
riamque majorem in patria, item in pur-
gationem eorum a venialibus culpis, atque
ut aliis patientiæ detur exemplum. Sed vi-
detur his contrariari, quod supra jussit
Deus viros justos in frontibus signari cum *Ezech.* IX, 4, 6.
signo seu littera Thau, nec eos interfici.
Et respondendum, quod quidam illorum
justorum in vita sunt conservati, ut scri-
bitur ibi; quidam autem justi perimeban-
tur secundum divinæ dispensationis mode-
ramen irrimabile et supersapientissimum.
Pro eo autem quod occidi in te justum 4
et impium, idcirco egredietur gladius meus
de vagina sua, id est, me volente ac dispo-
nente, extrahent Chaldæi enses suos : qui
dicti sunt gladii Dei, quia divinæ justitiæ
exsecutores fuerunt; *ad omnem carnem,* id
est contra cunctas gentes, *ab austro usque*
ad aquilonem, id est a Jerusalem usque in
Babyloniæ regionem. Rationabile equidem
fuit, ut Deo non parcente justis veræ Dei-
tatis cultoribus, nec ceteris nationibus ido-
lolatriæ vitio sordescentibus parceret. *Ut* 5
sciat omnis caro, quia ego Dominus eduxi
gladium meum de vagina sua irrevocabi-
lem, id est impediri ab occisione hominum
non valentem : sicut in fine præcedentis
capituli dictum est, quod flamma combu- *Ibid.* XX, 47.
stionis Jerusalem non exstingueretur. Tan-
tam itaque hominum stragem fecit cum
suis rex Babylonis, quod universis innote-
scere potuit, quod non nisi divina potesta-
te id quiverit.
Et tu, fili hominis, ingemisce in con- 6
tritione lumborum, id est, tam vehementer
atque corde tenus geme, ut lumbi tui inde
quodammodo conteri videantur. Homines
quippe excessive mœsti ac gemebundi, vi-
ribus corporis solent destitui : quæ desti-
tutio per contritionem signatur lumborum.

Et in amaritudinibus ingemisce coram A
eis, id est coram Judæis tibi præsentibus,
ut gemitus tuus ex intimis ascendat vis-
7 ceribus. *Quumque dixerint ad te, Quare*
tu gemis? dices : Pro auditu, id est pro-
pter venientem contra Jerusalem exercitum
Chaldæorum, quem venturum diu audivi;
quia venit jam, et quod prædixi, statim
implebitur. Unde Septuaginta transtule-
runt : Propter nuntium, quia venit. *Et*
tabescet omne cor, id est, Judæorum in Je-
rusalem corda præ pavore deficient, *et dis-*
solventur universæ manus eorum, robur B
suum perdendo. Etenim deficiente corde,
a quo motus et sensus ad membra diffun-
ditur, membra mox fiunt invalida atque
trementia. *Et infirmabitur omnis spiritus,*
id est, mentes bellatorum Jerusalem, fidu-
ciam prævalendi audaciamque resistendi
amittent; *et per cuncta genua fluent aquæ.*
Naturale est namque, ut timore cogente
laxetur vesica, et contra hominis volunta-
tem defluat humor, quo genua quoque in-
terdum madescunt : quod et in magnis in-
firmitatibus accidere solet, ut postquam C
ægrotantium vires defecerint, non tantum
genua, sed lectuli etiam maculentur. *Ecce*
venit quod prædixi, *et fiet,* id est opere
ipso complebitur.
8 *Et factus est sermo Domini ad me, di-*
9 *cens : Fili hominis, propheta et dices : Hæc*
dicit Dominus Deus : Loquere tu, Ezechi-
el : *Gladius, gladius exacutus est et limatus.*
Bis nominat gladium, propter majorem at-
tentionem. Cur autem gladius Chaldæorum
exacutus limatusque referatur, consequen-
10 ter exponitur. *Ut cædat victimas,* id est, Ju- D
dæos instar victimarum in magna multitu-
dine perimat, *exacutus est; ut splendeat,* id
est, suo fulgore Judæos conterat, *limatus*
est. Deinde Dominus dirigit verbum ad re-
gem Babylonis. *Qui moves,* id est, concu-
tis, subvertis, et amoves, *sceptrum filii*
mei, id est regnum populi Judaici : qui in
Scripturis frequenter Dei filius appellatur,
Exod. IV, 23. sicut in Exodo, Dixi tibi, o Pharao, dimitte
Osee XI, 1. filium meum; et, Ex Ægypto vocavi filium
meum. Sæpe autem loquitur Scriptura de
toto populo, quasi de homine uno. *Succi-*
disti omne lignum, id est, omnes habitato-
res Jerusalem et Judææ abstulisti. *Et dedi* 11
eum, scilicet gladium, *ad lævigandum,* ne
pondere premat, sed *ut* commodius *tenea-*
tur manu, id est manibus regis ac populi
Chaldæorum, *ut sit in manu interficientis,*
id est regis præfati Judæos necantis.
Clama et ulula, fili hominis, compatien- 12
do Judæis, *quia hic* gladius *factus est,* id
est extentus, *in populo meo* Judæorum. *Hic*
gladius *in cunctis ducibus,* id est principi-
bus, *Israel* factus est : quia tam populum
quam principes devoravit. Distributio vero
ista, ut sæpius dixi, accommoda est : se-
cundum quod homines ex vehementi affe-
ctu loquentes, ad proprietatem verborum
parum attendunt, et per excessum loquun-
tur. *Qui fugerant, gladio traditi sunt cum*
populo meo. Hoc quidam exponunt de ali-
quibus regni decem tribuum, qui evase-
runt manus Salmanasar regis Assyriorum, IV *Reg.* XVII, 6; II *Par.* XXX, 25.
et postea habitaverunt in regno Juda tem-
poribus Ezechiæ : sicque cum populo regni
Juda per Nabuchodonosor postea puniti
fuerunt. Sed nequaquam reor illos adhuc
tempore Nabuchodonosor ac Sedeciæ (de
quibus jam sermo) vixisse : quod ex cata-
logo regum et tempore imperii eorum, fa-
cile probaretur ex quarto Regum libro.
Verius igitur istud exponitur de Judæis
habitatoribus urbium Juda, qui Chaldæo-
rum audientes adventum, urbes suas ter-
riti reliquerunt, atque Jerusalem ingressi
sunt, putantes se ibi defendi, ut patet in *Jer.* XXXVI, 9.
Jeremia. Nihilo minus quidam illorum cum
aliis interierunt gladio Chaldæorum.
Idcirco in signum doloris et stuporis
atque miraculi, *plaude super femur,* illud
percutiendo, sicque plangentis habitum
assumendo, *quia probatus est,* id est mihi 13
placitus atque a me approbatus, gladius
regis Babylonis contra Judæos; *et hoc, quum*
sceptrum, id est regnum Judæorum, *sub-*
verterit; et non erit, id est, ultra regnum
istud non durabit : quia in Sedecia habuit
finem, quantum ad regum unctionem. Si
quis autem instet, atque objiciat illud Ge-

Gen. XLIX, 10. nesis : Non auferetur sceptrum de Juda, et
dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium, utpote Christus : dicendum, quod hoc loco nomine sceptri intelligitur dignitas regia, secundum solitum propriumque ejus vigorem, qui fuit per divinam electionem sacramque unctionem, ac stabilem successionem : et hoc modo cessavit in Sedecia. Præinducta autem auctoritas, accipit sceptrum pro dignitate præsidentiali; et quamvis quidam de genere Machabæorum imposuerint sibi diadema, tamen non fuit per sacram unctionem, nec habuit permanentiam fixam, aut stabilem successionem : et palam, quia quod modicum est, pro nihilo reputatur.

14 *Tu ergo, fili hominis, propheta, et percute manum ad manum,* tanquam intime ejulans; *et duplicetur gladius ac triplicetur gladius interfectorum,* id est, per tuum ejulatum duplicandus triplicandusque designetur gladius Chaldæorum, interficientium populum Judæorum : ad insinuandum multitudinem interficiendorum ; et item, quoniam gladius iste ter venit con-
IV *Reg.* XXIV, 1, 10, 11; XXV, 1. tra Jerusalem, primo sub Joakim, secundo
sub Jechonia, tertio sub Sedecia. *Hic est gladius occisionis magnæ, qui obstupesce-*
15 *re eos,* id est Judæos, *facit, et corde tabescere,* ita quod fugiet ab eis mens atque consilium ; *et multiplicat ruinas,* id est occisorum mortes, ita quod multos occidet. *In omnibus portis eorum,* scilicet Judæorum, *dedi conturbationem gladii acuti,* id est perterritionem venientem ex gladio: quia Chaldæi urbe Jerusalem obtenta, sederunt in singulis portis ejus cum gladiis suis : quod cernentes Judæi, maxime turbabantur, nec egredi quibant ; *et limati ad fulgendum,* id est ad incutiendum Judæis timorem : victi enim hostium gladios fulgere videntes, terrentur; *amicti,* id est præparati, *ad cædem,* id est Judæorum occisionem.

16 *Exacuere,* o gladie, id est, Chaldæi te acuent, ut facilius penetres et occidas; *vade ad dexteram sive ad sinistram, quo-*
A *cumque faciei tuæ est appetitus,* id est, quocumque contra Judæos dirigaris, protinus prævalebis. Metaphorice quoque per gladium intelligit regem Babylonis, qui juxta desiderium suum ad omnem partem
occidit Judæos. *Quin et ego* Deus *plau-* 17
dam manu ad manum, id est, te taliter sæviente, ego applaudam, et justitiæ congratulabor. Quidam per plausum hunc intelligunt planctum, ita ut Deus perhibeat se populi sui ruinam deflere, per quamdam metaphoram. Sed hoc ordini textus
B non consonat, ideo prima expositio quæ Hieronymi est, melior judicatur. *Ego Dominus locutus sum,* id est, ista irretractabiliter implenda decrevi.

Et factus est sermo Domini ad me, di- 18
cens : Et tu, fili hominis, pone tibi duas 19
vias, id est, per considerationem tibi ipsi propone duas vias in bivio concurrentes, *ut veniat gladius regis Babylonis* per alteram earum contra Jerusalem. *De terra una egredientur ambæ,* id est, duæ hæ viæ a capite uno incipient, seu uno itinere
C Chaldææ. *Et manu capiet conjecturam,* sagittas mittendo in pharetram, commiscendoque eas, quas nominibus Jerusalem et Rabbath signavit, ut videret quæ sagitta primo exiret, atque sic cognosceret quam harum civitatum primo invaderet. *In capite viæ civitatis conjiciet,* id est, in principio viarum civitatum conjecturam hanc faciet. Nempe, ut scribit Hieronymus, quum rex Babylonis cum suo exercitu de Chaldæa per iter unum exisset, et per desertum ad bivium terræ Arabiæ quæ vocatur
D filiorum Ammon, venisset, et duas ante se vias vidisset, quarum una ad Jerusalem duxit ad dexteram partem, alia ad Rabbath civitatem metropolim filiorum Ammon ; recordatus est internecionis quæ accidit
Sennacherib regi Assyriorum sub Ezechia, IV *Reg.* XIX, 35.
quando centum octoginta quinque millia una nocte ab angelo cæsa sunt. Idcirco formidabat contra Jerusalem declinare, stetitque in ipso compito, et ritu gentilitatis suæ quæsivit oraculum seu divinationem, mittens sagittas in pharetram modo præ-

20 tacto. Ideo subdit : *Viam ponens ut veniat
gladius, id est, viam unam considerans,
ut per eam cum gladio suo tenderet, *ad
Rabbath* civitatem *filiorum Ammon et ad
Judam,* id est populum Judæorum, *in Je-
rusalem munitissimam,* quia triplici muro
fuerat clausa : ad quam voluit per aliam
viam procedere.

21 *Stetit enim rex Babylonis in bivio, in
capite duarum viarum, divinationem,* id
est futurorum prænuntiationem, *quærens,
commiscens sagittas,* ut dictum est. Aliqui
tamen affirmant, quod in una sagitta scri-
psit Jerusalem, in alia Rabbath, projecit-
que has simul in altum, accipiens pro
conjectura, quod iret ad civitatem cujus
sagitta caderet primo, ceciditque in primis
sagitta Jerusalem. *Interrogavit idola* quæ
colebat, *exta consuluit,* viscera animalis
idolis oblati considerando : per talia quip-
22 pe divini conjiciebant. *Ad dexteram ejus
facta est divinatio super Jerusalem,* id est,
quælibet divinationum istarum, quarum
prima fuit per commixtionem sagittarum,
secunda per interrogationem idolorum, ter-
tia per consultationem extorum, concurrit
in hoc, quod iret ad dexteram per viam
ducentem Jerusalem; *ut ponat* contra eam
arietes ad dejectionem murorum, *ut ape-
riat os in cæde,* id est, Judæos occidi præ-
cipiat, atque in cæde eorum gaudens voci-
feretur, *ut elevet vocem suam in ululatu,*
concitando ululatum pugnæ in suo exer-
citu, per hoc ad prælium eos exhortans, *ut
ponat arietes contra portas,* id est talia
instrumenta ad portas confringendas, *ut
comportet aggerem,* ad fossas implendas,
ut ædificet munitiones extra Jerusalem,
Ezech. IV, 2. per quas eam impugnet. Verba hæc supra
sunt explanata.

23 *Eritque quasi consulens frustra oracu-
lum in oculis eorum :* id est, Sedeciæ regi
Juda, ejusque populo apparebit, quod rex
Babylonis inaniter quæsivit divinationem
contra Jerusalem, quia putabant urbem ob
suam fortitudinem ab ipso expugnari non
posse. *Et sabbatorum otium mutans**, id
est, hoc quoque eis videbitur, quod rex

* alias *imitans*

A ipse frustra immutet otium, id est, quie-
tem sabbati. Nam diebus sabbatorum in-
sultum fecit urbi Jerusalem, per quod qui-
etem dierum horum turbavit, provocans
Judæos ad resistendum ab intra, sed Ju-
dæi reputabant eum frustra conari. *Ipse
autem* rex Babylonis *recordabitur iniqui-
tatis,* id est prævaricationis pacti a Sedecia
commissæ, qui juramentum regi Babylonis
præstitum fregit, impietatis quoque popu-
li sui divina mandata transgredientis, *ad
capiendum* ipsam Jerusalem, quia ex hac
B illorum impietatis consideratione speravit
prævalere, præsumens Deum eorum sic ab
eis offensum, quod ipsis nequaquam auxi-
liaretur. Hinc princeps militiæ regis Ba-
bylonis, dixisse legitur ad Jeremiam : Do- *Jer.* XL, 2, 3.
minus Deus tuus locutus est malum hoc
super locum istum, et adduxit; et fecit
Dominus sicut locutus est, quia peccastis
Domino, et non audistis vocem ejus, et
factus est vobis sermo hic.

Idcirco hæc dicit Dominus Deus : Pro 24
eo quod recordati estis, tu, Sedecia rex Ju-
C da, tuusque populus, *iniquitatis vestræ*
ad permanendum in ea, seu reiterandum
hanc ipsam, *et revelastis prævaricationes
vestras,* eas sine rubore manifestando ac
continuando, *et apparuerunt peccata ve-
stra* foris per operationem, *in omnibus
cogitationibus vestris* ante latentia et oc-
culta, *manu capiemini,* id est manibus
Chaldæorum comprehendentium.

Deinde increpatur rex Juda : *Tu autem,* 25
profane, impie dux Israel, id est, Sede-
cia rex Judæorum, qui profanus fuisti in
D Deum per idololatriam, impius in regem
Babylonis per pacti transgressionem, *cujus
venit dies* punitionis *in tempore iniquita-
tis præfinita,* id est divinitus constituta
atque prævisa, implenda in tempore ini-
quitatis tuæ. *Hæc dicit Dominus Deus :* 26
Aufer cidarim, tolle coronam, id est pro-
pter te et sacerdotium et regnum deficiet.
Cidaris autem est mitra pontificis. Sacer-
dotes autem et pontifex cum Sedecia capti
fuerunt. *Nonne hæc* corona *est quæ humi-
lem sublevavit, et sublimem humiliavit?*

id est, reges Juda olim se bene habentes,
instar Dei elevaverunt humiles, et humiliaverunt
superbos, ut patet in David, Ezechia,
Josia, etc. Ideo iste Sedecias nunc
agens oppositum, gravius est puniendus.
27 Ideo sequitur : *Iniquitatem, iniquitatem,
iniquitatem ponam eam,* id est, coronam
hanc Sedeciæ totaliter reprobabo in ipso
ac puniam. *Et hoc non factum est, donec
veniret cujus est judicium,* id est Nabuchodonosor,
cui datum est judicare Sedeciam
ac populum ejus. Unde quarto Regum
IV Reg. xxv, 6. scriptum est, quod locutus est cum
Sedecia judicium. *Et tradam ei,* scilicet
regi Babylonis, coronam seu regnum regemque
Juda. S. Hieronymus exponit hoc
aliter, ut sit sensus : Et hoc non factum
est, donec veniret cujus est judicium, id
Joann. v, 22. est Christus, cui Pater dedit omne judicium.
Nam usque ad ejus adventum habuerunt
Judæi ducem atque pontificem,
ita quod corona et cidaris non fuerunt
prorsus ablatæ. Et tradam ei, quia Pater
dedit Christo regnum atque sacerdotium,
et ipse est rex atque pontifex noster. Porro
juxta hunc sensum etiam illud, Iniquitatem,
iniquitatem, iniquitatem ponam eam,
aliter oportet exponi, videlicet coronam et
cidarim, seu regiam dignitatem et sacerdotium
Judæorum penitus derelinquam :
quod impletum est tempore Christi, in quo
finitus est status veteris testamenti.

Consequenter agitur de Ammonitarum
28 punitione. *Et tu, fili hominis, propheta et
dic : Hæc dicit Dominus Deus ad filios
Ammon, et ad opprobrium eorum* activum,
quod dixerunt de populo Israel, quem
contempserunt; vel, ad opprobrium eorum
passivum, quod a Chaldæis imminet eis.
*Et dices : Mucro, mucro, evagina te ad
occidendum,* id est, o gladie Babyloniorum,
evaginare, ut Ammonitas occidas; *lima
te,* id est, limatus sis modo præhabito,
ut interficias et fulgeas ad terrorem incu-
29 tiendum necandis, *quum tibi viderentur
vana, et divinarentur mendacia.* Pro cujus
intellectu sciendum, quod rex Babylonis
pergendo contra Judæos et Ammoni-
A tas, interrogavit idola ac divinos, a quibus
suscepit responsum, quod habiturus esset
victoriam : et quoad hoc, non sibi divinabatur
mendacium. Verumtamen in hoc fuit
ibi vanitas atque mendacium, quod victoria
ista sibi promittebatur virtute deorum
suorum ac sortilegiorum. *Ut dareris,* o mucro,
super colla vulneratorum impiorum,
id est Ammonitarum a te vulnerandorum,
quorum veniet dies, id est hora punitionis,
in tempore iniquitatis præfinita, id est, a
Deo prædisposita et præfixa, complenda
B in tempore iniquitatis ipsorum.

Postremo agit Propheta de Chaldæorum
destructione, qui licet in præinductis impiorum
punitionibus fuerint ministri divinæ
justitiæ, non tamen recta id intentione
fecerunt, imo crudeliter et perverse, idcirco
et ipsi destrui meruerunt. *Revertere,* 30
o mucro, *in vaginam tuam, in locum in
quo creatus es,* scilicet in Chaldæam. *In
terra nativitatis tuæ judicabo te* reum destructionis.
Hic per mucronem intelligitur
rex et populus Chaldæorum. *Et effundam* 31
C *super te indignationem meam,* id est debitam
pœnam. *In igne furoris mei sufflabo
in te,* id est, in districtione justitiæ meæ
te destruam ac resolvam. *Daboque te in
manus hominum insipientium,* id est Persarum
et Medorum, gentilium verum Deum
ignorantium, *et fabricantium interitum,*
id est, aliud nihil nisi occisionem Babyloniorum
quærentium, quemadmodum per
Isaiam Dominus prænuntiavit : Suscitabo, Is. xiii, 17, 18.
inquiens, super eos Medos, qui argentum
non quærant et aurum, sed sagittis parvu-
D los interficiant. *Igni cibus eris,* id est, per 32
pœnam gravissimam Medorum peribis et
consumeris, et *sanguis tuus erit in medio
terræ,* id est, in medio Chaldææ fundetur.
Oblivioni traderis. Quomodo verum est
hoc, quum præsentem usque in diem in
omni recordatione Babylon habeatur? Et
respondendum, quod oblivioni dicitur tradita,
quoad ea quæ ad præconium pertinent,
et quia irreparabiliter est destructa.
Sic enim in Isaia Dominus ait : Perdam Ibid. xiv, 22.
nomen Babylonis. Unde in Proverbiis Sa-

Prov. x, 7. lomon profitetur : Memoria justi cum laudibus, nomen autem impiorum putrescet. Hæc itaque fient, *quia ego Dominus locu-*
A *tus sum* hæc esse ventura : cujus scientia est causa rerum; cujus dixisse, fecisse est, secundum Hieronymum.

ARTICULUS XXVII

DE INTELLECTU EJUSDEM CAPITULI VICESIMI PRIMI MYSTICO.

QUOD in elucidati jam capituli principio
litteraliter dictum atque expositum
est de adversitate et punitione Jerusalem
illius terrenæ seu Synagogæ, spiritualiter
accipi potest de militanti Ecclesia, ejusque
castigatione ac persecutione, præsertim illa
quæ fiet per Antichristum, et nunc
quotidie fit per invisibilem hostem diabolum.
Nempe in fine sæculi per Antichristum
implebitur, quod ait nunc Do-
3 minus : *Ecce ego ad te,* o Ecclesia, *et
ejiciam gladium meum de vagina sua,*
videlicet Antichristum, ejusque impugnationem
: qui Deo permittente vastabit Ecclesiam,
et non sine ejus demeritis, quoniam
instante Antichristi adventu discessio
erit, et pessima Christianorum vita. *Et
occidam in te justum et impium.* Bonos
etenim Christianos occidet Antichristus in
corpore, malos autem in anima, magis
quam ante occisi fuerunt per vitia. Simili
modo occiduntur quotidie a diabolo boni
et pravi, dum boni tentationibus superantur,
et pravi ad vitia graviora labuntur,
uno peccato mortali in aliud pertra-
4 hente. *Pro eo autem quod occidi in te
justum et impium, egredietur gladius meus
ad omnem carnem.* Antichristus enim omnes
ceteros qui christiani non sunt, fallendo
occidet, spiritualiterque necabit. Quod
et quotidie facit diabolus, quia testante
Job xl, 18. beato Job, Absorbet fluvium nec miratur.
Pro tanto igitur malo ait Dominus unicuique
vere devoto, Deum proximumque
6 sincere amanti : *Et tu, fili hominis, in-*
7 *gemisce. Quumque dixerint ad te* filii hu-
B jus sæculi, qui nunc rident, et consolationes
suas habent, atque de gemitu, planctu,
mœrore timoratorum mirantur, quoniam
novissima sua infelices non provident, *di-* Deut. xxxii,
ces : Pro auditu, quia venit, id est pro- 29.
pter ista pericula quæ Ecclesiæ advenire
cognovi, omnique die adveniunt. *Et tabescet
omne cor, et dissolventur universæ
manus, et infirmabitur omnis spiritus,*
etc. Antichristo equidem veniente et persequente,
magnus erit terror fidelium, et
multi deficient. Erit enim, ut Christus te-
C status est, persecutio tanta, ut si fieri
possit, in errorem inducantur etiam ele- Matth.
cti. Porro quotidie in tentatis et victis a xxiv, 24.
dæmone cor tabescit, vigorem gratiæ amittendo.
Manusque dissolvuntur ab opere
bono, et spiritus infirmatur in resistendo
peccatis, succumbendoque eis. Quocontra
scriptum est secundo Paralipomenon :
Confortamini, et non dissolvantur manus II Par. xv,
vestræ ; erit enim merces operi vestro. 7.
Gladius exacutus est, ut cædat victi- 9, 10
mas; limatus est, ut splendeat. Gladius
D etenim Antichristi acutissimus erit, ut homines
corporaliter spiritualiterque occidat
ut pecora. Erit quoque limatus, ut splendendo
perterreat Christianos. Ita et gladius
diabolicæ tentationis acutus ac limatus
consistit, in tantum ut intima animæ penetret,
ac devotos conterreat. *Qui moves
sceptrum filii mei,* id est tu, Antichriste,
qui regnum Christi Filii Dei demolieris
in mundo : quod et diabolus jugiter aliqualiter
destruit, quosdam a Christi servitute
avertens ; *succidisti omne lignum,* id

est, omnes pene Christianos, vel quosdam
de omni genere Christianorum, exstirpa-
bis et vinces. Diabolus quoque id spiri-
tualiter efficit quotidie, innumerabilesque
supplantat, præcipue ligna arida, quæ fru-
12 ctum non ferunt. *Hic* gladius *factus est*
in populo meo christiano, *in cunctis du-*
cibus Israel, id est in prælatis principi-
busque Ecclesiæ, qui, proh dolor! nunc
gravius vulnerantur gladio diabolorum,
quam alii, ita ut a majoribus et his qui
alios regere habent, egrediatur iniquitas.
Hinc sub persona Prophetæ omnis electus
et pius flere jubetur, compati, et orare.
14 *Tu ergo, fili hominis, propheta; et du-*
plicetur gladius ac triplicetur: ad insinu-
andum quod gladius Antichristi summe
augebitur, desæviet, atque innumeros per-
imet. Quod certum est, omni hora de dia-
boli gladio verificari, præsertim nunc cari-
tate refrigescente, impietateque abundante.
Dan. XII, 1. Propter quod in Daniele legitur: Veniet
tempus quale non fuit, ex quo gentes esse
cœperunt, usque ad tempus illud. In Mat-
Matth. XXIV, 21. thæo quoque ait Salvator: Erit tunc tri-
bulatio magna, qualis non fuit ab initio
usque modo, neque fiet. Ideo subditur:
Hic est gladius occisionis magnæ, per an-
tonomasiam, *qui obstupescere eos facit:*
Is. XIII, 8. sicut et Isaias loquitur de quibusdam, Do-
15 lores et torsiones obtinebunt. *In omnibus*
portis, id est sensibus, *eorum dedi con-*
16 *turbationem. Vade,* o gladie Antichristi et
impugnatio diaboli, *ad dexteram sive ad*
sinistram. Christus enim permittit om-
nes nunc a dæmonibus impugnari; tunc
quoque universos sinet ab Antichristo va-
19 stari. *Fili hominis, pone tibi duas vias,*
21 *ut veniat gladius regis Babylonis,* etc.
Stetit enim rex Babylonis in bivio, in
capite duarum viarum. Sicut præcedenti
articulo ista exposita sunt de Nabucho-
donosor rege Babylonio, et regno Juda, ac
filiis Ammon; sic spiritualiter intelligun-
tur de Antichristo atque diabolo, quorum
uterque est rex Babylonis, id est princeps
confusionis inordinationisque vitiorum, et
de populo christiano, cui ac aliis gen-

A tibus sæpius prævalet. Stat ergo diabolus
semper in capite omnis viæ, considerans
quos primo impugnet. Magisque cupit ad
partem dexteram declinare, hoc est Chri-
stianos et bonos tentare: quos si vide-
rit confidentes, recordatur iniquitatis eo-
rum, sicque fiducialius eos aggreditur,
ac diversis machinamentis superare moli-
tur; imo et prævalet, dum illi priorum
iniquitatum suarum recordantur ad per-
severandum in eis. Similiter faciet Anti-
christus.

B *Tu autem, profane, impie dux Israel,* 25
aufer cidarim, tolle coronam. Istud ad 26
quemlibet sæcularem principem christia-
num, et contra omnem episcopum ac præ-
latum carnalem, mundanum seu negligen-
tem, loquitur Deus, quod divina ultione
tangetur, et concessam sibi potestatem
amittet. Quo denique major atque poten-
tior fuit, eo graviora supplicia in æternum
sustinebit: etenim quantum glorificaverit *Apoc.* XVIII, 7.
se, et in deliciis fuerit, tantum dabitur ei
de luctu atque tormento inferni. *Et hoc* 27
C *non factum est, donec veniret cujus est*
judicium: id est, istud perfecte non fiet
ante secundum Christi adventum, cujus
est judicare vivos et mortuos. Interim
quippe non in toto deficiet regia sacer-
dotalisque militantis Ecclesiæ potestas ac
dignitas. Sed nec plenaria retributio erit,
nisi post resurrectionem communem ac
universale judicium.

Hæc dicit Dominus Deus ad filios Am- 28
mon, id est gentiles: *Mucro* diaboli et
Antichristi, *evagina te ad occidendum.* Ta-
D les namque spiritualiter modo a dæmone
occiduntur, tuncque ab Antichristo fal-
lentur. Postremo, quum dæmon et Anti-
christus omnem suam persecutionem ac
pravitatem impleverint, tunc et ipsi in lo-
cum suum, videlicet in infernum, æter-
naliter projicientur. Idcirco de quolibet
eorum subjungitur: *Revertere in vaginam* 30
tuam, puta in gehennam, *in locum in quo*
creatus es, quasi venturus ad eum, non
quasi ibidem primo esse sortitus. *In terra*
nativitatis tuæ, quantum ad esse culpæ,

seu fixionis et continuationis in ea, *judi-*
cabo te, per reprobationem in die judicii.
31 *Et effundam super te indignationem me-*
am, scilicet pœnam æternam, *daboque te*
in manus hominum insipientium, id est,
A simul cum illis et inter manus illorum
peribis. *Igni infernali cibus eris*, non ta- 32
men consumeris; *oblivioni traderis* a Deo,
quoniam nunquam a suppliciis erueris.
Cetera patent ex præcedenti articulo.

ARTICULUS XXVIII

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI SECUNDI : ET FACTUS EST SERMO DOMINI.

HOC jam declarando capitulo descri-
buntur gravissima scelera populi Ju-
da, sub nomine Jerusalem, ut omnibus
pateat quam justo Dei judicio fuerint urbs
Jerusalem et populus Judæorum manibus
1 traditi Chaldæorum. *Et factus est sermo*
2 *Domini ad me, dicens : Et tu, fili homi-*
nis, non judicas (id est, imo judicare et
reprehendere debes ex tuo officio, quum
Ezech. III, 17. datus sis speculator domus Israel) *civita-*
3 *tem sanguinum*, id est Jerusalem? *Et os-*
*ostendes *tende* ei omnes abominationes suas*, id
est abominabilia vitia, *et dices : Hæc dicit*
Dominus Deus : Civitas effundens sangui-
nem innocentium *in medio sui* tu es. Di-
citur autem civitas egisse quod habitatores
ejus fecerunt : quorum aliqui crudelissimi
exsistentes, multos innocentes in Jerusa-
Reg. XXI, lem occiderunt, præsertim Manasses. *Ut*
veniat tempus ejus, id est dies suæ de-
structionis. *Ut*, tenetur hic concomitanter,
non directe causaliter. Non enim ideo pec-
caverunt ut punirentur, sed peccata eorum
debita secuta est pœna. *Et quæ fecit idola*
contra semetipsam, id est contra propriam
salutem, *ut pollueretur* vitiis idololatriæ.
Tenetur autem et hic, *ut*, concomitanter.
4 *Appropinquare fecisti dies tuos* : id est,
tempus tuæ punitionis diu prænuntiatum
atque dilatum, propter enormitatem im-
pietatum tuarum fecisti jam proximum
esse ; *et adduxisti tempus annorum tuo-*
rum, in quibus debite punieris.
Propterea dedi te opprobrium gentibus,
B *et irrisionem universis terris quæ juxta*
sunt, et quæ procul a te : id est, tan- 5
tam tibi per Chaldæos calamitatem induxi,
quod omnibus tuam cladem noscentibus,
facta es materia exprobrationis ac deri-
sionis : quemadmodum in Jeremia pro-
pheta copiose describitur. *Triumphabunt* Jer. XVIII, 16; XIX, 8, etc.
de te adversarii tui, *sordida* peccatis, *no-*
bilis origine ac habitatoribus, tanquam
metropolis regum atque pontificum civi-
tas ; vel, Nobilis in malis, quæ olim in
bono omnibus urbibus eras nobilior : sicut
C in Evangelio Barabbas nuncupatur vin-
ctus insignis. *Grandis interitu* : quoniam Matth. XXVII, 16.
multi corruerunt, et corruent in te, et quo
eras major honore et gloria, ita et gran-
dior miseriis et ruina.
Ecce principes Israel singuli in brachio
suo fuerunt in te ad effundendum sangui- 6
nem innocentem. Loquitur autem de in-
justis judicibus atque principibus, qui
non virtute justitiæ, sed proprio robore
præfuerunt. De quibus scriptum est in
Isaia : Principes tui inobedientes *, so-
D cii furum. *Patrem et matrem contumeliis* Is. I, 23. *infideles
affecerunt in te, maledicendo eis, vel alio 7
modo : quod est contra legem divinam
ac naturalem, quum Moyses dicat, Qui
maledixerit patri vel matri, morte moria- Exod. XXI, 17; Lev. XX, 9.
tur. In Ecclesiastico quoque legitur : Quam
malæ famæ est qui derelinquit patrem ! et Eccli. III, 18.
est maledictus a Deo, qui exasperat ma-
trem. *Advenam calumniati sunt in medio*
tui, quum ei sufficere possit pro angustia

peregrinatio atque exsilium a patria sua. *Pupillum et viduam contristaverunt apud te.* Quanto personæ istæ magis destitutæ sunt humano solatio, eo iniquius est eas opprimere. Propter quod in Deuteronomio
Deut. x, 18. scriptum est : Deus facit judicium pupillo et viduæ, amatque peregrinum. Unde secundum Hieronymum, omne præsidium
8 istorum est in legum justitia. *Sanctuaria mea sprevistis,* in sacris templi locis idololatrias exercendo; *et sabbata mea polluistis,* opera servilia et iniqua facientes in eis.

9 *Viri detractores fuerunt in te ad effundendum sanguinem,* qui aliis detrahebant, eosque mendaciter vel dolose accusabant ut occiderentur : quod fuit gravissimum scelus. Quum enim detractio sit in se grave ac mortale peccatum, et gravius furto, tanto fit gravior, quanto ad deteriorem finem ordinatur. *Super montes comederunt in te,* id est in locis sublimibus ubi idololatrias exercebant. *Scelus operati sunt*
* medio tui *in te**. Forte per scelus designatur vitium contra naturam, quum et Isaias testetur :
Is. ii, 6. Pueris alienis adhæserunt. *Verecundiora*
10 *patris discooperuerunt in te,* novercas suas cognoscendo. *Immunditiam menstruatæ humiliaverunt in te,* feminas fluxum se-
11 minis patientes accedendo. *Unusquisque in uxorem proximi sui operatus est abominationem,* id est adulterium : quod caritati proximi vehementer repugnat. Unde
Jer. v, 8. et Jeremias : Unusquisque, inquit, ad uxorem proximi sui hinniebat. Verumtamen distributio ista cum restrictione intelligenda est, ut sit accommoda, non absoluta, ad insinuandum multitudinem adulterorum Jerusalem. *Et socer nurum suam polluit nefarie; frater sororem suam filiam patris sui oppressit in te.* Ecce peccata incestus prægrandis.

12 *Munera acceperunt apud te ad effundendum sanguinem,* pro pecunia aliquem occidentes, et occidi procurantes : quod est superenorme, multoque gravius, quam si fieret ex impetu passionis. *Usuram et superabundantiam accepisti,* o Jerusalem.

A Quid autem sit, usuram superabundantiamque accipere, et quæ sit inter hæc duo distinctio, dictum est in expositione capi- Ezech.
tuli octavidecimi. *Et avare proximos tuos* xviii, 8.
calumniabaris, extorquendo per vias injuriosas pecuniam, aut aliquid tale. *Meique oblita es,* non considerando præcepta mea, neque judicium quo te judicabo, nec præsentiam meam ac omniscientiam, qua universa intueor. Hæc autem oblivio, omnis peccati est mater : sicut econverso memoria Dei, ad omnium operationem virtutum B inducit. *Ait Dominus Deus.*

Ecce complosi manus meas, id est, po- 13
testatem meam terribiliter ordinavi ad ultionem, *super avaritiam tuam, et super sanguinem qui effusus est in medio tui,* id est ad puniendum tuam cupiditatem et crudelitatem. Loquitur autem Deus per modum hominis irascentis et ultionem minantis, quemadmodum in Numerorum libro Num. xxiv,
legitur Balac complosis manibus locutus 10.
ad Balaam. Propterea non videtur congrue dictum, quod quidam asserit, istud dici C per modum hominis dolore affecti. *Num-* 14
quid sustinebit cor tuum pœnam tibi infligendam? *aut prævalebunt manus tuæ* contra me vel Chaldæos, *in diebus quos ego faciam tibi,* id est, in quibus te puniam? quasi dicat : Deficies et succumbes. *Ego enim Dominus locutus sum,* hæc esse futura, *et faciam* quod prædixi. Tanquam diceret : Non tantum minaciter, sed assertorie dico hæc, propter quod certissime implebuntur : ita quod pertinent ad prophetiam prædestinationis, non commina-
D tionis dumtaxat. *Et dispergam te in na-* 15
tiones, id est inter Chaldæos, *et ventilabo te,* auferendo te de propria terra, *in terras gentilium, et deficere faciam immunditiam tuam a te :* id est, omnia ista pœnalia ad tuam emendationem dispono et ordino, atque per hæc adversa, ab idololatria tua ceterisque peccatis purgaberis, vexatione Is. xxviii,
intellectum donante : quod in quibusdam 19.
fuit impletum. Ex quo patet, quod pœnæ vitæ præsentis sunt medicinales, et quod ex rigore justitiæ videtur procedere, ex

paterna pietate potius frequenter proce-
dit; semperque actui æquitatis opus mise-
16 ricordiæ commiscetur. *Et possidebo te in*
conspectu gentium, per gratiam specialem
immunditia tua ablata, ita quod eris po-
pulus meus atque hereditas mea : juxta il-
Is. xix, 25. lud Isaiæ, Hereditas mea Israel. Hoc fuit
partim impletum in Babylone; plenius au-
tem in Judæa post reditum de Babylonica
captivitate.

17 *Et factum est verbum Domini ad me,*
18 *dicens : Fili hominis, versa est mihi do-*
mus Israel in scoriam : id est, vitiorum
immunditiis a se ipsa repleta est, quam
ego in magno decore creavi aut statui, sal-
tem quantum ad dona naturæ et gratiæ
gratis datæ. Nomine enim scoriæ desi-
gnantur sordes et purgamenta metallorum.
Ibid. i, 22. Unde et in Isaia Dominus ait : Argentum
tuum versum est in scoriam. *Omnes isti*
Jerosolymitæ, qui nunc domus Israel ap-
pellantur, *æs, et stannum, et ferrum, et*
plumbum, in medio fornacis, id est, simi-
les facti sunt istis metallis. Nam sicut
metalla hæc igni traduntur, ut aliam for-
mam recipiant, vel purgentur; ita et isti
igni tribulationis in Jerusalem dati sunt,
scilicet gladio, fami et pestilentiæ. Verum-
tamen in medio talis fornacis seu tribula-
tionis, *scoria argenti facti sunt :* quoniam
emendati non sunt plures ex eis, sed de-
teriorati.

19 *Propterea hæc dicit Dominus : Eo quod*
versi estis omnes, id est quidam de omni
genere vestrum, vel pene omnes, *in sco-*
riam, id est vitiosi ac sordidi facti; *pro-*
pterea ecce ego congregabo vos in medio
20 *Jerusalem congregatione argenti, et æris,*
et stanni, et ferri, et plumbi, in medio
fornacis : id est, sicut ista metalla simul
ponuntur in igne, ita tradam vos pariter
infra muros Jerusalem, quasi infra forna-
cem, manibus Chaldæorum; *ut succendam*
in ea ignem ad conflandum, id est, pœ-
nam gravissimam, quæ nomine ignis signa-
tur, vobis ibidem infligam ad occidendum
quamplurimos. Sed et civitas ipsa com-
busta fuit. *Et requiescam* ab ira mea. Lo-
A quitur enim Deus more itemque affectu
humano, cujus est, ultione ad libitum fa-
cta, ab iræ commotione quiescere. Quod
autem iste sit sensus hujus particulæ, pa-
tet ex subditis : *Et conflabo vos, et congre-* 21
gabo vos, et succendam vos in igne furoris
mei, et conflabimini in medio ejus, ut con- 22
flatur argentum in medio fornacis. Itaque
loquitur de populo isto sub metaphora ho-
rum metallorum.

Et factum est verbum Domini ad me, 23
dicens : Fili hominis, dic ei, id est civitati 24
B Jerusalem : *Tu es terra immunda,* id est
similis terræ quæ pro fructibus spinas et
tribulos germinat, *et non compluta in die*
furoris, id est divinæ ultionis, id est rore
cœlestis gratiæ non perfusa. Hoc dicitur,
quoniam habitatores Jerusalem infructuosi
erant ac vitiosi. *Conjuratio prophetarum* 25
in medio ejus. Fuerunt enim in urbe hac
falsi prophetæ, adversus sanctos Prophetas
et justos aliquando conjurantes : sicut et
contra Jeremiam dixerunt, Judicium mor- *Jer.* xxvi, 11.
tis est viro huic. *Sicut leo rugiens rapiens-*
C *que prædam, animas devoraverunt,* id est,
innocentes occiderunt vel deceperunt, *opes*
et pretium acceperunt, id est, facultates
eorum et falsorum vaticiniorum præmium
sibi vindicarunt, *viduas ejus multiplica-*
verunt, maritos eorum occidendo consilio
vel auxilio.

Sacerdotes ejus contempserunt legem me- 26
am, divina præcepta sine formidine trans-
grediendo; *polluerunt sanctuaria mea,* in
locis templi vitiis insistendo, idolaque co-
lendo. *Inter sanctum et profanum non*
D *habuerunt distantiam,* id est inter sacrifi-
cia licita et illicita, *et inter pollutum et*
mundum non intellexerunt, id est, inter
virtutes et vitia non discreverunt, *et a sab-*
batis meis averterunt oculos suos, ea non
considerando mentaliter, nec celebrando
fideliter. Hinc in Jeremia habetur : Sacer- *Jer.* ii, 8.
dotes non dixerunt, Ubi est Dominus ? *Co-*
inquinabar in medio eorum, id est, inho-
norabar ab eis, et quantum in ipsis fuit,
ostenderunt me esse impurum, cui tam
turpiter servierunt. Quocontra in Levitico

Lev. xxi, 6. ait Scriptura : Sacerdotes sancti erunt Deo A
suo, et non polluent nomen ejus. Et ite-
Ibid. x, 9, 10. rum Dominus dixit ad Aaron : Vinum et
omne quod inebriare potest, non bibetis
tu et filii tui, quando intrabitis in ta-
bernaculum testimonii, ne moriamini, et
ut habeatis scientiam discernendi inter
sanctum et profanum, inter pollutum et
mundum.
27 *Principes ejus in medio illius, quasi*
lupi rapientes prædam, ad effundendum
sanguinem, et ad perdendas animas ma-
lo exemplo, *et avare sectanda lucra :* in B
quo patet eorum crudelitas, irreligiositas
28 atque cupiditas. *Prophetæ autem ejus,* id
est pseudo Jerusalem, *liniebant eos absque*
temperamento, id est, confirmabant eos in
errore, persuasionibus non solidis, sed va-
nis, palliatis ac frivolis, *videntes vana,* id
est intuentes falsa atque phantastica, dæ-
monumque illusionibus præsentata, *et di-*
vinantes eis mendacia, dicentes, Hæc dicit
Dominus Deus, quum Dominus non sit lo-
cutus : finxerunt enim se habere revela-
29 tiones divinas. *Populi terræ,* id est vulga- C
res Judæi, *calumniabantur* quos poterant
calumnia, id est injuriose, *et rapiebant*
violenter impotentium bona. *Egenum et*
pauperem affligebant, et advenam oppri-
mebant calumnia, absque judicio, id est
injuriose, irrationaliter contra juris pro-
cessum. Populus ergo superiorum suo-
rum secutus est vitia.
30 *Et quæsivi de eis,* id est de universis
prædictis Judæis, *virum qui interponeret*
sepem, id est medium divinæ ultionis im-
peditivum, videlicet orationem idoneam, *et* D
staret oppositus contra me, id est, commi-
nationi seu iræ meæ resistere niteretur,
ejus impediendo effectum, *pro terra, ne*
dissiparem eam, id est, pro defensione po-
puli terræ Judææ atque Jerusalem, ne eos
vastarem. Ex quo innotescit, quanta sit
misericordia Dei omnipotentis ac adoran-
di, qui inter tot scelera mediatorem quæ-
sivit, et placari dignatus fuisset. *Et non*
inveni virum hujusmodi satis idoneum. Si
autem quis instet, quod in Jerusalem fue-

rat Jeremias fratrum amator, qui multum II Mach. xv, 14.
oravit pro populo, et Baruch ejus notarius,
ac alii quidam justi, in quorum frontibus Ezech. ix, 4.
scribebatur Thau, eo quod populi mala
gemendo deflerent : ergo Dominus invenit
ibi non unum dumtaxat orantem pro ter-
ra, sed multos. Insuper, quomodo Dominus
ait nunc quæsisse se mediatorem? quum
Jeremiam ab oratione prohibuerit, dicens :
Non assumas laudem et orationem pro eis, Jer. vii, 16; xi, 14; xiv, 11.
quia non exaudiam te. Imo apparet, quod
nec multos sanctissimos exaudisset, quum
Jeremiæ protestetur : Si steterint Moyses Ibid. xv, 1.
et Samuel coram me, non est anima mea
ad populum istum. Supra quoque locutus
est Deus, quod Job, Noe, et Daniel, nec Ezech. xiv, 14, 16.
filium nec filiam liberarent tempore va-
stitatis. Ad primum istorum quidam re-
spondent, quod quum dicitur, Quæsivi
virum, sensus est, Quæsivi viros justos in
numero sufficienti, ut propter illos parce-
rem populo : sicut in Genesi dixit se par-
cere velle civitati Sodomorum, si invenerit Gen. xviii, 32.
in ea decem justos. Juxta hoc insuper dici
possit, quod Jeremiam ab oratione prohi-
buit, quoniam vidit quod ipse solus vel
cum his qui tunc secum erant orantes,
non sufficerent ad impediendum populi
hujus interitum. Sed tunc objectio illa de
Moyse et Samuele, fortis videtur. Ad quod
etiam dici possit, quod tales oratores ut
Moyses et Samuel, potuissent sic multipli-
cari quod pro Jerusalem et Judæa exauditi
fuissent.

Et effudi super eos indignationem me- 31
am, in igne iræ meæ, id est zelo justitiæ,
consumpsi eos fame, gladio, peste et cap-
tivitate. Aliqui tamen manserunt residui.
Viam eorum, id est pœnam pro culpa ip-
sorum, *in caput eorum reddidi,* unum-
quemque pro suo peccato affligens, imo
et superiores ac deceptores pro omnium
iniquitatibus puniens.

Expositio spiritualis. PRÆTEREA, juxta intelligentiam spiritua-
lem, sicut Ezechieli Dominus jussit civita-
tem Jerusalem judicare, increpare, ejusque
peccata ei distincte ad memoriam revoca-

re; ita et unicuique prælato, pastori, doctori, seu prædicatori, præcepit Deus ecclesiam eorum qui sibi commissi sunt prudenter judicare, strenue increpare, et ejus excessus eidem proponere, ut divinum expavescant judicium, seque emendent. Ideo namque ad Timotheum jubet Apostolus : Argue, obsecra, increpa in omni patientia. (II *Tim.* IV, 2.) Porro qualiter impietates in isto capitulo de Synagoga descriptæ, in Ecclesia inveniantur, non oportet seriatim deducere, quum visui pateat. Annon in Ecclesia reperiantur, qui corporaliter sanguinem fundunt innoxium, vel etiam noxium, sed non secundum juris processum? Alii vero spiritualiter necant, qui scandalizando, consulendo, minando, aut alio modo aliquos ad peccandum mortaliter pertrahunt. Alii parentibus seu spiritualibus patribus vel matribus contumeliam inferunt. Alii advenas, pupillos, viduas, inopes, desolatosque facili occasione contristant, opprimunt, spoliant, vel affligunt. His igitur atque similibus sceleratissimis hominibus, qui ferrea habent viscera, Deus terribiliter comminatur, et complosis manibus se ipsis objiciet, faciens eis judicium sine misericordia, qui non fecerunt misericordiam. (*Jacob.* II, 13.) Denique, sicut conflantur in fornace ardente metalla, ita et ipsi in medio infernalium ignium conflabuntur.

26 *Sacerdotes ejus contempserunt legem meam,* etc. Istud conqueritur Christus contra sacerdotes Ecclesiæ negligentes, et ineruditos a Spiritu Sancto, et potissime contra eos qui vitam ducunt carnalem, qui vitiis gulæ atque libidinis obtenebrati, depressi, submersi, legem Dei sui contemnunt, Ecclesiam violant, in templo scurrilia proferunt, libidinose circumspiciunt; qui inter profanum et sanctum non habent distantiam, qui corpus et sanguinem Christi irreverenter tractant, indigne accipiunt, Christi corpus non dijudicantes, ideoque judicium sibi manducantes ac bibentes, et reos se corporis ac sanguinis Domini efficientes. (I *Cor.* XI, 29, 27.) Isti deinceps inter pollutum et mundum non intelligunt, pretiosum a vili non separant, inter lepram et non lepram discernere nequeunt, quum et ipsi pleni sint vitiis, nec attendunt; a sabbatis demum festisque diebus oculos suos avertunt, et more vulgi carnalitatibus vanitatibusque indulgent. Propterea coinquinatur Christus in medio eorum, quia et ipsi Dominum Salvatorem maxime inhonorant, ac suis exemplis pravissimis totum populum (quantum in ipsis est) ad divinæ legis transgressionem, et Christi inhonorationem inducunt : quum tamen ipsi econtrario interponere deberent sepem, et stare inter Deum et gregem suum oppositi : quod quia non faciunt, rei sunt culpæ ac pœnæ subditorum. Prælatus quippe et pastor incessabilibus precibus et actibus virtuosis jugiter debet conari, ne ira Dei super gregem sibi creditum irruat, ne damnetur, ne Deum offendat.

Principes ejus in medio illius, quasi 27
lupi rapientes prædam, etc. Istud Salvator conqueritur contra principes sæculares, potentes, ac divites sæculi, qui crudelitate et avaritia pleni, omni timore Dei postposito, inferiores angustant, contristant, vel spoliant.

ARTICULUS XXIX

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI TERTII : ET FACTUS EST SERMO DOMINI.

DENIQUE sermo divinus præsenti ca-
pitulo, totius Israeliticæ plebis, seu
duodecim tribuum peccata describit sub
similitudine personarum duarum inconti-
1 nentissimarum sororum. *Et factus est ser-*
2 *mo Domini ad me, dicens : Fili hominis,*
duæ mulieres, id est duorum regnorum
gentes, *filiæ matris unius,* quia ex eadem
stirpe exortæ, de Abraham et Sara per
3 Isaac et Jacob, *fuerunt ; et fornicatæ sunt,*
id est, idola coluerunt, *in Ægypto.* Quam-
vis enim duodecim tribus tunc nondum
fuissent in duo regna divisæ, tamen regna
ista materialiter et originaliter ibi fuerunt.
In adolescentia sua, id est tempore habi-
tationis earum in Ægypto, *fornicatæ sunt*
per idololatriam, mentem suam avertentes
a Deo sponso superno, eamque converten-
tes ad vana ac idola. *Ibi subacta sunt,* id
est ceciderunt, *ubera earum, et fractæ*
sunt mammæ pubertatis earum. Prosequi-
tur autem Propheta parabolam, designans
idololatriæ actum per carnalem concubi-
tum, in quo primo, puta in defloratione
juvencularum, ubera frangi dicuntur, quo-
niam mollificantur; nunc vero de spiritu-
4 alibus intendit uberibus. *Nomina autem*
earum, Oolla major, et Ooliba soror ejus
minor, id est, major vocata est Oolla, et
minor Ooliba. *Et habui eas* jure creatio-
nis, *et pepererunt filios et filias* in Ægypto,
in deserto, et in terra promissionis.

Consequenter declarat quid per mulie-
res has exprimatur. *Porro earum nomina,*
Samaria Oolla, id est, per sororem majo-
rem ac seniorem, puta Oollam, significatur
Samaria, seu decem tribus, quarum Sama-
ria fuit metropolis; *et Jerusalem* appella-
tur *Ooliba,* id est regnum Juda. Dicitur
autem Samaria soror major, propter plu-
A ralitatem plebis ac tribuum, et quoniam
primus dux populi Israel, fuit Josue de *Deut.* xxxi,
tribu Ephraim, pertinente ad decem tri- 7, 23; *Josue* i, 1, 6; *Num.*
bus. Regnum vero Juda, dicitur soror mi- xiii, 9.
nor, quia dumtaxat duas habuit tribus.
Recte quoque Samaria nuncupatur Oolla,
quod interpretatur tabernaculum, quia in
ea fuit tabernaculum idolorum, non Dei.
Nam primus rex decem tribuum, post su-
am promotionem mox populum suum tra- III *Reg.* xii,
xit ad idololatriam, seu aureorum vitulo- 20, 28.
rum adorationem. Jerusalem vero vocatur
B Ooliba, quod interpretatur tabernaculum
meum, quia in ea cultus Dei permansit.

Fornicata est ergo Oolla, id est decem 5
tribus, *super me,* id est ultra me qui fui
vir ejus, cum idolis se miscendo; *et insa-*
nivit, id est, mente insana ferebatur, *in*
amatores suos, in Assyrios propinquantes
ei, quantum ad situm localem, *vestitos* 6
hyacintho, principes et magistratus, ju-
venes cupidinis, id est concupiscentiæ et
libidinis provocativos, *universos equites.*
Insanitio ista in Assyrios est, quod ido-
C lolatriam Assyriorum secutæ sunt decem IV *Reg.* xvii,
tribus, et contra divinum præceptum ab 7 *et seq.*;
Assyriis postularunt auxilium, ut legitur xv, 19, 20.
quarto Regum. *Insuper fornicationes suas* 8
quas habuerat in Ægypto, non reliquit,
perseverans in Ægyptia idolorum cultura.
Nam et illi, puta Ægyptii, *dormierunt cum*
ea in adolescentia sua, id est, in idolola-
tria cum ea permixti sunt, *et confregerunt*
ubera pubertatis ejus, id est, mentem ejus
spiritualiter devirginaverunt, avertentes il-
lam a Sponso æterno. *Propterea tradidi* 9
D *eam in manus amatorum suorum,* videli-
cet *in manus filiorum Assur,* id est Assy-
riorum quos ipsa amavit, et ab eis petivit
auxilium. *Ipsi discooperuerunt ignomini-* 10

am ejus, id est, irreverenter eam tracta-
bant, *filios et filias illius tulerunt* in ca-
ptivitatem, *et ipsam occiderunt gladio.*
Istud impletum est, quando decem tri-
IV *Reg.* xv, 19, 29; xvii, 3-6. bus datæ sunt successive in manus Phul
et Theglathphalasar atque Salmanasar re-
gum Assyriorum, qui multos de eis occi-
derunt, et alios in terra sua captivos du-
xerunt. *Et factæ sunt famosæ mulieres*
Oolla et Ooliba, id est ubique divulgatæ ac
nominatæ, non propter virtutes et prospe-
ra, sed ob magnitudinem cladis ac vastita-
tis; *et judicia,* id est vindictas et pœnas,
secundum quod judicio eorum visum est,
perpetraverunt in ea, id est in Samaria
ipsi Assyrii.
11 *Quod quum vidisset soror ejus Ooliba,*
id est Jerusalem regnumque Juda, scilicet
dejectionem decem tribuum propter aver-
sionem earum a Deo, non se illarum ex-
emplo correxit, imo *plus quam illa insa-*
nivit libidine, id est affectu idololatriæ; *et*
fornicationem suam spiritualem, videlicet
idololatriam, *super,* id est ultra, *fornica-*
12 *tionem sororis suæ ad filios Assyriorum*
præbuit impudenter, per inverecundam
idololatriæ imitationem (unde et quarto
Ibid. xvi, 7, 8. Regum legitur Achaz ad regem Assyrio-
rum munera nuntiosque misisse, et amici-
tiam ejus atque succursum quæsisse), *du-*
cibus et magistratibus ad se venientibus
in auxilium ex parte regis Assyriorum, *in-*
dutis veste varia, equitibus et adolescenti-
bus forma cunctis egregia, id est prædeco-
13 ris : quorum idololatriæ communicavit. *Et*
vidi quod polluta esset via una ambarum,
id est, quod utriusque regni hujus idolola-
14 tria, esset una ac fœda. *Quumque vidisset*
Ooliba seu populus Juda *viros depictos in*
pariete, imagines Chaldæorum expressas
15 *coloribus, et accinctos balteis renes, et tia-*
ras tinctas in capitibus eorum pro signo
nobilitatis, *formam ducum omnium, simi-*
16 *litudinem filiorum Babylonis; insanivit*
super eos concupiscentia oculorum suo-
rum, eorum amicitiam, subventionem, ido-
lolatriamque expostulans magis quam cul-
tum et spem in Deo; *et misit nuntios ad*
A *eos in Chaldæam.* Joakim quippe et Sede-
cias reges Juda, illis annis quibus obedie- IV *Reg.* xxiv, 1, 17.
bant regi Babylonis, vicissim nuntios mi-
serunt ad eum in Babylonem : qui et suos
destinavit ad ipsos pro tributis et aliis
causis. De quibus subjungitur : *Quumque* 17
venissent ad eam filii Babylonis ad cubile
mammarum, id est idololatriæ loca, *pol-*
luerunt eam in stupris suis, id est idolo-
latriæ communionibus; *et polluta est ab*
eis, et saturata est anima, id est affectio,
ejus ab eis. Voluptas enim carnalis cito
B satietatem adducit. *Denudavit quoque for-* 18
nicationes suas, id est, idololatrias suas
non abscondit Chaldæis.
Et recessit anima mea, id est dilectio,
seu signum atque affectus dilectionis meæ,
ab ea, sicut a sorore ejus. Hinc apud Jere-
miam Dominus perhibet : Non est anima *Jer.* xv, 1.
mea ad populum istum. *Multiplicavit enim* 19
fornicationes suas, id est idololatrias, *re-*
cordans, id est recordando imitans, *dies*
adolescentiæ suæ quibus fornicata est per
culturam idolorum *in terra Ægypti,* an-
C tequam inde educeretur per Moysen. Lo-
quitur autem Dominus de toto populo is-
to, quasi de uno aliquo, sed non omnia
ad eosdem referuntur. *Et insanivit libi-* 20
dine super concubitum, id est idololatriæ
commixtionem *eorum, quorum carnes,* seu
verenda, *sunt ut carnes asinorum, et sic-*
ut fluxus seminis *equorum, fluxus eo-*
rum, videlicet Ægyptiorum. Quum autem
equus et asinus sint animalia nimium lu-
xuriosa, per hoc quod carnes et fluxus
seminis Ægyptiorum his brutis compara-
D tur, innuitur magnitudo ac multitudo ido-
lolatriæ Ægyptiorum. *Et visitasti,* id est, 21
visitanto reiterasti et continuasti, Ooliba,
scelus adolescentiæ tuæ, id est idolola-
trias tuas in Ægypto commissas, ita quod
instar procacissimæ fornicatricis, immun-
ditias adolescentiæ nec jam in graviori
ætate reliqueris.
Propterea, Ooliba, id est, Jerusalem, 22
hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego susci-
tabo omnes amatores tuos, id est Chaldæos,
quorum amicitiam idololatriamque com-

plexa es, *de quibus satiata est anima tua,* A
id est, a quorum pacto seu fœdere amicitiæ
recessisti : ut patet in Sedecia et populo
IV *Reg.* ejus, qui contra initum pactum regi Baby-
xxiv, 20; II lonis se opposuerunt; *et congregabo eos*
Par. xxxvi,
13.
24 *adversum te,* etc. *Et venient super te in-*
structi curru et rota. Lorica et clypeo et ga-
lea armabuntur contra te undique. Et dabo
coram eis judicium, id est vim judicandi
te ad libitum suum, *et judicabunt te judi-*
ciis suis, id est crudeliter, juxta consue-
25 tudinem suam, seu propriam legem. *Et*
ponam zelum meum, id est æquitatis ri-
gorem, *in te* per diram tui punitionem, B
quem exercent in te, tanquam exsecuto-
res divinæ justitiæ. *Nasum tuum et aures*
tuas præcident, id est, omnem tuum or-
natum auferent tibi : sicut adulteræ in im-
munditia deprehensæ nasus abscinditur;
et quæ remanserunt, id est, fame et peste
non interierunt, *gladio concident,* id est, a
Chaldæis trucidabuntur : quod fuit in mul-
tis impletum. Loquitur autem, cœptum
servans metaphoræ ordinem, de quibusli-
bet partibus populi, sub nomine femina-
rum. *Ipsi filios tuos et filias tuas capient:* C
IV *Reg.* xxv, sicut quarto Regum conscribitur; *et no-*
11. *vissimum tuum,* id est civitas Jerusalem
et templum, quæ aliis urbibus Judææ de-
molitis steterunt, *devorabitur igni,* id est
26 comburetur. *Et denudabunt te vestimen-*
tis tuis, quibus in idolorum cultu ornata
es, *et tollent vasa gloriæ tuæ,* id est, va-
sa et utensilia templi, quæ ad Dei cultum
27 fuerant consecrata. *Et requiescere faci-*
am scelus tuum de te, id est cessare ido-
lolatriam tuam, te occisa vel per pœnas D
correcta; *et fornicationem tuam,* id est
amicitiam et idololatriam tuam, cessare
faciam *de terra Ægypti,* ita quod ultra
ad regem Ægypti non confugies, nec in
ipso confides. Ideo subditur : *Nec levabis*
oculos tuos ad eos, et Ægypti non recor-
daberis amplius, ad confidendum in ejus
auxilio.

28 *Quia hæc dicit Dominus Deus : Ecce*
ego tradam te in manus eorum quos odi-
sti, videlicet Chaldæorum, a quorum ami-
citia recessisti. *Et agent tecum in odio,* id 29
est, invidialiter te tractabunt sine clemen-
tia, *et tollent omnes labores tuos,* id est
opes ac quælibet pretiosa tuis conatibus
congregata, *et dimittent te nudam et igno-*
minia plenam, id est depauperatam, maxi-
meque confusam. *Scelus tuum et fornica-*
tiones tuæ fecerunt hæc tibi, id est, propriis 30
excessibus ista supplicia incurristi. *In via* 31
sororis tuæ, id est peccatis et idololatriis
Samariæ, *ambulasti; et dabo calicem ejus*
in manu tua, id est, pœnam ejus tibi in-
fligam.

Hæc dicit Dominus : Calicem sororis 32
tuæ bibes profundum et latum, id est, pu-
nitionem ejus extentam, acutam et ve-
hementem gustabis. Quemadmodum enim
a medico quædam amara dantur pocula,
ut noxius humor corporum egeratur; sic
Deus dat calicem tormentorum meracissi-
mum, ut quidquid fellis et amaritudinis
est vitiorum, a peccatoribus auferatur, et
pristinæ eos restituat sanitati. *Eris* hosti-
bus tuis *in derisum et in subsannationem*
quæ est capacissima, id est maxima seu
præcipuæ miseriæ contentiva. *Ebrietate,* 33
id est excessiva suppliciorum degustatio-
ne, *et dolore repleberis. Et epotabis usque* 34
ad fæces, et fragmenta ejus devorabis : id
est, calamitate pœnarum tam exuberanter
repleberis, ut repletur corporali ebrietate,
qui præ aviditate totum potum cum fæci-
bus, quæ in fundo vasculi sunt, ebibit,
quasi et ipsum vasculum per frusta vellet
cum poculo absorbere. *Et ubera tua lace-*
rabis, id est, mentem tuam in te ipsa quo-
dam prægrandi dolore corrodes, instar for-
nicariæ quæ præ adversitatibus ubera sua
dilaniat. *Quia oblita es mei, et projecisti* 35
me post corpus tuum, id est, impudenter
me abjecisti, et corpus tuum ac animam
dæmonibus dedicasti : juxta illud Jeremiæ,
Verterunt ad me dorsum, et non faciem. *Jer.* II, 27;
Quod omnes agunt, qui corpus suum fa- XXXII, 33.
ciunt habitaculum dæmonis, et membra *Rom.* VI, 13.
sua exhibent arma iniquitatis peccato. *Tu*
quoque porta scelus tuum, id est digna
scelerum tuorum supplicia. Quod patien-

ter ferre debemus, et cum Michæa fateri : A
Mich. vii, 9. Iram Domini portabo, quia peccavi ei.
Consequenter loquitur Deus de utrius-
36 que regni plebe conjunctim. *Fili homi-*
nis, numquid judicas (id est, imo ex tibi
injuncto officio judicare, damnabilesque
37 describere debes) *Oollam et Oolibam? Quia*
adulteratæ sunt, id est, Sponso cœlesti
relicto, idolis dæmonibusque commixtæ,
et sanguis in manibus earum, id est, ef-
fusionis sanguinis reæ sunt, juxta illud
Is. i, 15. Isaiæ : Manus vestræ plenæ sunt sangui-
ne. *Insuper et filios suos quos genuerunt* B
mihi, id est cultui meo mancipandos, *ob-*
tulerunt eis ad devorandum, id est idolis,
ad comburendum eos igne ad idolorum
Ezech. xvi, 20. honorem, ut ante expositum est. *Sed et*
38 *hoc fecerunt mihi,* id est ad injuriam me-
am : *polluerunt sanctuarium meum in die*
illa, id est, in templo idola statuerunt et
IV *Reg.* xvi, 10-15; xxi, 4-7. coluerunt tempore Achaz et Manassæ, ut
scribitur quarto Regum.
40 *Miserunt* Oolla atque Ooliba *ad viros*
venientes de longe, ad quos nuntios mise-
rant, id est ad gentes alienas remote di- C
stantes, quarum idololatriam imitabantur.
Itaque ecce venerunt, ut te ritum colendi
idola sua docerent ; *quibus te lavisti, et*
circumlinisti stibio oculos tuos, et ornata
es mundo muliebri : id est, sicut adultera
adveniente amatore, corpus lavat, oculos
clarificat, vestimentis se polit ; ita et tu
ad exercendos idololatriæ actus te præpa-
41 rasti. *Sedisti in lecto pulcherrimo,* id est
in loco idololatriæ exercendæ aptissimo ;
et mensa ornata est ante te, id est altare
pro idolorum cultura ; *thymiama meum,* D
et unguentum meum, quorum usus esse
non debet nisi in meo obsequio, *posuisti*
super eam, utendo eis in idolorum cultu-
42 ris nefariis ; *et vox multitudinis exsultan-*
tis erat in ea : id est, multi in hac idolola-
triæ mensa cum gaudio consederunt, deos
suos variis efferentes præconiis. *Et viris*
qui de multitudine hominum adduceban-
tur, et veniebant de deserto, id est ama-
toribus suis ad se directis, videlicet idolo-
rum ministris præcipuis, *posuerunt* Oolla
et Ooliba *armillas in manibus eorum, et*
coronas speciosas, videlicet serta vel mi-
tras, *in capitibus eorum,* ornando eos, se-
cundum quod sacerdotes Dei ornari con-
sueverunt. *Et dixi ei quæ attrita est in* 43
adulteriis, id est idololatriis, scilicet Ool-
læ sive Oolibæ : *Nunc fornicabitur in for-*
nicatione sua cum idolis *etiam hæc. Et* 44
ingressi sunt ad eam idololatræ ; *quasi ad*
mulierem meretricem, sic ingrediebantur
ad Oollam et Oolibam mulieres nefari-
as. Ex quo liquet, quod Jerusalem et Sa-
maria instar meretricum impudenter ac
publice idololatriis ceterisque serviebant
peccatis.
Viri ergo justi sunt : id est, Assyrii qui 45
destruxerunt Samariam, et Chaldæi demo-
lientes Jerusalem, comparatione duarum
ac decem tribuum Israel, justi sunt : quo-
niam minus quam illæ peccaverunt, quum
nunquam Dei legem receperint ; et quia
divinæ justitiæ exsecutores circa Judæos
fuerunt. Ideo subditur : *Hi judicabunt eas*
judicio adulterarum et effundentium san-
guinem, id est judicio reprobationis ad
mortem, quemadmodum secundum le-
gem, adulteri et homicidæ judicabantur ad
mortem.
Hæc enim dicit Dominus Deus : Adduc 46
ad eas, id est, o Propheta, tuæ vocis hor-
tatu, ac prophetali eloquio adducendam
præsigna contra utriusque populum regni,
multitudinem nationum ; *et trade eas,* vi-
delicet Jerusalem et Samariam, *in tumul-*
tum et rapinam, ita ut perturbentur, su-
isque opibus spolientur. *Et lapidentur* 47
lapidibus populorum jam præfatorum, *et*
confodiantur gladiis eorum, ita ut diversi
diversis intereant necibus. *Et auferam* 48
scelus de terra, id est, idololatriam ac ce-
tera vitia, de Judæa decemque tribuum
regione faciam mox cessare, habitatoribus
ejus inde translatis aut interfectis. *Et di-*
scent omnes mulieres, id est ceteræ gen-
tes, *ne faciant secundum scelus earum,* id
est, ne sic rumpant initum fœdus, quem-
admodum Jerusalem cum Chaldæis, et Osee IV *Reg.* xxiv, 20 ;
rex Israel cum Assyriis, fœdus initum fre- xvii, 4.

git, ut scriptum est quarto Regum libro. A
49 *Et dabunt scelus vestrum super vos,* o Oolla atque Ooliba, id est, inexcusabiles vos censebunt, et punitionem vestram vestris imputabunt malitiis. *Et peccata,* id est pœnam pro peccatis, *idolorum vestrorum,* id est, quæ commisistis cum idolis vestris, *portabitis; et scietis* per effectum justitiæ meæ, et per impletionem verborum meorum, *quia ego Dominus Deus,* ad quem pertinent universalis causalitas, et providentia generalis distincta ac plena universorum : quod aliqui nec fide, nec ratione B cognoscere volunt, aut curant; sed necessaria eis experientia est pœnarum, quatenus in tribulatione murmuris, doctrina Dei innotescat eis.

Expositio spiritualis. Præterea, juxta mysticam expositionem, per Oollam intelligi possunt hæretici, vel sæculares seu laici; per Oolibam autem, ecclesiastici et religiosi seu clerici : quorum omnium tunc ubera franguntur, dum spirituales eorum sensus ad errores et vitia detorquentur; vel dum bonitatem ingenii sui atque synderesis, in terrenis at- C que carnalibus deprimunt. Isti demum in amatores suos insaniunt, dum majoribus hujus sæculi inordinate complacere desiderant, dum principibus et prælatis impie blandiuntur, dum personis speciosis et donis naturæ ornatis, sensualiter afficiuntur, inquietaque mente circa eas etiam in absentia occupantur, ita ut animo fixo, sincero ac libero intendere nequeant Deo. In quo et religiosi nonnulli vicissim incaute se habent, non satis pensantes quemadmodum angelus Satanæ transfiguret se (II Cor. XI, 14.) in angelum lucis, ita ut æstimet homo esse spiritualem amorem, qui vel naturalis est, vel (quod periculosius est) carnalis. Itaque cum istiusmodi personis spiritualiter fornicantur, dum mentis eorum affectio magis conjungitur atque inhæret illis quam Deo. Et tamen mentaliter interficiuntur ab eis, dum occasione eorum trahuntur ad vitia, vel carnaliter inflammantur. Denique religiosi et clerici, itemque Catholici vicissim gravius peccant quam alii. Et videntes viros depictos in pariete, id est filios hujus sæculi temporaliter deliciantes ac prosperantes, insanit concupiscentia oculorum suorum in eos, appetens hujuscemodi vanitates, et eos qui carnaliter florent, quasi beatificans in animo suo. Quocontra ait Scriptura de viro electo ac justo : Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, timentes autem Dominum glorificat. (Ps. XIV, 4.)

Porro de hac tropologia scriberem plura, sed jam in præhabitis articulis satis inducta videntur. Et ex his paucis nunc tactis, perfacile reor præscripta mala culpæ et pœnæ tribuum Israel, ad personas ac statum Ecclesiæ applicare.

ARTICULUS XXX

DECLARATIO CAPITULI VICESIMI QUARTI : ET FACTUM EST VERBUM DOMINI.

ADHUC de culpa et pœna Jerusalem D agit præsenti capitulo sermo divinus.
1 *Et factum est verbum Domini ad me in anno nono* transmigrationis Joachin : cujus quinto anno orsus est Ezechiel prophetare; *in mense decimo* noni anni, *decima* hujus *mensis die.* Supra scripsit Propheta, factum esse verbum Domini ad se anno septimo, mense quinto, decima (Ezech. XX, 1.) mensis. Hæc ergo quæ nunc scribitur visio, post biennium et quinque menses a tempore revelationis illius facta ostenditur. *Fili hominis, scribe tibi nomen diei* 2
hujus, scilicet nomen decimæ diei mensis

decimi anni noni, *in qua confirmatus est,* id est mea virtute roboratus, *rex Babylonis adversus Jerusalem hodie,* ita quod civitatem quam die hoc cœpit vallare, certissime superabit.

3 *Et dices per proverbium,* id est sub sermone metaphorico, *ad domum irritatricem,* id est Judæos divinam justitiam ad ultionem provocantes, *parabolam,* quæ statim subjungitur, *et loqueris ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : Pone ollam,* supplendum est, æneam. Siquidem dictio, æneam, non est de textu, quamvis in aliquibus scripta sit libris. Quid autem per ollam et cetera designetur, mox in littera subditur : *pone, inquam,* id est, ad ignem applica eam, *et mitte in eam aquam,* in
4 qua carnes bulliantur. *Pinguissimum pecus assume, congere frusta ejus in ea,* id est, partes pecoris pinguissimi ab invicem divisas ac scissas, pone in olla, *omnem partem bonam* pecoris, utpote *femur et armum, electa et ossibus plena,* id est electas pecoris partes bene ossatas, ut crura.
5 *Compone quoque strues ossium sub ea,* id est, ossa pecoris a carnibus separata, pone sub olla. Unde Septuaginta transtulerunt : Crus et humerum, carnibus separatis ab ossibus. *Et efferbuit coctio ejus,* id est coctura lebetis, quæ ardore bullivit seu bulliet. Ponitur enim præteritum pro futuro, quia de vastitate futura sub Sedecia fit sermo. *Et discocta sunt ossa illius in medio ejus,* id est, ossa subtus igni cremata sunt.

6 Deinde parabola ista exponitur. *Propterea hæc dicit Dominus Deus : Væ civitati sanguinum,* id est Jerusalem in qua sanguis justorum effusus est, *ollæ,* id est, quæ nunc per ollam exprimitur : vel quia populus in ea se collegit ad resistendum Chaldæis ; vel quia Deo disponente, in ea congregati fuerunt, ut igne tribulationis torquerentur in ea, sicut coquuntur carnes in olla ; *cujus rubigo in ea est,* id est, malitia ejus permansit in ea, *et rubigo ejus non exivit de ea,* id est, nec per adversa correxit se, nec igne ultionis mun-
A data est a peccatis. *Per partes et per partes suas ejice eam,* id est, paulatim consumatur, aliis fame, aliis peste, aliis gladio pereuntibus per temporum intervalla, sub longa obsidione. *Non cecidit super eam sors,* id est, Chaldæi nulli parcebant in urbe Jerusalem, sicut in sortis missione fieri solet ut quidam intereant, alii præserventur, secundum quod sorte contigerit. Et quamvis aliquibus justis (Deo ordinante) pepercerint, et quidam evaserint, tamen respectu pereuntium præ paucitate
B non computantur.

Sanguis enim ejus in medio ejus est, id 7
est, homicidia ac reliqua facinora in ipsa manserunt, nec per pœnitentiam sunt deleta. *Super limpidissimam petram effudit illum :* id est, Jerusalem et principes ejus apertissima homicidia perpetraverunt, sicut effusio sanguinis omnibus innotescit, quum super planissimum lapidem spargitur : non enim imbibitur. *Non effudit illum super terram, ut possit operiri pulvere,* id est, homicidia non fecit occul-
C te, quemadmodum sanguis in terram fusus, cito imbibitus occultatur, aut pulvere
operitur. Peccavit igitur tam aperte, *ut* 8
superinducerem indignationem meam et vindicta ulciscerer, id est, ut evidentem ultionem in ea exercerem, quia hoc ad ejus iniquitatem secutum est. *Dedi sanguinem ejus super petram limpidissimam, ne operiretur :* id est, sicut ipsa Jerusalem manifeste peccavit, et justos occidit, ita et ego per Chaldæos tam publice eam punivi, quod in oblivione non erit, ut pœna
D correspondeat culpæ.

Propterea hæc dicit Dominus Deus : Væ 9
civitati sanguinum, id est Jerusalem et incolis ejus, *cujus ego grandem faciam pyram,* id est incensionem, torrem, seu titionem, vel ignem, seu combustionis mate-
riam : unde in Actibus recitat Lucas, quod *Act.* XXVIII, 2.
barbari accensa pyra refecerunt omnes.
Congere ossa quæ igne succendam, id est, 10
ossa pecoris compone ut incendantur : per quod fortiorum occisio explicatur; *consumentur carnes,* id est, debiliores interfi-

cientur, *et coquetur universa compositio,* A
id est, omnes pariter punientur, *et ossa*
11 *tabescent,* id est, principes cadent. *Pone*
quoque eam, videlicet ollam, *super prunas*
vacuam, carnibus ejus consumptis, *ut in-*
calescat et liquefiat æs ejus, id est, materia
ollæ comburatur : per quod insinuatur,
quod civitate habitatoribus atque divitiis
vacuata, ipsa a Babyloniis incenderetur; *et*
confletur in medio ejus inquinamentum
ejus, id est, immunditia civitatis in ipsa
dispereat, *et consumatur rubigo ejus* per
vim incendii hujus. Videtur enim locus ex B
vitiis habitantium quodammodo contami-
12 nari. *Multo labore sudatum est,* id est,
sancti Prophetæ ac justi fortiter laborave-
runt purgare Jerusalem, eam ad pœniten-
Jer. xxvi, xxxii, etc. tiam exhortando, ut Jeremias et alii, *et non*
exivit de ea nimia rubigo ejus, id est ex-
cessiva et obstinata iniquitas ejus, *neque*
Is. xxviii, 19. *per ignem* adversitatis, ita quod nec vexa-
tio dedit eis intellectum.
13 *Immunditia tua,* o Jerusalem, *exsecra-*
bilis, id est, iniquitas tua detestanda om-
nino inexcusabilisque consistit; *quia mun-* C
dare te volui, faciendo pro tua conversione
quod in me erat, mittens ad te sanctos
Prophetas, quorum admonitionibus et com-
minationibus volebam te convertere, *et*
non es mundata a sordibus tuis. Quærat
Is. xlvi, 10. aliquis, quum in Isaia Dominus dicat, Con-
silium meum stabit, et omnis voluntas mea
fiet : si Deus vult quemquam mundare,
quomodo non mundatur? Et responden-
dum, quod voluntas Dei quæ in ipso est,
quæ est ejus volitio et ipsemet volens, sem-
per habet effectum; non autem voluntas D
quæ signum voluntatis vocatur, sicut præ-
ceptio, prohibitio, consultio. Istud autem
generaliter de omnibus impiis accipi de-
bet, quod scilicet omnium qui exhorta-
tionibus bonis et increpationibus caritati-
vis acquiescere negligunt, immunditia sit
exsecrabilis. Propter quod in Proverbiis
Prov. xxix, 1. habetur : Viro qui corripientem dura cer-
vice contemnit, repentinus superveniet in-
Job xxii, 21. teritus; in Job quoque, Acquiesce Deo, et
per hoc habebis fructus optimos. *Sed nec*
mundaberis prius, donec quiescere faciam
indignationem meam in te, id est, quoad-
usque per Chaldæos te juste correxero
atque destruxero. Loquitur autem Deus
affectu et more viri irati, qui adversario
suo ad libitum punito, quiescit. Nam juxta
philosophica documenta, passiones irasci-
bilis in passionibus concupiscibilis quie-
tantur.
Ego Dominus locutus sum hæc esse im- 14
plenda. *Venit* obsidio, *et faciam* ultionem;
non transibo, diutius differendo; *nec par-*
cam, nec placabor, quantum ad temporalis
pœnæ inflictionem. *Juxta vias tuas,* id est
opera vitiosa, *et juxta adinventiones tuas,*
id est excogitationes perversas, ex quibus
procedunt inordinatæ affectiones, *judicavi*
te Chaldæis tradendam. Et in hoc quoque
demonstro clementiam meam, instar me-
dici, qui putridis non parcit carnibus, ut
sana membra salventur. Non parcit ut par-
cat; crudelis est ut misereatur; nec consi-
derat patientis dolorem, sed vulneris sa-
nitatem, juxta evangelicum documentum, *Matth.* v, 29, 30.
malens unum membrorum perire, quam
totum corpus interfici. Hæc Hieronymus.
Postremo et hoc advertendum, quod sic-
ut in exordio Jeremiæ describitur pœna
Jerusalem per ollam succensam, ita et hic. *Jer.* i, 13.
Denique, sicut jam supra ipsa urbis Je-
rusalem obsidio atque succensio, nomine
ollæ succensæ signata est; sic ejusdem im-
pleta jam vastitas, per uxoris necem præ-
nuntiatur.
Et factum est verbum Domini ad me, 15
dicens : Fili hominis, ecce ego tollo a te 16
desiderabile oculorum tuorum, id est con-
jugem tuam, *in plaga,* id est per mortem
corporalem seu pestem. Ex quo innote-
scit, quod Ezechiel uxorem suam intente
amavit, spirituali utique dilectione amplius
quam carnali : quia et Paulus ait : Viri *Ephes.* v, 28, 25.
diligere debent uxores suas ut corpora sua,
et sicut Christus dilexit Ecclesiam. Quocir-
ca scribit Hieronymus : Nihil amabilius
bona uxore, quæ a Deo homini providetur,
eique divina lege conjungitur et unum se-
cum corpus efficitur. *Et non planges, ne-*

que plorabis, neque fluent lacrimæ tuæ.
Per ista et reliqua quæ sequuntur, quæ in
defunctorum exsequiis fieri solent, et ta-
men Ezechieli pro tempore mortis suæ
conjugis prohibentur, designatur atque
prædicitur aggravatio doloris Judæorum,
qui de nece propinquorum suorum plan-
gere non audebant, nec cetera facere quæ
in mortuorum funere peraguntur, timore
Chaldæorum. Interior quippe tristitia per
exteriorem planctum alleviatur, quia in-
tentio cordis ad plura diffunditur, et quod
intus fervebat conclusum, erumpendo dis-
pergitur, prout Thomas in prima secundæ
17 plenius scribit. *Ingemisces tacens, mor-*
tuorum luctum non facies : id est, si do-
lore fueris superatus, tacitum gemitum
habe, nec evidenter plores, ut fieri solet
pro mortuis. *Corona tua circumligata sit*
tibi : id est, comam quæ tondetur in luctu,
tenebis nec rades, ita quod ad composi-
tionem capillorum more solito, cinctorio
quodam uteris, quod est contra consuetu-
dinem flentium. *Et calceamenta erunt in*
pedibus tuis : quod item tunc fuit contra
morem lugentium. Solebant quippe abji-
II *Reg.* XV, 30; III, 31. cere calceos : sicut David Absalonem fu-
giens, necemque Abner deplorans, pedibus
nudis incessit, ut secundo Regum habetur.
Nec amictu ora velabis, cordis mœrorem
per caputii detractionem monstrando, *nec*
cibos lugentium comedes.
18 *Locutus sum ergo ad populum,* scilicet
Judæorum, qui mecum fuit in Babylone,
mane, quæ mihi Dominus imperavit. *Et*
mortua est uxor mea vespere ejusdem diei;
fecique mane sequentis diei, *sicut præce-*
perat Dominus de modo qualiter me habe-
19 rem. *Et dixit ad me populus : Quare non*
indicas nobis quid ista significent, quæ
20 *tu facis* tam insolito modo ? *Et dixi ad*
eos, sermo Domini factus est ad me, di-
21 *cens : Loquere domui Israel : Hæc dicit*
Dominus Deus : Ecce ego polluam san-
ctuarium meum, id est, templum Jerusa-
lem a Chaldæis contaminari et comburi
permittam : templum, inquam, *superbiam*
imperii vestri, id est excellentiam et con-

A fidentiam regni Juda : quia de templo præ-
sumebant et gloriabantur Judæi; *deside-*
rabile oculorum vestrorum, id est, quod
templum rursum videre optatis, *et super*
quo pavet anima vestra, id est, de cujus
vastatione timetis; *et filii vestri et filiæ*
vestræ, quos reliquistis in Jerusalem et
Judæa, *gladio cadent* Chaldæorum. *Et fa-* 22
cietis sicut feci : quia non observabitis
quæ in mortibus amicorum servare con-
suevistis. Nam *ora amictu non velabitis,*
et cibos lugentium non comedetis, etc. Ista
B ex præinductis sunt plana. *Sed tabescetis* 23
in iniquitatibus vestris, et unusquisque
gemet ad fratrem suum : id est, propter
peccata vestra, ad tantam angustiam deve-
nietis, ut filiorum et filiarum nece audita,
templique ac Jerusalem combustione per-
cepta, non audeatis publice flere, sed clam
mutuo gemere, ne offendatis Chaldæos, et
de eorum triumpho videamini contristari.
Eritque Ezechiel vobis in portentum, id 24
est in signum eorum quæ circa vos acci-
dent, seu vobis contingent.
C *Et tu, fili hominis, ecce in die qua tol-* 25
lam ab eis, puta Judæis, *fortitudinem eo-*
rum, id est robur exercitus, *et gaudium*
dignitatis, id est regiam potestatem ac sa-
cerdotium, *et desiderium oculorum eorum,*
videlicet templum quod videre desiderant,
super quo requiescunt animæ eorum, id
est, in quo ipsi confidunt quod sanctitate
ejus liberabuntur, *et filios et filias eorum :*
in die illa, quum venerit fugiens de Ju- 26
dæa *ad te* in Chaldæam, *ut annuntiet tibi*
omnia hæc esse impleta quæ tu prædi-
D xisti, *aperies os tuum cum eo qui fugit,* 27
et loqueris, et non silebis ultra : id est,
tunc simul cum illo annuntiabis aperte
Judæis tecum translatis, omnia esse per-
acta quæ eis ubertim prænuntiasti, quan-
do nec credere voluerunt. Sed nunc te-
stem veritatis habebis. *Et scietis quia ego*
Dominus.

Præterea, juxta spiritualem ac mysticum Sensus
intellectum, rex Babylonis, id est diabolus mysticus.
princeps confusionis, quotidie justo Dei
judicio confirmatur contra ecclesiam ma-

lignantium, præsertim Jerusalem, id est ministros Ecclesiæ sacerdotes et clericos, vitam carnalem ac sæcularem ducentes, et in multitudine beneficiorum gloriantes. *Rom.* I, 28. Quos Deus dat in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non licent neque conveniunt. Horum ergo sempiterna damnatio ac infernalis succensio, per ollam æneam igni appositam, recte signatur : quia anima et corpore affligentur afflictione desperata superdirissima. Et quoniam ipsi apertissime peccant, subditorumque sanguinem publice spiritualiter fundunt, dum animas A eorum ad peccata trahunt mortalia, vel committendo illicita, vel debitam diligentiam omittendo; ideo Deus indignationem suam super eos coram cœlo et terra terribiliter nimis effundet. Præterea multo quotidie quorumdam bonorum labore sudatur, ut suam perditissimam corrigant vitam. Sed non cessant concupiscentiis deservire, vanitatibus inhærere, mundi gloriam, honorem et statum appetere, Deumque indesinenter offendere, donec ira Dei veniat super eos usque in finem, juxta vias et adinventiones eorum eis restituens.

ARTICULUS XXXI

ELUCIDATIO CAPITULI VICESIMI QUINTI : ET FACTUS EST SERMO.

CONSUETUDO est Prophetis, primo vaticinari de populo Judæorum, ejus vitia arguendo, supplicia prædicendo, et vicissim prospera promittendo ; deinde de ceteris gentibus quæ Judæis mala intulerunt, vel de earum adversitate gavisæ sunt. Ita et nunc sanctus Ezechiel, postquam a secundo capitulo hujus libri usque ad locum hunc de Judæis locutus est, de aliis nationibus non nisi pauca interdum admiscens; nunc contra persecutores et hostes Judæorum prophetare orditur, et in præsenti capitulo succinctim loquitur contra quatuor gentes, videlicet Ammonitas, Moabitas, Idumæos, ac Philistæos.
1 *Et factus est sermo Domini ad me di-*
2 *cens : Fili hominis, pone faciem tuam contra filios Ammon,* id est, adversum terram et populum Ammonitarum dirige vultum tuum cum apparatu terrifico ac minaci, ut ex dispositione corporis tui indicetur quam dura eis dicenda sint. Unde Septuaginta transtulerunt, Obfirma faciem tuam.
3 *Et prophetabis de eis, et dices : Hæc dicit Dominus : Pro eo quod dixistis, Euge, euge, super sanctuarium,* id est templum B *meum, quia pollutum est,* id est Chaldæorum gentilium ingressu ac destructione violatum; *et super terram Israel,* id est decem tribuum, *quoniam desolata est,* id est habitatoribus ejus occisis, habitaculisque destructis; *et super domum Juda,* id est populum duarum tribuum, *quoniam ducti sunt in captivitatem* cum Sedecia. Porro, euge, est vox gaudentis, vel etiam insultantis. Sic Ammonitæ ingeminando, Euge, monstrantur toto affectu de Judæorum
calamitate gavisi, et insultasse eisdem. *Id-* 4
C *circo ecce ego tradam te filiis orientalibus,* id est Chaldæis, qui respectu Ammonitarum versus orientem habitare feruntur, *in hereditatem,* ita quod terram tuam atque divitias possidebunt; *et collocabunt caulas suas,* id est pecorum ædes, *in te.* Solent quippe orientales pecorum tuguria secum portare, et huc illucque figere. *Et ponent in te tentoria sua,* ita quod eos de terra tua non valebis expellere. *Ipsi comedent fruges tuas,* terræ nascentia in suos pecorumque suorum usus redigendo; *et ipsi bibent lac*
D *tuum.* Unde et Judicum quarto scribitur *Judic.* IV, 19.
Jahel Sisaræ lac pro potu dedisse. *Daboque* 5

Rabbath metropolim Ammonitarum, *in* A
habitaculum camelorum, et filios Ammon
in cubile pecorum : id est, terram et popu-
los Ammonitarum sic destruam per Chal-
dæos, quod ubi steterunt civitates ipsaque
Rabbath, erunt pascua, foveæ et diverso-
rium jumentorum. *Et scietis,* o Ammoni-
tæ, *quia ego Dominus,* per experientiam
pœnæ vobis inflictæ, etsi non in præsenti
6 exsilio, certe in inferno. *Quia hæc dicit*
Dominus : Pro eo quod plausisti manu, et
percussisti pede, et gavisa es ex toto affe-
ctu, ita quod interiorem lætitiam nequires B
cohibere, pedibus hanc manibusque mon-
7 strasti ; *idcirco extendam manum meam*
super te, et tradam te in direptionem gen-
tium, ita quod a Chaldæis diripieris.

Consequenter fit sermo prophetalis Mo-
abitis et Idumæis. Denique quum Ammo-
nitæ ac Moabitæ fuerint filii Lot nepotis
Abrahæ, cui et Abraham beneficia multa
impendit, debuerunt specialiter diligere fi-
lios Israel, et eorum miserias deplorare :
cujus quia oppositum fecerunt, meruerunt
hæc mala. Idumæi quoque, qui descende- C
runt de Esau fratre Jacob, magis filios Is-
rael adamare debuerant. Sed oppositum
peragentes, de eorum afflictione lætati
8 sunt. *Hæc dicit Dominus Deus : Pro eo*
quod dixerunt Moab et Seir, id est Moa-
bitæ ac Idumæi, *Ecce sicut omnes gentes* a
Chaldæis vastatæ sunt, *domus Juda,* id est,
regnum duarum tribuum destructum est ;
9 *idcirco ecce ego aperiam humerum Moab*
de civitatibus, id est, robur et fortitudi-
nem Moabiticæ plebis, de civitatibus ejus
dissolvam et auferam; *de civitatibus, in-* D
quam, ejus, et de finibus ejus aperiam *in-*
clytas urbes *terræ,* quarum sunt nomina,
Bethiesimoth, et Beelmeon, et Cariatha-
10 *im, filiis orientis,* id est Chaldæis, *cum*
filiis Ammon, quos vicerunt Chaldæi. *Et*
dabo eam, id est terram Moabitarum, *in*
hereditatem Chaldæis : sicut de terra Am-
monitarum nunc patuit; *ut non sit memo-*
ria ultra filiorum Ammon in gentibus, eo
modo ut ante, et quantum ad repræsenta-
tionem atque præconium, usque ad tem-

pus notabile. Nomen enim impiorum pu- *Prov.* x, 7.
trescit. *Et in Moab faciam judicia,* id est 11
debitas ultiones.

Hæc dicit Dominus Deus : Pro eo quod 12
fecit Idumæa, id est populus Idumæorum
de Esau natus, *ultionem* in Judæos, *ut se*
vindicaret de filiis Juda, et vindictam ex-
petivit de eis : vel quia tempore David a II *Reg.* VIII, 14.
Judæis graviter oppressi fuerunt, vel quo-
niam Jacob præripuit benedictionem Esau *Gen.* XXVII, 19-29.
fratris sui. *Idcirco hæc dicit Dominus* 13
Deus : Extendam manum meam super
Idumæam, et auferam de ea hominem et
jumentum. Et faciam eam desertam ab
austro, id est ab urbe ejus nomine The-
man, secundum Hieronymum. Unde Sep-
tuaginta transtulerunt : De Theman fu-
gientes, gladio cadent. Vel per austrum
intelligitur plaga australis ipsius Idumææ.
Et qui sunt in Dedan, id est urbe Idumææ
sic appellata, *gladio cadent. Et dabo ul-* 14
tionem meam super Idumæam, per ma-
num populi mei Israel : quod fuit imple-
tum tempore Machabæorum. *Et facient* I *Mach.* v, 3.
filii Israel, scilicet Judas Machabæus cum
suis, *in Edom,* id est in Idumæa, *juxta*
iram meam et furorem meum, id est æqui-
tatis meæ rigorem. De hoc super Abdiam
plenius scripsi.

Consequenter prophetatur contra Phili-
stæos. *Pro eo quod fecerunt Palæstini,* id 15
est Philistæi, *vindictam* in filios Israel, *et*
ulti se sunt toto animo : adjuverunt enim
Chaldæos contra Israelitas invidiosissime ;
interficientes Judæos, *et implentes inimi-*
citias veteres. Nam a tempore Judicum
fuerunt æmuli Judæorum. *Propterea hæc* 16
dicit Dominus Deus : Ecce ego extendam
manum meam super Palæstinos, non ad
protegendum, sed ad percutiendum, *et in-*
terficiam interfectores, scilicet Palæstinos
homicidas; *et perdam reliquias maritimæ*
regionis, videlicet Philistinorum, quæ su-
per mare est posita; *faciamque in eis ul-* 17
tiones magnas, arguens in furore, id est
per Chaldæos districte puniens eos. Nam
et ipsi de calice Babylonis inebriati sunt, *Jer.* LI, 7.
secundum Hieronymum.

Expositio mystica.
PRÆTEREA mysticus hujus capituli tan- A
gendus est sensus. Certum est equidem,
quod per sanctuarium intelligatur Ecclesia
Christi; per terram Israel, corda contem-
plativorum; per domum Juda, boni fideles,
Deo fide et opere confitentes. Per Ammo-
nitas vero, Moabitas, Idumæos, et Palæsti-
nos, intelliguntur reprobi et iniqui, qui de
bonorum ruina exsultant.
Fit itaque sermo divinus ad Ezechie-
3 lem, id est virum perfectum. *Dices filiis*
Ammon. Ammon interpretatur, populus
turbidus. Filii ergo Ammon sunt impatien- B
tes, iracundi, et impetuosi. *Hæc dicit Do-*
minus : Pro eo quod dixistis, Euge, euge,
super sanctuarium meum, id est, de perse-
cutione Ecclesiæ exsultastis. *quia pollutum*
est propriis vitiis, vel adversariorum im-
pugnatione; *et super terram Israel, quoni-*
am desolata est, id est de hoc quod mentes
contemplativorum per tentationem seu ne-
gligentiam, solitam gratiam perdiderunt,
et divinæ consolationis suavitate privati
sunt; *et super domum Juda,* id est con-
fessores Dei, *quoniam ducti sunt in capti-* C
vitatem vitiorum, permissione divina, ut
4 cautiores resurgant. *Idcirco ecce ego tra-*
dam te filiis orientalibus : per quos hoc
loco dæmones intelliguntur, in cœlo crea-
ti, atque in magno lumine conditi, quo-
rum et princeps Lucifer nuncupatur; *in*
hereditatem, id est firmam possessionem.
Impii namque sunt corpus diaboli, et ipse
est princeps eorum. *Et collocabunt caulas*
suas in te, id est, in corde tuo mansionem
construent sibi, in qua pecora sua, id est
carnalium affectionum incentiva, locabunt. D
Ipsi comedent fruges tuas, id est, opera
infructuosa efficient, *et bibent lac tuum,*
id est, naturalem innocentiam inficient et
pervertent. Quemadmodum enim gratia
naturam perficit, sic peccatum hanc infi-
5 cit. *Daboque Rabbath,* id est imperium
tuum (Rabbath enim, magna et maxima
interpretatur), *in habitaculum camelorum,*
id est, ad magnam vilitatem te redigam,
7 et vitiis carnalitatum subdi permittam. *Et*
tradam te in direptionem gentium : quia
vicissim hi tales materiali gladio, suæ im-
pietatis demerito, occiduntur.
Hæc dicit Dominus : Pro eo quod dixe- 8
runt Moab et Seir, Ecce sicut omnes gentes
domus Juda, id est, Ecclesia servit pecca-
tis, et variis pœnis afficitur, sicut et aliæ
nationes; *idcirco aperiam humerum Mo-* 9
ab. Per Moab, qui interpretatur, ex patre,
designantur Deo ingrati et reprobi : de
quibus ait Salvator, Vos ex patre diabolo *Joann.* VIII, 44.
estis. Per Seir seu Edom vel Idumæos, si-
gnantur terreni et cupidi. Edom namque,
sanguineus vel terrenus interpretatur. Hi
itaque de electorum ruina et adversitate
lætantur. Idcirco Deus frangit humerum
(id est robur) eorum, ita quod nihil virile,
virtuosumque agunt, sed in terrenis jacent
miserabiliter damnabiliterque prostrati. *Et* 13
qui sunt in Dedan, id est de generis nobi-
litate se extollentes, *gladio cadent,* id est,
divinæ sententiæ districtione peribunt. De-
dan quippe interpretatur cognatio. *Et dabo* 14
ultionem meam super Idumæam, per ma-
num populi mei Israel, id est per electos
Christianos. Judicabunt enim Sancti na- *Sap.* III, 8.
tiones, et dominabuntur populis. Propter
quod ait Apostolus : Sancti de hoc mun- I *Cor.* VI, 2.
do judicabunt; et Psalmista : Gladii an- *Ps.* CXLIX, 6, 7.
cipites in manibus eorum, ad faciendam
vindictam in nationibus, increpationes in
populis.
Hæc dicit Dominus : Pro eo quod fece- 15
runt Palæstini vindictam in eos qui me-
rito Christiani vocantur. Per Palæstinos
seu Philistæos, qui in Scripturis frequen-
ter alienigenæ nuncupantur, intelliguntur
qui mundi vanitatibus ebrii sunt, atque a
Deo penitus alienati, qui sæpe electis in-
vident, et pro parva occasione grandem
expetunt ultionem. Ideo Deus extendit ma-
num suam super eos ad condemnandum.
Et perdam reliquias maritimæ regionis, 16
id est eos qui sæculi fluctibus, amaritudi-
nibus atque peccatis adjacent, tunduntur,
et afficiuntur per consensum.
Ecce ex his innotescit quam enorme
atque damnabile crimen sit, de alterius,
quamvis inimici, gaudere ruina, præser-

tim de malo culpæ : quum hoc caritati Dei A et proximi vehementer repugnet, sitque contra misericordiam, quum afflicto non sit adjicienda afflictio. Hinc in Proverbiorum libro habetur : Quum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruina illius ne exsultet cor tuum. (Prov. xxiv, 17.) Sed et sanctus Job de se protestatur : Si gavisus sum ad ruinam (Job xxxi, 29.) ejus qui me oderat, et exsultavi quod invenisset eum malum. Illud ergo Ecclesiastici implere curemus, Non desis plorantibus in consolatione (Eccli. vii, 38.) : et illud Apostoli, Flere cum flentibus. (Rom. xii, 15.) Hinc elucescit quam detestabiles sint coram Deo, qui de fratrum seu proximorum mutua gaudent vitiosa discordia.

ARTICULUS XXXII

EXPLANATIO CAPITULI VICESIMI SEXTI : ET FACTUM EST IN UNDECIMO ANNO.

POSTQUAM prophetatum est breviter B
contra Ammonitas, Moabitas, Idumæos
et Philistæos in uno capitulo, jam contra
Tyrum et Tyrios prophetatur, quia et ipsi
1 de Judæorum vastitate lætati sunt. *Et fa-*
ctum est in undecimo anno transmigratio-
(IV Reg. xxv, 2.) nis Joachin, quo anno captus est Sedecias
Jerusalemque destructa, *in prima mensis,*
id est prima die mensis, forsitan primi hu-
jus anni, *factus est sermo Domini ad me,*
2 *dicens : Fili hominis, pro eo quod dixit*
Tyrus, id est populus Tyri, *de Jerusa-*
lem : Euge, euge, id est multum gaudenter, C
confractæ sunt portæ populorum, id est,
destructæ sunt portæ Jerusalem per Chal-
dæos : per quas populi multi ingredi con-
sueverunt causa adorandi et sacrificandi
in templo, vel negotiandi in foro; *conver-*
sa est ad me ipsa populi multitudo et ne-
gotiatores, qui illam frequentare solebant;
implebor divitiis, *deserta est* ipsa Jeru-
salem.
3 *Propterea hæc dicit Dominus Deus :*
Ecce ego super te, Tyre, id est, te oculo
æquitatis ad castigandum intueor. Non ita- D
que licet de alterius casu seu damno gau-
dere, propriæ utilitatis intuitu, seu cupi-
dorum et invidorum hoc est. *Et ascendere*
faciam ad te gentes multas, puta Chaldæ-
os, *sicut ascendit mare fluctuans,* id est
4 terribiliter, impetuose, et copiose. *Et dis-*
sipabunt muros Tyri, et destruent turres
ejus. Hoc enim fecerunt Chaldæi. *Et ra-*
dam pulverem ejus de ea, id est, ipsa de-
molita usque ad solum, pulveres hinc inde
per ventum dispergentur; *et dabo eam in*
limpidissimam petram, id est, universa
ejus ædificia sic labentur et terræ æqua-
buntur, ut urbs petræ planæ assimiletur.
Siccatio sagenarum erit, id est locus in 5
quo retia siccabuntur, *in medio maris,* id
est intra mare, non directe in medio ma-
ris, secundum quod medium nuncupatur,
quod æqualiter distat ab extremis. Erat
nempe Tyrus aquis circumclusa : ideo ip-
sa destructa, fuit spatium illud quo stete-
rat ipsa, aptus locus siccandi sagenas. *Quia*
ego locutus sum, ait Dominus Deus, qui
nec fallor, nec mentior. *Et erit in dire-*
ptionem gentibus, id est, a Chaldæis et
ceteris gentibus sibi adjunctis opemque
ferentibus diripietur. *Filiæ quoque ejus* 6
quæ sunt in agro, id est civitates, castella
et villæ, in arida terra vel in littore situa-
ta, *gladio interficientur* Chaldæorum. *Et*
scient quia ego Dominus, qui ista prædixi
atque implevi.

Consequenter exponitur quæ sint gen-
tes contra Tyrum venturæ. *Quia hæc dicit* 7
Dominus Deus : Ecce ego adducam ad Ty-
rum Nabuchodonosor regem Babylonis ab
aquilone, regem regum : quoniam tempore

suo rex maximus fuit, et multis regibus
præfuit; *cum equis, et curribus, et equiti-*
8 *bus, et cœtu populoque magno. Filias tuas*
quæ sunt in agro : quod qualiter intelli-
vers. 6. gendum sit, jam dictum est; *gladio inter-*
ficiet, statim quum provinciam tuam in-
gredietur. Quo facto, *et circumdabit te*
munitionibus, et comportabit aggerem in
gyro. Nitebatur quippe a littore usque ad
mœnia Tyri, aquas lignis, saxis et terris
ita implere, quod per viam planam pe-
dibus posset eam accedere : quod postea
fecit Alexander Magnus. Sed Nabuchodo-
nosor hoc nequivit : idcirco navibus eam
invasit et cepit. *Et elevabit contra te cly-*
9 *peum. Et vineas, et arietes temperabit in*
muros tuos. Vinea hoc loco accipitur pro
bellico instrumento, quo muri urbium de-
struuntur : quod dicitur vinea, quoniam
jungitur muro, et homines murum perfo-
rantes subtus latent, secundum quod vinea
adhæret muro, et homines umbram sub eo
accipiunt. Aries quoque jam pro bellico
accipitur instrumento, destructivo muro-
rum. Itaque sensus est : Vineas et arietes
temperabit in muros tuos, id est, conve-
nienter et proportionate disponet ad de-
structionem murorum.
10 *Inundatione,* id est maxima multitudi-
ne, *equorum ejus operiet te pulvis eorum :*
id est, tot pulveres ascendent, ut civitatem
operire videantur, dum ante exercitum in
aere volitant, eamque minus videri per-
mittunt. *A sonitu equitum et rotarum et*
curruum movebuntur muri tui, o Tyre, id
est, concuti videbuntur. Hoc dicitur ad
insinuandum permaximam venientium tur-
bam. Estque hyperbolica locutio, qua ali-
quid per excessum asseritur. *Quum ingres-*
sus fuerit portas tuas, quasi per introitus
urbis dissipatæ, id est audacter atque ce-
leriter, quia et mœnia jam destruxit. Sic-
que, Quasi, dicit hic non similitudinem
tantum, sed etiam veritatem, quantum ad
aliquid. Muris namque destructis, partim
11 dissipata est civitas. *Ungulis equorum su-*
orum conculcabit omnes plateas tuas, li-
bere hinc inde per urbem vagando. *Po-*

A *pulum tuum gladio cædet, et statuæ tuæ*
nobiles in terram corruent, id est, idola
pretiosa dejicientur. *Vastabunt opes tuas,* 12
te spoliando, *diripient negotiationes tuas,*
quia te interempta, non mercaberis ultra.
Et lapides tuos, et ligna tua, et pulverem
tuum in medio aquarum ponent : id est,
tanta erit Chaldæorum sævitia, ut ligna,
saxa, et cineres, qui incendio fuerunt re-
sidui, in mare projiciant. *Et quiescere* 13
faciam multitudinem cantorum tuorum,
et sonitus cithararum tuarum non audi-
B *etur amplius :* id est, tanta vastitate im-
minente atque inflicta, a solitis melodiis
cessabis, potiusque lugere quam gaudere
licebit.
Nec ædificaberis ultra. Circa hoc, qua- 14
liter intelligendum sit, facit S. Hierony-
mus digressionem, præsertim quum tem-
pore suo (ut ipsemet testatur) fuerit Tyrus
nobilissima atque pulcherrima urbs Phœ-
niciæ. Ad quod respondet, quod ideo dicta
est non amplius ædificanda, quia post
hanc destructionem non fuit populorum
C regina, nec proprium habebat imperium,
ut tempore Hiram contemporanei David ac
Salomonis. Itaque agnoscendum quod Isa-
ias de hac Tyri destructione vaticinans, in-
ter cetera ait : In oblivione eris, o Tyre, *Is.* XXIII, 15.
septuaginta annis ; post septuaginta autem
annos erit Tyro quasi canticum meretricis.
Constat ergo quod post septuaginta annos
reædificata exstitit Tyrus : quam post rur-
sus Alexander rex prorsus dejecit ; de-
nuoque constructa est. Quod ergo nunc
dicitur, Non ædificaberis ultra, quidam
D supplendo exponunt, Usque ad tempus
magnum. Sic equidem Isaias de Damasci
destructione prænuntians, dixit eam non *Ibid.* XVII, 1.
reparandam : quæ usque hodie perseverat.
Hæc dicit Dominus de Tyro : Numquid 15
non a sonitu ruinæ tuæ, et gemitu inter-
fectorum tuorum commovebuntur insulæ?
id est imo, utique tua destructione per-
cepta, habitatores insularum admiratione
et formidine concutientur, ne simile eis
eveniat. *Et descendent de sedibus suis om-* 16
nes principes maris, id est, insularum do-

minatores, se ex pavore humiliantes, in A
terra præ admiratione ac terrore sedebunt.
*Et auferent exuvias suas, et vestimenta
sua varia abjicient,* id est, cuncta orna-
menta sua abjicient; *et induentur stupo-
re :* quod sequentia verba exponunt. *In
terra sedebunt, et attoniti super repentino*
* casu *interitu* * *tuo admirabuntur,* tanto plus,
quo minus te ita casuram suspicabantur.
17 *Et assumentes super te lamentum, dicent
tibi : Quomodo peristi, quæ habitas in ma-
ri, urbs inclyta ?* id est, qualiter a Chal-
dæis devicta es, o Tyre, prænobilis civitas, B
quæ fuisti fortis in mari, in quo posita
18 fuisti, *quam formidabant universi? Nunc
stupebunt naves,* id est nautæ et negotia-
tores exsistentes in mari.

19 *Quum dedero te urbem desolatam,* id est
destructam et habitatoribus vacuatam, *et
adduxero super te abyssum,* id est maxi-
mam tribulationem, *et operuerint te aquæ
multæ,* id est, gentes diversæ te oppresse-
20 rint cum Chaldæis profectæ; *et detraxero
te cum illis, qui descendunt in lacum,* id
est foveam infernalem, *ad populum sem-* C
Is. LXVI, 24; *Marc.* IX, 45. *piternum,* id est damnatos : quorum ignis
non exstinguetur, nec morietur vermis ;
qui ad vitam præsentem non redeunt; *et
collocavero te in terra novissima,* id est
infima, scilicet in inferno, *sicut solitudi-
nes veteres,* in quibus nullum est huma-
num solatium, *cum his qui deducuntur
in lacum* inferni. *Porro quum dedero glo-
riam* meam *in terra viventium,* id est,
beatitudinem meam communicare cœpero
electis in patria Beatorum, quæ terra et
regio est vivorum : quod quantum ad con-
summatam animæ corporisque salutem,
fiet in die judicii; *in nihilum redigam te,* 21
id est, funditus destruam usque ad præja-
centem materiam; *et non eris requisita,* id
est, si aliquis te quæsierit, non inveniet :
secundum illud in Psalmo : Transivi, et *Ps.* XXXVI, 36.
ecce non erat ; et quæsivi eum, et non
est inventus locus ejus ; *non invenieris
ultra in sempiternum.* Post diem enim
judicii non erunt in sæculo isto ædificia
solita.

Postremo, quantum ad spiritualem pertinet intellectum, jam in superioribus dictum est quod hic dicendum videretur. Certum est enim, ad Ecclesiam debere referri, quod de Jerusalem dictum est; ad persecutores vero Ecclesiæ, quæ de Tyro sunt dicta. Tyrus namque interpretatur angustia : per quam sæculi amatores, Deique contemptores intelliguntur, in quibus caritatis latitudo non est, sed vitiorum angustia, et brevitas vanitatis. Quum itaque isti de fidelium glorientur ruina, visibilibus invisibilibusque merentur hostibus tradi, et pro temporali malo quod Dei infligunt vel gaudent infligi ministris, pœnas recipiunt sempiternas.

ARTICULUS XXXIII

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI SEPTIMI : ET FACTUM EST VERBUM DOMINI AD ME.

MAGNIFICENTIA Tyri et opulentia ejus, D
hoc præsenti capitulo diligenter de-
scribitur, ut ejus ingratitudo monstretur,
atque per hoc adhuc alia suæ punitionis
1 ratio assignetur. *Et factum est verbum
2 Domini ad me, dicens : Tu ergo, fili ho-
minis, assume super Tyrum lamentum,* id
est, pressuram et causam suæ destructionis ex compassione deplange, lamentabiliterque describe. Ezechiel enim tanquam vir evangelicæ perfectionis, adversarios suos dilexit, quantum ad bonam naturam, felicitatisque capacem, a Deo sortitam. Idcirco eorum dejectioni condoluit, sicut et

Isaias vastitati Babylonis sibi imaginarie A
repræsentatæ, se condoluisse testatur, di-
Is. xxi, 3, 4. cendo : Corrui quum audirem, emarcuit
3 cor meum. *Et dices Tyro, quæ habitat in*
introitu maris. Sita enim fuit in aqua,
quæ eam gyravit ; sed ex una parte jacuit
circa littus. *Negotiationi,* id est loco ne-
gotiationis seu mercationis, *populorum* in-
traneorum et extraneorum, *ad insulas*
multas pergentium, spectantium, seu mer-
ces ferentium.

Hæc dicit Dominus Deus : O Tyre, tu
dixisti : Perfecti decoris ego sum, id est B
omnibus mundi bonis ornata, dives, po-
4 pulosa, robusta, *et in corde maris,* id est
in medio aquæ, *sita :* sicut præcedenti
articulo expositum est. *Finitimi tui,* id
est, tibi contermini et vicini, *qui te ædi-*
ficaverunt, vel fundamentaliter, vel con-
servative, *impleverunt decorem tuum,* ele-
gantes ædificationis materias apportando.
5 *Abietibus de Sanir exstruxerunt te.* Sanir,
secundum Hieronymum, mons est qui alio
nomine Hermon dicitur, in quo nascun-
tur abietes magnæ et speciosæ, suntque C
ligna apta ac levia ad structuram, de qui-
bus hi Tyrum construxerunt, vel reparan-
do dilapsa, vel originaliter eam fundando.
Cum omnibus tabulis maris, id est, non
tantum abietibus, sed et tabulis per mare
adductis te construxerunt. *Cedrum de Li-*
bano tulerunt, id est cedros sublimes, quæ
in monte qui dicitur Libanus crescunt, *ut*
facerent tibi malum. Est autem malus,
lignum quod in navi erigitur, in quo et
6 vela dependent. *Quercus de Basan,* id
est loco sic dicto, *dolaverunt in remos* D
tuos, ex illis lignis remos tibi formantes.
Transtra tua, id est remigum sedes, quæ
ex adverso navis ponuntur, *fecerunt tibi*
ex ebore Indico, id est allato de India ; *et*
prætoriola, id est cellaria in quibus mer-
ces pretiosissimæ reponuntur, seu domun-
culas quæ fiunt in navibus ad necessaria
illic ponenda, fecerunt *de insulis Italiæ,*
7 id est de lignis ex Italia apportatis. *Byssus*
varia de Ægypto texta est tibi in velum,
ut poneretur in malo : id est, de bysso
varia pretiosa Ægyptia, facta sunt tibi ve-
la, in malis navis suspensa. Porro byssus
est species candidissimi lini, quæ maxime
nascitur in Ægypto. *Hyacinthus,* scilicet
genus panni coloris aerii, *et purpura de*
insulis Elisa, id est Ionii mari, *facta sunt*
operimentum tuum, id est operimenta na-
vigiorum tuorum, quæ in solis ardore et
aeris tranquillitate exsistentibus in navi
præbuerunt umbraculum. Probabile au-
tem est, supra hæc pretiosa operimenta,
fuisse et alia, saltem vicissim de viliori
materia, contra ventos et pluvias.

Habitatores Sidonis, et Aradii, id est 8
ab insula Arado nomine orti, *fuerunt re-*
miges tui, id est remorum ductores. *Sa-*
pientes tui, Tyre, id est bene experti in
nauticis rebus, *facti sunt gubernatores*
tui in navibus. Vel absolute intelligen-
dum est, quod sapientiores in Tyro eam
rexerunt : qui non habuerunt sapientiam
quæ desursum est, sed terrenam, anima- *Jacob.* iii, 15.
lem et diabolicam. *Senes Byblii**, id est 9
seniores de civitate Byblis, *et prudentes* * alias *Giblii*
ejus, habuerunt nautas ad ministerium
variæ supellectilis tuæ, id est viros nau-
ticos præparatos ad vehendum mercimo-
nia tua ad loca opportuna. *Omnes naves*
maris et nautæ earum, id est quidam de
omni eorum genere, *fuerunt in populo*
negotiationis tuæ, id est ad obsequium
negotiantium in Tyro parati, vel inter ne-
gotiatores Tyri atque emptores.

Hucusque de magnificentia ac divitiis
Tyri tractatum est. Patetque ex præindu-
ctis, ad nauticum apparatum spectantibus,
excellentia opulentiæ Tyri. Consequenter
de robore ejus et bellatorum potentia scri-
bitur.

Persæ et Lydii et Libyes in exercitu 10
tuo erant viri bellatores tui. Gentes istæ,
secundum Hieronymum, tempore illo fa-
mosissimi ac robustissimi pugnatores fue-
runt. Porro de Lydia provincia, unde et
Lydii dicti sunt, fit mentio in Isaia ; de *Is.* lxvi, 19.
Libybus vero, secundo Paralipomenon. *Cly-* II *Par.* xii, 3; xvi, 8.
peum et galeam suspenderunt in te pro
ornatu tuo, id est in murorum propugna-

culis, secundum Hieronymum, propter ho-
stes terrendos. Talis quoque apparatus ar-
11 morum fulgentium, civitatem ornavit. *Filii
Aradii,* id est viri de Arado insula Tyro
vicina, *cum exercitu tuo erant super mu-
ros tuos in circuitu,* ad munimen. *Sed et
Pigmæi qui erant in turribus tuis, pha-
retras suas suspenderunt in muris tuis
per gyrum.* Pigmæi sunt longitudinis cu-
bitalis : qui ponebantur in turribus Tyri,
et arcus suos in muris ejus suspenderunt.
Propter quod aliqui asserunt, quod erant
sagittarii valde boni, et ideo ad defensio-
nem urbis erant ibidem. Sed quoniam con-
tra grues pugnare dicuntur, ita ut hinc
inde vicissim fiat strages ; apparet aliis
quod non erant satis robusti ad sagittan-
dum tam valide : quod satis videtur, nisi
dicatur quod alii tetenderunt eis arcus, et
ipsi per visus acumen sive industriam ali-
quam poterant jacula ad certum dirigere.
Itaque alii dicunt, quod illic ponebantur
ad declarandam fortitudinem civitatis. *Ip-
si compleverunt pulchritudinem tuam.* De-
liciosum namque et pulchrum erat, inter
ceteros homines tale creaturarum genus
videre. Diversitas enim in staturis, figuris,
sexu, dispositione et ordine ordinata, ad
corporalium pulchritudinem confert. Nam
pulchrum vocamus, quod visum oblectat.

Præterea de Pigmæis quibusdam in dubi-
um vertitur, an sint veraciter homines : et
dicunt quidam quod non, sed quod multum
participant de ratione. Alii dicunt opposi-
tum. Suntque pro utraque parte rationes
fortes, quas prolixitatem vitans relinquo.
Hoc quoque sciendum, quod ubi Hie-
ronymus transtulit, Pigmæi, Septuaginta
transtulerunt, Custodes. Theodotion posuit
verbum Hebraicum ; Symmachus autem
interpretatus est, Medos. Aquila in prima
sua editione posuit, sicut Hieronymus, Pig-
mæos. Unde verbum Hebraicum videtur
æquivocum.

12 *Carthaginenses negotiatores tui,* veni-
entes ad te, *a multitudine cunctarum di-
vitiarum,* de quibus subjungitur, scilicet
argento, ferro, stanno plumboque, reple-
A *verunt nundinas tuas.* Mercatores enim ea
quæ in suis terris ac urbibus magis abun-
dant, ad magnas consueverunt nundinas
deportare. Porro Carthago Africæ fuit me-
tropolis, de qua in libris de Civitate Dei
multa recitat Augustinus. *Græcia,* natura- 13
liter ingeniosa, *et Thubal,* id est Hispani,
seu Iberi, ab Ibero flumine ita vocati, *et
Mosoch,* id est Cappadoces, *ipsi instito-
res tui,* id est mercatores, quasi mercibus
emendis atque vendendis instantes ; *man-
cipia,* id est servos famulasque venales, *et*
B *vasa ærea adduxerunt populo tuo,* id est
civibus tuis, o Tyre. *De domo Thogorma,* 14
id est de Phrygia, *equos et equites et mu-
los,* quibus regio illa aliquando abundabat,
adduxerunt ad forum tuum. Filii Dadan 15
negotiatores tui. Dadan, secundum Hiero-
nymum, fuit olim civitas potentissima, at-
que navali certamine gloriosa, et propter
tutissimum portum omnium receptaculum
mercatorum. Quidam legunt hic, Filii De-
dan, dicentes quod Dedan sit civitas Idu-
mææ : de qua urbe dictum est capitulo *Ezech.* XXV, 13.
C vicesimo quinto. Sed textus et glossa Hiero-
nymi habent, Filii Dadan. *Insulæ multæ
negotiatio manus tuæ :* id est, diversarum
insularum gentes, manibus tuis negotia-
tiones plurimas præbuerunt. *Dentes ebur-
neos,* id est dentes elephantorum, de qui-
bus eburnea opera fiunt : unde Septuaginta
transtulerunt, Dentes elephantinos ; *et he-
beninos,* id est ligna hebenina, quæ se-
cundum Hieronymum nigri coloris sunt et
pretiosissima : quæ dentes dici possunt,
quoniam hebenus arbor excisa, in modum
D saxi durescit ; *commutaverunt in pretio
tuo,* id est cum aliis mercibus tuis, vel pro
eis seu pretio digno vendiderunt.

Syrus negotiator tuus, id est, homines 16
de Syria, mercatores tui, o Tyre, fuerunt,
propter multitudinem operum tuorum, id
est artificialium effectuum in te fiendo-
rum. *Guttam,* quæ est species aromatica,
inflaturam atque duritiam tollens, vel, ut
aliqui dicunt, pretiosa tinctura, *et purpu-
ram, et scutulata,* id est pannos instar scu-
torum varie contextos, *et byssum, et se-*

ricum, quæ nota sunt, *et chodchod :* per A
quod, ut quidam affirmant, Hebræi intel-
ligunt genus lapidis pretiosi; Hieronymus
vero ait, quod Hebræi omnes pretiosissi-
mas merces asserunt hoc nomine desi-
gnari, vel pretiosarum mercium speciem
17 esse; *proposuerunt in mercatu tuo. Juda,*
id est populus regni Juda, videlicet duæ
tribus, *et Israel,* id est aliæ decem tribus,
ipsi institores tui fuerunt *in frumento pri-*
mo, id est præcipuo; *balsamum, et mel, et*
oleum, et resinam, proposuerunt in nun-
dinis tuis. His enim divitiis terra Judææ B
18 abundavit. *Damascenus negotiator tuus,* id
est, viri de Damasco, institores tui fuerunt
in multitudine opum tuarum, in vino
pingui, in lana coloris optimi : id est, vina
pretiosa et nutritiva, et pretii singularis
19 lanas tuis nundinis proposuerunt. *Dan, et*
Græcia, et Mosel, id est, viri regionum sic
dictarum, *in nundinis tuis proposuerunt*
ferrum fabrefactum, id est in diversa for-
matum; *et stacte,* id est gutta myrrhæ, *et*
calamus, id est species aromatica sic vo-
cata, fuerunt *in negotiatione tua* venales. C
20 *Dedan,* id est viri loci sic dicti, *institores*
tui in tapetibus ad sedendum : quæ ad te
21 deferebant. *Arabia, et universi principes*
Cedar, quæ, secundum Hieronymum, Sar-
racenorum est regio : Cedar tamen quan-
doque est proprium nomen, et secundo
Gen. xxv, 13. genitus Ismaelis, appellatus est Cedar, sic-
ut in Genesi legitur ; *ipsi negotiatores*
manus tuæ; cum agnis, arietibus et hæ-
dis, quibus terra illa vehementer ob pa-
scuarum eremi latitudinem est abundans,
venerunt ad te negotiatores tui exsistentes. D
22 *Venditores Saba et Reema,* id est territo-
riorum illorum, *ipsi negotiatores tui, cum*
universis primis, id est potissimis, *aroma-*
tibus et lapide pretioso, quod proposuerunt
in mercatu tuo.

Hæc enim ad Tyrum ferebant vendenda,
tanquam in propriis terris magis abundan-
tia minusque cara : sicut et ceteræ gentes,
23 de quibus nunc sermo. *Haran et Chene et*
Eden, id est regionum istarum homines,
negotiatores tui fuerunt. *Saba, Assur et*
Chelmad venditores tui : nec dubium quin
et emptores eorum in te, quæ in suis re-
gionibus rara et cara fuerunt : sicut et
ceteri negotiatores, de quibus jam agitur.
Ipsi negotiatores tui multifariam, id est 24
multipliciter, *involucris hyacinthi et po-*
lymitorum, id est serdellis* intra se con- * sertellis
tinentibus pannos pretiosos hyacinthinos
coloris aerii, ac multicolores qui polymiti
nuncupantur, *gazarumque pretiosarum,*
quæ obvolutæ et adstrictæ erant funibus
ad thesaurorum custodiam. *Cedros quoque*
habebant in negotiationibus tuis, id est,
ligna cedrina comportabant per mare ad
te. *Et repleta es* opibus, *et glorificata nimis* 25
in corde maris, in quo sita fuisti, tan-
quam in tutissimo loco atque aptissimo.

In aquis multis, id est per mare, *addu-* 26
xerunt te remiges tui ad loca optata. *Ven-*
tus Auster contrivit te in corde maris : id
est, rex atque exercitus Babylonis instar
venti australis, tempestuosus ac calidus
destruxit te. Poniturque modo prophetico
præteritum pro futuro. *Divitiæ tuæ et the-* 27
sauri tui, et gubernatores tui, viri quoque
bellatores, qui erant in te, cadent in corde
maris, id est in te, Tyro, sita intra ma-
re, Chaldæis cuncta vastantibus. *A sonitu* 28
clamoris gubernatorum tuorum, quem,
quum occiderentur, fecerunt, *conturba-*
buntur classes, id est exsistentes in eis; *et* 29
descendent de navibus suis omnes qui te-
nebant remum, præ timore fugientes ad
terras, seu alibi. *Nautæ et universi guber-*
natores maris, id est eorum quæ in mari
vehuntur, *in terra stabunt; ejulabunt su-* 30
per te voce magna, et clamabunt amare, et
superjacient pulverem capitibus suis in
signum interni doloris, *et cinere consper-*
gentur. Et radent super te calvitium, id 31
est, propter te in signum mœroris, pro-
prios sibi tondebunt capillos. Unde et Job
in afflictionibus constitutus, tonso capite Job i, 20.
legitur corruisse in terram. *Et accingentur*
ciliciis; et plorabunt te in amaritudine
animæ ploratu amarissimo, tam propter
tuam destructionem, quam propter suam
inde procedentem damnificationem.

32 *Et assument super te carmen lugubre,* A
et plangent te : Quæ est ut Tyrus? id est,
sicut ante non fuit gloriosior ea in divitiis,
potestate, hominumque frequentia, sic mo-
do non est miserabilior ea. *Quæ obmutuit*
in medio maris. Nam vitam populus ejus
33 amisit, nec hostibus resistere quivit. *Quæ*
in exitu negotiationum tuarum de mari,
id est de mercibus a te exeuntibus seu
elatis per mare, *implesti populos multos,*
eorum necessitatibus copiose subvenien-
do : eo quod de omnium rerum venalium
et humano usui necessariarum generibus B
inveniretur in te copia ad emendum. *In*
multitudine divitiarum tuarum et popu-
lorum tuorum ditasti reges terræ, de tuis
opibus ac populis illorum facultates atque
34 exercitum augens ac roborans. *Nunc con-*
trita es a mari, id est a loco tuo, qui
fuit in mari destructus, *in profundis aqua-*
rum, quia in eas ædificiorum materia
35 fuit projecta. *Universi habitatores insu-*
larum obstupuerunt super te, id est, de
tam inopinata tua dejectione præ admira-
tione inciderunt mentis stuporem; *et reges* C
earum omnes tempestate, id est maxima
cordis turbatione, *percussi, mutaverunt*
36 *vultus* ex mœrore ac metu. *Negotiatores*
populorum sibilaverunt super te, ad insi-
nuandum quod instar sibili repente peri-
sti. *Ad nihilum deducta es,* quantum ad
esse formale ac artificiale, ita quod quoad

formam civitatis pristinamque figuram arte inductam, esse desiisti. Non tamen materialia urbis in nihilum prorsus redacta sunt : præsertim quum materia prima, ingenerabilis incorruptibilisque probetur; generatio quoque unius, corruptio sit alterius, et econverso. *Et non eris in sempiternum.* Quod qualiter verum sit, præcedenti dicebatur capitulo, super illud : Nec ædificaberis ultra. (*Ezech.* xxvi, 14.) Attamen, teste Hieronymo, pro sempiterno alii habent, Usque in sæculum : per quod unius sæculi tempus ostenditur, quod juxta ætatem hominis, annorum septuaginta circulo computatur. (*Ps.* lxxxix, 10.)

Præterea, juxta intelligentiam spiritualem, per Tyrum et eminentiam ejus ac negotiationes ipsius, intelligitur mundus : qui totus in maligno est positus, omnisque decor est vanus, et gloria ejus inanis; (I *Joann.* v, 19.) occupatio quoque ipsius pro temporalibus caducis et vilibus multiformis; qui in se ipso, non in Domino gloriatur; ad quem omnes ejus amatores confluunt et concurrunt, quemadmodum soboles ad parentem : implicant ergo se negotiis sæculi emendo, vendendo, atque de terrenis sibi sagaciter providendo. Porro mundo in fine temporum pereunte, erit planctus, dolor, et lamentatio universis amatoribus ejus. Erit namque in terris pressura gentium, arescentibus hominibus præ timore, etc. (*Luc.* xxi, 25, 26.)

ARTICULUS XXXIV

ELUCIDATIO CAPITULI VICESIMI OCTAVI : ET FACTUS EST SERMO DOMINI.

CIRCA præsentis expositionem capituli D variatur doctorum sententia. Nempe quod dicitur hic de principe Tyri, quidam ad litteram exponendum existimant de rege Tyri, quidam de casu diaboli. Verum, ut Isaiæ quarto decimo plenius dixi, (*Is.* xiv, 12.) Prophetæ sæpe locuti sunt quasi permixtim de diabolo et reprobis hominibus, qui sunt membra ejus. Nam septem regularum ad intelligendum Scripturas necessariarum, una est hæc, quod Scriptura interdum transit a diabolo ad membra ejus, et econverso. Itaque quædam in isto capitulo scripta sunt, quæ vere, proprie litteraliterque de

rege Tyri dicuntur; quædam, quæ vere,
proprie ac litteraliter de diabolo sunt sumenda,
sicut patebit : quamvis et illa de
diabolo, et ista de rege Tyri accipi aliquo
modo possint.
1 *Et factus est sermo Domini ad me, di-*
2 *cens : Fili hominis, dic principi Tyri,* id
est homini regi Tyriæ civitatis : *Hæc dicit
Dominus Deus : Eo quod elevatum est cor
tuum* tumore superbiæ. Quocontra scri-
Job xv, 12. ptum est in Job : Quid te elevat cor tuum, et
quasi magna cogitans, attonitos habes oculos?
Hinc in Ecclesiastico monet Scriptu-
Eccli. vii, 19. ra : Humilia valde spiritum tuum, quoniam
vindicta carnis impii, ignis et vermis. *Et
dixisti : Deus ego sum,* id est, ex indicibili
cordis cæcitate, ex maxima superbia
ortum habente, te supra hominem extulisti,
et aliquid numinis tibi inesse putasti,
vel divinos honores tibi voluisti impendi :
Act. xii, 22, 23. quemadmodum in Actibus Apostolorum de
Judith i, 7; iii, 13. Herode habetur, atque in libro Judith de
Nabuchodonosor quodam; *et in cathedra
Dei sedi in corde maris,* id est in solio divinæ
meæ excellentiæ debito in Tyro, quæ
in mari est sita. Talis fuit et is, qui in
Is. xiv, 14. Isaia fertur dixisse, Similis ero Altissimo.
Quæ licet potius sint verba insanientium
dæmonum quam hominum, perpendere tamen
debemus, quod in tantum superbierunt,
et mensuram suam nescierunt, ut
sæculi felicitate elati et regni potentia, dum
præsentia bona putant perpetua, homines
se esse nescierint, atque æternum sibi imperium
vindicarint, ut ait Hieronymus.
Quum sis homo, id est fragilis ac mortalis,
et non Deus impassibilis ac æternus, *et
dedisti cor tuum quasi cor Dei,* ita de te
sentiendo quemadmodum verus Deus sentit
de se, utpote ita te apprehendendo quasi
sis omnium summus, et nulli debeas
esse subjectus : quod Deo est proprium.
3 *Ecce sapientior tu es Daniele,* cui Deus
Dan. i, 17. dedit intelligentiam omnium visionum.
Hoc ironice de Tyri infideli dicitur principe.
*Omne secretum non est absconditum a
te,* secundum tuam existimationem. Hoc
enim est consequens, si es Deus, ut omnia

A noveris. *In sapientia,* qua de divinorum 4
notitia te jactitasti, *et prudentia tua* carnali
ac sæculari : de qua loquitur Paulus,
Prudentia carnis mors est; *fecisti tibi* *Rom.* viii, 6.
fortitudinem armorum et bellatorum seu
ædificiorum, *et acquisisti tibi aurum et
argentum in thesauris tuis. In multitudi-* 5
ne sapientiæ tuæ mundanæ ac vanæ, *et in
negotiatione tua multiplicasti tibi fortitudinem,*
id est grandem et potentem exercitum,
ac cetera in quibus regalis consistit
potestas. Ex his innotescit, quod ista non
B debeant litteraliter ac proprie de diabolo
accipi. *Et elevatum est cor tuum in robore
tuo,* id est in consideratione potentiæ
tuæ.
Propterea hæc dicit Dominus Deus : Eo 6
quod elevatum est cor tuum per falsitatem
et erroris et culpæ, *sicut cor Dei* elevatum
et superexaltatum est per veritatem propriæ
dignitatis; *idcirco ego adducam su-* 7
per te alienos robustissimos gentium, puta
Chaldæos, quibus pro tunc nemo resistere
valuit. *Et nudabunt gladios suos super*
C *pulchritudinem sapientiæ tuæ,* id est super
te propria reputatione splendore sapientiæ
adornatum. Loquitur autem Scriptura
de isto superbo cum ironia. *Et polluent
decorem tuum,* id est, quidquid pulchri
in te viderint, violabunt ac destruent, te
ipsum necando, et ornamenta tua tollendo.
Interficient te, et morieris in interitu 8
incircumcisorum, id est gentilium idololatrarum,
corde et corpore incircumcisorum :
per quod æterna quoque damnatio
designatur. Denique tempore veteris Te-
D stamenti non omnes tenebantur ad carnalem
circumcisionem, sed illi qui ad legem
Moysis fuerunt obligati. Tales igitur incircumcisi
si unum Deum colebant, et fidem
de Christo futuro habuerunt, salvabantur.
Numquid dicens loqueris coram interfici- 9
entibus te Chaldæis, *Deus ego sum, quum
sis homo, et non Deus?* quasi dicat : Tunc
apparebit tua præsumptio, pompa atque
insania.
Et factus est sermo Domini ad me, di- 11
cens : Fili hominis, leva planctum super

regem Tyri, id est diabolum. Quocirca duo quæruntur : primo, cur diabolus rex Tyri dicatur; secundo, quomodo sit plangendus, quum non sit ex caritate amandus, nec beatitudinis susceptivus. Ad primum respondet Hieronymus, quod sicut in Scripturis angeli boni regnis vel urbibus præsidentes, principes eorum vocantur, ita et
Ephes. VI, 12. angeli mali : quos et Apostolus nominat mundi rectores tenebrarum harum ; de
Ps. LXXXI, 7. quibus ait Psalmista, Sicut unus de principibus cadetis. Ad aliud respondendum, quod diabolus et damnati, quantum ad bonum naturæ, sunt naturali amore amandi : sic enim et Deus diligit eos ; sicque compati quis poterit eis.

12 *Et dices ei,* non ad ejus profectum, sed hominum informationem : *Hæc dicit Dominus Deus : Tu signaculum similitudinis,* scilicet Dei, id est divina similitudine evidenter ac eminenter ornatus, tanquam per naturam Creatori similior atque propinquior, et inter angelicos spiritus altior. *Plenus sapientia.* Totius enim universi ordinem et naturas agnoscunt mentes supernæ. Et primus ille spiritus cœlestis, maxime sapientia naturali atque in magna sapientia supernaturali creatus est plenus. Sed diversi sunt plenitudinis gradus. *Et perfectus decore :* quia non tantum in excellentissimis donis naturæ, pulcherrimaque specifica essentia conditus est, sed etiam in donis gratiæ, secundum multos doctores, et secundum Albertum in libro suo de IV Coæquævis, et Thomam in pluribus locis. Præterea palam est, ista de viro gentili, superbo, idololatra, scilicet rege
13 Tyri mortali, exponi non posse. *In deliciis paradisi Dei fuisti,* id est in voluptate cœli empyrei; non tamen in gaudio beatificæ fruitionis, quia non vidit Deum per speciem, nec fuit perfecte vel vere beatus seu comprehensor : sic enim confirmatus fuisset in bono. Circa hunc locum sanctus scribit Hieronymus : Pulchre paradisum Dei nominat : ut ostendat esse et contrarium paradisum, non Dei, apud eos qui
Rom. I, 25. veritatem mutant mendacio, et paradisum A se habere jactant. Quo sermone monstrat, nequaquam hominem esse de quo scribitur, sed contrariam fortitudinem, quæ quondam in Dei paradiso commorata sit. Præterea, secundum Hieronymum, primo admonetur princeps iste quid fuerit, ut doleat se perdidisse quod habuit. Infelicissimum namque infortunii genus est, felicem fuisse, non esse.

Omnis lapis pretiosus, de quo mox mentio fiet, *operimentum tuum,* id est, tuus fuit ornatus ac decor, videlicet *sardius, topazius,* B *jaspis, chrysolithus, onyx, beryllus, sapphirus, carbunculus et smaragdus.* Novem posuit lapidum species, quoniam novem sunt chori angelorum : quibus ille primus et supremus apostata fertur ornatus, quoniam comparatione eorum splendidior apparebat, atque ut aliquo modo eis, si staret, præesset, conditus erat : quemadmodum nunc summus angelicus spiritus ceteris præest. Superior autem, inferiorum multitudine decoratur et quasi vestitur. Propter quod Salomon dicit : In *Prov.* XIV, 28.
C multitudine populi, gloria regis. *Aurum opus decoris tui,* id est, sapientia perfectionis tuæ exstitit ornamentum : auro namque sapientia designatur ; *et foramina tua in die qua conditus es, præparata sunt.* Foramina metaphorice in angelico spiritu appellantur naturales ejus potentiæ vel capacitates, quibus dispositus fuit a primo suæ creationis puncto ad dona gloriæ, si bene usus fuisset concreatis perfectionibus istis, quibus Creator eum præparavit ad majora dona.

D *Tu Cherub extentus,* per spiritualem 14
tuæ potestatis expansionem et influxionem in spiritus inferiores, *et protegens,* id est, ad protegendum creatus et potens per dona tibi impressa : per quod peccati sui enormitas denotatur, quod qui conditus fuit ad protegendum, inferiores subvertit. Quæritur, quum angelus iste fuerit summus, puta de ordine Seraphim, cur potius appellatur nunc Cherub quam Seraph. Et respondendum, quod ad insinuandum incitamentum suæ ruinæ. Cherub namque a

I Cor. viii, 1. plenitudine scientiæ dicitur, quæ inflat; Seraph autem, a fervore caritatis, quæ ædificat. Peccatum autem ipsius fuit ejus inflatio, quam occasionaliter sumpsit ex eminentia suæ scientiæ, sicut infra dicetur. *Et posui te in monte sancto Dei,* id est in cœlo empyreo, qui paradisus est Dei, et locus altissimus. De quo cantamus:
Ps. xxiii, 3. Quis ascendet in montem Domini? Et item:
Ps. xiv, 1. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Istud secundum Hieronymum, homini regi Tyri convenire non valet, sed sanctæ quondam atque præcipuæ fortitudini. *In medio lapidum ignitorum,* id est angelorum, *ambulasti,* id est vixisti. De quibus habetur
Ps. ciii, 4. in Psalmo: Qui facis angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem. Denique angeli ante suam confirmationem atque ruinam, naturali amore amabant Deum plus quam se ipsos, sicut ex verbis Augustini comprobat S. Thomas. Vel dicuntur igniti, id est radiantes ac splendidi, præsertim quum juxta divinum Dionysium capitulo 4 de Divinis nominibus, dona naturæ splendidissima in angelis lapsis manserunt. Peccatum enim naturam non destruit, sed inficit.

15 *Perfectus in viis tuis,* id est naturalibus actibus, vel etiam in quibusdam actibus gratiæ, *a die conditionis,* id est ab instanti creationis *tuæ, donec inventa est iniquitas* elationis *in te,* ab eodem de quo scriptum
Job iv, 18. est: Et in angelis suis reperit pravitatem. Quæri hic posset de mora inter creationem ruinamque angelorum cadentium: et videtur ex hoc loco, quod fuerit magna. Sed respondendum secundum Latinos, quod fuerit brevis et parva, quamvis non oporteat dici eam fuisse punctalem. Scriptura autem frequenter gerit morem infirmitati humanæ, quæ subtilia et profunda capere nequit, nisi humano ac plano explicentur sermone. Unde ex his verbis aliud non monstratur, nisi quod angeli fuerint boni et immaculati creati, imo et perfecti, quia diversi sunt gradus perfectionis; nec in primo creationis suæ instanti mali fuerunt, sed propria voluntate pravi effecti sunt, sicut subjungitur.

In multitudine negotiationis tuæ, id est 16
in magna illa conquisitione, qua potestatem et eminentiam tibi non congruentem optasti et exquisisti, *repleta sunt interiora tua iniquitate* superbiæ, ita quod et angelos tibi in impietate conformare conatus es, et quosdam tibi impiissime attraxisti et conformasti, ut essent tibi subjecti, non secundum ordinem sapientiæ atque justitiæ Dei, seu legis et dispositionis divinæ, sed ad tuum imperium, complacitum, et primatum. Non enim contentus fuit donatione et ordinatione divina, sed terminos sibi præfixos transgressus est. *Et peccasti,* superbiendo, aliosque ad superbiam inducendo. *Et ejeci,* id est, irrecuperabiliter expuli, *te de monte Dei, et perdidi,* id est, in sempiternum damnavi, *te, o Cherub protegens, de medio lapidum ignitorum,* id est angelorum stantium electorum. Quod legentes, valde timere deberemus. Si enim Cherub tam eminenter creatus, atque sublimiter collocatus, sic extentus et protegens, ita peccavit et periit, quid de nobis putandum est? Ideo in secunda Petri habetur epistola: Si Deus angelis peccantibus non pepercit; ne forte nec tibi parcat. II Petr. ii, 4; Rom. xi, 21.

Et elevatum est cor tuum in decore tuo, 17
id est, in consideratione pulchritudinis, eminentiæ et sapientiæ tuæ, tibimet in te ipso complacuisti, et intumuisti, voluistique similis esse Altissimo: ut sicut ille Is. xiv, 14. præsidet non sub lege et ordine superioris, ita et tu. Velut si princeps militiæ quærat præesse militibus non juxta legem dispositionemque regis. Et hoc utique turpissimum fuit ac superbissimum: et tamen quam multi miseri homines vanitate cæci, in hoc dæmonem imitantur! Denique plures ex consideratione perfectionis sibi collatæ, in se ipsis inaniter gloriantur, Creatori ingrati: qui etsi religiosi sint, de medio lapidum ignitorum, id est ardentium fratrum, mox ruunt, ejusque servi redduntur qui est rex super omnes filios Job xli, 25. superbiæ. *Perdidisti sapientiam tuam,* non

naturalem, sed eam quæ donum est Spiritus Sancti, secundum eos qui ponunt dona angelis concreata, quemadmodum fidem, spem, caritatem : quæ sapientia cum peccato mortali non manet. Vel, sapientiam beatificæ visionis, quam, si non peccasses, mox suscepisses; vel, sapientiam omnem concreatam perdidisti, quantum ad rectum usum ipsius, quamvis non quantum ad habitum. In dæmonibus quippe vis practica tota infecta est atque erronea; estque in eis, secundum S. Dionysium, phantasia proterva, amens furor, et irrationabilis concupiscentia. Itaque, Perdidisti sapientiam tuam *in decore tuo :* quoniam pulchritudo et excellentia, quæ omnibus eminebat, fuit sibi superbiendi occasio : delectatus etenim fuit in se, tam pulchrum se intuens. Ita quotidie quidam improvidi sapientiam sibi infusam, in suo perdunt decore, dum complacent sibimetipsis, et aliis præfici gliscunt : sicque stulti monstrantur, suum esse putantes quod Dei est. Quidam quoque in corporali pulchritudine insipienter lætantur.

In terram projeci te, imo usque in tar-
Is. XIV, 12. tarum : juxta illud Isaiæ, Quomodo cecidisti, Lucifer, qui mane oriebaris? Christus
Luc. X, 18. quoque in Evangelio : Vidi, inquit, Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Et
Judæ 6. Judas in sua scribit Canonica : Angelos qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni Dei vinculis æternis sub caligine reservavit. *Ante faciem regum dedi te, ut cernerent te,* id est, regibus te collapsum perditumque ostendi seu notificavi, ut tuo terreantur exemplo, vel reverentiali timore afficiantur in Deo. Sicque per reges intelligi poterunt angeli sancti, reges eximii, de quibus scriptum est in
Job XLI, 16. Job : Quum sublatus fuerit (scilicet is de quo jam sermo), timebunt angeli, et territi purgabuntur.

18 *In multitudine iniquitatum tuarum :* de quibus jam dictum est : peccavit enim in se ipso per elationem, et item alios angelos ad sibi consentiendum trahendo; *et*

A *in iniquitate negotiationis tuæ,* id est studii ad obtinendum inordinate assimilationem Altissimi, *polluisti sanctificationem tuam,* id est mentis puritatem in qua conditus eras, et operationem bonam, quam ante casum habueras. *Producam ergo ignem de medio tui,* id est, ex te et tuo demerito sumam causam et materiam te puniendi, *qui comedat te,* id est, intra se quasi absorbeat, non tamen consumat; *et dabo te in cinerem super terram in conspectu omnium videntium te,* id est, omni esse spi-
B rituali, beato, et gratioso te spoliabo : ita quod comparative, et quantum ad meritorium esse seu bene esse, nihil eris. Secundum quod de peccatore ait Apostolus :
Qui se putat aliquid esse, quum nihil sit. *Galat.* VI, 3.
Istudque factum est in conspectu universorum videntium dæmonem, id est ejus
ruinam fide cernentium. *Omnes qui vide-* 19
rint in gentibus, obstupescent super te. Vehementer quippe mirandum est, quod creatura illa tam sublimis ac nobilis, ad tantam culpam, tantamque devenerit pœ-
C nam. *Nihil factus es,* secundum sensum jam tactum : nam et peccatum formaliter nihil est, et nihil fit creatura peccando; *et non eris in perpetuum,* id est, spiritualiter nunquam resurges, nec esse gratiæ recuperabis.

Descripta Tyri destructione, sermo dirigitur contra Sidonem, quæ fuit ejusdem cum Tyro provinciæ, et Judæis erat vicis-
sim molesta. *Ecce ego ad te, Sidon,* id est, 22
ad te puniendam exercitum Chaldæorum transmittam, *et glorificabor in medio tui,*
D id est, in tua destructione gloriosus, potens ac justus agnoscar. *Et scient* homines per potestatis et æquitatis meæ effectum, *quia ego Dominus, quum fecero in ea judicia,* id est justa supplicia, *et sanctificatus fuero in ea,* id est sancte operatus, impios rite tractando ut meam condecet
sanctitatem. *Et immittam ei pestilentiam,* 23
et sanguinem, id est sanguinis effusionem, *in plateis ejus :* in quibus Chaldæi occi-
derunt Sidonios. *Et non erit* Sidon *ultra* 24
domui Israel offendiculum amaritudinis,

id est obstaculum amare affligens, seu
obex pœnose resistens. Ideo quasi expo-
nendo subjicitur : *et spina dolorem infe-
rens undique per circuitum eorum,* id est
populorum, *qui adversantur eis,* videlicet
filiis Israel. Ex quo ostenditur, quod ex
omni parte Sidonii tribulaverunt filios Is-
rael, et gentibus inferentibus mala Israeli
præbuerunt subsidium. *Et scient* filii Is-
rael, *quia ego Dominus* eorum adjutor.
25 *Hæc dicit Dominus Deus : Quando con-
gregavero domum Israel de populis in
quibus dispersi sunt,* id est de terra ac
populo Chaldæorum, Persarum, aliarumve
nationum, *sanctificabor in eis coram gen-
tibus :* non ita, sicut in Sidoniis sanctifi-
catus exsisto : ibi enim sanctificatus sum
per actus justitiæ; hic autem, per actus
misericordiæ, quia in eorum liberatione
sanctus et verax apparui coram Samari-
tanis et aliis. *Et habitabunt in terra quam
dedi servo meo Jacob,* id est, dandam pro-
26 misi semini ejus, *et habitabunt in ea se-
curi. Et ædificabunt domos, et plantabunt
vineas, et habitabunt confidenter, quum
fecero judicia in omnibus qui adversan-
tur eis per circuitum,* id est, gentes Judæ-
orum persecutores juste puniero. Omnia
hæc impleta fuerunt successive post redi-
tum a Babylonica captivitate, partim vide-
I *Esdr.* VI, VII; II *Esdr.* III, VIII. licet sub Esdra et Nehemia, deinde sub
Machabæis. Nam tempore Simonis, et ante
tempore Judith, habitaverunt securi, sicut
I *Mach.* XIV, 4 *et seq.*; *Judith* XVI, 30. in primo libro Machabæorum et Judith
libro legitur : Judæi vero increduli, pu-
tant hæc in adventu sui Messiæ implenda.
Etenim quidquid possunt, ad suæ perfidiæ
confirmationem convertunt. *Et scient* per
multiplicem beneficiorum meorum exhi-
bitionem, *quia ego Dominus Deus eorum,*
omnium quidem generaliter, specialiter
vero eorum tanquam populi peculiaris.

Circa ea quæ de rege Tyri præhabita
sunt, refert Hieronymus quod Judæi hunc
II *Reg.* V, 11; III *Reg.* V, 1. regem fuisse affirmant Hiram, qui fuit
amicus David et Salomonis. Asseruntque
eumdem Hiram mille annis vixisse. Hoc
autem S. Hieronymus reputat fabulam at-
A que ficticium, quum nulla auctoritate pro-
betur, et consuetudini durationis vitæ hu-
manæ repugnet.

PRÆTEREA, juxta mysticum intellectum, Expositio mystica.
quod in principio hujus capituli dicitur
principi Tyri, de potentibus, divitibus, et
principibus sæculi accipi potest. Horum
enim cor elevatur superbia ; et quamvis
non verbis, tamen operibus dicunt, *Deus* 2
ego sum, dum nec Deum nec hominem
verentur aut reverentur, sed propriam vo-
B luntatem quasi legem justitiæ imitantur ;
imo (quod horribilius sonat) voluntatem
suam divinæ præferunt voluntati, dicentes
illud Sapientiæ : Sit autem fortitudo no- *Sap.* II, 11.
stra lex justitiæ. Qui etiam dicunt : *In
cathedra Dei sedi :* Dei enim ministri
sunt, et ejus locum vicemque supplent ;
in corde maris, id est in medio sæculi
hujus.

His (quia nimis sapientes sunt in ocu-
lis suis) irrisorie dicitur : *Sapientior es* 3
Daniele. Quod quum ita non sit, non se
C de sua jactarent scientia parva, quum Da-
niel in omni sua tam eminenti sapientia,
in profundissima manserit humilitate. De-
nique isti *in multitudine sapientiæ* suæ 5
terrenæ, atque in negotiationibus suis, fa-
ciunt sibi fortitudinem sæcularem in ædi-
ficiis, familia, amicis, atque propinquis,
acquiruntque aurum et argentum : quo
facto, donis Dei abutentes, elevatur cor
eorum in robore suo. Propter quod mittit
contra eos Dominus invisibiles atque vi-
sibiles hostes, qui gladios persecutionum
D vel tentationum adversus eos denudant :
tuncque in tormentis agnoscunt elationis
suæ insaniam.

Porro quod subditur, *Tu signaculum* 12
*similitudinis, plenus sapientia, et perfe-
ctus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti,* 13
de magnis prælatis intelligi potest : qui
in tot et tantis Christi potestate et aucto-
ritate funguntur, ejusque vicem gerunt,
quod signaculum similitudinis ejus pos-
sunt vocari : quorum nonnulli pleni sunt
sapientia sacræ Scripturæ, et perfecti de-

core virtutum, secundum quemdam per- A
fectionis gradum. Sunt quoque in deliciis
paradisi Dei, id est Ecclesiæ militantis, in
cujus sacramentis spiritualibusque divitiis
gaudenter versantur, et pretiosis lapidi-
bus, hoc est gratiarum charismatibus, de-
corantur. Quorum unusquisque propter
collatæ potestatis in subditos extensionem
et subventionem atque scientiæ clarita-
14 tem, dicitur *Cherub extentus et protegens.*
Prælatus etenim gregem suum clare do-
cere atque protegere debet. Cui insuper
dicitur : *In medio lapidum ignitorum* B
ambulasti, id est, inter devotos, electos
15 ac fervidos conversatus es fratres. *Perfe-*
ctus in viis tuis a die conditionis, id est
regenerationis *tuæ* in Christo, *donec in-*
venta est iniquitas in te.
16 *In multitudine negotiationis tuæ,* id est
occupationum tuarum circa exteriora, *re-*
pleta sunt interiora tua iniquitate. Talis
equidem occupatio, recollectionem adhæ-
sionemque mentis in Deo potissime im-
II *Tim.* II, 4. pedit. Ideo scribit Apostolus : Nemo mili-
tans Deo, implicat se sæcularibus negotiis. C
Eccli. XI, 10. Et in Ecclesiastico scriptum est : Fili, ne
Ibid. XXIX, 26. in multis sint actus tui ; et, Qui conantur
multa agere, incidunt in judicium. *Et ejeci*
te de monte sancto *Dei,* id est electorum
consortio : ita quod per individuæ caritatis
unitatem eis conjunctus non permanes,
sed tanquam putridum membrum dæmoni
incorporaris. *Elevatum est cor tuum in* 17
decore tuo. Quam multi prælati et princi-
pes ex consideratione suorum ornatuum
intumescunt superbia, et unde humilius
regratiari debuerant, inde vanius se ex-
tollunt! Isti demum polluunt sanctificatio-
nem suam, id est consecrationem virtuo-
samque pristinam vitam.
Postremo, secundum Hieronymum, Sidon
interpretatur venator, et Sidonii, venato-
res. Itaque contra hos venatores, id est
animarum deceptores simpliciumque ca-
ptores (de quorum quolibet scriptum est
in Michæa, Vir fratrem suum venatur ad *Mich.* VII, 2.
mortem), loquitur Deus : *Ecce ego ad te,* 22
Sidon. Tales enim pestilentes, qui alios
trahunt ad mortem, plagat Omnipotens,
judicat et condemnat, ita ut filiis Israel,
id est virtuosis, non sint amplius offendi-
culum amaritudinis, et spina doloris : quod
maxime fiet in die novissimo, quando om-
nes electi, qui per filios Israel designan-
tur, a reproborum consortio, inter quos
in vita hac dispersi fuerunt, congregabun-
tur. *Et habitabunt* in terra viventium, 26
quam Deus Patriarchis sanctissimis repro-
misit. Tunc *ædificabunt domos,* id est,
mentem suam in Deo stabilient, *plantabunt*
vineas, id est, corda fructifera, saporosa,
et splendida figent in Deo.

ARTICULUS XXXV

DECLARATIO CAPITULI VICESIMI NONI : IN ANNO DECIMO, DUODECIMO MENSE.

SECUNDUM Hieronymum, post Sidonem D
in Phœnices littore sitam, prophetatur
contra Ægyptum, in eodem littore ex alia
1 parte Judææ locatam. *In anno decimo* ca-
ptivitatis, vel potius transmigrationis Joa-
chin regis, in *duodecimo mense* anni præ-
fati, *in una mensis,* id est primo die
mensis duodecimi, *factum est verbum Do-*
mini ad me, dicens : Fili hominis, pone
faciem tuam contra Pharaonem regem 2
Ægypti, vultum tuum versus Ægyptum
cum truculentia dirigendo, ut ex modo
intuendi insinuetur quanta calamitas præ-
nuntianda sit de Ægypto, ejusque rege.
Et prophetabis de eo et de Ægypto uni-
versa.

3 *Hæc dicit Dominus : Ecce ego ad te,* A
Pharao, rex Ægypti. Pharao fuit nomen
commune regum Ægypti, sicut Delphinus,
regum Franciæ. *Draco magne :* draco, ra-
tione crudelitatis, dolositatis et infectio-
nis : nam sicut draco inficit et occidit, sic
Pharao dando Judæis spem vanam, spiri-
tualiter eos infecit ac interfecit ; sed et
magne draco, propter regni tam extenti
potentiam. *Qui cubas,* id est, quiescis et
habitas, *in medio fluminum tuorum,* id
est in terra Ægypti, per quam currit Ni-
lus, qui hinc inde in rivos fluviosque mi- B
nores dividitur, *et dicis : Meus est flu-
vius :* id est, ita de possessione Nili et
terræ Ægypti te jactas et gloriaris, quasi a
te ipso ista haberes ; *et ego feci memetip-
sum.* Hoc dupliciter intelligi potest : pri-
mo, quod tam superbe se habuit, ac si
nullam super se causam vel creatorem ha-
buisset ; secundo, quod præ indicibili ela-
tione ad tantam devenit cæcitatem atque
insaniam, ut verbis quoque proferret se
sui causam exsistere, sicut de quibus jam
dictum est, quod deum se esse protule- C
rint ; et sicut de quodam in Daniele præ-
Dan. VII, 25. dictum est, quod putabit se posse mutare
tempora et ætates. Item secundo Macha-
bæorum libro de Antiocho rege asseritur :
II *Mach.* V, 21. Existimavit se præ superbia terram ad
navigandum, pelagus vero ad iter agen-
dum deducturum, propter mentis elati-
onem.
4 *Et ponam frenum in maxillis tuis,* id
est, a tam superbissimis verbis te per sup-
plicia cohibebo. Hoc ipsum Dominus in
Isaia loquitur contra regem Assyriorum : D
Is. XXXVII, 29. Ponam, inquiens, circulum in naribus tuis,
et frenum in maxillis tuis. *Et agglutinabo
pisces fluminum tuorum,* id est, duces,
bellatores, et principes tuos adjungam,
squamis tuis, id est tibi ipsi, seu mem-
bris, vel operimentis corporis tui. *Et ex-
traham te de medio fluminum tuorum,* id
est, de terra tua delebo te, *et universi pi-
sces tui squamis tuis adhærebunt,* id est,
pugnatores tui et socii, tibi in miseriis
5 copulabuntur. *Et projiciam te in deser-
tum,* id est, omnino relinqui te faciam,
sicut quod in eremum jactatur, relinqui-
tur. Vel hoc ideo dicitur, quia ut aliqui
adstruunt, Pharao cum suis in deserto fuit
occisus. Sed repugnare videtur quod sub-
ditur, *Super faciem terræ cades :* pro quo
Septuaginta transtulerunt, Super faciem
campi cades. Ægyptus namque campestris
est. Nisi quis asserat hæc accipi pro eo-
dem. *Non colligeris, neque congregaberis,*
id est, non sepelieris, nec patribus tuis
in monumento apponeris. *Bestiis terræ et
volatilibus cœli dedi te,* id est cadaver
tuum, *ad devorandum. Et scient omnes* 6
*habitatores terræ Ægypti, quia ego Do-
minus :* id est, ex tam inopinata regis et
populi Ægyptii nece, potestas mea omni-
bus innotescet.

Jam posita est una causa dejectionis
Ægyptiorum, puta superbia ; nunc alia
subditur causa punitionis eorum, videli-
cet quod vanam et falsam confidentiam
præstiterunt Judæis, per quam a spe divi-
na aversi, Chaldæis se opposuerunt. *Pro
eo quod,* o rex Ægypti cum populo tuo,
fuisti baculus arundineus, id est fallax
subsidium præbens, *domui Israel,* id est
Sedeciæ regi Juda ejusque plebi, *quando* 7
apprehenderunt te manu, confugiendo ad
tuum auxilium, atque in illo se roborando, *Ezech.* XVII, 15.
et confractus es, id est, eis succurrere non
quivisti, imo et regi Babylonis succubui-
sti, *et lacerasti omnem humerum eorum,*
id est, occisionis eorum fuisti occasio, in-
ducendo eos ad culpam, per quam meru-
erunt a Deo relinqui, et hostibus tradi, *et
innitentibus eis super te,* id est in adjuto-
rio tuo sperantibus, *comminutus es,* id est
viribus minoratus et a Chaldæis oppressus,
et dissolvisti omnes renes eorum eo mo-
do, quo eorum humeros lacerasti. De hac
fallacia confidentiæ in Ægypti rege ac po-
pulo, plenissime scriptum est apud Isaiam. *Is.* XXX, 2-5; XXXI, 1-3.
Rabsaces quoque ad servos Ezechiæ lo-
quens, eadem dicit de rege Ægypti ore IV *Reg.* XVIII, 21.
blasphemo, quæ jam loquitur beatus Eze-
chiel ore divino. *Propterea hæc dicit Do-* 8
minus Deus : Ecce ego adducam super te

gladium Chaldæorum, *et interficiam* per A
manus eorum *de te hominem et jumentum,*
id est homines et bruta domestica quæ
dantur hominibus in subsidium : unde ju-
9 menta quasi juvamenta dicuntur. *Et erit*
terra Ægypti in desertum et in solitudi-
nem, hominibus habitaculisque sublatis.
Et scient quia ego Dominus.

Pro eo quod dixeris, o Pharao : *Meus*
est fluvius, scilicet Nilus : qui est unus de
Gen. II, 13. quatuor fluviis ex paradiso fluentibus, et
alio nomine dicitur Jehon ; *et ego feci eum.*
vers. 3. Supra dixit Pharao, Ego feci memetipsum ; B
nunc ait, Ego feci fluvium istum : quod
dupliciter intelligi potest, quemadmodum
illud quod dixit, Ego feci memetipsum,
10 sicut jam tactum est. *Idcirco ecce ego ad*
te, et ad flumina tua, id est, per ultionem
te visitabo ; *daboque terram Ægypti in*
solitudinem, gladio dissipatam, a turre
Syenes, quæ est circa extremitatem Ægy-
pti in una parte, *usque ad terminos Æthio-*
piæ, id est usque ad fines Ægypti Æthio-
piam contingentes : hoc est, totum regnum
populumque Ægypti vastabo atque delebo C
11 de proprio solo. *Non pertransibit eam pes*
hominis, neque pes jumenti gradietur in
ea : id est, nulli vel tam pauci homines et
jumenta remanebunt in terra hac, ut pro
nihilo reputentur ; *et non habitabitur qua-*
draginta annis. Siquidem tanto tempo-
12 re desolatio Ægyptiorum duravit. *Daboque*
terram Ægypti desertam in medio terra-
rum desertarum, videlicet Idumææ, Palæ-
stinæ, regionumque Moab et Ammon : de
Ezech. XXV. quarum derelictione jam supra factus est
sermo divinus ; *et civitates ejus in medio* D
urbium subversarum præfatarum regio-
num *erunt desolatæ,* id est, destructæ ma-
nebunt, *quadraginta annis. Et dispergam*
Ægyptios in nationes, et ventilabo eos in
terras. Non enim omnes occisi fuerunt,
sed aliqui effugio evaserunt, et quidam
per captivitatem vel venundationem ad
alienas perducti sunt regiones.
13 *Quia hæc dicit Dominus Deus : Post fi-*
nem quadraginta annorum, congregabo
Ægyptum, id est populum ejus prædi-
ctum, *de populis in quibus dispersi fue-*
rant. Et reducam captivitatem Ægypti, id 14
est captos Ægyptios, qui adhuc superstites
fuerunt, *et collocabo eos in terra Phatures :*
quæ secundum Hieronymum fuit metropo-
lis Ægypti ; *in terra nativitatis suæ. Et*
erunt ibi in regnum humile, id est, pristi-
nam excellentiam, potestatem et pompam,
regnum istud amittet, *et inter regna erit* 15
humillima ipsa Ægyptus, id est infima. *Et*
non elevabitur ultra supra nationes, sal-
tem usque ad longum tempus. Nam diu
post, tempore Octaviani repugnaverunt Ro-
manis Ægyptii, sed victi et maxime humi-
liati fuerunt. *Et imminuam,* id est numero
paucos faciam *eos, ne imperent... Neque* 16
erunt ultra domui Israel in confidentia,
id est, spem inanem eis ultra non inge-
rent, *docentes iniquitatem,* id est rebellio-
nem adversus regem Babylonis, cui Sede-
cias fidelitatem juravit, et amicitiæ pactum
inivit : quo non obstante, Ægyptii persua-
serunt Judæis rebellionem contra Chal-
dæos ; vel, Docentes iniquitatem, id est,
deserto Dei auxilio, quærere humanum
subsidium ; *ut fugiant* Judæi a confœde-
ratione atque dominio regis Chaldæorum,
et sequantur eos, puta Ægyptios. *Et sci-*
ent Ægyptii ex sua castigatione, *quia ego*
Dominus, id est, potestatem meam per-
sentient.

Et factum est in vicesimo et septimo 17
anno transmigrationis Joachin, *in primo*
mense, *in una mensis,* id est prima die
mensis istius, *factum est verbum Domini*
ad me, dicens. Quæritur, cur statim post
superiorem revelationem decimo anno fa-
ctam, describitur revelatio ista vicesimo
septimo anno ostensa, quum infra scriban-
tur revelationes factæ anno undecimo, et Ezech.
item duodecimo anno, atque in anno vice- XXX, 20 ; XXXII, 1, 17;
simo quinto. Respondet Hieronymus, quod XL, 1.
propter connexionem visionis istius cum
visione immediate præscripta : utraque
enim est de Ægypto. In Prophetis namque
frequenter præpostero ordine tempora de-
scribuntur, sicut in Jeremia quædam de Jer. XXXII, XXXVI.
Sedecia prius quam de Joakim describun-

tur, quum tamen post Joakim Sedecias
regnaverit.
18 *Fili hominis, Nabuchodonosor rex Ba-
bylonis servire fecit exercitum suum ser-
vitute magna adversus Tyrum.* Maximo
enim labore laboraverunt subditi regis Na-
buchodonosor, eo jubente, antequam ca-
perent Tyrum, ut constat ex præindu-
ctis. *Omne caput decalvatum, et omnis
humerus depilatus est :* id est, capita et
humeri ministrorum regis hujus ex depor-
tatione armorum et onerum, lapidum et
lignorum contra Tyrum, crinibus sunt nu-
dati; *et merces non est reddita ei, neque
exercitui ejus de Tyro.* Tyrii nempe urbi
suæ excidium imminere cernentes, pretio-
sa quæque per mare ad alias insulas trans-
miserunt; et cetera manibus Chaldæorum
subtraxerunt, ne urbem ingressi, spolia
pinguia comperirent.
19 *Propterea hæc dicit Dominus Deus :
Ecce ego dabo,* id est mittam, *Nabuchodo-
nosor regem Babylonis in terram Ægy-
pti; et accipiet multitudinem ejus,* id est
copiam facultatum et hominum, *et depræ-
dabitur manubias ejus, et deripiet spolia
ejus,* id est, quidquid pretiosum fuerit in
Ægypto, in suam rediget potestatem. Ma-
nubiæ enim dicuntur spolia, quæ manibus
rapiuntur. *Et erit merces exercitui illius,*
20 *et operi quo servivit,* meo imperio, *contra
eam,* scilicet Tyrum. *Dedi ei terram Ægy-
pti, pro eo quod laboraverunt mihi,* id est
voluntati meæ et ad exsecutionem ac decla-
rationem meæ justitiæ, *ait Dominus Deus.*
Nabuchodonosor enim opes Ægypti suis
dedit atque divisit ministris. Porro ex præ-
inductis clarissime innotescit, quod instin-
ctu divino rex Babylonis et ejus exercitus
demoliti sint Tyrum : ita quod Deo in hoc
servierunt, exsequendo ejus justitiam; obe-
dierunt, sequendo ejus instinctum; labo-
raverunt, perducendo propositum ad effe-
ctum. Sed quoniam hæc fecerunt non ex
caritate et recta intentione, non meruerunt
mercedem æternam, sed temporalem. Imo
stare potest, quod in eodem facto merue-
runt hoc modo, et demeruerunt seu pec-
A caverunt alio modo : quoniam non ad Dei
honorem, sed ad propriam locupletatio-
nem, et dominationis suæ amplificatio-
nem, ista cupide crudeliterque fecerunt.
Nec enim noverunt se divinitus inspira-
tos, sed deprecati sunt et consuluerunt
sua idola et magos.
In die illa, id est tempore quo fuerit 21
Ægyptus ita dejecta, *pullulabit,* id est, ori-
etur et crescet, *cornu domui Israel,* id est
regium genus Judæorum, puta Zorobabel
et posteri ejus : qui tunc quodammodo
B refloruerunt, dum populum Israel de Ba-
bylonica captivitate ad terram propriam
reduxerunt. Quidam per cornu Israel, Chri-
stum intelligunt : quod nec concordat ver-
bo præhabito, scilicet, In die illa, nec ver-
bo sequenti. *Et tibi dabo apertum os in
medio eorum,* id est rationabilem liberta-
tem loquendi inter Judæos qui tecum sunt,
quum vaticinia tua quæ deriserunt, vide-
rint consummari.

PRÆTEREA, juxta mysticam expositionem, Expositio mystica.
C per Pharaonem regem Ægypti, draconem
magnum, intelligitur quicumque princeps 3
tenebrarum, vel dominus sæcularis calli-
dus et crudelis. Unde de diabolo scriptum
est in Apocalypsi : Projectus est draco ille Apoc. XII, 9.
magnus, serpens antiquus, qui seducit
universum orbem. Hi cubant in medio flu-
minum suorum, id est eorum qui suis sug-
gestionibus atque erroribus acquiescunt,
qui dæmoni intra se habitaculum animæ
præbent, qui hominem plus quam Deum
verentur offendere. Et dicunt : *Meus est*
D *fluvius,* id est multitudo seu grex subdi-
torum : nam de multitudine subjectorum
se jactant; *et ego feci memetipsum :* sic
enim de bonis a Deo concessis gloriantur,
quasi a se ipsis ista sortiti sint.
Denique in ore istorum mittit Dominus 4
frenum, et tempore ultionis per vindictam
justitiæ, eorum contumaciam reprimit, au-
daciamque confundit, juxta illud : In camo Ps. XXXI, 9.
et freno maxillas eorum constringe, qui
non approximant ad te. Hinc per Isaiam
Dominus protestatur : Quum fureres ad- Is. XXXVII, 29.

versus me, superbia tua ascendit in aures A
meas. Agglutinat quoque Deus pisces isto-
rum squamis eorum, quando conjunctos
in vitiis, simul damnat et consociat in tor-
mentis. Extrahit vero eos de medio flumi-
num suorum, dum eorum tyrannidem facit
5 cessare, ita quod cadunt super faciem ter-
ræ, id est in infimis deprimuntur. Et ab
angelis sanctis dæmones superantur. Impii
etiam principes sæculi a Deo plagantur,
Eccli. x, 17. secundum illud Ecclesiastici : Sedes du-
cum superborum destruxit Deus, et sedere
fecit mites pro eis. Qui etiam dantur be- B
stiis terræ et volatilibus cœli ad devo-
randum, id est dæmonibus, quibus nunc
spiritualiter per peccata mortalia incorpo-
Luc. viii, 5, 12. rantur. Qui in Evangelio dicti sunt volu-
cres cœli, semen missum in agrum præ-
dantes ac comedentes. De quibus fertur in
Ps. lxxiii, 19. Psalmo : Ne tradas bestiis animam confi-
tentem tibi.
6-8 *Pro eo quod fuisti baculus arundineus
domui Israel.* Hoc competit omnibus qui
callidis persuasionibus, vanis promissioni-
bus aut donis iniquis, aliis præbent spem C
vanam et roborationem in malo, et sim-
plices fallunt. Super hos Dominus gla-
dium, id est, damnationis inducit senten-
Is. xxxiv, 5. tiam. De quo ait per Isaiam : Inebriatus
est gladius meus in excelso. De quo etiam
Apoc. i, 16. in Apocalypsi habetur : De ore ejus proce-
debat gladius ex utraque parte acutus. In-
terficit demum de eis hominem et jumen-
tum, id est quidquid rationis vel erroris in
9 eis esse videtur. *Et erit terra Ægypti,* id
est congregatio reproborum istorum, *in
desertum,* ita quod omni gratia destituetur, D
13, 14 et vacua erit ac sterilis. Verumtamen quo-
niam quidam eorum qui dæmonibus ac
mundanis principibus impie servierunt,
sæpe a Deo tanguntur et convertuntur :
propterea post quadraginta annos dicun-
tur reverti, et in terra sua locari, ita quod
fiunt Ecclesiæ filii, et inter alios humilio-
res. Pœnitentium enim post magna pec-
cata collectio, esse debet regnum Christi
humillimum : ut quo gravius erraverunt
et offenderunt, eo amplius se semper hu-
milient, et a sceleratis, inter quos vitiose
agendo dispersi fuerunt per vitia et erro-
res, se retrahant. Numerus autem quadra-
genarius, ad pœnitentiam pertinet. *Et im-* 15
minuam eos : pauci namque sunt tales,
quia et pauci electi; *ne imperent gentibus* Matth. xx, 16.
sicut ante, impie præsidendo. *Neque erunt* 16
ultra domui Israel in confidentia, dando
electis pravam fiduciam, *docentes iniqui-*
tatem, sedendo in cathedra pestilentiæ. Ps. i, 1.
Imo pietatem veritatemque docebunt, cum
Jeremia dicentes : Maledictus qui confi- Jer. xvii, 5.
dit in homine, et ponit carnem brachium
suum, et a Domino recedit cor ejus. Bene- Ibid. 7.
dictus vir qui confidit in Domino. Et item
cum Isaia : Quis ambulat in tenebris, et Is. l, 10.
non est lumen ei? Speret in nomine Do-
mini, et innitatur super Deum suum.
Factum est verbum Domini ad me, di- 17, 18
cens : Fili hominis, etc. Per istud quod
regi Babylonis datur a Deo pro mercede
terra Ægypti, pro servitute qua Deo contra
Tyrum servivit, datur intelligi quod nul-
lum bonum deserit Deus omnipotens, ju-
stus, immensus, supergloriosus ac sapiens,
irremuneratum, quamvis a gentilibus fiat,
secundum Hieronymum. Opera autem ex-
tra caritatem facta, per terrena munera
recompensat. *In die illa pullulabit cornu* 21
domui Israel. Hoc impletur, dum prælati
principesque Ecclesiæ in virtutibus ger-
minant ac reflorent. *Et tibi dabo apertum*
os in medio eorum. Hoc Christus largitur
his qui dicere possunt cum Isaia, Domi- Ibid. 4.
nus dedit mihi linguam eruditam : qui ex
dono gratiæ specialis, sciunt efficaciter ex-
hortari, ardenter instruere, quorum sermo
semper est in gratia sale discretionis con- Coloss. iv, 6.
ditus, qui verba sua ponere norunt in for-
ma virtutum.

ARTICULUS XXXVI

EXPLANATIO CAPITULI TRICESIMI : ET FACTUM EST VERBUM DOMINI AD ME.

Rursus contra Ægyptios eorumque ad- A
jutores, prophetalis sermo dirigitur.
1 *Et factum est verbum Domini ad me, di-*
2 *cens : Fili hominis, propheta et dic : Hæc*
dicit Dominus Deus : Ululate, o Ægyptii
ac ceteri, quorum nunc calamitatem præ-
nuntio; *væ, væ diei,* id est, magna valde
afflictio imminet eis de quibus nunc lo-
quor, quæ die divinitus præstituta, infli-
genda est ipsis. Frequenter autem in Scri-
pturis adscribitur tempori, quod contingit
in tempore, atque hominibus temporaliter
Matth. vi, 34. accidit. Sic namque ait Salvator : Sufficit B
Ephes. v, 16. diei malitia sua; et Paulus, Dies mali sunt.
3 *Quia juxta est dies,* id est tempus miseriæ
Ægyptiorum; *et appropinquat dies Domi-*
ni, id est tempus ultionis divinæ contra
Ægyptum, *dies nubis,* id est Babylonicæ
persecutionis ac tempestatis. Quamvis au-
tem omne tempus sit Dei, qui solus est
temporum Dominus, illud tamen speciali-
ter fertur tempus Domini Dei, quo ipse
specialiter aliquid agit. Idcirco tempus pu-
nitionis pravorum, dicitur tempus diesque
Domini. *Tempus gentium erit,* sive earum C
quæ persecutionem sustinebunt, sive ea-
rum quæ inferent eam. Nam et idem tem-
pus quod est Dei ratione præfata, est quo-
que et dicitur tempus hominum, propter
ea quæ ipsi agunt aut patiuntur in ipso.
4 *Et veniet gladius* Chaldæorum *in Ægy-*
ptum. Et erit pavor in Æthiopia, quum
ceciderint vulnerati in Ægypto, formidan-
tibus Æthiopibus, quorum est regio vicina
Ægypto, ne et ipsis idem eveniat, præser-
tim quia (ut dicitur) confœderati erant
Ægyptiis; *et ablata fuerit multitudo illi-* D
us, id est, multitudo hominum in Ægypto
defecerit, *et destructa fundamenta ejus,*
id est fundamenta urbium et castrorum.
Æthiopia et Libya, id est populi provin- 5
ciarum istarum, *et Lydii et omne reli-*
quum vulgus, et Chub, id est Arabia, se-
cundum quod Symmachus transtulit, *et*
filii terræ fœderis, id est Judæi, habitato-
res Judææ : quæ dicitur terra fœderis, quo-
niam Deus promisit hanc Abrahæ, ineundo
fœdus cum eo, juxta illud Genesis : In die Gen. xv, 18.
illo pepigit Dominus fœdus cum Abraham,
dicens, Semini tuo dabo terram hanc. Pro
filiis terræ fœderis, Septuaginta transtu-
lerunt, De filiis testamenti mei. *Cum eis*
gladio cadent, id est, cum Ægyptiis occi-
dentur. Nam et Judæi qui cum Johanan Jer. xliii,
fugerunt in Ægyptum, fuerunt ibidem a 5 et seq.
Chaldæis pro parte occisi. Gentes quoque
præfatæ, quæ ad Ægyptiorum auxilium
confluxerunt, pariter corruerunt.
Hæc dicit Dominus Deus : Et corruent 6
fulcientes Ægyptum, id est præscripti au-
xiliatores Ægyptiorum, *et destruetur su-*
perbia imperii ejus, id est excellentia im-
perialis Ægypti; *a turre Syenes,* quæ est
in una extremitatum Ægypti, *gladio ca-*
dent in ea, videlicet in Ægypto, ita quod
totum regnum vastabitur. *Et dissipabun-* 7
tur, id est destruentur, *in medio terra-*
rum desolatarum : de quibus præcedenti Ezech.
articulo facta est mentio. *Et scient quia* xxix, 12.
ego Dominus Deus, quum dedero ignem, 8
id est Chaldæorum invasionem et iram, *in*
Ægypto, et attriti fuerint omnes auxilia-
tores ejus : de quibus jam dictum est. *In* 9
die illa egredientur nuntii a facie mea, id
est, Chaldæi mea inspiratione pergent ab
Ægypto, *in trieribus,* id est in navibus
tres remorum habentibus ordines, *ad con-*
terendam Æthiopiæ confidentiam, id est
gentem Æthiopum, Chaldæis se posse re-
sistere confidentem; *et erit pavor in eis,*

Æthiopibus scilicet, *in die Ægypti,* id est, A
quum Ægyptiorum dejectionem percepe-
rint, *quia absque dubio veniet* quod præ-
dico. Quasi dicat : Ad prædestinationis
prophetiam hæc pertinent, quæ certissi-
me adimpletur.
10 *Hæc dicit Dominus Deus : Et cessare
faciam multitudinem Ægypti in manu,*
id est per exercitum atque potentiam, *Na-*
12 *buchodonosor regis Babylonis. Et faciam
alveos fluminum aridos.* Ex Nilo enim flu-
xerunt aquæ ad loca diversa, quas ex al-
veis suis eduxerunt et deficere fecerunt B
Chaldæi. *Et tradam terram* Ægypti *in ma-
nu pessimorum,* scilicet Chaldæorum, qui
atrocissimi erant. *Et dissipabo terram,* id
est habitatores ac habitationes Ægypti, *et
plenitudinem,* id est divitias, *ejus in manu
alienorum,* id est extraneorum, seu Baby-
loniorum. *Ego Dominus locutus sum,* cu-
jus verbum irritum esse non poterit.
13 *Hæc dicit Dominus Deus : Et disperdam
simulacra, et cessare faciam idola de Mem-
phis :* quæ secundum Hieronymum fuit
metropolis superstitionis Ægyptiæ. Chal- C
dæi autem ex cupiditate idola Ægyptiorum
suis ornamentis spoliaverunt ac dissipa-
verunt. *Et dux de terra Ægypti non erit
amplius,* id est, duces Ægypti ad tempus
deficient, scilicet usque ad quadraginta an-
Ezech. nos, ut præcedenti dicebatur capitulo. Po-
xxix, 12. nitur ergo singulariter, dux pro ducibus.
Unde Septuaginta transtulerunt : Principes
de terra Ægypti non erunt amplius. Vel
14 per ducem intelligitur rex. *Et disperdam
terram Phatures :* quæ fuit civitas in Ægy-
pto egregia; *et dabo ignem in Taphnis* ur- D
be Ægypti; *et faciam judicia mea,* id est
justas vindictas, *in Alexandria,* Ægypti
15 civitate prægrandi. *Et effundam indigna-
tionem meam super Pelusium robur Ægy-
pti,* id est robustissimam urbem Ægy-
pti, quia tutissimum habuit portum, et
negotiationes maris maxime exerceban-
16 tur ibidem, secundum Hieronymum. *Quasi
parturiens dolebit Pelusium,* id est, habi-
tatores ejus clade sua sibi jam imminente,
17 in maxima erunt angustia. *Juvenes Helio-
poleos et Bubasti,* id est civitatum istarum,
gladio cadent, et ipsæ captivæ ducentur,
id est, residui in oppidis istis inventi,
captivitati subdentur. *Et in Taphnis,* quæ 18
fuit regia urbs Ægypti, *nigrescet dies,* id
est, maxima tristitia erit. Est namque con-
suetudo Scripturæ, ut luminaria cœli et
dies obtenebrari dicantur, quando homini-
bus maximæ adversitates occurrunt. *Quum
contrivero ibi sceptra Ægypti,* id est, na-
tos de semine regio per Chaldæos occide-
ro. *Ipsam nubes operiet,* id est, urbem
hanc copiosa calamitas possidebit; *filiæ
autem ejus,* id est ceteræ civitates ei sub-
jectæ, vel feminæ, *in captivitatem ducen-
tur,* etc.
Et factum est in undecimo anno trans- 20
migrationis Joachin, *in primo mense* hujus
anni, *in septima mensis* die. Propheta in
istis capitulis non videtur temporum ordi-
nem observasse. *Factum est verbum Domi-
ni ad me, dicens : Fili hominis, brachi-* 21
um Pharaonis regis Ægypti confregi, id
est, potestatem ejus per regem Babylonis
destruxi ; *et ecce non est obvolutum, ut
restitueretur ei sanitas, ut ligaretur pan-
nis, et fasciaretur linteolis, et recepto ro-
bore posset tenere gladium.* Loquitur su-
persapiens Deus de potestate regis Ægypti
metaphorice, sub proprietate et nomine
brachii corporalis : quod si confractum,
non obvolvatur pannis, medicinaliterque
tractetur, ad pristinum robur non redit.
Ita et Pharaonis potestas, quia dejecta, ab
homine reparata non est, irreparabiliter
periit, quantum ad regem contra quem
vaticinatur Ezechiel. *Propterea hæc dicit* 22
*Dominus Deus : Ecce ego ad Pharaonem
regem Ægypti, et comminuam brachium
ejus forte,* antequam a Chaldæis lædere-
tur, *sed confractum* postea a Chaldæis. *Et* 23
dispergam Ægyptum in gentibus, id est
ad gentes diversas ducam captivos Ægy-
ptios. *Et confortabo brachia regis Baby-* 24
*lonis, daboque gladium meum in manu
ejus,* id est, potestatem pugnandi ac præ-
valendi ei præstabo, ita quod non sua, sed
mea prævalebit potentia, *et gement* Ægy-

ptii *gemitibus interfecti coram facie ejus,*
id est in conspectu regis Babylonis, quem-
admodum gemere consueverunt coram oc-
cisoribus qui occiduntur.

Expositio mystica. PRÆTEREA, juxta mysticum sensum, per
ululatum et væ diei Ægypti auxiliatorum-
que ejus, intelligitur dolor, tremor, atque
angustia mundi in die judicii generalis, et
uniuscujusque in die sui judicii particu-
4 laris. Tunc enim *veniet gladius in Ægy-
ptum,* id est districta divinæ æquitatis
sententia super iniquos; *et erit pavor in
Æthiopia,* id est in eis qui vitiorum ni-
gredine deformantur, atque in his qui sin-
gulis vitiis maculantur, qui per Libyam et
6 Lydiam Arabiamque signati sunt. *Et cor-
ruent fulcientes Ægyptum,* id est, insti-
gatores ac fautores malorum peribunt. Non
Rom. i, 32. enim solum morte digni sunt qui faciunt
mala, sed etiam qui consentiunt facienti-
bus. Tunc *destruetur superbia imperii* at-
que dominii sæcularis, *a turre Syenes,* id
est ab altitudine gyrationis, qua vitiosi in
Ps. xi, 9. circuitu ambulant, non directe cor suum
elevantes ad Deum, sed in rebus caducis
circumvagantes : de quibus cantamus :
Ps. lxxxii, 14. Deus meus, pone illos ut rotam. *Et scient
8 quia ego Dominus, quum dedero ignem in
Ægypto,* id est ignem conflagrationis in
mundo, quia tunc omnibus divinæ maje-
9 statis justitia evidenter patebit. *In die illa
egredientur nuntii a facie mea ad conte-
rendam Æthiopiæ confidentiam.* Nuntii
isti, intelligi possunt angeli sancti, quo-
rum ministerio fiducia impiorum destrue-
Matth. xiii, 41, 42. tur : qui tollent omnia scandala de regno
militantis Ecclesiæ, et eos qui operantur
iniquitatem, mittentque eos in caminum
ignis.

10 *Et cessare,* id est deficere, *faciam mul-
titudinem Ægypti,* id est amatores sæculi,
Ibid. xx, 16. qui multi sunt, quia multi vocati, *in ma-
nu Nabuchodonosor regis Babylonis,* id
est diaboli principis confusionis : qui re-
probos in judicio accusabit ac vincet, quos
in vita præsenti spiritualiter interfecit ad
11 vitia pertrahendo. *Ipse et populus ejus,* id

A est angeli tenebrarum : de quorum quoli-
bet illud in Evangelio accipi potest, Inimi- Matth. xiii, 28.
cus homo hoc fecit; *fortissimi gentium :*
non est enim potestas super terram, quæ Job xli, 24.
comparetur principi huic, sicut ad san-
ctum Job Dominus protestatur; *adducen-
tur ad disperdendum terram,* id est ad
decipiendum habitantes in terra. Instante
namque die judicii solvetur Satanas, et se- Apoc. xii, 12; xiii, 12-14; xx, 3, 9.
ducet gentes, quemadmodum in Apocaly-
psi scribit Joannes. *Et evaginabunt gladios
suos super Ægyptum,* id est tentationum
B suarum impugnationes super mundanos;
et implebunt terram interfectis, quia innu-
merabiles spiritualiter occident, corpora-
liter quoque quamplurimos per Antichri-
stum et ejus satellites. *Et faciam alveos* 12
fluminum aridos, id est, sapientiam hu-
jus sæculi reprobabo, atque inanis elo-
quentiæ fluenta damnabo. *Et tradam ter-
ram,* id est terrenos, *in manu pessimorum,*
id est malignorum spirituum. Recedentes Jer. xvii, 13.
enim a Deo, in terra scribentur, ut loqui-
tur Jeremias. *Et dissipabo terram et ple-
C nitudinem ejus,* id est Ecclesiam in terris
peregrinantem, *in manu alienorum,* id est
Antichristi ministrorumque ejus, qui fide-
les gravissime persequetur, et multos sub-
vertet.

Et disperdam simulacra, id est vanas 13
pravorum imaginationes, et universa fi-
gmenta, atque immunda phantasmata : de
quibus docet B. Joannes cavendum, Filio- I Joann. v, 21.
li (inquiens) custodite vos a simulacris. *Et
cessare faciam idola* jam præfata *de Mem-
phis,* id est garrulis et verbosis. Memphis
D quippe interpretatur, ex ore. *Et dux de
terra Ægypti non erit amplius,* quia tunc
omnis mundi hujus dominatio præteribit.
Et disperdam terram Phatures, id est eos 14
qui spiritualem cibum non capiunt, et ec-
clesiasticum panem contemnunt. Phatures
nempe, panis conculcatio interpretatur. *Et
dabo ignem* damnationis *in Taphnis,* id
est in eos qui mandatum humile asse-
quuntur : quales sunt hi qui cœlestia
Dei mandata non honorantes, hominum
viles ac infimas jussiones diligenter ob-

Act. v, 29. servant, quum tamen Petro docente, Deo A
magis quam hominibus obedire debea-
mus : quales fuerunt Judæi contra quos
Matth. xxiii. in Evangelio loquitur Christus. *Et faciam*
judicia mea in Alexandria : cujus nomen
Hebraicum NO, requies interpretatur. Per
quam voluptuosi exprimuntur, qui nunc
Luc. vi, 24. consolationem suam habent : quibus et
Ibid. 25. dicitur, Væ vobis qui ridetis nunc, quia
15 plorabitis et flebitis. *Et effundam indi-*
gnationem meam super Pelusium, id est
eos qui justos infestant. Pelusii enim ci-
vitatis nomen Hebraicum SAIN, tentatio B
interpretatur. Et secundo Machabæorum
II *Mach.* i, 28. habetur : Afflige, Domine, opprimentes
nos, et contumeliam facientes in super-
bia. Omnium enim horum erit ineffabilis
dolor, miseria et pressura in die judicii,
tam proprii quam communis.

Postremo, per hoc quod Dominus bra- 21
chium Pharaonis confregit, et contra eum
brachia regis Babylonis corroboravit, da- 24
tur intelligi quod Deus frequenter unum
iniquum per alium punit, atque vicissim
malos per pejores ac pessimos tribulat et
affligit, ut minus mali corrigantur, et Deum
agnoscant, pessimi autem penitus pereant.

De tropologia istorum expedio me, quo-
niam quantum ad sensum, frequenter præ-
habita est : et liber hic prophetalis pro-
pter magnitudinem suam, expeditionem
requirit, ut legentium consulatur fastidio.

ARTICULUS XXXVII

EXPLANATIO CAPITULI TRICESIMI PRIMI : ET FACTUM EST IN UNDECIMO ANNO.

ADHUC de Ægypti destructione prophe- C
1 tia describitur. *Et factum est in un-*
decimo anno transmigrationis Joachin, a
qua sanctus Ezechiel Deo tam familiaris,
ejusque alloquio tam assuetus, computa-
tionis suæ sumit exordium, *tertio mense,*
una mensis tertii die. *Factum est verbum*
2 *Domini ad me, dicens : Fili hominis, dic*
Pharaoni regi Ægypti, et populo ejus :
Cui similis factus es in magnitudine tua,
o Pharao ? quasi dicat : Nondum tam gran-
dis effectus es, ut putes te regi Chaldæo-
rum posse obsistere. Quod consequenter D
probatur per locum a majori. Nam Assy-
riorum rex qui major te fuit, ab ipso de-
victus est.

3 *Ecce Assur,* id est rex Assyriorum, *qua-*
si cedrus in Libano, id est, sic aliis regibus
fuit sublimior, quemadmodum cedrus est
arboribus aliis in monte Libano altior. De-
scribit insuper magnificentiam regis As-
syriorum, sub metaphora cedri pulcher-
rimæ. Propter quod subditur : *pulcher*
ramis et frondibus nemorosus, id est fi-
liorum propagine atque exercitus magni-
tudine decoratus, sicut cedrus ramis fron-
dibusque ornatur, *excelsusque altitudine,*
id est regia dignitate ; *et inter condensas*
frondes, id est bellatorum et militum ex-
uberantes cohortes, *elevatum est cacumen,*
id est imperium *ejus* super plurimos ter-
ræ reges, quos suo subjecit dominio. *Aquæ* 4
nutrierunt illum, abyssus exaltavit il-
lum : id est, divitiarum abundantia per
aquas allata vel aucta, sublimavit ac aluit
principem istum ; *flumina ejus manabant*
in circuitu radicum ejus : id est, opulentia
ejus undique circumdedit eum, ita quod
germinavit et floruit instar arboris quæ
copiosissime irrigatur ; *et rivos suos emi-*
sit ad universa ligna regionis, id est, de
sua opulentia multos ditavit. *Propterea* 5
elevata est altitudo ejus super omnia ligna
regionis, id est, potestas ejus cunctis pene
populis est prælata ; *et multiplicata sunt*
arbusta ejus, id est subjecti, vel agmina

ejus, *et elevati sunt rami ejus,* id est de A
semine ejus exorti, *præ aquis multis,* id
est propter abundantiam suam.
6 *Quumque extendisset umbram suam,* id
est, potentiam suam dilatasset, et plurimos
sibi subjugasset, *in ramis ejus fecerunt*
nidos omnia volatilia cœli : id est, homi-
nes et principes omnium in circuitu pro-
vinciarum, sub ejus potestate se ad quies-
cendum dederunt, resistere nec audentes,
neque valentes ; *et sub frondibus ejus*
genuerunt omnes bestiæ saltuum, id est
homines irrefrenati atque atroces, quos B
per potestatis suæ vigorem domavit. Porro
quod per aves ac bestias homines desi-
gnentur, liquet ex eo quod subditur : *et*
sub umbraculo illius, id est sub potestatis
suæ protectione, *habitabat cœtus gentium*
plurimarum, id est multitudo diversarum
7 nationum ac regionum. *Eratque pulcher-*
rimus in magnitudine sua, id est imperiali
potentia : ita quod mundi hujus divitiis,
deliciis, atque honoribus abundavit, mul-
tisque populorum exercitibus splenduit,
quamvis vitiorum turpitudine fuit totus C
squalidus; *et in dilatatione arbustorum,*
id est populorum *suorum. Erat enim ra-*
dix illius juxta aquas multas, id est, sta-
bile habuit fundamentum, quod variis bo-
nis fovebatur.
8 *Cedri,* id est alii reges, *non fuerunt*
altiores illo in paradiso Dei, id est in de-
liciosissimis mundi regnis. Vel, secundum
Hieronymum sensus est, quod rex Assy-
rius tantæ fuit potentiæ, victoriæ atque
superbiæ, ut se angelorum fortitudini com-
pararet. Sicque secundum ejus reputatio- D
nem cedri, id est angeli, non fuerunt al-
tiores eo in paradiso Dei, id est regno
cœlesti. Nec hoc incredibile est de ipso,
Ezech. xxviii, 2. quum rex Tyri dixerit : Deus ego sum.
Et Sennacherib rex Assyriorum sacrilegus
IV *Reg.* xix, 10, 11; *Is.* xxxvii, 10. scripsit ad Ezechiam : Non te decipiat Deus
tuus ; non enim poterit te liberare de ma-
nu mea. *Abietes non adæquaverunt sum-*
mitatem ejus, id est, quicumque principes
ad ejus æqualitatem non pervenerunt, *et*
platani non fuerunt æquæ frondibus il-
lius, id est, alii magnates ac duces, duci-
bus ejus non fuerunt æquales. *Omne li-*
gnum paradisi Dei non est assimilatum
illi et pulchritudini ejus : id est, nullus
regum in voluptuosis versans, atque in
amœnissimis degens, similis fuit plenarie
regi Assyriorum et ejus decori, quantum
ad sui temporis reges ; *quoniam specio-* 9
sum feci eum in exterioribus rebus atque
ornamentis in donis naturæ, *et multis con-*
densisque frondibus, id est variis gentium
ac principum cuneis stipatum atque cir-
cumvallatum. *Et æmulata sunt eum,* id
est secuta, tanquam ab ipso devicta ; vel,
Æmulata sunt eum, id est, inviderunt ;
omnia ligna voluptatis quæ erant in pa-
radiso Dei, id est reliqui reges et princi-
pes in regionibus deliciarum a Deo creatis,
hominibusque ab ipso concessis.
Propterea hæc dicit Dominus Deus : Pro 10
eo quod sublimatus est in altitudine, id
est, de sua sublimitate intumuit, *et dedit,*
id est exhibuit, *summitatem suam,* id est
regiam excellentiam, *virentem atque con-*
densam, id est, per aliorum subjugationem
quodammodo recentem ac ampliorem, ex
ambitione aliorum destruens regna, ut ejus
celsitudo omnibus emineret, *et elevatum*
est cor ejus per superbiam, *in altitudine*
sua, quasi hanc a se ipso haberet ; nunc
tradidi eum in manus fortissimi genti- 11
um, id est Nabuchodonosor regis Chaldæ-
orum, qui Assyriorum destruxit imperi-
um ; *faciens faciet ei* vastitatem haud
mediocrem. *Juxta impietatem ejus ejeci*
eum, id est, secundum quod rex Assyrio-
rum sua idololatria, atque in Deum verum
blasphemia meruit, regno ipsum privavi.
Et succident eum alieni, puta Chaldæi, *et* 12
crudelissimi nationum, videlicet isti Chal-
dæi ceteris gentibus ferociores ; *et proji-*
cient eum super montes, id est, super
aliquem montium corpus ejus exanime
projicietur ; *et in cunctis convallibus cor-*
ruent rami, id est proximi *ejus,* loquendo
de vallibus locorum occisionis ; *et confrin-*
gentur arbusta ejus in universis lapidibus
terræ, id est, illic populi ejus interficien-

tur; *et recedent de umbraculo ejus omnes*
populi terræ, id est, de ejus dominatione
et protectione discedent diversarum po-
puli regionum, *et relinquent eum* qui ab
ipso dudum victi fuerunt.
13 *In ruina ejus,* id est in ejus qui nunc
ruit virtute, olim *habitaverunt omnia vo-*
latilia cœli, et in ramis ejus fuerunt uni-
vers. 6. *versæ bestiæ regionis.* Istud jam paulo ante
14 habitum atque expositum est. *Quamobrem*
non elevabuntur in altitudine sua, id est,
in sublimi potentia regis Assyriorum ultra
non erigentur, *omnia ligna aquarum,* id
est gentes divitiarum. *Nec ponent subli-*
mitatem suam inter nemorosa atque fron-
dosa, id est, in principibus et exercitibus
regis hujus se amplius non statuent nec
fundabunt; *nec stabunt in sublimitate eo-*
rum, id est, potestate istorum ultra non
fulcientur, *omnia quæ irrigantur aquis,* id
est gentes quæ sæculi opibus sustentan-
tur; *quia omnes traditi sunt in mortem,*
ita quod pariter occidentur seu morien-
tur, *ad terram ultimam,* id est infernum,
qui in medio terræ situs asseritur, *in me-*
dio filiorum hominum, id est eorum qui
non rationabiliter ac divine, sed sensuali-
ter vixerunt, sequentes id quod homines,
ut in pluribus, plus sequuntur. Denique
in Scripturis homo quandoque in bono
accipitur, sicut quum dicitur ab Aposto-
I Cor. xv, 32. lo, Si secundum hominem ad bestias pu-
gnavi; interdum in malo, videlicet quan-
tum ad id quod homines communiter se
esse apprehendunt ac imitantur, quod est
pars sensitiva : ut quum ait Apostolus,
Ibid. iii, 3, 4. Quum sit inter vos zelus et contentio, non-
ne homines estis? similiter in hoc loco.
Ad eos qui descendunt in lacum, id est
foveam infernalem, de qua fertur in Psal-
Ps. cxlii, 7. mo : Non avertas faciem tuam a me; et
similis ero descendentibus in lacum.
15 *Hæc dicit Dominus Deus : In die quan-*
do descendit rex Assyriorum *ad inferos,*
induxi luctum amatoribus ejus, *operui*
ipsum abysso, id est fluctibus miseria-
rum, *et prohibui flumina ejus,* id est, po-
pulus ejus eum juvare non potuit, *et coer-*

A *cui aquas multas,* id est, alias ei subditas
nationes, ab ejus defensione retraxi. Quod
autem per aquas et flumina in Scripturis
populi designentur, ubertim faciliter com-
probatur. Nam aquæ multæ, populi multi, Apoc. xvii, 1, 15.
sicut habetur in Apocalypsi. Itemque in
Psalmo : Elevaverunt flumina fluctus suos. Ps. xcii, 3.
Contritus, id est contristatus, *est super*
eum, id est de ejus dejectione, *Libanus,*
id est regnum ipsius præeminens sicut
mons Libani; *et omnia ligna agri concus-*
sa sunt, id est, vulgares quoque de ejus
B interitu doluerunt, sive mirati sunt. *A so-* 16
nitu, id est rumore, *ruinæ ejus commovi*
gentes pavore atque stupore, *quum dedu-*
cerem eum ad infernum, cum his qui
descendebant in lacum. Et consolata sunt
in terra infima, scilicet in inferno, *omnia*
ligna voluptatis egregia atque præclara
in Libano, id est reges et principes qui
olim in regnis excellentes fuerunt, et suum
in terra paradisum habuerunt, *universa*
quæ irrigabantur aquis, id est opulentia
atque deliciis suam in mundo consolatio-
C nem habentes. *Nam et ipsi cum eo descen-* 17
dent in infernum; et brachium unius-
cujusque sedebit sub umbraculo ejus : id
est, fortitudo istorum cum rege Assyrio
damnatorum, de ejus condemnatione et
debita punitione aliquam recreationem ha-
bebit ex odio quo oderunt eum, a quo tot
mala perpessi sunt. Sicque sub ejus um-
braculo aliqualiter requiescent. Simile huic
est quod in Isaia de damnatione regis Ba-
bylonis conscriptum est : Omnes principes Is. xiv, 9-11.
terræ respondebunt tibi : Et tu vulnera-
D tus es sicut et nos, et nostri similis ef-
fectus es; detracta est ad inferos super-
bia tua.

Deinde quæ dicta sunt, ad regem Ægypti
referuntur; vel secundum quosdam, ad
regem Assyriorum sermo dirigitur. *Cui as-* 18
similatus es, o inclyte atque sublimis inter
ligna voluptatis? id est, tu, rex Ægypti
vel Assyriorum, magnifice inter reges, cui-
cumque assimileris, nihilo minus *ecce de-*
ductus es cum lignis voluptatis, id est
hominibus voluptuosis, *ad terram ulti-*

mam, puta in infernum. *In medio incir-* A
cumcisorum dormies, id est, inter idolola-
tras in inferno, quantum ad animam, atque
in monumento, si tamen sepultus fuisti,
quantum ad corpus, a vita præsenti quie-
sces, *cum his qui interfecti sunt gladio,*
non solum materiali, sed insuper spiritua-
li, qui est diabolicæ impugnationis tentatio
vel peccatum. *Ipse,* de quo ista jam dicta
sunt, *est Pharao et omnis multitudo ejus,*
id est populi ei subjecti, *dicit Dominus*
Deus. Ex quo apparet, quod ultima ista
particula, scilicet, Cui assimilatus es? de B
Pharaone loquatur.

Expositio mystica.
At vero juxta intelligentiam spiritualem,
quia in isto capitulo sæpe fit mentio de
paradiso Dei et lignis voluptatis, quibus-
dam visum est, omnia ista ad litteram de
contraria potestate, hoc est diabolo, dici.
Verum hoc stare non potest, propter mul-
ta quæ evidenter in isto capitulo scripta
sunt, quæ de hominibus clarissime asse-
runtur. Nihilo minus plura hic continen-
tur, quæ de casu diaboli mystice satis C
pulchre suscipiuntur.
3 Itaque ait : *Ecce Assur,* id est princeps
ille apostatarum angelorum, qui semper
direxit ad mala : Assur enim, dirigens in-
terpretatur ; *quasi cedrus in Libano,* id
est cœlesti paradiso, *pulcher ramis,* id est
naturalibus perfectionibus, *et frondibus*
nemorosus, id est angelicis spiritibus ipso
inferioribus stipatus ac decoratus : eo sen-
su quo supra dictum est, Omnis lapis (*Ezech.* XXVIII, 13.)
pretiosus operimentum tuum; *excelsusque*
altitudine perfectionis specificæ et per- D
spicacitatis intelligentiæ, agilitatis quoque
potentiæ ; *et inter condensas frondes,* id est
angelicos intellectus virentes, *elevatum est*
cacumen ejus, id est apex suæ intellectu-
alitatis, concipiendo se sub ratione entis
4 tam pulchri et excellentis. *Aquæ* propriæ
sapientiæ *nutrierunt illum :* quia in ipsa
gloriabatur ; *flumina ejus manabant in*
circuitu radicum ejus : id est, ad inferio-
res angelos sapientiæ suæ fluenta transfu-
dit, dum eis sibi assentire persuasit ; *et*
rivos suos emisit ad universa ligna re-
gionis, id est ad omnes fortitudines ange-
licas regionis cœlestis. Omnes namque ad
suum privatum trahere voluit principa-
tum, sed non omnes consenserunt. *Propter-* 5
ea elevata est altitudo ejus super omnia
ligna regionis : nam sicut omnibus in na-
turalibus fuit sublimior, ita et cunctis
inordinate dominari optavit ; *et multipli-*
cata sunt arbusta ejus, id est personæ an-
gelicæ sibi præbentes assensum.
Quumque extendisset umbram suam, id 6
est, ad inferiores eminentiam suam dilatas-
set, ut eos sub suis colligeret alis, *in ramis*
ejus fecerunt nidos omnia volatilia cœli,
id est universi angeli vani atque instabi-
les, instar avium animo gyrovagantes. Hi
enim mansionem sibi fixerunt sub ramis
Luciferi, cujus intellectui ac voluntati se
subjecerunt. *Et sub frondibus ejus genue-*
runt omnes bestiæ saltuum, id est corda
irrationabilia, quæ conceptæ nequitiæ adje-
cerunt consensum, atque in opera interim
vitiosissima proruperunt, *et sub umbracu-*
lo illius habitabat cœtus gentium pluri-
marum. Istud expositione non eget, sed
fletu. Omnes enim declinaverunt, simul (*Ps.* LII, 4.)
inutiles facti sunt ; et omnis qui facit pec- (I *Joann.* III, 8.)
catum, ex diabolo est. *Eratque pulcherri-* 7
mus in magnitudine sua, id est omni na-
turali eminentia, imo et in donis gratiæ,
secundum quosdam doctores. *Erat enim*
radix illius juxta aquas multas, id est
perfectionum sibi concreatarum divitias
copiosas, quibus opulentissima fuit.
Cedri, id est angelici animi, *non fuerunt* 8
altiores illo in paradiso Dei : erat enim al-
tissimus angelorum. Unde et oculum suum
nimis reflexit super se ipsum, consideran-
do se in se, non satis sapienter in Creato-
re. Propter quod delectationem complacen-
tiamque inanem concepit, nec Conditori
gratias retulit. Denique *abietes* et *platani,*
videlicet superiorum ordinum angeli, ei
non fuerunt æquales. *Omne lignum para-*
disi Dei non est assimilatum, per æquali-
tatem, quantum ad excellentiam concreatæ
dignitatis, *illi et pulchritudini ejus,* id est

9 sapientiæ, simplicitati, essentiæ; *quoniam*
Job XL, 14. *speciosum feci eum.* Fuit quippe princi-
pium viarum Dei, atque pulcherrima crea-
tura, tanquam Creatori vicinior, itemque
similior, quantum ad naturæ conditionem
ac gradum. *Et multis condensisque fron-
dibus,* id est, cœlestibus angelorum choris
ornatum, secundum Gregorium. *Et æmu-
lata sunt eum omnia ligna voluptatis quæ
erant in paradiso Dei,* id est quædam de
omnibus. Siquidem de omni ordine qui-
dam corruerunt cum ipso, et quidam se
averterunt ab ipso.
10 *Propterea hæc dicit Dominus Deus : Pro
eo quod sublimatus est in altitudine,* id
11 est, per superbiam se erexit; *tradidi eum
in manus fortissimi gentium :* per quem
fortissimum, S. Hieronymus intelligit ali-
um dæmonem, cui ille datus sit ad pu-
niendum. Potest quoque per fortissimum
gentium (ni fallor) Michael archangelus ac-
cipi, qui *faciens faciet ei* quidquid Creatori
Apoc. XII, 7. placuerit, juxta illud in Apocalypsi : Fa-
ctum est prælium magnum in cœlo; Mi-
chael et angeli ejus præliabantur cum dra-
cone. Vel, fortissimus gentium, est Christus,
a quo diabolus iste convictus est. *Juxta
impietatem ejus ejeci eum,* de paradiso
12 supremo. *Et succident eum alieni et cru-
delissimi nationum.* Istud in Christi Ec-
clesia sæpe impletum est, dum infideles ac
pessimi a Spiritu Sancto misericordissime
tacti, facti sunt viri perfecti ac sancti, et
malignos spiritus, quibus ante infelicissi-
me serviebant, victoriosissime debellave-
runt. *Projicient eum super montes* suæ
superbiæ, vel super superbos quos acces-
sit, quando ab illis fuit repulsus in se, vel
in suis ministris quos ad tentandum emit-
tit; *et in cunctis convallibus corruent ra-
mi ejus,* id est, in cordibus humilium in-
feriores diaboli victi labuntur. Sola nempe
humilitas eos prosternit, quemadmodum

A cœlitus audivit Antonius. *Et recedent de
umbraculo ejus omnes populi terræ,* id est
quidam ac multi de omni genere homi-
num : quod tempore evangelicæ legis præ-
sertim constat impletum, Christo id asseren-
te : Ego, inquit, si exaltatus fuero a terra, Joann. XII, 32.
omnia traham ad me ipsum; et Psalmista,
Reminiscentur et convertentur ad Domi- Ps. XXI, 28.
num universi fines terræ. Quod item circa
finem mundi Antichristo occiso abun-
danter complebitur. *Quamobrem non ele-* 14
vabuntur in altitudine sua omnia ligna
B *aquarum,* id est, ceteri angeli tenebrarum,
principis sui dejectionem videntes, non se
erigere poterunt. *Nec ponent sublimitatem
suam inter nemorosa atque frondosa,* id
est, ad electorum angelorum societatem
redire non poterunt, *quia omnes traditi
sunt in mortem* damnationis æternæ.
Hæc dicit Dominus Deus : In die quan- 15
do descendit Lucifer *ad inferos, induxi
luctum* sibi et suis ministris secum ruen-
tibus. *Prohibui flumina ejus,* ne homines,
quantum cupit et posset, tentaret : sicque
C *coercui aquas multas,* id est innumerabiles
quas hominibus inferret, si permitteretur,
molestias. *Contritus est super eum Liba-
nus,* id est multitudo eorum quos ad dam-
nationem pertraxit, videlicet angelicus ille
ruens exercitus. *A sonitu ruinæ ejus com-* 16
movi gentes : quoniam audientes damna-
tionem diaboli, formidamus justitiam su-
perexaltatissimi Dei. *Et consolata sunt in
terra infima,* id est in inferno, *omnia ligna
voluptatis :* quia modo præfato de Lucife-
ri damnatione quodammodo recreationem
D accipiunt, qui ejus malitia atque invidia
perierunt. Nam et ipsi cum eo in lacum
descenderunt. *Cui assimilatus es, o incly-* 18
te, etc.? id est, quomodo ad tantam cala-
mitatem, o Lucifer, devenisti, nobilissima
creatura, tua iniquitate facta vilissima?
Cetera patent ex præinductis.

ARTICULUS XXXVIII

ELUCIDATIO CAPITULI TRICESIMI SECUNDI : ET FACTUM EST IN DUODECIMO ANNO.

NUNC tribus capitulis de punitione re- A
gis ac plebis Ægypti inducta est pro-
phetia. Jam quarto capitulo inducitur la-
1 mentatio compassionis de tanta miseria. *Et
factum est in duodecimo anno* transmi-
grationis Joachin regis, *in mense duode-
cimo* anni istius, *in una mensis,* id est
prima mensis hujus die. In Hebræo quippe
per unum, solet intelligi primum, quem-
Gen. I, 5. admodum in Genesi : Factum est vespere
et mane dies unus, id est primus. *Factum
2 est verbum Domini ad me, dicens : Fili
hominis, assume lamentum,* ex compas- B
sione, non ex derisione, *super Pharaonem
regem Ægypti, et dices ad eum : Leoni
gentium,* id est cuicumque regi eximio,
non uni dumtaxat genti, sed pluribus do-
minanti, *assimilatus es* in potestate, fama,
et gloria, *et draconi qui est in mari,* pro-
pter tuam calliditatem, crudelitatem, et
voracitatem. Draco autem est maximum
calidissimumque genus serpentium : idcir-
co ad calorem temperandum appetit aquas.
Et ventilabas cornu, id est regia potestate,
in fluminibus tuis, id est fluvialibus locis C
Ægypti, populos quos volebas. Est equi-
dem Ægyptus terra fluvialis ex Nili di-
visione multiplici. *Et conturbabas aquas
pedibus tuis,* id est, subditos oppressisti, *et
conculcabas flumina,* id est opes *eorum.*
3 *Propterea hæc dicit Dominus Deus,* id
est ob hanc tuam impietatem, datæque
potestatis abusionem : *Expandam super
te rete meum,* id est omnipotentiam meam
omnia complectentem, vel Chaldæorum ex-
ercitum, *in multitudine populorum mul-
torum,* id est inducendo super te multitu- D
dinem nationum quamplurium, quæ cum
Chaldæis contra te venient, *et extraham
te in sagena mea,* id est, per rete præfa-
tum auferam de loco imperii, et vita præ-
senti, *et projiciam te in terram,* id est, 4
occisus super terram prosterneris. *Super
faciem agri abjiciam te,* ita quod cadaver
tuum ibi inhumatum jacebit. *Et habitare,*
id est manere vel sedere, *faciam super te,*
id est cadaver tuum atque tuorum, *omnia
volatilia cœli,* id est quædam de omnibus,
quæ cadavera manducabunt. *Saturabo de
te,* id est tui ac servorum tuorum cadave-
ribus, *bestias universæ terræ* Ægypti, quæ
adfuerint, et carnibus hominum vesci op-
taverint.
Et operiam, quum exstinctus, id est oc- 7
cisus, *fueris, cœlos** caligine ; *et nigresce-* * cœlum
re faciam stellas ejus, quantum ad te, ita
quod lumen earum non erit tibi in conso-
lationem, sed desolationem. Simili sensu,
*solem nube tegam, et luna non dabit lumen
suum. Omnia luminaria cœli mœrere fa-* 8
ciam super te. Per hæc non est intelligen-
dum, quod facta sit in cœlestibus cor-
poribus mutatio aliqua inconsueta; sed,
quoniam (teste Scriptura) luminaria cœli Deut. IV, 19.
in ministerium cunctis gentibus sunt crea-
ta, dum grandis calamitas gentibus accidit,
luminaria ista obscurari, mœrere, saccoque
indui asseruntur : et hic modus loquendi
frequens est in Prophetis, sicut in aliis lo-
cis sæpe ostendi. *Et dabo tenebras,* id est
adversitates et desolationes teterrimas, *su-
per terram tuam, quum ceciderint vulne-
rati in terram,* id est, dum Ægyptii a Chal-
dæis fuerint interfecti. *Et irritabo,* id est 9
contra te incitabo, *cor populorum multo-
rum, quum induxero contritionem tuam,*
id est quosdam de populo tuo victos atque
captivos, *in gentibus,* id est ad alienos,
super terras quas nescis, videlicet valde
remotas. *Et stupescere faciam super te* 10

populos multos; et reges eorum horrore
nimio formidabunt super te, id est de tua
dejectione, ne simile eis contingat, *propter*
universas iniquitates tuas, quarum deme-
rito ista tibi venient; *quum volare cœperit*
gladius meus, id est impugnatio Chaldæ-
orum ex mea dispositione proveniens et
inflicta, *super facies eorum.*
11 *Gladius regis Babylonis veniet tibi :*
qui nunc Dei gladius appellatur, quia di-
12 vinæ executor justitiæ. *In gladiis for-*
tium, scilicet Chaldæorum, *dejiciam mul-*
titudinem tuam, id est populum tuum
præcopiosum. *Inexpugnabiles omnes gen-*
tes hæ, quæ cum rege Babylonis contra te
venient; *et vastabunt superbiam Ægypti,*
occidendo superbos, *et dissipabitur multi-*
tudo ejus, id est, hominum copia auferetur
13 de regione Ægypti. *Et perdam omnia ju-*
menta ejus : illa enim Chaldæi occiderunt,
vel in proprium usum seu commodum re-
degerunt; *quæ erant super aquas pluri-*
mas, id est in locis pascualibus de Nili
fluentis copiose rigatis. *Et non conturbabit*
eas pes hominis ultra, neque ungula ju-
mentorum turbabit eas : id est, tanta erit
in Ægypto hominum pecorumque occisio,
quod ad tempus notabile nec homo nec
brutum aquas Ægypti movebit sive calca-
14 bit. *Tunc purissimas reddam aquas eo-*
rum, id est quietas ac limpidas valde, *et*
flumina eorum quasi oleum adducam, id
est, cum quodam nitore instar olei fluere
15 faciam ; *quum dedero terram Ægypti de-*
solatam, id est habitatoribus destitutam,
ita quod transeuntium pedibus aquæ non
maculabuntur, nec inquietabuntur. *Et sci-*
ent Ægyptii *quia ego Dominus.* Nam qui
occidebantur, divinæ potentiæ atque justi-
tiæ senserunt effectum, moxque in alia vi-
ta certius divinam æquitatem experti sunt
et noverunt. Residui autem Deum ex suis
16 effectibus cognoverunt. *Et plangent eum*
filiæ gentium, id est, mulieres nationum
in gyro, occisionem regis Ægypti defle-
bunt, imo et totius regni pressuram. Ideo
subditur : *plangent super Ægyptum et*
super multitudinem ejus. Mulieres quippe

A juxta consuetudinem suam, audita magna
aliqua adversitate, mox plorant, quoniam
molles sunt corde.
Et factum est in duodecimo anno, in 17
quintadecima mensis, id est duodecimo
anno prædictæ transmigrationis, quintade-
cima die mensis (ut creditur) duodecimi,
de quo in principio hujus capituli dictum
est. *Factum est verbum Domini ad me,*
dicens : Fili hominis, cane carmen lugubre 18
super multitudinem Ægypti, ejus ærum-
nas deflendo ex pia compassione : sicut et
B Isaias Babylonis futuræ vastitati compati-
ens, Corrui, inquit, quum audirem, emar- *Is.* XXI, 3, 4.
cuit cor meum. Prophetæ etenim tanquam
viri perfecti, omnes ex caritate amabant.
Et detrahe eam, id est, detrahendam præ-
nuntia *ipsam, et filias gentium robusta-*
rum, id est congregationes populorum mul-
torum potentium, *ad terram ultimam,* id
est profunda inferni, *cum his qui descen-*
dunt in lacum gehennæ. *Quo pulchrior es* 19
in exteriori apparatu, o Pharao, *descende*
in lacum, *et dormi cum incircumcisis,* id
C est idololatris, vel potius vitiosis. Non enim
omnes incircumcisi corpore, tempore vete-
ris Testamenti perierunt, sed incircumcisi
corde, id est vitiosi. Itaque sensus est :
Quanto, o Pharao, in præsenti sæculo ma-
jor es, et gloriosiorem te exhibes, eo pro-
fundius rues, graviusque torqueberis : jux-
ta illud in Apocalypsi, Quantum glorificavit *Apoc.* XVIII,
se, et in deliciis fuit, tantum date illi tor- 7.
mentum et luctum. Unde et Christus in
Evangelio loquitur : Cui plus datum est, *Luc.* XII, 48.
plus requiretur ab eo. *In medio interfe-* 20
D *ctorum gladio cadent,* rex Ægypti ejusque
servi. *Gladius datus est* a Deo regi Ba-
bylonis contra Ægyptum ; *et attraxerunt*
eam, id est Ægyptum, *et omnes populos*
ejus, vel Chaldæi qui eos traxerunt ad
mortem, vel damnati quibus in inferno
sunt sociati isti Ægyptii. *Loquentur ei,* ut- 21
pote Pharaoni in infernum ruenti, *poten-*
tissimi robustorum, videlicet reges et prin-
cipes ac validissimi olim præliatores, *de*
medio inferni, ejus dejectioni invidialiter
insultando, *qui cum auxiliatoribus ejus*

descenderunt in foveam inferorum, *et dor-*
mierunt, id est, mortui sunt, *incircumcisi*
corde et corpore, *interfectique gladio*.
22 *Ibi Assur et omnis multitudo ejus*, id
est rex Assyriorum, et omnis populus ei
olim subjectus, et similis in peccatis; *in*
circuitu illius sepulcra ejus, id est suo-
rum qui perierunt cum ipso, et ei sunt
copulati in pœnis, cui consenserant in pec-
catis. Porro sepulcra istorum appellantur
loca pœnalia, quibus clausi tenentur in
Luc. XVI, 22. carcere infernali. Unde in Evangelio dives
23 sepultus scribitur in inferno. *Quorum da-*
ta sunt sepulcra, id est loca pœnalia, *in*
novissimis laci, id est in profundissimis
fundis inferni. *Et facta*, id est locata, *est*
multitudo ejus per gyrum sepulcri ejus :
id est, Assyrii condemnati in inferno locati
sunt in circuitu regum suorum, ad majo-
rem eorum damnationem : ut sicut in hac
vita mutuis se adspectibus lætificaverunt,
ita ibidem ex proxima conjunctione se in-
vicem semper contristent; *qui dederunt*
quondam formidinem suam in terra vi-
ventium, id est, homines in sæculo isto
multipliciter terruerunt, eo quod potentes
crudelesque fuerint.
24 *Ibi Elam*, id est rex Elamitarum, si-
Is. XXI, 2. ve Persarum, juxta illud Isaiæ : Ascende,
Elam, id est Persæ; *et omnis multitudo*
ejus per gyrum sepulcri sui, id est in cir-
cuitu loci suæ damnationis. *Omnes hi in-*
terfecti, ruentesque gladio; qui descende-
runt incircumcisi, id est vitiis pleni, *ad*
terram ultimam; qui posuerunt terrorem
suum in terra viventium, aliquos in hoc
mundo multiformiter perterrendo, *et por-*
taverunt ignominiam suam, id est confu-
Apoc. XIV, 13. sionem et opera detestanda : opera enim
illorum sequuntur illos; *cum his qui de-*
25 *scendunt in lacum. In medio interfecto-*
rum, id est damnatorum, *posuerunt* princi-
pes tenebrarum *cubile ejus*, id est infernale
habitaculum regis Elam, *in universis po-*
pulis ejus, id est, inter eos qui pertine-
bant ad ipsum; *in circuitu ejus sepulcrum*
illius, id est sepulcra populi sui.
26 *Ibi Mosoch*, id est Cappadoces, *et Thu-*
A *bal*, id est Iberi, secundum quosdam; vel
secundum alios, Itali. Hic tamen per Thu-
bal, rex vel princeps istorum exprimitur :
nam subditur, *et omnis multitudo ejus;*
in circuitu ejus sepulcra illius, id est suo-
rum. *Omnes hi incircumcisi, et cadentes*
gladio, qui dederunt formidinem suam in
terra viventium; et nunc dormient, id est, 27
a vita præsenti in inferno morte æternæ
damnationis mortui erunt sive cessabunt,
cum fortibus cadentibus et incircumcisis,
qui descenderunt in infernum cum armis
B *suis*, id est cum iniquitatibus per bella
commissis : sicut communiter dicimus, Tu
peribis cum omnibus machinis tuis. *Et*
posuerunt gladios suos sub capitibus suis.
Per quod insinuatur, quod semper parati
erant ad pugnam, et bellis usque ad finem
adhæserunt. *Et fuerunt iniquitates eorum*
in ossibus eorum, id est, intimis eorum fir-
missime cohæserunt, atque medullitus pec-
caverunt : ita quod prodiit quasi ex adipe *Ps.* LXXII, 7.
iniquitas eorum, et transierunt in affectum
cordis, concupiscentiis dando consensum;
C *quia terror fortium facti sunt*, id est, etiam
robustos terruerunt, *in terra viventium.*
Et tu ergo, o Pharao, *in medio incircum-* 28
cisorum contereris, id est damnaberis.
Ibi, videlicet in inferno, est *Idumæa*, id 29
est populus terræ sic appellatæ, qui fuit
de semine Esau, *et reges ejus, et omnes*
duces ejus. Idumæa enim antequam habe-
ret reges, habuit duces, sicut in Genesi le- *Gen.* XXXVI.
gitur. — *Ibi principes aquilonis*, id est 30
omnes inter quos computantur et reges
Babylonis, *et venatores omnes* in venatio-
D nibus totaliter inordinati : qualis fuit et
Nemrod; *qui deducti sunt cum interfectis*
ad inferos, *paventes* de supplicio sempi-
terno, quod sibi instare cernebant, *et in*
sua fortitudine confusi, id est divinitus
reprobati tanquam præsumptuosi, vani, et
Deo ingrati, robore sibi collato abusi; *et*
portaverunt confusionem suam, videlicet
culpam ignominiosam, et confusibilem
pœnam.
Vidit eos Pharao secum in inferno dam- 31
natos, *et consolatus est super universa mul-*

titudine sua, id est, de sua et populi sui damnatione, relevamen quoddam mœstitiæ sumpsit, leviora (secundum Hieronymum) tormenta æstimans consortio plurimorum, eo quod cerneret alios reges cum suis phalangis in simili pœna. Solatium enim est (ut fertur) misero, habere socium in tormento. His autem quis arguat, quod dives
Luc. XVI, 27, 28. epulo sollicitus fuit in inferno, ne fratres sui eadem secum paterentur. Præterea, in inferno nulla est consolatio, sicut in cœlo nullus est mœror. Insuper aliqui dicunt, quod verbum illud, Solatium est misero, etc., locum non habeat in inferno : alioqui, quum quotidie tam innumerabiles corruant in infernum, videretur pœna inferni quotidie multum relevari. Et respondendum ad primum, secundum Thomam, quod dives ille fratrum suorum non optavit salutem, nec de eorum damnatione (absolute loquendo) curavit vel formidavit, sed ne ex communione cum eis præhabita, supplicia sua fierent duriora. Ideo maluisset alios quam proprios fratres damnari. Quidam etiam asserunt, quod quadam naturali pietate condoluit eis : naturalia namque in damnatis remanent integra. Ad secundum dicendum, quod in inferno nulla est consolatio quæ sit fixa et reputanda, quia per dolorum infernalium magnitudinem, taliter absorbetur et vincitur, ut nullius videatur momenti. Ad tertium respondetur, quod (absolute loquendo) damnati pœnas suas invicem magis augent quam minuunt. Ideo dicitur, quod in inferno, præallegata maxima sive auctoritas locum non habet.

Expositio mystica. 2-5 PRÆTEREA, secundum mysticam interpretationem, per Pharaonem, qui leoni atque draconi assimilatur, intelliguntur adversariæ potestates seu dæmones, hæretici quoque, schismatici et tyranni, ac ceteri aliorum seductores, perversi et callidi. Hi enim cornu suæ potestatis, dignitatis vel elationis in fluminibus adinventionum suarum, vitiorum, seu possessionum inquietant et ventilant alios; et conturbant aquas

A veræ ac salutaris sapientiæ pedibus suis,
dum proprio sensui ac impiæ privatæque
voluntati, magis quam sacræ Scripturæ auctoritati, et inviolabili divinæ legis æquitati innituntur et acquiescunt. Denique super hos Dominus rete suum expandit, videlicet ex argumentationibus sacræ Scripturæ ipsos per servos suos concludens, et sua eos omnipotentia, ut evadere nequeant, comprehendens : atque sic extrahit eos de errorum suorum latibulis, conciliabulis iniquis, et projicit eos super faciem
B terræ, id est, occultas eorum malignitates et insipientias in apertum deducit, ipsos quoque prosternit. Et habitare facit super eos volatilia cœli, id est diabolos, qui in istorum cordibus habitant qui sibi in malis consentiunt. Satiat demum de eis bestias terræ, id est homines bestiales, qui de istorum pessima voluntate replentur et gaudent. Dantur autem carnes istorum super montes et colles, dum publice puniun-
tur. Tuncque cœli eis operiuntur caligine, 7
quoniam ab angelis sanctis nec illumina-
C tionem, nec consolationem accipiunt.
Solem nube tegam, et luna non dabit
lumen suum. Hoc fit, dum principales et
aliorum magistri, vel litteratæ personæ,
suis exigentibus culpis, ignorantiæ nubilo
involvuntur. *Omnia luminaria cœli mœre-* 8
re faciam super te. Nam ipsi ecclesiastici
viri, qui (juxta Apostolum) inter alios lu- *Philipp.* II, 15.
cent sicut luminaria in mundo, prædictis
errantibus condolent. Quidam tamen zelo
justitiæ eorum perversitatibus indignan-
tur, et contra eos rectitudinis zelo moven-
D tur, de quibus Dominus addit : *Et irritabo* 9
cor populorum multorum, etc. Denique
quum reprobos istos Deus evidenter punierit, populi obstupescent, divinam verentes justitiam, eruntque solliciti ne et ipsi occulto et justo Dei judicio relinquantur, peccare sinantur, et condemnentur. At vero in gladiis fortium, scilicet angelicarum potestatum, vel hominum sapientium et justorum, vel etiam in materiali gladio principum fidelium, dejicit Deus multitudinem impiorum prædictorum : qui

vastant et reprobant superbiam Ægypti,
præsentis videlicet sæculi. Nihilo minus
filiæ gentium, id est Ecclesiæ, animæque
devotæ, super Ægyptum et plenitudinem
ejus plangunt, dum hominum mundano-
rum perditissimam vitam, imparatam ac
miseram mortem, et item æternam dam-
nationem totis præcordiis deflent.

Consequenter Dominus præcipit viro
perfecto, ut Pharaonis et Ægypti deplan-
gat ruinam, id est principum mundi et
subditorum : qui omnes pariter in infer-
num descendunt, dum sæculariter conver-
santes, terrena magis quam cœlestia ex-
22 petunt. *Ibi*, videlicet in inferno, est *Assur*
et omnis multitudo ejus, id est, qui alios
dirigunt ad iniqua, et qui diriguntur ab
Matth. xv, 14. eis, utpote cæci et duces cæcorum, qui pa-
24 riter labuntur in præceps. *Ibi Elam et om-*
nis multitudo ejus. Per Elam, quod inter-
pretatur, ascensus eorum, signatur omnis
præsidens animosus, qui Christi humili-
tate contempta, dæmonis sequitur pom-
26 pam : qui cum suis perit fautoribus. *Ibi*
Mosoch, id est, vanitatibus mundi et con-
cupiscentiis insanientes. Mosoch quippe
interpretatur insania. *Et Thubal,* id est,
qui se male convertunt, puta a bonis aver-
29 si, atque ad prava conversi. *Ibi Idumæa* et
omnes principes ejus. Per Idumæam, quæ
interpretatur terrena, et principes ejus,
intelliguntur avari. *Ibi principes aquilo-* 30
nis, id est invidi et feroces, qui in rancoris
frigore commorantur, et cum sui crude-
litate atque invidia pungunt cruciantque
se ipsos. Animus siquidem inordinatus, si-
bi ipsi fit gravis. Hi omnes quamvis chri-
stiani vocentur, tamen cum incircumcisis
mente damnantur.

Postremo ex horum diligenti advertentia
discamus, mundum et ea quæ mundi sunt,
spernere, divitias atque delicias carnis ac
sæculi toto corde contemnere, omnem in
præsenti exaltationem, famam et honora-
tionem refugere : perpendentes ex præin-
ductis, quam brevis, fallax et vana sunt
gloria mundi et omnis terrena prosperi-
tas ; quam item celeriter perierunt, qui
olim in sæculo isto tam gloriosi ac metu-
endi fuerunt ; quod momentaneam domi-
nationem ac vanitatem, secuta est sem-
piterna dejectio atque calamitas : tanto
utique major, quanto fuit in sæculo isto
ambitio amplior. Non timeri aut reputari,
sed subesse ac nesciri, jugiter affectemus,
illud Sapientiæ pensantes : Fortioribus for- *Sap.* vi, 9.
tior instat cruciatus ; exiguo conceditur *Ibid.* 7.
misericordia, potentes autem potenter tor-
menta patientur ; et, Judicium durissimum *Ibid.* 6.
in his qui præsunt, fiet.

ARTICULUS XXXIX

EXPOSITIO CAPITULI TRICESIMI TERTII : ET FACTUM EST VERBUM DOMINI AD ME.

A CAPITULO vicesimo quinto usque ad
locum hunc, vaticinatus est sanctus
Ezechiel de gentibus alienis. Nunc rursus
de populo suo prophetat. Porro quæ in is-
Ezech. iii, xviii. to capitulo conscribuntur, in superioribus
pro maxima parte præhabita sunt. Non
tamen sunt penitus eadem, quoniam ali-
qua ibi posita, hic omittuntur ; aliqua quo-
que hic ponuntur, quæ ibi non habentur.

Et factum est verbum Domini ad me, 1
dicens : Fili hominis, loquere ad filios 2
populi tui. Sicut superius Dominus mani- *Ezech.* iii, 17.
festavit Ezechieli quid ad suum specta-
ret officium, ita et nunc. Ad quod mani-
festandum, parabolam præinducit. *Terra,*
quum induxero super eam gladium, id
est hostium impugnationem, *et tulerit po-*
pulus terræ unum de novissimis suis, id

est de infimis, *et constituerit eum super se*
speculatorem, ut ab eminentioribus locis
undique oculos circumducat, ad videndum
si adversarii appropinquent. Unde per
unum de novissimis, non est intelligendus
unus de superioribus, ut aliqui putant, arguentes
ex hoc quod parabola ista Ezechieli
adaptatur, qui fuit unus de eminentioribus
populi sui, tanquam sacerdos ac
vates. Verum ratio ista nullius momenti
est, quum in parabolicis comparationibus
non sit per omnia similitudo. Denique ad
insinuandum quid ad prælatos Ecclesiæ
spectet, optima similitudo de pastoribus
ovium sumitur. Non tamen opinari decet,
quod pastores ovium sint de excellentioribus
populi, eo quod prælati de eminentioribus
sint. Iterum moris non est, ut
excelsiores populi, modo præfato speculatores
terræ ponantur; sed uni de vulgo
3 id ipsum committitur. *Et ille viderit gladium
venientem super terram,* id est adversarios
accedentes, *et cecinerit buccina,*
ad innuendum æmulorum adventum, *et
annuntiaverit populo* suo quod imminet;
4 *audiens autem, quisquis ille est, sonitum
buccinæ, non se observaverit* ab adversariorum
invasione, *veneritque gladius et
tulerit,* id est occiderit, *eum; sanguis ipsius
super caput ipsius erit,* id est, mors
sua, propriæ ejus negligentiæ imputabitur,
non negligentiæ speculatoris, qui quod
5 suum officium fuit, fecit. *Si autem se custodierit*
ab ostium occursu, *animam suam
salvabit,* id est, vitam suam a morte eripiet.
6 *Quod si speculator viderit gladium
venientem, et non insonuerit buccina, et
populus se non custodierit, veneritque gladius,
et tulerit de eis animam,* id est, hominem
quemquam occiderit: ponitur enim
pars pro toto; *ille quidem in iniquitate
sua captus est,* id est pro suis peccatis occisus,
atque in eis deprehensus.

Deinde parabola ista ad Ezechielem ap-
7 tatur. *Et tu, fili hominis, speculatorem,* id
est spiritualem custodem, pastorem, magistrum,
te dedi domui, id est filiis, *Israel.
Audiens ergo ex ore meo sermonem, an-*

A *nuntiabis eis ex me,* id est nomine meo, et
ex parte mei. Os Domini, est intellectus
ipsius, vel angelus ex Dei loquens persona,
vel sacra Scriptura. Unde qui pro alio
efficaciter loquitur, os ejus asseritur. Juxta
quem modum Bernardus asserit Augustinum
linguam Ecclesiæ. *Si me dicente ad* 8
impium, Impie, morte morieris, videlicet
morte culpæ, morte pœnæ temporalis, et
morte miseriæ gehennalis, *non fueris locutus,
ut se custodiat impius a via sua,* id
est, a vita sua injusta se corrigat; *ipse*
B *impius in iniquitate sua morietur,* nisi
Deus aliunde subvenerit ei, et per allocutionem
internam sive angelicam subventionem
correxerit eum; *sanguinem autem
ejus de manu tua requiram,* id est, causam
mortis animæ suæ, atque damnationis
æternæ tibi imputabo, ita quod reus eris
periculi ejus, peccatique particeps. *Si au-* 9
*tem annuntiante te ad impium, ut a viis
suis,* id est peccatis, quibus graditur ad
infernum, *convertatur, non fuerit conversus
a via sua; ipse in iniquitate sua mo-*
C *rietur,* ita quod pro ea temporaliter occidetur,
æternaliterque damnabitur, vel horum
alterum patietur. *Porro tu animam tuam
liberasti,* id est, de illius morte et damnatione
te immunem exhibuisti, atque a morte
multiplicis culpæ te excussisti. De istis
pertranseo, quoniam tertio capitulo per- *Ezech.* III, 17-19.
tractata sunt plenius, et prolixitati parcendum
est.

Hac exhortatione præhabita, jubet Deus
Prophetæ quid filiis Israel dicere debeat.
Tu ergo, fili hominis, dic ad domum Is- 10
D *rael: Sic locuti estis, dicentes* ad invicem
vel seorsum: *Iniquitates nostræ et peccata
nostra super nos sunt,* id est, irremediabiliter
nobis imputantur, et quidquid
oramus, in captivitate manemus. Ideo subditur:
et in ipsis tabescimus per pœnas
illatas. *Quomodo ergo vivere poterimus,* id
est ad gratiam Dei reverti, et a tribulationibus
erui? *Dic ad eos: Vivo ego, dicit* 11
Dominus Deus, id est, cum juramento affirmo,
nolo mortem impii, id est damnationem
ejus, nec mortem culpæ, imo nec

mortem violentam ab hostibus directe, sed A
culpa ejus supposita. Istud atque sequen-
Ezech. tia plenius exposita recolo, idcirco per-
xviii, 23-32. transeo, præsertim quum in his quæ re-
stant, sit difficultas immensa : quibus
immorari necesse est. *Sed ut convertatur,*
et vivat, in via per gratiam, in patria quo-
que per gloriam. *Convertimini a viis ve-*
stris pessimis, id est peccatis gravissimis,
præsertim a desperatione ista, quæ est
peccatum in Spiritum Sanctum. *Et quare*
moriemini, domus Israel? id est, cur in
æternum peribitis, atque in vitiis vestris B
manebitis? tanquam dicat misericordissi-
mus omnipotensque Creator : Ex parte
mei non erit defectus vestræ salutis, quum
sim paratus ignoscere atque salvare, dum
modo feceritis quod in vobis est.
12 *Tu itaque, fili hominis, dic ad filios*
populi tui : Justitia justi non liberabit
eum, in quacumque die peccaverit, id est,
a morte æterna eum non eruet. Quacum-
que hora mortale peccatum inciderit, si
in ipso decesserit, et in puncto quo peccat,
non liberat eum omnis prior justitia a Dei C
offensa, a caritatis et gratiæ amissione, at-
que a variis peccati effectibus ipsum con-
comitantibus. *Et impietas impii non noce-*
bit ei, in quacumque die conversus fuerit
per veram contritionem : tunc enim tota
Rom. v, 20. culpa dimittitur; et quandoque ubi abun-
davit peccatum, abundat et gratia, dum
pœnitens, priorum iniquitatum intuitu se
magis humiliat, Deoque præcordialiores
gratias refert, atque per hæc divini flam-
ma amoris magis ignitur. Verumtamen in
ipsa conversione non semper mox tollitur D
pronitas ad peccandum, et difficultas ad
bene vivendum, reatus quoque ad pœ-
nam : quæ dicuntur reliquiæ vitiorum. Sed
in proficientibus ista paulatim tolluntur.
Et justus non poterit vivere vita gratiæ, *in*
justitia sua, in quacumque die peccaverit
mortaliter. Nempe in puncto hujuscemodi
transgressionis, amittit justitiam habitua-
13 lem infusam. *Etiam si dixero justo quod*
vita gratiæ *vivat,* id est, victurus sit, *et*
confisus in justitia sua, fecerit iniquita-
tem : quemadmodum qui sibi de sua ju-
stitia nimis applaudunt, et dum minus
timorati nimisque tuti sunt, negligentes
efficiuntur, et corruunt graviter; *omnes*
justitiæ ejus oblivioni tradentur a me, ita
quod sibi non reputabuntur ad meritum,
quia non perseveravit usque in finem.
Semper ergo pensemus quod scriptum
est : Si non in timore Dei tenueris te in- Eccli. xxvii, 4.
stanter, cito subvertetur domus tua; et :
Qui putat se aliquid esse, quum nihil sit, Galat. vi, 3.
ipse se seducit. *Si autem dixero impio,* 14
Morte damnationis æternæ *morieris; et*
egerit pœnitentiam, feceritque judicium
et justitiam, nec fecerit quidquam inju- 15
stum, id est justitiæ directe contrarium;
vita gratiæ *vivet, et non morietur* morte
peccati, atque miseria infernali.
Et dixerunt, o Propheta, *filii populi* 17
tui : Non est æqui ponderis via Domini,
id est, via Dei justa non est, seu processus
divinæ legis iniquus est. Omnia ista et
multa sequentium, et quæ nunc transili-
untur, dicta sunt plene octavodecimo ca- Ezech.
pitulo. *Et ipsorum,* qui tam perverse de xviii.
Deo sentiunt ac loquuntur, *via injusta*
est : eorum enim cogitatio, affectio, locu-
tio, et actus exterior, a divinæ æquita-
tis rectitudine obliquantur. *Unumquemque* 20
juxta vias suas, id est operum merita si-
ve demerita, *judicabo.*
Et factum est in duodecimo anno, in 21
decimo mense duodecimi anni, *in quinta*
mensis *die transmigrationis nostræ* cum
Joachin, *venit ad me qui fugerat de Jeru-*
salem, dicens : Vastata est civitas Jerusa-
lem, id est capta. *Manus autem Domini,* 22
id est allocutio vel operatio Dei, *facta*
fuerat ad me vespere, antequam veniret
qui fugerat; aperuitque os meum, id est,
ad loquendum adaptavit et roboravit, dans
loquendi fiduciam; *et aperto ore meo, non*
silui amplius, quia et jam testem habui,
qui ea quæ prænuntiavi, oculis vidit im-
pleta, idque testari fuit paratus.
Et factum est verbum Domini ad me, 23
dicens : Qui habitant in ruinosis his, id 24
est in destructis Judææ habitaculis. Nunc

enim est sermo de Judæis qui post Sede- A
ciæ captivitatem et urbis Jerusalem vasti-
tatem, remanserant in Judæa ruinis plenis-
sima. Ideo subditur, *super humum Israel.*
Loquentes aiunt : Unus erat Abraham, et
hereditate possedit terram in spe, non in
re, id est, promissa est sibi pro semine
suo. Unde in Actibus Apostolorum Stepha-
Act. vii, 5. nus dixit, quod Abraham nec passum pe-
dis in hereditatem accepit in ea. *Nos autem*
multi sumus; nobis data est terra Judææ
in possessionem : id est, quum Abraham
unus exsistens, in tantum semen excreve- B
rit, quod terram istam in semine suo pos-
sedit ; multo magis nos qui plures sumus,
ita augebimur, quod terram hanc possi-
debimus.

Hac spe fallebant se ipsos, ideo subdi-
25 tur : *Hæc dicit Dominus Deus : Qui in*
sanguine comeditis, id est, contra legem
carnem cum sanguine manducatis : quem-
I *Reg.* xiv, 32. admodum primo Regum sub Saul factum
describitur. Vel, In sanguine comeditis, bo-
na injusta per violentiam conquisita vo-
rando. *Et oculos vestros levatis ad im-* C
munditias vestras, id est ad idololatriam
ceterasque turpitudines carnis ac spiritus,
ad permanendum in eis, non ad deflen-
dum, *et sanguinem funditis. Numquid*
26 *terram* Judææ *hereditate possidebitis? Ste-*
tistis in gladiis vestris, id est, parati fui-
stis ad lites, bella, et homicidia, etiam pro
parva occasione, *fecistis abominationes* ve-
stras, id est irrationabilissima peccata, *et*
unusquisque uxorem proximi sui polluit.
Non est verisimile, quod simpliciter om-
nes id egerint; sed ad insinuandum quam D
multi rei fuerint in hoc, dictum est, Unus-
quisque. *Et terram hereditate possidebi-*
tis, quæ jam per hujusmodi mala aliis est
ablata ?
27 *Sic dicit Dominus Deus : Vivo ego, quia*
qui in ruinosis habitant, gladio cadent.
Jer. xli, 2, 3. Multi enim cum Godolia fuerunt occisi in
Judæa; alii Ægyptum ingressi, illic a Chal-
dæis occisi pro parte fuerunt. *Et qui in*
agro est, bestiis tradetur ad devorandum;
qui autem in præsidiis et in speluncis
sunt, id est in locis tutis ac fortibus, *peste*
morientur. Et dabo terram Juda *in soli-* 28
tudinem, et deficiet superbia et fortitudo
ejus, id est habitatorum ipsius. *Et scient* 29
quia ego Dominus : cujus justitiam atque
potentiam in sua punitione experientur.

Et tu, fili hominis, filii populi tui, id 30
est Judæi qui tecum habitant in Chaldæa,
loquuntur de te juxta muros, et in ostiis
domorum, id est in locis confabulationum
suarum, *et dicunt unus ad alterum,* non
ex devotione, sed derisione, curiositate et
levitate : *Venite, et audiamus* ab isto Eze-
chiele, *quis sit sermo egrediens a Domino.*
Et veniunt ad te, quasi si ingrediatur po- 31
pulus meus, id est, cum devotione simu-
lant se venire, secundum quod eos qui
digni sunt dici populus meus, decet cum
devotione ad audiendum verbum Dei ac-
cedere, *et sedent coram te populus meus,*
per conditionem, non per veram devotio-
nem ; *et audiunt sermones tuos,* de modo
serviendi Deo, *et non faciunt eos, quia in*
canticum oris sui vertunt illos, id est, cum
levitate et irrisione eos quasi carmina quæ-
dam concinunt seu repetunt; *et avaritiam*
sequitur cor eorum, cujus oppositum do-
cuisti. *Et es eis quasi carmen musicum,* 32
quod suavi dulcique sono canitur : id
est, de te et verbis tuis faciunt sibi mate-
riam jocandi, plaudendi, cantandi. *Et quum* 33
venerit quod prædictum est a te de Judæ-
orum punitione, *(ecce enim venit,* id est,
de proximo imminet), *tunc scient quod*
Propheta fuerit inter eos, id est, quod tu
eis ex divina revelatione locutus es.

At vero de tropologia istorum dictum Tropologi
est supra. Advertendum nihilo minus, quod *Ezech.* i
circa primam hujus capituli partem ait xviii.
Hieronymus : Magnopere formidandum est,
ne ad officium speculatoris seu pastoris
accedamus indigni; et assumpti a populo,
negligentiæ nos demus atque desidiæ; et
quod his pejus est, deliciis, ventrique et
otio servientes, honorem nos accepisse
putemus, non ministerium. Denique ejus-
dem damnationis est, subditum peccare,

et pastorem illum non increpare, neque A docere. Non igitur cesset prælatus publice et private reos oris sui buccina caritative et discrete arguere, reformare, dirigere.

24 *Qui habitant in ruinosis,* id est debilibus virtutum actibus seu fabricis : quorum conversatio non est in humilitate atque timore Dei firmiter radicata atque fundata, sed in sua confidunt justitia, quales sunt qui in propriis oculis virtuosi ac sapientes exsistunt. Hi dicunt : *Unus erat Abraham, et hereditate possedit terram; nos autem multi sumus* cum discipulis et B subditis nostris ; *nobis data est terra in possessionem :* id est, vere Ecclesiæ filii sumus, et ipsa Ecclesia, scilicet grex subditorum, nobis commissa est. Hi enim in multitudine divitiarum suarum spiritualium confidentes, frequenter se jactant quod ipsis committi debeant alii. Quos Dominus reprobat, eo quod in sanguine comedant, aliorum laborem ac sudorem impie atque superflue comedendo : qui ad immunditias suas suos erigunt oculos, dum pristina mala non solum non plorant, sed C continuare ac innovare non cessant ; qui sanguinem spiritualiter fundunt, dum in Ps. I, 1. cathedra pestilentiæ sedentes, scandalizant pusillos. Ideo non possidebunt terram viventium in supernis, nec septem dona Matth. VII, 13. militantis Ecclesiæ. Qui in agro sunt, id est, per latam ambulant viam, bestiis tradentur ad devorandum, id est dæmonibus : de quibus oramus, Ne tradas bestiis animam confitentem tibi. Et Petrus : Adver- Ps. LXXIII, 19. I Petr. V, 8, 9. sarius, ait, vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret : cui resistite fortes in fide. Qui autem in præsidiis sunt, id est, peccata sua cum exquisitis et fortibus persuasionibus, munitionibusque argumentorum excusant atque defendunt; et in speluncis, id est, aliis insidiantur, et calliditate se ipsos operiunt, seu quodam virtutum apparenti colore vitia sua occultant : peste morientur, id est, propria sua infectione interna vitam gratiæ perdent, et vitam gloriæ sempiternæ amittent.

Et tu, fili hominis, filii populi tui, etc. 30
Simili modo quidam Christiani leves mente et intimorati, qui audito quod alicubi sit vir aliquis spiritualis, et bene prædicans, aut plurimum doctus, se mutuo cohortantur invisere eum, verbumque Dei ab ipso audire. Sed postquam audierint, audita non implent, neque se corrigunt ; vel si compunctionem quamdam concipiant, cito et facili occasione eam relinquunt, et solitis vanitatibus insistere audent : imo plerumque increpationes auditas vertunt in canticum oris sui, et loquentem derident. De quibus accipi potest illud Amos : Odio habuerunt corripientem, et loquen- Amos V, 10. tem perfecte abominati sunt.

ARTICULUS XL

ELUCIDATIO CAPITULI TRICESIMI QUARTI : ET FACTUM EST VERBUM DOMINI AD ME.

QUÆ in præsenti capitulo de pastoribus D et ovibus veteris Testamenti scribuntur, de prælatis, pastoribus doctoribusque Ecclesiæ et eorum gregibus proportionabiliter sunt intelligenda. Unde quamvis ad litteram de pastoribus et ovibus veteris legis sit sermo, textus tamen propter prolixitatem vitandam sic exponendus est, ut pastoribus gregibusque Ecclesiæ Christi pariformiter queat aptari.

Et factum est verbum Domini ad me, 1
dicens : Fili hominis, propheta de pasto- 2
ribus Israel, id est regibus, pontificibus, principibus, sacerdotibus, judicibus, Scri-

bis et Pharisæis Judæorum : per quos intelliguntur prælati principesque Ecclesiæ, puta episcopi, sacerdotes. *Propheta.* Hoc resumitur, ad innuendum quod pastores sint seriosissime admonendi. *Et dices : Hæc dicit Dominus : Væ* damnationis æternæ debetur ac imminet *pastoribus qui pascebant semetipsos,* id est, qui proprium commodum temporale quærebant, non subditorum profectum atque salutem, seque delicate nutrierunt : qui a Christo in
Joann. x, 12. Evangelio mercenarii nuncupantur, tanquam appellatione pastoris indigni. *Nonne greges a pastoribus pascuntur ?* id est, quum pecora a pastoribus suis corporaliter nutriuntur, multo magis homines a suis pastoribus spiritualiter sunt pascendi caritatis affectu, verbo prædicationis et opere exemplari.

3 *Lac comedebatis,* id est, bona seu opes subditorum consumpsistis; *et lanis operiebamini,* id est, de eorum facultatibus et laboribus corpora vestra pretiose et ornate vestistis; *et quod crassum erat occidebatis,* id est, potentes et divites spiritualiter peremistis, dum vel cupiditate, vel timore carnali eorum vitia debito modo non reprehendistis, sicque decepistis eos : secundum quod per Isaiam Dominus contesta-
Is. iii, 12. tur : Populus meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt. Vel, Quod crassum erat occidebatis, divitibus crimina imponendo, ut sic aliqua extorqueretis ab eis. Istud, proh dolor ! nunc incessanter et evidentissime in Christi Ecclesia adimpletur. Videmus ad oculum, qualiter subditi a suis negliguntur pastoribus, qui carnaliter vivunt, atque in cibo, potu, somno, vestimentis et ceteris corporalibus commodis abundanter sibi de subditorum opibus aut sudoribus provident, imo in horum superfluitate, pretiositate et numerositate, vehementer excedunt. Qui utinam illud Ecclesiastici ri-
Eccli. xxxii, 1, 2. te pensarent : Rectorem te posuerunt ? noli extolli; esto in illis quasi unus ex eis; curam illorum habe, et sic considera. Item-
Ibid. vii, 6. que : Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates. *Gregem autem meum non pascebatis* verbo et opere, imo et corporali alimento tempore opportuno. Nempe quod simplici victui atque vestitui prælatorum superfluit, pauperibus sui gregis distribuere debent. Hinc Petrus in prima sua hortatur epistola : Seniores, I Petr. v, 1-3.
obsecro, pascite qui in vobis est gregem, providentes secundum Deum, non turpis lucri gratia, neque ut dominantes in cleris, sed forma gregis facti, et ex animo.

Quod infirmum fuit, non consolidastis, 4
id est, passionatos et pronos ad vitia, non confortastis spiritualibus armis contra peccata; *et quod ægrotum est, non sanastis,* id est, in anima læsos per vitia, non studuistis a peccatis mundare, spiritualiterque sanare ab impietatis languore; *quod fractum est, non alligastis,* id est, corde divisos non integrastis in Deo. Divisi enim et fracti sunt corde, qui partim cupiunt Deo, partimque mundo placere ac inhærere. De quibus scriptum est in Osee : Divisum est Osee x, 2.
cor eorum, nunc interibunt. Hi alligantur, dum edocentur se toto corde ad Deum convertere, ut psallere possint : Confitebor Ps. ix, 2; cxxxvii, 1.
tibi, Domine, in toto corde meo. *Et quod abjectum est* a Deo per infidelitatem, desperationem, aliaque peccata mortalia, *non reduxistis* ad Deum, orando, loquendo, satis agendo pro talium reformatione ; *et quod perierat,* incidendo in profundum peccatorum, *non quæsistis* spiritualiter reparare, prædicando talibus immensitatem divinæ clementiæ, semper ad ignoscendum in hac vita paratæ. *Sed cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia,* voluntate pro ratione instar tyrannorum utentes. Istud secundum beatum Hieronymum, ad supercilium episcoporum proprie pertinet, qui operibus deornant nominis dignitatem, et pro humilitate assumunt superbiam, ut honorem putent se consecutos, non onus. Quocontra ad Timotheum scribit Apostolus : Argue, obsecra, increpa II Tim. iv, 2.
in omni patientia. Unde mansuetudo et patientia sunt prælatis potissimum necessariæ. Dicit enim Apostolus : Patres, noli- Ephes. vi, 4; Coloss. iii, 21.
te ad iracundiam provocare filios vestros,

sed educate eos in disciplina et timore A
Domini.
5 *Et dispersæ sunt oves meæ* per diversos
errores et vitia, *eo quod non esset pastor*
idoneus, spiritualisque medicus, qui omne
id adhiberet ad animarum reformationem,
quod corporalis adhibet medicus ad sanitatem corporum. Hinc scriptum est in Je-
·.x,21. remia : Quia stulte egerunt pastores, et
Dominum non exquisierunt, propterea omnis grex eorum dissipatus est. Itaque patet, quod causa erroris damnationisque
ovium, negligentia sit pastorum. Ideo nil B
periculosius, nil damnabilius, quam nomen, et non opus, habere pastoris. Nec ab
aliquo hominum genere majorem sustinet
Deus injuriam, quam ab indignis, carnalibus, desidiosis pastoribus. *Et factæ sunt*
in devorationem omnium bestiarum agri,
id est dæmonum : de quibus oramus, ani-
s.LXXIII, mam Deo confitentem non tradi ; *et di-*
6 *spersæ sunt* ab individua caritate. *Erraverunt greges,* id est populi, *mei in cunctis*
montibus superbiæ contra Deum, *et in uni-*
verso colle excelso elationis in proximum; C
et super omnem faciem terræ, id est per
cetera vitia in terrenis et in actibus latæ
viæ, *dispersi sunt greges mei.* Porro ad
litteram per hæc intelligi possunt loca
idololatriæ Judæorum.
7 *Propterea, pastores, audite verbum Do-*
mini, cujus vicem gessistis, non imple-
8 stis : *Vivo ego, dicit Dominus Deus, pro*
eo quod facti sunt greges mei in rapinam
et devorationem, id est, quoniam bona eorum a vobis consumpta sunt, et ipsi per
9 vitia a dæmonibus devorati; *propterea, pa-* D
10 *stores, audite verbum Domini : Hæc dicit*
Dominus Deus : Ecce ego ipse super pasto-
res per debitam ultionem descendam ; *re-*
quiram gregem meum de manu eorum, id
est, ab illorum custodia, vel potius negligentia eripiam eum ; *et cessare eos faciam,*
ut ultra non pascant gregem meum pabulo mortis, non vitæ; seu nomine tenus,
non ente tenus ; *nec pascant amplius pasto-*
res semetipsos, per modum præfatum : id
est, eos a vita hac tollam. Quod in Christi

adventu, et postea paulatim impletum est,
quousque cessavit prælatio Judæorum, destructa Jerusalem per Romanos. *Et libe-*
rabo gregem meum de ore eorum, subjiciendo eum suavi jugo evangelicæ legis
Christi. Quod autem Propheta ad litteram
loquatur pro tempore Christi, mox in isto
patebit capitulo. *Et non erit ultra eis in*
escam. Unde Salvator in Evangelio increpat Scribas et Pharisæos, quod aliorum *Luc.* xx,47.
domos vorabant.
Quia hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego 11
ipse requiram oves meas, et visitabo eas
sicut visitat pastor gregem suum, in die 12
quando fuerit in medio ovium suarum
dissipatarum. Istud intelligi potest verissime de visitatione illa piissima, qua unigenitus Filius Dei per incarnationis mysterium visitavit, et fecit redemptionem *Ibid.* I,68.
plebis suæ : de qua fatetur, Non sum mis- *Matth.* xv,
sus nisi ad oves quæ perierunt domus 24.
Israel. Propter quod iterum loquitur : Ve- *Luc.* XIX,10.
nit Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat. Potest insuper visitatio
ista intelligi per infusionem gratiæ Spiritus Sancti, per angelorum directionem ; et
iterum per Apostolorum missionem, quibus dixit Salvator : Ite ad oves quæ per- *Matth.* x,6.
ierunt, domus Israel. Denique istud agit
Christus quotidie, quum multos eorum per
singularem atque piissimam inspirationem, subventionem, directionem gubernat,
qui negligentissimos habent pastores. No- II *Tim.* II,
vit enim Dominus qui sunt ejus, et non 19; *Rom.* XI, 2.
repellit Dominus plebem suam quam præscivit et prædestinavit. *Et liberabo eas de*
omnibus locis in quibus dispersæ fuerant
in die nubis et caliginis, id est tempore
adversitatis atque mœroris. *Et inducam* 13
eas in terram suam, id est terram regionis
vivorum, ac patriam Beatorum, secundum
Hieronymum ; vel in Ecclesiam militantem, secundum quosdam.
Præterea quæ sequuntur, promissionem
filiis Israel factam pro tempore reversionis a Babylonica captivitate, transcendunt.
Et pascam eas spirituali alimonia, *in mon-*
tibus Israel, id est in ecclesiis toto terra-

rum orbe diffusis, vel in Ecclesia militanti A
per sacramenta et gratiæ dona, deinde in
Ecclesia triumphanti per beatifica gratiæ
Ps. cxx, 1. munera. De montibus istis cantamus : Le-
Ps. lxvii, 16. vavi oculos meos in montes: et item, Mons
Ps. xxiii, 3. Dei, mons pinguis; rursusque, Quis ascen-
det in montem Domini? *In rivis,* id est
emanationibus Spiritus Sancti, quibus po-
tantur electi. De quibus per Isaiam loqui-
Is. xlix, 10; tur Deus omnipotens et excelsus : Non
Apoc. vii, 16, 17. esurient, neque sitient amplius, et non ca-
det super eos æstus et sol, quia miserator
eorum reget eos, et ad fontes aquarum po- B
Joann. vii, 38. tabit eos. Christus quoque : Qui credit in
me, flumina de ventre ejus fluent aquæ
vivæ. *Et in cunctis sedibus terræ* vivorum
seu paradisi cœlestis. De qua terra Salva-
Matth. v, 4. tor locutus est : Beati mites, quoniam ipsi
Prov. ii, 21. possidebunt terram: Salomon quoque, Qui
recti sunt, habitabunt in terra, et simpli-
ces permanebunt in ea. De sedibus istis
Joann. xiv, 2. loquitur Christus : In domo Patris mei
mansiones multæ sunt.

14 *In pascuis uberrimis pascam eas.* Pa-
scuæ istæ in monte illo cœlesti, sunt po- C
tissimæ dotes animæ, utpote visio veritatis
æternæ, tentio beatitudinis increatæ, frui-
tio bonitatis divinæ. Unde ait Psalmista :
Ps. xxxv, 9, 10. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et
torrente voluptatis tuæ potabis eos; quo-
niam apud te est fons vitæ, et in lumine
tuo videbimus lumen. Sunt demum mili-
tantis Ecclesiæ pascua : quæ sunt spiri-
tuales Christianorum divitiæ, animarum
consolatio atque refectio, sacramenta, gra-
tiarumque munera. Qui his pascuis enu-
Ps. xxii, 1, 2. tritur, gratulabundus decantat : Dominus D
regit me, et nihil mihi deerit, in loco pa-
scuæ ibi me collocavit. Sed et Salvator :
Joann. x, 9. Si quis, inquit, per me intraverit, salvabi-
tur, et pascua inveniet. Quibus vesci cu-
Cant. i, 6. piens Sponsa : Indica (ait) mihi, quem
diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes
in meridie. *Et in montibus excelsis Israel,*
id est angelicis choris ad quos assumun-
tur electi, penes gradus diversos secun-
dum meritorum varietates, *erunt pascua*
Matth. xxii, 30. *eorum :* erunt enim sicut angeli Dei in cœ-
lo, juxta testimonium Salvatoris. *Ibi requi-
escent in herbis virentibus,* id est amœ-
nissimis semperque floridissimis cœlestis
palatii dapibus. Denique juxta consuetudi-
nem Scripturarum, spiritualia sub simili-
tudinibus corporalium designantur, nedum
in veteri, sed etiam in novo Testamento.

Quod perierat per propriam ovium pa- 16
storumque negligentiam, *requiram* per
gratiam singularem ; *et quod abjectum
erat, reducam,* id est, aversos convertam ;
et quod confractum fuerat, corde in diversa
partito, *alligabo,* ut medicus animarum ;
et quod infirmum fuerat per pronitatem
ad mala, propriamque animæ fragilitatem,
consolidabo, per fortia gratiarum charis-
mata, per virtutum crementa, per mentis
fixionem cum Deo. Optimum nempe est, *Hebr.* xiii, 9.
gratia stabiliri cor. *Et quod pingue et for-
te,* id est abundantes ac stabilitos in gra-
tiæ donis, *custodiam,* dando eis profectum
perseverantiamque in bonis. *Et pascam
illos in judicio* discretionis, secundum
censuram et ordinem sapientiæ et justitiæ
meæ, distribuendo singulis ut dignum est.

Vos autem, greges mei, id est, congre- 17
gationes credentium, *hæc dicit Dominus
Deus : Ecce ego judico,* id est discerno,
inter pecus et pecus, arietem et hircum, id
est inter bonos et impios, quorum alii sta- *Matth.* xxv, 33.
tuentur a dextris, alii a sinistris. *Nonne* 18
satis erat vobis pascua bona depasci? id
est, merito vobis, o pastores, sufficere de-
buisset pretiosioribus bonis vesci ac ali.
*Insuper et reliquias pascuarum vestrarum
conculcastis pedibus vestris :* id est, quod
vobis superfuit, non pauperibus erogastis,
neque utiliter expendistis, sed impie dila-
pidastis. Utinam id ipsum pensarent mi-
nistri Ecclesiæ. Quidquid enim de bonis
Ecclesiæ simplici victui atque vestitui su-
perest, debetur egenis. Sed, proh dolor!
patrimonium Christi in deliciis devora-
tur. *Et quum purissimam aquam bibere-
tis,* id est, optimis potibus reficeremini :
etenim in Scripturis per panem quilibet
cibus, per aquam omnis intelligitur potus;
reliquam pedibus vestris turbabatis, id

19 est, vitiose expendistis. *Et oves meæ his,* A
quæ conculcata pedibus vestris fuerant,
pascebantur; et quæ pedes vestri turbave-
rant, hæc bibebant : id est, a vobis con-
tempta et irreverenter tractata, seu viliora
sumpserunt.
20 *Propterea hæc dicit Dominus Deus ad*
eos, puta pastores seu greges : *Ecce ego*
ipse judico inter pecus pingue et macilen-
tum, id est divitem et egenum, seu fortem
21 ac debilem. *Pro eo quod lateribus et hu-*
meris, id est corporali potentia et virtute,
impingebatis, et cornibus vestris, id est au- B
ctoritate præsidentiæ vestræ, *ventilabatis,*
o pastores perversi atque crudeles, *omnia*
infirma pecora, id est subditos imperfe-
ctos, egenos seu fragiles, corporaliter op-
primendo seu scandalizando, *donec disper-*
gerentur foras, id est, ab Ecclesia injuste
expellerentur, vel peccando mortaliter, ec-
clesiasticam unitatem caritatisque commu-
nionem amitterent, ita quod actualiter ad
22 corpus Christi non pertinerent; *salvabo*
gregem meum, electis meis aliunde de sa-
lute misericorditer providendo. Siquidem C
princeps et pastor pastorum, prædestina-
tas oves non deserit.
23 *Et suscitabo super ea,* scilicet pecora
mea seu populum meum, *pastorem unum,*
qui pascat ea, videlicet *servum meum Da-*
vid, id est Christum, ut omnes etiam He-
bræi exponunt. Christus enim est David
manu fortis et pulcher adspectu, tanquam
virtus et sapientia Patris, ejusque imago,
cui species appropriatur, secundum Hilari-
om. I, 3. um. Qui Christus de semine David secun-
dum carnem natus, Dei Patris, imo totius D
superbenedictæ Trinitatis, servus secun-
dum naturam assumptam vocatur. De quo
. LII, 13. per Isaiam Dominus protestatur : Ecce in-
telliget servus meus, et exaltabitur, et su-
bid. LIII, blimis erit valde; et rursus, Justificabit
ipse servus meus in scientia sua plurimos,
et peccata illorum ipse portabit. Qui in
Scripturis propheticis frequenter nomine
see III, 5. David exprimitur, sicut in Osee : Post hæc
revertentur filii Israel, et quærent Domi-
num Deum suum, et David regem suum.

Ipse pascet ea scientia et doctrina, affe-
ctu et opere : imo, quod amplius est, etiam
gratiæ infusione. Nempe de plenitudine Joann. I, 16.
ejus omnes accepimus, quoniam ipse tan-
quam caput Ecclesiæ, membris suis influit
vitam gratiæ et motum virtutum. *Et ipse*
erit eis in pastorem. Propter quod apud
Joannem fassus est : Ego sum pastor Ibid. X, 11.
bonus.
Ego Dominus ero eis in Deum, quoni- 24
am me solum veneratione et actibus latriæ
colent, *et servus meus David princeps in*
medio eorum. Secundum quod ait : Vos Ibid. XIII, 13.
vocatis me, Magister et Domine, et bene
dicitis : sum etenim. *Et faciam cum eis* 25
pactum pacis, id est novum Testamentum,
seu evangelicam legem, quæ est lex cari-
tatis atque concordiæ : ut pax Christi, quæ Philipp. IV,
exsuperat omnem sensum, exsultet semper 7; Coloss. III,
in cordibus nostris. Unde per Jeremiam 15.
Dominus locutus est : Feriam domui Israel Jer. XXXI,
pactum novum. *Et cessare faciam bestias* 31.
pessimas de terra, id est, motus bestiales
seu dæmones, de quibus jam sæpius di-
ctum est, auferam ab Ecclesia seu cordi-
bus electorum. Propter quod dixit Salva-
tor : Nunc princeps hujus mundi ejicietur Joann. XII,
foras. Has bestias abstulit Deus, impugna- 31.
tionem earum dirimendo : nam et Christi
passione, atque humillima in hoc sæculo
conversatione, aeriarum potestatum est
plurimum debilitata potestas. In sacra-
mentis quoque Ecclesiæ, præsertim in Sa-
cramento altaris, adversus animæ passio-
nes magna confertur gratiæ virtus. *Et qui*
habitant in deserto, securi dormient in
saltibus. Hoc in beatissimis anachoretis et
eremitis, ad litteram plenissime scimus
impletum : quibus in eremo degentibus
Deus omnipotens universas feras mansue-
fecit; atque ab ipsis sanctorum Patrum
cordibus omnem inordinatum pavorem re-
movit, tantamque in Deo fiduciam [eis]
præstitit, ut nil silvestrium metuerent be-
stiarum. Spiritualius autem loquendo, per
desertum loca claustralia designantur; per
saltus vero, religiosorum habitacula deter-
minata, a sæcularibus separata.

26 *Et ponam eos in circuitu collis mei,* id A
est undique per gyrum Ecclesiæ, *benedi-*
ctionem, id est eminenter benedictos, gra-
tiaque repletos a Deo. *Et deducam imbrem*
in tempore suo, id est, Spiritus Sancti do-
na, pluviamque supernæ irradiationis eis
infundam tempore præordinato : quod fuit
potissime in Apostolis adimpletum, qui
Act. II, 1-4. cum sibi adjunctis Spiritum Sanctum in
visibili susceperant signo. Hinc per Isaiam
Is. XLIV, 2, 3. Dominus ait : Noli timere, serve meus Ja-
cob; effundam spiritum meum super se-
men tuum, et benedictionem meam super B
stirpem tuam. *Pluviæ benedictionis erunt,*
id est, rore benedictionis seu gratiæ divi-
27 næ replebuntur. *Et dabit lignum agri fru-*
ctum suum, id est, homines bonis operibus
abundabunt; *et terra dabit germen suum,*
id est, habitantes in terra, virtutum effe-
ctibus exuberabunt. Porro quod per li-
gnum et terram, ad litteram homo et Ec-
clesia designentur in Scripturis canonicis,
nulli in Scripturis edocto ambiguum reor,
præsertim quum utrumque uno Psalmi
Ps. XCV, 12, 13. comprobetur versiculo : Tunc exsultabunt C
omnia ligna silvarum a facie Domini, quia
venit, quoniam venit judicare terram. *Et*
erunt in terra sua, id est Ecclesia, vel lo-
co quo demorantur, *absque timore* sæcu-
lari, carnali, inordinato : de quo Salomon
Prov. XXVIII, 1. asserit, Justus quasi leo confidens, absque
terrore erit. De quo iterum scriptum est :
Eccli. XXXIV, 16. Qui timet Deum, nihil trepidabit. Denique
primitivæ Ecclesiæ filii, et usque in præ-
sens christianæ professionis appellatione
condigni, in adversis sicut in omnibus di-
vitiis delectantur, secundum quod Jacobus D
Jacob. I, 2. docet : Omne gaudium existimate, fratres,
quum in diversas tentationes incideritis.

Et scient per beneficiorum meorum ef-
fectum, *quia ego Dominus Deus eorum,*
specialem habens curam de eis, quasi de
populo peculiari, *quum contrivero catenas*
jugi eorum, id est, vincula quibus adver-
sariis potestatibus miserabiliter subjicie-
bantur, ac servierunt, eis abstulero, *et*
eruero eos de manu imperantium sibi,
videlicet crudelium hominum, ferocissi-
morumque dæmonum. Juxta quod loqui-
tur Isaias : Jugum oneris ejus, et virgam *Is.* IX, 4.
humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus
superasti.

Et suscitabo eis germen justum nomina- 29
tum, videlicet Christum Dei Filium, summe
famosum et gloriosum. De quo per pro-
phetam Jeremiam loquitur Deus : Suscita- *Jer.* XXIII, 5, 6.
bo David germen justum ; et regnabit rex,
et sapiens erit, et faciet judicium et justi-
tiam. In diebus illis salvabitur Juda, et
Israel habitabit confidenter. Itemque per
Isaiam : Erit germen Domini in gloria et *Is.* IV, 2.
magnificentia, et fructus terræ sublimis,
et exsultatio his qui salvati fuerint de
Israel. *Et non erunt ultra imminuti fame*
in terra, id est, spiritualium divitiarum
carentia, divinique verbi subtractione non
interibunt, imo bonis animæ replebun-
tur. Porro de primitiva quoque Ecclesia
in Actibus Apostolorum legitur : Non erat *Act.* IV, 34.
egens inter eos. *Neque portabunt amplius,*
id est, de cetero non sustinebunt, *oppro-*
bria gentium, eo quod ad Christum omnes
fuerint gentes convertendæ. *Et scient quia* 30
ego Dominus Deus eorum cum eis, per gra-
tiam tam benignam, *et ipsi populus meus*
sunt *domus,* id est tribus, *Israel :* utpote
omnes in Christum credentes, juxta illud
Apostoli ad Galatas : Qui ex fide sunt, hi *Galat.* III, 7.
sunt filii Abrahæ.

Postremo, quod omnia jam inducta sub
nomine ovium, gregum, seu pecorum, de
hominibus intelligantur Dominus pandit,
adjiciens : *Vos autem greges mei, greges* 31
pascuæ meæ, homines estis ; et ego Domi-
nus Deus vester sum, *dicit Dominus Deus.*

Ex præhabitis intueamur quam pericu-
losissimum sit animarum curam habere, et
quod nemo ad prælationem animarumque
curam adspiret, nisi qui non metuit divi-
næ discussionis superdistrictum judicium.

ARTICULUS XLI

EXPOSITIO CAPITULI TRICESIMI QUINTI : ET FACTUS EST SERMO DOMINI AD ME, DICENS.

SECUNDUM Hieronymum, quod toties A
in Ezechiele habetur, Et factus est
sermo Domini ad me dicens, significat,
gratiam prophetiæ non semper actualiter
adfuisse Prophetis, sed ob fragilitatem humanam,
præsentisque vitæ necessitudinem
plurimam, interdum gratia prophetiæ recessit
ab eis. Hinc secundum doctores,
prophetia dicit donum habituale, non actuale.
Itaque Judæorum prosperitate descripta,
nunc Idumæorum, qui filiis Israel
fuerunt hostes, prænuntiatur calamitas :
zech. xxv, -14. quæ tamen supra capitulo vicesimo quinto
prædicta est, sed nunc diffusius recitatur.
1 *Et factus est sermo Domini ad me, di-*
2 *cens : Fili hominis, pone faciem tuam
adversum montem Seir,* id est terram ac
3 populum Idumææ, montibus plenæ. *Hæc
dicit Dominus : Ecce ego ad te, mons Seir,*
id est, contra populum tuum puniendum
potestatem meam extendam ; *et dabo te
desolatum atque desertum,* id est, per
Chaldæos totum Idumææ populum vel oc-
4 cidam vel transferam. *Urbes tuas demoliar,*
id est, per manum Chaldæorum destruam,
et desertus eris, id est ab hominum
habitatione relictus. Per montem autem
Seir, tota præfata intelligitur terra. *Et scies
quia ego Dominus* per potestatis meæ experimentalem
sensationem.
5 *Eo quod fueris inimicus sempiternus,*
id est indefessus a tempore valde longissimo,
*et concluseris filios Israel in manu
gladii,* id est gladii potestate et ictu occideris
ipsos, *in tempore afflictionis eorum*
a Chaldæis, *in tempore iniquitatis* D
extremæ, id est hujus ultimæ transgressionis
eorum in Judæa, mox ante Babylonicam
captivitatem. Ferebant namque Chaldæis
auxilium in obsidione occisioneque
Judæorum. *Propterea vivo ego, dicit Do-* 6
*minus Deus, quoniam sanguini tradam
te,* id est occisioni seu morti ; *et quum
sanguinem oderis* (omnes enim naturaliter
mortem abhorrent), *sanguis persequetur
te,* id est, mors tibi a Chaldæis inferetur.
Præterea alii sic exponunt : Sanguini tradam
te, id est Judæis tuis cognatis ; et
quum sanguinem (id est Judæos) oderis,
sanguis iste te persequetur. Quod primo
Machabæorum probatur impletum, quo
B scribitur Judas filios Esau superasse. *In* I Mach. v, 3.
collibus tuis, et in vallibus tuis, atque in 8
torrentibus interfecti gladio cadent : id
est, per totum territorium Idumææ populi
strages erit. *In solitudines sempiternas* 9
tradam te, o mons Seir, id est, loca tua
habitabilia non inhabitabuntur amplius :
intelligendo per solitudines sempiternas,
durationem notabiliter longam, quæ propter
adversa et aspera videtur quasi æterna.
Idumæa autem post ejus a Chaldæis
destructionem, legitur recuperata. De hac
C Idumææ calamitate, inter cetera prophetavit
Abdias : Propter iniquitatem tuam Abdiæ 10.
in fratrem tuum Jacob, operiet te confusio,
et peribis in æternum. Isaias et Je- Is. xxxiv; Jer. xlix, 7-22.
remias quoque hinc multa vaticinati cernuntur.
Eo quod dixeris : Duæ gentes et duæ 10
terræ, meæ erunt, id est, populus regni
Juda, et item populus regni Israel, cum
suis regionibus pertinebunt ad me, *et hereditate
possidebo eas ; quum Dominus esset
ibi,* id est, terras has, præsertim terram
Juda et Jerusalem, ac templum, pro suo
elegisset cultu. Unde ob id Idumæi adsistebant
Chaldæis in destructione regni
Juda, quoniam terram hanc ad suum spe-

11 rabant principatum devolvi. *Propterea vi-* A
vo ego, dicit Dominus Deus, quia faciam
juxta iram tuam, et juxta zelum tuum,
id est, iniquitatem tuam ego ulciscar, se-
cundum quod ira tua et rancor tuus con-
tra Judæos merentur, *quem* zelum *fecisti,*
id est, in opus duxisti per actuale nocu-
mentum, *odio habens eos,* puta Judæos. *Et*
notus efficiar per eos, id est per Judæorum
liberationem a Babylonica captivitate, pro-
sperationemque eorum in propria terra :
nempe per hæc Deus veritatem suam, mi-
sericordiam atque justitiam declaravit ; B
quum te, o Idumæa, *judicavero* in capti-
vitate relinquendam.
12 *Audivi univèrsa opprobria tua, quæ*
locutus es de montibus Israel, dicens, id
est, insultationes quibus gavisus es de va-
stitate terræ Judæorum, cognosco : *Deser-*
ti nobis ad devorandum dati sunt, id est,
desertos Israel montes jam possidemus, ut
omnia ibi exsistentia consumamus. Tan-
tam quippe fiduciam de obtinenda terra
hac conceperunt, ut eam jam se habere
assererent. Vel istud dixerunt de locis Ju- C
dææ quæ cum Chaldæis nunc demoliti
13 fuerunt. *Et insurrexistis super me ore*
vestro, id est, verba blasphemiæ contra
me cum tumore non mediocri protulistis,
quasi populum Juda liberare de Chaldæo-
rum manibus non valerem, *et derogastis*
adversum me, id est, majestati meæ irre-
verentiam grandem fecistis. *Verba vestra*
tam impia *audivi,* id est, cognovi, adver-
ti, atque ulcisci decrevi. *Lætante universa* 14
terra, id est, omni Judæorum populo de
sua reversione a Chaldæa ad propria ex-
sultante, *in solitudinem te redigam,* id est,
in desolatione tua te deseram ; *sicuti ga-* 15
visus es super hereditate domus, id est
de terra possessionis tribuum, *Israel, eo*
quod fuerit dissipata, id est a Chaldæis
destructa.

Præterea de moralitate istorum jam an- *Ezech.* XXV
te inducta sunt plura, quæ replicanda non 12-14.
sunt. Docemur autem ex præsenti capitulo, quod super terrenos, carnales et cupidos, qui per montem Seir et Edom ac Idumæam signantur, divina venit vindicta, eo quod filiis Israel, id est religiosis ac spiritualibus, insidientur, adversentur ac noceant, eorumque opes diripere cupiant. Ideo sicut facere justis moliuntur, ita fiet eis a Deo : ita quod bonis ad æternam felicitatem pervenientibus, ipsi æternaliter relinquuntur. Verba quoque opprobriosa, quæ contra religiosos devotosque proferunt, Deus audisse se perhibet, et quasi sibi ipsi illata ac derogantia reputat, direque vindicat.

ARTICULUS XLII

DECLARATIO CAPITULI TRICESIMI SEXTI : TU AUTEM, FILI HOMINIS, PROPHETA SUPER MONTES ISRAEL.

PRÆCEDENTI capitulo prænuntiata est D
Idumæorum punitio propter eorum in
Judæos crudelitatem. Nunc Judæorum pro-
speritas prophetatur, eo quod Deus miseri-
I Cor. x, 13. cors non patiatur fragilitatem humanam
supra vires affligi sive tentari, imo post
Tob. III, 22. tempestatem tranquillitatem largitur. Id-
circo manum Dei in omni adversitate
æquanimiter toleremus, certi quod ipse
nostrum prælium intuetur.
Tu autem, fili hominis, propheta super 1
montes Israel, id est de locis montanis
Judææ, *et dices : Montes Israel, audite*
verbum Domini. Quæri potest, quomodo
inanimata jubeantur audire verbum Dei.
Respondetur, quod eo modo quo in Scri-

pturis monentur Deum laudare, benedi-
cere, exaltare : quos utique actus non ef-
ficienter aut formaliter, sed materialiter
exhibent, in quantum intellectualibus cre-
aturis præbent materiam et occasionem
faciendi hos actus. Sic ergo montes Dei
audiunt verbum, dum per id quod aliquid
de eis dicitur, præbent hominibus mate-
riam audiendi verba divina.
2 *Hæc dicit Dominus Deus : Eo quod*
dixerit inimicus, videlicet populus Idu-
mææ, *de vobis : Euge, altitudines sempi-*
ternæ, id est loca Judææ montibus plena :
qui montes ob suæ durationis prolixitatem
sempiterni dicuntur, quanquam in fine
sæculi complananda sit terra; *in heredi-*
tatem datæ sunt nobis : secundum sensum
Ezech. in præcedenti articulo introductum. Quum
xxv, 10. enim Idumæa ex una parte fuerit vicina
Judææ, putavit desolata Judæorum loca
hereditarie possidere : imo et quædam ad
tempus possedit, secundum Hieronymum.
3 *Propterea vaticinare et dic : Hæc dicit*
Dominus Deus : Pro eo quod desolati es-
tis, o montes Israel, *et conculcati per cir-*
cuitum a Chaldæis, imo et ante ab Assyriis
ac aliis hostibus, *et facti in hereditatem*
reliquis gentibus, id est, a diversis natio-
nibus injuste possessi. Unde primo Ma-
Mach. ii, chabæorum loquitur Mathathias : Quæ gens
non hereditavit regnum ejus (puta Ju-
dææ), et non obtinuit spolia ejus? *Et as-*
cendistis super labium linguæ, id est, de
vobis insultanter locutæ sunt linguæ et
labia adversariorum vestrorum, *et oppro-*
brium populi, id est, gentium in circuitu
vestro consistentium facti estis opprobri-
Ps. lxxviii, um : juxta illud, Facti sumus opprobrium
vicinis nostris, id est exprobrationis eorum
4 materia et objectum. *Propterea, montes*
Israel, audite verbum Domini :
Hæc dicit Dominus Deus montibus et
collibus, torrentibus, vallibusque et deser-
tis, parietibus et urbibus derelictis, id est
ad omnem regionem, ac singula loca Ju-
5 dææ vehementer depopulatæ : *Quoniam*
in igne zeli mei, id est affectu justitiæ
meæ, *locutus sum de reliquis gentibus, et*
A *de Idumæa universa,* eorum afflictionem
vastitatemque prædicendo, *quæ dederunt*
terram meam sibi in hereditatem, id est,
Judæam, in qua divinus viguit cultus, sibi
in hereditatem usurpaverunt, *cum gaudio,*
et toto corde, et ex animo, id est cum
plena affectione et omni jucunditate ina-
ni, *et ejecerunt eam,* id est, populum ejus
vel ipsam extra proprium statuerunt do-
minium, *ut vastarent,* id est, violenter
eam sibi subjicerent; *idcirco vaticinare* 6
super humum Israel, id est de terra Judæ-
B orum, *et dices montibus et collibus, jugis*
et vallibus : Hæc dicit Dominus : Pro eo
quod desolati estis, id est habitatoribus
vestris privati, *ecce ego in zelo meo,* quo
amo justitiam et aversor omnem impie-
tatem, *et in furore meo,* id est æquitatis
meæ rigore, *locutus sum* de vestra repara-
tione et hostium vestrorum calamitate, *eo*
quod confusionem gentium sustinueritis.
Idcirco hæc dicit Dominus Deus : Ego 7
levavi manum meam, id est, potestatem
meam ad ultionem faciendam disposui, *ut*
C *gentes quæ in circuitu vestro sunt,* quæ
vobis molestæ fuerunt, atque in suum vos
redegerunt dominium, *confusionem suam*
portent, id est, debitas pœnas sustineant.
Vos autem, montes Israel, ramos vestros 8
expandite, ut *germinetis, et fructum ve-*
strum afferatis populo meo Israel, id est, ar-
bores in montibus sitæ, virgulta mittatis, et
fructus ad usum populi Israel producatis.
Loquitur autem pro tempore reversionis
Judæorum a Babylonica captivitate, quan-
do terra et arbores ceteraque virgulta Ju-
D dææ cœperunt Deo ordinante plus solito
fructificare, juxta illud Psalmistæ : Visi- *Ps. lxiv,*
tasti terram et inebriasti eam, multiplica- *10-12.*
sti locupletare eam; multiplica genimina
ejus, etc., et campi tui replebuntur uber-
tate. Quod ad litteram de fructificatione
Judææ post reditum de Babylone, præ-
dictum est. Propter quod subditur : *Prope*
est ut veniat quod prædico, *quia ecce ego* 9
ad vos per virtutis meæ effectum acce-
dam, dando vobis fecunditatem haud par-
vam. De hoc dicta sunt multa in Aggæo,

Agg. II, 19, 20; Zach. VIII, IX; Malach. III, 10-12. Zacharia et Malachia prophetis. *Et con-* A
vertar ad vos, id est, gratiose me circa vos
habebo, populum Israel ad vos reducen-
do ; *et arabimini, et accipietis sementem*
a populo Judæorum.

10 *Et multiplicabo in vobis homines, om-*
nemque domum Israel. Brevi namque in
tempore per reversionem a captivitate et
generationem in Judæa, fuerunt filii Israel
in terra hac multiplicati. *Et habitabuntur*
civitates Judææ a suis, *et ruinosa instau-*
I Esdr. VI, 14; II Esdr. II, 17; III; IV; VI, 15. *rabuntur.* Hoc in libro Esdræ satis imple-
tum ostenditur. Siquidem muros et ædes
ac templum Jerusalem reædificaverunt Zo-
robabel, Nehemias, Josedec et Esdras cum
11 populo. *Et replebo vos hominibus et ju-*
mentis; et multiplicabuntur homines et
jumenta, *et crescent.* Hoc tempore præ-
sidentiæ Simonis fratris Judæ Machabæi
I Mach. XIV, 4-15. præsertim videtur impletum. Tunc enim
Judæi habitabant securi in opulentia ma-
gna, erantque numero abundantes, quem-
admodum circa finem primi libri Ma-
chabæorum diffuse conscriptum est. *Et*
habitare vos faciam sicut a principio, id
est quemadmodum tempore Josue, qui fi-
lios Israel in terram promissam deduxit;
bonisque donabo majoribus, quam ab ini-
tio habuistis. Hoc de spiritualium bonorum
concessione intelligi debet, atque in Chri-
sti adventu plenissime constat impletum,
quando ipsemet Unigenitus Dei inter Ju-
dæos conversans, miracula faciens, et præ-
dicans, elegit sibi ex illis Apostolos atque
discipulos, quibus post ascensionem suam
Act. II, 2-4. infudit per signum sensibile in maxima
plenitudine Spiritum Sanctum. Deinde per
Ibid. 41; IV, 4. illos primitiis Spiritus repletos, multa con-
vertit Judæorum millia, qui fuerunt pri-
mitiva Ecclesia, et sacratissimam in Jeru-
salem vitam duxerunt, sicut in Actibus
legitur. Propter hanc spiritualium abun-
dantiam divitiarum, de secundo templo
Agg. II, 10. prophetavit Aggæus : Magna erit gloria
domus hujus novissimæ, magis quam pri-
mæ. Simili sensu major fuit gloria Judæ-
orum pro tempore Christi, quam ante. *Et*
scietis quia ego Dominus.

Et adducam super vos, o montes Israel, 12
homines, scilicet *populum meum Israel,*
et hereditate possidebunt te, o Judæa per
montes significata ; *et eris eis in heredita-*
tem, et non addes ultra ut absque eis sis,
id est, ab eis inhabitaberis jugiter. Verum-
tamen, sicut clarissimum est, Judæi post
Christi passionem quadragesimo anno a
terra sua deleti sunt. Ad quod primo re-
spondetur, quod Judæi post Christi passio-
nem, Apostolorumque prædicationem cre-
dere renuentes, non magis fuerunt populus
B Dei, vel pristino nomine digni, quam pa-
gani. Secundo, quod per vocem *ultra,* in
Scripturis non semper perpetua duratio
signatur, imo interdum brevis : ut quum
quarto Regum habetur quod Syri non ad- IV Reg. v[i], 23.
diderunt ultra venire in terminos Israel; et
tamen illic mox subditur, quod congrega- Ibid. 24.
vit rex Syriæ exercitum contra Israel. In
Isaia quoque : Non exercebuntur ultra ad Is. II, 4.
prælium. Ita superius de Tyro et monte
Seir præhabitum est, quod desolati essent Ezech. XXXV, 9.
usque in sempiternum. Vel promissio ista
C intelligenda est sub conditione, videlicet
si Deum non offenderent graviter. Sic
enim Deus secundo Regum dixit ad David :
Ponam locum populo meo Israel, et non II Reg. VI[I], 10.
turbabitur amplius, etc.

Hæc dicit Dominus : Pro eo quod dicunt 13
homines communiter *de vobis,* o montes
Israel, hoc est, o terra Judææ : *Devoratrix*
hominum es, et suffocans gentem tuam, id
est, nulla plebs diu potest demorari et
quiescere in te, sed cito affligitur et ne-
catur, ita quod frequens est sanguinis ef-
D fusio in te. Hinc et nuntii exploratores
missi a Moyse, reversi locuti sunt : Terra Num. XII[I], 33; XIV, [7]; Deut. I, 2[5], 28.
quam lustravimus, valde bona est, sed de-
vorat habitatores suos. Nam et quia opu-
lentissima fuit, dignum videbatur pugnare
pro ea. *Propterea homines non comedes* 14
amplius, et gentem tuam non necabis ul-
tra, id est, solita sanguinis effusio in te
cessabit : eo sensu quo præcedens eluci-
data est clausula. *Nec auditam faciam in* 15
te amplius confusionem gentium, et op-
probrium populorum nequaquam porta-

bis, id est, gentes terram tuam non ingre- A
dientur de cetero, ut te confundant, tibique
exprobrent, *et gentem tuam non amittes*
amplius. Eumdem sensum diversis repetit
verbis, unde et expositio una est. Denique
homines in magnis tribulationibus positi,
parvam vel mediocrem prosperitatem, re-
putant grandem. Itaque omnia ista ad de-
terminatum tempus possunt referri. Sicque
pro tempore Simonis fratris Machabæi vi-
dentur impleta, juxta illud primi libri
Iach. xiv, Machabæorum : Sedit unusquisque sub vi-
, 13. te sua, et sub ficulnea sua; nec erat qui B
eos terreret. Defecit impugnans eos super
terram ; reges contriti sunt in illis diebus.
Denique propheta iste Ezechiel in universo
volumine suo habet extensum modum lo-
quendi, quem arctare potius opus est quam
extendere.

Consequenter ostenditur, quod filii Israel
suis demeritis propriam terram perdide-
runt, et ex sola Dei misericordia eamdem
16 receperunt. *Et factum est verbum Domini*
17 *ad me, dicens : Fili hominis, domus,* id est
tribus seu filii, *Israel habitaverunt in hu-* C
mo sua, scilicet in regione Judææ, *et pollue-*
runt eam, id est se ipsos habitantes in ea,
in viis suis et in studiis suis, id est peccatis
interioribus et exterioribus, tam in his quæ
fiunt faciliter, quam in his quæ magnum
requirunt conatum : quemadmodum di-
ctum est de idololatriis Judæorum, quas ab
Assyriis et aliis gentibus didicerunt. *Juxta*
immunditiam menstruatæ facta est via eo-
rum coram me, id est, turpissimam in
18 conspectu meo vitam duxerunt. *Et effudi*
indignationem meam, id est justam vindi- D
ctam, *super eos, pro sanguine quem fude-*
runt super terram, id est propter eorum
homicidia, quibus et innocentes intereme-
runt, *et in idolis suis,* id est idololatriis,
19 *polluerunt eam. Et dispersi eos in gentes,*
videlicet per captivitatem in Assyrios et
Chaldæos ; *juxta vias eorum et adinven-*
tiones, id est novas et excogitatas malitias,
judicavi eos, reddendo quod meruerunt.
20 *Et ingressi sunt ad gentes,* id est, in
quibus captivi fuerunt, *et polluerunt no-*
men sanctum meum, id est, me ipsum in-
honoraverunt, et quantum in ipsis fuit,
non sanctum ostenderunt : dum vixerunt
tam impie, quod gentiles id cernentes, re-
putabant Deum, qui tam pessimum popu-
lum habuit, esse injustum. Sicque Deum
Israel blasphemaverunt, *quum diceretur*
gentibus ad quas venerunt, *de eis,* puta
Judæis : *Populus Domini iste est, et de*
terra ejus egressi sunt, scilicet de Judæa.
Gentiles autem communiter loqui scive-
runt de Deo Judæorum, propter mirabilia
ejus olim facta, atque frequentius inno-
vata, eumque Dominum appellabant. Sic
enim rex Assyriorum per Rabsacen dixit
ad populum Ezechiæ : Non vobis fiduciam IV *Reg.*
tribuat Ezechias super Domino, dicens : xviii, 30.
Eruens liberabit nos. *Et peperci nomini* 21
sancto meo, id est, a tanta injuria inho-
norationis atque blasphemiæ mei ipsius,
majestatem meam ostendi immunem ac
sanctam.

Idcirco dices domui Israel : Hæc dicit 22
Dominus : Non propter vos ego faciam, id
est, non ob vestram justitiam vos redi-
mam, *domus Israel, sed propter nomen*
sanctum meum, id est propter mei ipsius
gloriam et honorem. Hinc per Isaiam Do-
minus ait : Propter me ego faciam, ut non *Is.* xlviii,
blasphemer; et gloriam meam alteri non 11.
dabo. Denique Deus est omnium rerum
finis, et ipse propter se omnia operatur,
secundum illud Proverbiorum : Universa *Prov.* xvi,
propter se ipsum operatus est Dominus. 4.
Vel, Propter nomen meum, id est ex pro-
pria mea bonitate et pietate. *Et sanctifi-* 23
cabo, id est, sanctum et inviolabile decla-
rabo, *nomen meum magnum,* imo immen-
sum. Nomen enim nunc pro re nominata
accipitur. Sanctificat autem Deus se ipsum,
quando per actus æquitatis et pietatis, san-
ctitatem suam demonstrat. Sicque in filio-
rum Israel liberatione, reductione, justifi-
catione, ac gubernatione, sanctitatem suam
monstravit. *Ut sciant gentes quia ego Do-*
minus : quod expedit eis scire, dummodo
me sicut Deum glorificent, *quum sanctifi-*
catus fuero, id est, sanctus apparuero, *in*

vobis, id est in vestra liberatione et directione, *coram eis.*

24 *Tollam quippe vos de gentibus, et congregabo de universis terris.* Istud ad litteram exponitur de reductione Judæorum a Babylonica captivitate, et omnibus locis ac gentibus in quibus fuerunt dispersi, quando Cyrus rex Persarum dedit eis generalem ac plenam redeundi licentiam, ut legitur in Esdræ historia. Et per Isaiam Deus de Cyro loquens, prædixit : Ipse dimittet captivitatem meam. Verumtamen ista quæ subjunguntur, non sunt determinate referenda ad tempus præfatum populi Judæorum, pro tempore Cyri seu Esdræ atque Zorobabel; sed ab illo tempore incipit prophetia, et quæ sequuntur, ex tunc impleri cœperunt. In Christi autem adventu perfectius sunt impleta. *Et adducam vos in terram vestram,* scilicet in Judæam, per quam Ecclesia militans designatur.

I *Esdr.* I, 2-4.

Is. XLV, 13.

25 *Et effundam super vos aquam mundam,* id est undam Baptismatis. Loquitur autem Scriptura de toto populo, quasi de uno aliquo; sed diversa ad diversos de populo referuntur. Denique super Judæos a Babylone et aliis locis reversos, fudit Dominus aquam mundam, id est Spiritus Sancti irrigationem fluentaque gratiæ : de qua loquitur Isaias ad Dominum, Ros tuus, ros lucis; et iterum, Omnes sitientes, venite ad aquas. *Et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* In Baptismo enim omnia delentur peccata, juxta illud Apostoli ad Ephesios : Christus dilexit Ecclesiam, mundans illam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam. *Et ab universis idolis vestris mundabo vos,* idololatriæ vitia in Baptismate emundando. Hoc ad litteram de Judæis pro tempore primi adventus Christi, non videtur convenienter posse exponi, quia tunc idola contempserunt. Spiritualiter vero idola nostra sunt vana phantasmata, cogitationes inanes, et cetera ista caduca, quæ magis cogitamus, amamus et colimus, quam Creatorem. Judæi vero a Babylone reversi, de cetero idololatriam relinquebant. Præterea de effusione hujus aquæ et purgatione Baptismi, scriptum est in Zacharia : In die illo erit fons patens domui David et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris. Qualiter autem istud vere impletum sit tempore gratiæ, in Actibus plenius edocetur, ubi legitur Judæis compunctis Petrus dixisse : Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus Sancti.

Ibid. XXVI, 19.
Ibid. LV, 1.

Ephes. V, 25-27.

Zach. XIII, 1.

Act. II, 38.

Et dabo vobis cor novum, id est, spiritualiter innovatum ac reformatum per dona Spiritus Sancti : quibus vitiorum vetustas expellitur, et accedente ad animam Sole justitiæ, omnia reflorescunt in mente, quemadmodum materiali sole in zodiaco ad nos appropinquante, terræ nascentia renovantur. Hinc monet Apostolus : Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctificatione. *Et spiritum novum,* id est modo præfato innovatum, *ponam in medio vestri,* id est in interioribus singulorum. Potestque cor ad intellectum referri (de quo ait Salvator Apostolis, Adhuc cæcatum habetis cor vestrum?), spiritus autem ad voluntatem. Potest demum per spiritum novum intelligi Spiritus Sanctus, qui licet in se ipso æternus invariabilisque consistat, tamen quantum ad recipientes de novo, novus in eis vocatur. Unde orat Psalmista : Spiritum rectum innova in visceribus meis : quod secundum Damascenum, primo libro, de Spiritu Sancto accipitur. *Et auferam cor lapideum de carne vestra,* id est cordis obstinationem, duritiam atque proterviam. Cor enim durum male habebit in novissimo. *Et dabo vobis cor carneum,* id est pium, molle, amorosum, tenerum, docile, compunctum atque tractabile, ut sitis docibiles Dei, et facile recipiatis Spiritus Sancti impressionem. 26

Ephes. IV, 23, 24.

Marc. VIII, 17.

Ps. L, 12.

Eccli. III, 27.

Joann. VI, 45.

Et spiritum meum ponam in medio vestri, id est, Spiritus Sanctus cordium vestrorum erit habitator : sicut in Evangelio 27

Joann. xiv, 26. Christus promisit: Paracletus Spiritus Sa-
ctus, quem mittet Pater in nomine meo,
ille vos docebit omnia. *Et faciam* per
gratiæ infusionem, *ut in præceptis meis*
ambuletis, id est, per observantiam præ-
ceptorum ad patriam recto tendatis itine-
Cf. Ruth iv, 22; III Reg. xv, 4. re : sicut in Ruth libro legitur ambulasse
David coram Deo ; *et judicia mea,* id est
vera et recta judicia æquitatis, *custodiatis*
tenaci memoria, *et operemini,* id est, ea-
dem impleatis, quatenus recte judicetis in
omnibus, nec a judicii æquitate vita dis-
28 cordet. *Et habitabitis in terra quam dedi*
patribus vestris, id est in terra promissi-
onis Patriarchis collata, vel in Ecclesia,
quantum ad baptizatos ut tales ; *et eri-*
tis mihi in populum : id est, singularem
vestri habebo providentiam, de omnibus
ad salutem necessariis providendo, ita ut
Ps. cxlvii, 20. de vobis dicatur : Non fecit taliter omni
Ps. cxliii, 15. nationi ; et, Beatus populus cujus est Do-
minus Deus ejus ; *et ego ero vobis in*
Deum, id est, me super omnia amabitis et
coletis.

29 *Et vocabo frumentum, et multiplicabo*
illud, id est, de corporali spiritualique
alimento sufficientiam condonabo : ideo
subditur, *et non imponam in vos famem,*
id est necessariorum carentiam. Non tamen
esuriem sitimque justitiæ auferam vobis.
30 *Et multiplicabo fructum ligni,* id est ar-
borum fructus, et hominum opera bona,
fructumque sapientiæ, quæ Salomone te-
Prov. iii, 18. stante, est lignum vitæ omnibus appre-
hendentibus eam, *ut non portetis ultra*
opprobrium famis in gentibus, id est de-
Ps. xxxiii, 10. fectum in necessariis : quoniam nihil de-
est timentibus Deum. Qui autem hæc re-
ferunt ad reversos a Babylone Judæos,
frumentum, lignum et famem corporaliter
interpretantur : et tamen sicut in Esdra
I Esdr. v, 5. habetur, Judæi reversi pro tunc quando-
que in magna fuerunt inopia. Propter quod
Malach. iii, Malachias propheta : In penuria, inquit,
maledicti estis.

31 *Et recordabimini viarum vestrarum*
pessimarum, id est conversationis pravis-
simæ, *studiorumque non bonorum.* Hæc
A est recordatio salutaris, qua illuminati Spi-
ritu Sancto, pristina mala ad memoriam
revocamus salubriter pœnitendo, ut Deo
præcordialius regratiemur, nos ipsos pro-
fundius spernamus ac humiliemus, remis-
sionem quoque debitæ pœnæ sortiamur,
ac de cetero cautiores jugiter simus. *Et*
displicebunt vobis iniquitates vestræ et
scelera vestra : quæ tanto plus displicent
nobis, quanto Deum atque justitiam plus
amamus. Debent autem nobis displicere,
primo et maxime, quoniam divinæ san-
B ctitatis offensiva, divinæque majestatis in-
honorativa ; secundo, propter propriam
eorum deformitatem ; tertio, quoniam no-
bis nociva ; quarto, quia et proximorum
sunt scandalizativa ; quinto, eo quod dæ-
monem lætificaverunt.

Non propter vos ego faciam vobis tanta 32
bona, *ait Dominus Deus ; notum sit vobis.*
Itaque nil boni nostris viribus adscriba-
mus, non præsumamus, nec impie glorie-
mur, præsertim quum et nostra merita
Dei sunt dona, sed Domino semper regra-
C tiemur. *Confundimini* intus in anima, *et*
erubescite in exteriori confessione, *super*
viis vestris, id est de vestris peccatis, *do-*
mus Israel, imo et universi fideles. Hæc
est exhortatio salutaris. Quum enim eru-
bescentia sit fuga seu timor rei turpis,
quo peccata nostra enormiora fuerunt, eo
in conspectu Dei amplius verecundari de-
bemus casto pudore, quod coram ejus sa-
pientia tam immensa sanctitateque infi-
nita, tam inhoneste turpiterque egimus.

Hæc dicit Dominus Deus : In die qua 33
D *mundavero vos ex omnibus iniquitatibus*
vestris, secundum seriem jam præscri-
ptam, *et habitari fecero urbes, et instau-*
ravero ruinosa, et terra deserta fuerit ex- 34
culta. Si istud referatur ad reversos a
Babylone, intelligendum erit de habitatione
civitatum Judææ, et reædificatione habi-
taculorum ejus per Judæos a Chaldæis de-
structorum. Porro si ad Salvatoris referan-
tur adventum, per habitationem urbium
designatur mansio fidelium in particula-
ribus Christi Ecclesiis; per instaurationem

autem ruinosorum, reparatio peccatorum
35 ac reformatio morum. *Dicent : Terra illa,*
inclyta facta est ut hortus voluptatis, id
est, regio Judææ nuper vilificata ac de-
molita, nunc reparata abundat tot bonis,
quasi sit paradisus. Vel, Terra illa, id est
Ecclesia, inclyta facta est per excellentis-
sima beneficia Christi, quæ sunt spiritua-
les divitiæ et ornamenta fidelium, ut hortus
voluptatis ; *et civitates desertæ et destitu-*
tæ atque suffossæ, munitæ sederunt : quod
rursum intelligi potest tam de Judæorum
urbibus per Chaldæos destructis, et per
Judæos in pristinum vigorem reductis,
quam de fidelium collectionibus gentili-
umque consortiis, ad Dei gratiam post spi-
36 ritualem ruinam conversis. *Et scient* om-
nes *gentes, quæcumque derelictæ fuerint*
in circuitu vestro, quia ego Dominus ædi-
ficavi dissipata, plantavique inculta. Re-
paratio namque Judææ post reditum a
Babylone, innotuit gentibus Judææ vicinis.
Conversio autem ad fidem, et ædificatio
cordium per peccata fractorum, in esse
virtutum, cunctis in mundo est declarata.
37 *Hæc dicit Dominus Deus : Adhuc in*
hoc invenient me domus Israel, id est, per
beneficium quod mox subditur, bonitatem
et gratiam meam experientur : *Multipli-*
cabo eos sicut gregem hominum, id est,
non numero tantum augebo fideles, sed
virtute et gratia, ne sint velut jumenta,
38 sed ratione fungantur, *ut gregem sanctum,*
id est, sanctitatis gratiam eis infundam, *ut*
gregem Jerusalem in solennitatibus ejus,
id est, in maximo erunt numero, sicut
statutis diebus, in præcipuis Judæorum
festis innumerabiles in Jerusalem homi-
nes, tam Judæi quam extranei, conscende-
runt ad adorandum vel immolandum.

Expositio mystica. PRÆTEREA, juxta mysticum sensum, quæ
de montibus Israel dicta sunt, de particu-
laribus Christi Ecclesiis, ejusque personis
præcipuis, puta Apostolis ac viris perfe-
ctis, intelliguntur. Itaque montibus istis
2-7 loquitur Deus : *Eo quod dixerit inimicus,*
id est persecutor sive diabolus, *de vobis :*
A *Euge, altitudines sempiternæ,* id est, con-
gregationes ecclesiasticæ, vel eminentes in
populo christiano personæ, quantum ad
animam nunquam morituræ, et tandem
cum corpore resumpto semper victuræ ;
in hereditatem datæ sunt nobis, id est,
nostræ potestati omnino subjectæ sunt.
Hoc nempe frequenter præsumpserunt ty-
ranni asserere, qui Christianitatis cultum
nitebantur prorsus exstinguere. Quotidie
quoque nonnulli persecutores justorum,
gloriantur sibi subjici virtuosos : qui ni-
B tuntur opprimere spirituales. Sed et dia-
bolus habet fiduciam quod influat Jorda- *Job* XL, 18
nis in os ejus, dum et religiosos conatur
atque confidit seducere. Quoniam ergo
Christifideles devoti, tam superiores quam
inferiores, ista perpessi sunt, et super la-
bia detrahentium ascenderunt, facti op-
probrium impiorum ; ideo Deus in igne
zeli sui testatus est de adversariis electo-
rum, quod ipsi confusionem suam porta-
bunt, et quidquid molestiæ Dei famulis
intulerunt, graviter luent, juxta illud Psal-
C mi : Redde vicinis nostris septuplum in *Ps.* LXXVIII,
sinu eorum, improperium ipsorum quod 12.
exprobraverunt tibi, Domine. Hinc Salva-
tor in Evangelio fassus est : Dico vobis, *Luc.* XVIII,
quoniam cito faciet Deus vindictam ser- 8.
vorum suorum. Quibus in Apocalypsi re-
spondet : Ut requiescant tempus adhuc *Apoc.* VI, 11
modicum.

Vos autem, montes Israel nunc præfati, 8
ramos vestros germinetis, id est, virorem
virtutum proferte ; *et fructum vestrum*
afferatis populo meo Israel : id est, gregi
D vobis commisso, seu plebi communi Deum
fideliter intuenti, spirituales alimonias, sci-
licet aquam sapientiæ salutaris, panemque *Eccli.* XV, 3
vitæ et intellectus, et exemplarem in om-
nibus conversationem, proponite. *Et habi-* 10
tabuntur civitates, id est congregationes
devotæ, claustra atque collegia, in quibus
per gratiam Spiritus Sancti est fratrum
sancta concordia ; *et ruinosa instaurabun-*
tur, id est, lapsi in vitia, pœnitebunt, et
cautiores resurgent. Scimus enim quoniam *Rom.* VIII,
electis Dei omnia cooperantur in bonum. 28.

11 *Et replebo vos,* o montes et civitates Ec-
clesiæ, *hominibus et jumentis,* id est de-
votis tam idiotis quam eruditis. De quibus
s. xxxv, 7. cantamus : Homines et jumenta salvabis,
Domine. Unde et Isaias plenius loquitur :
s. xi, 6, 9. Habitabit, inquiens, lupus cum agno ; et
pardus cum hœdo accubabit ; vitulus, leo
et ovis simul morabuntur ; non occident,
neque nocebunt in omni monte sancto
meo. *Et habitare vos faciam sicut a prin-
cipio.* Sæpe enim renovavit et multiplica-
vit dona gratiæ in populo christiano, ita
quod antiqua primitivæ Ecclesiæ perfe-
ctio, reiterata apparuit. *Bonisque donabo
majoribus, quam ab initio habuistis.* Hoc
potissime ad primitivam Ecclesiam ex Ju-
dæis collectam refertur : quorum major
fuit in charismatibus Spiritus Sancti per-
fectio, utpote Apostolorum, quam Patriar-
charum ac Prophetarum. Denique in fi-
ne mundi Antichristo occiso, maxima erit
Christifidelium gratia : quæ, etsi Aposto-
lorum ac primitivæ Ecclesiæ gratiam non
excedet intensive et quantum ad habi-
tum, excessive tamen excedet, seu quan-
tum ad numerum, propter multitudinem
tunc crediturorum, quia et tunc tota plebs
Judaica convertetur, cujus in primo ad-
ventu Messiæ, pars comparative modica,
est conversa.
12 *Et adducam super vos,* o montes Ec-
clesiæ, *homines,* id est rationabiliter se
habentes, videlicet *populum meum Israel,*
illos videlicet de quibus ait Apostolus :
om. xi, 5. Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ fa-
ctæ sunt. Porro in fine sæculi generaliter
convertentur. Nunc quoque universi fide
et opere Christiani, super montes Ecclesiæ
adducuntur, dum in ecclesiastica manent
unitate, individua caritate, ac obedientiali
subjectione. *Et hereditate possidebunt te,*
id est, bonis Ecclesiæ, scilicet sacramentis
et gratiis ejus jugiter reficientur ; *et non
addes ultra,* o Ecclesia, *ut absque eis sis.*
Nunquam enim in toto deficiet populus
christianus ; et quamvis iniqui affirment
quod Ecclesia suum devoret populum per
excommunicationem vel alio modo, tamen
A ita non erit. Nam gentem tuam quæ vera-
citer christiana censetur, seu homines hu-
mane et pie viventes, non perdes. *Nec au-* 15
*ditam faciam in te amplius confusionem
gentium, et opprobrium populorum ne-
quaquam portabis.* Hoc fuit impletum,
quando persecutorum ac tyrannorum gen-
tilium cessavit ferocia, quando et Christi
Ecclesiæ pax est data.
Factum est verbum Domini ad me, di- 16
cens : Domus Israel, id est fideles, *habi-* 17
taverunt in humo sua, id est in militanti
B Ecclesia, christiana professione se intitu-
lantes, *et polluerunt eam in viis suis,* im-
pie conversando in ipsa. *Et effudi indi-* 18
gnationem meam super eos, tradendo eos
in manus Satanæ, aut visibilium hostium,
pro sanguine quem fuderunt, injuste cor-
pora occidendo, vel animas ad peccata tra-
hendo. *Dispersi eos in gentes, et ventilati* 19
sunt in terras : id est, gentilium impieta-
tibus facti sunt similes, atque a corpore
Christi abscisi instar palearum, per vitio-
rum abrupta vagati sunt.
C *Et ingressi sunt ad gentes,* id est, gen- 20
tiliter viventibus per vitæ conformitatem
conjuncti sunt, *et polluerunt nomen me-
um, quum diceretur de eis : Populus Do-
mini iste est, et de terra ejus egressi sunt.*
Hoc fit, dum religiosi seu clerici sæculari-
bus in vanitatibus sociantur, et in eorum
præsentia Deum sine pudore offendunt, ac
populum scandalizant, ita ut de eis cum
irrisione dicatur : Populus Domini iste est,
et de terra ejus, scilicet de Ecclesia, egres-
si sunt. Istud revera nunc merito dicitur,
D dum sacerdotes et clerici nec vita nec
habitu a sæcularibus disjunguntur. Imo
præ eis inanius ac sceleratius conversan-
tur, otio et gulæ ceterisque carnalitatibus
intendentes, ac per hoc ab arcta via sa-
lutis remotissime prorsus distantes. Ve-
rumtamen Deus ex sua pietate immensa
ob nominis sui honorem, vicissim dat istis
gratiam emendationis, et spiritualiter li-
berat eos de populo sæculari : ita ut popu-
lum istum ædificent, cui ante dederunt
occasionem multiplicem offendendi Domi-

num Deum, quod faciendo, nomen Dei inter alios polluerunt, secundum sensum præhabitum.

Nos ergo nomen Dei nostri semper sanctificare et magnificare conemur, nos ipsos ac proximos ad Dei cultum, laudem, et gloriam incessabiliter provocando. Quod ad aliorum rectores potissime pertinet. Idcirco Deum clementissimum totis deprecemur præcordiis, ut quotidie super nos A dignetur effundere aquam mundam fecundationis supernæ sapientiæque internæ ; mundetque nos ab omni inquinamento carnis ac spiritus, idolis quoque seu imaginibus mentis quietem ac puritatem turbantibus. Det insuper nobis cor carneum reformatum, ut iniquitatum nostrarum pœnitentialiter recordemur, atque de vitiorum nostrorum deformitate, coram Deo salubriter intra nos confundamur.

ARTICULUS XLIII

DECLARATIO CAPITULI TRICESIMI SEPTIMI : FACTA EST SUPER ME MANUS DOMINI.

Ab hoc loco usque in finem voluminis, B
magna est difficultas, et grandis valde
obscuritas. Porro principium hujus capituli,
quidam ad litteram exponunt de
resurrectione generali futura, præsertim
omnium electorum. Alii vero, sequentes
B. Hieronymum, exponunt de reductione
Judæorum a Babylonica captivitate in terram
Judææ. Quod autem expositio ista amplius
consonet litteræ, in textus expositione
patebit.
1 *Facta est super me manus Domini,* id
est gratia illustrationis divinæ atque pro- C
pheticæ, *et eduxit me in spiritu Domini,*
id est, de loco quo fui seu mansi, abstraxit
me per operationem Spiritus Sancti. Eductio
vero hæc non fuit corporalis, nec per
realem animæ a corpore separationem ;
sed secundum imaginariam apparitionem,
prophetalemque visionem, sicut superius
Ezech. VIII, 3. dictum est de translatione Ezechielis a
Chaldæa in Jerusalem. Omnium enim istorum
quæ nunc describuntur imaginariæ
similitudines, angelico ministerio formabantur
in interiori animæ sensu, seu vi D
imaginativa, et repræsentabantur eidem,
et etiam intellectui ad intuendum et cognoscendum.
*Et dimisit me in medio campi,
qui erat plenus ossibus* mortuorum. Sic
enim apparebat in visione, nec erat figmentum
aut fraus, quia divinitus aliud
verum et utile significabatur. *Et circum-* 2
duxit me per ea in gyro, ut omnia diligentius
considerarem. *Erant autem multa
valde super faciem campi, siccaque vehementer :*
sicut sunt ossa hominum diu
defunctorum. *Et dixit ad me : Fili ho-* 3
minis, putasne vivent ossa ista? id est, an
rursus vitali spiritu seu anima informabuntur?
Et dixi : Domine Deus, tu nosti ;
de quo scriptum est in Daniele : Deus Dan. XIII, 42.
æterne, qui absconditorum es cognitor,
qui nosti omnia antequam fiant.
Et dixit ad me : Vaticinare de ossibus 4
istis, et dices eis. Visio et allocutio ista
fuit interior, per alienationem animæ ab
exteriorum sensuum usu. *Ossa arida, audite
verbum Domini.* Qualiter autem inanimata
præcipiantur seu moneantur audire
verbum Domini, in præcedentis articuli
principio scriptum est. Potest quoque sic
accipi : Audite verbum Domini, id est, per
modum audientis, divino obedite imperio,
cui omnis obedit creatura. Etenim sicut
Deus vocat ea quæ non sunt tanquam sint,
sic inanimatis imperat, quemadmodum animatis.
Propter quod potentia obedientialis
creaturis innata asseritur. *Hæc dicit Do-* 5

minus Deus ossibus his : Ecce ego intro-
mittam in vos spiritum, id est animam
rationalem, *et vivetis* vita humana. Quo
6 autem modo et ordine fieret, subditur : *Et*
dabo super vos nervos, quorum nexibus
ossa colligantur in corpore, *et succrescere*
faciam super vos carnes, et superexten-
dam in vobis cutem, cujus pulchritudine
ac tenacitate nudarum carnium fœditas
operiatur, teneritudoque contineatur. *Et*
dabo vobis spiritum, et vivetis : sicut jam
dictum est ; *et scietis quia ego Dominus,*
id est, totum compositum ex carne, ossi-
bus et anima, me cognoscet.
7 *Et prophetavi sicut præceperat mihi.*
Factus est autem sonitus, prophetante me.
Nam Propheta hæc verba loquente, vide-
bantur ossa ad suas juncturas accedere, ex
quo accessu videbatur fieri sonus magnus.
Et ecce commotio, id est ossium ad ossa
accessus. *Et accesserunt ossa ad ossa, unum-*
8 *quodque ad juncturam suam. Et vidi, et*
ecce super ea nervi et carnes ascenderunt.
Nervi namque inter ossa carnesque me-
diant. *Et extenta est in eis cutis desuper.*
Et spiritum non habebant : adhuc enim
9 inanimata videbantur. *Et dixit ad me :*
Vaticinare ad spiritum, id est animam
rationalem ; *vaticinare, fili hominis, et*
dices ad spiritum. Ecce quam gratiose,
seriose, et familiariter locutus est Deus
beato huic Prophetæ. *A quatuor ventis,* id
est a quatuor terræ plagis seu partibus,
unde veniunt quatuor venti principales,
veni, spiritus vitalis, *et insuffla super in-*
terfectos istos, id est, mortuis istis corpo-
ribus vitam inspira. Denique etiam qui
naturali et propria morte discedunt, a Deo
dicuntur interfecti, ut patet tertio Regum
IReg. xvii, de filio viduæ ab Elia resuscitato. *Et revi-*
10 *viscant. Et prophetavi sicut præceperat*
mihi. Et ingressus est in ea spiritus, et
vixerunt ; steteruntque super pedes suos,
exercitus grandis nimis valde. Quod tunc
quidem imaginarie apparebat, sed in re-
surrectione finali realiter fiet : in quo Dei
omnipotentia commendatur.
Consequenter Dominus visionem hanc
A exponit Prophetæ. Intelligentia quippe est Dan. x, 1.
opus in visione. *Et dixit* Dominus *ad me :* 11
Fili hominis, ossa hæc universa, domus
Israel est, id est, filios Israel, et quid eis
eveniet, repræsentant et signant per ea
quæ ego circa hæc ossa exerceo. Ex quo
sequi videtur, quod visio ista non loqua-
tur de resurrectione futura communi. Sed
ad hoc alii dicunt, quod per domum Is-
rael omnes Sancti exprimuntur. Unde Apo-
stolus diversam esse resurrectionis ma-
neriem in Sanctis et reprobis innuens :
B Omnes (inquit) resurgemus, sed non omnes I Cor. xv, 51.
immutabimur. Verum huic responsioni re-
pugnare videtur quod subditur : *Ipsi di-*
cunt : Aruerunt ossa nostra, et periit spes
nostra. Electi enim et Sancti defuncti, ha-
bent spem certam resurgendi feliciter.
Quamvis interea non loquatur Propheta
de resurrectione communi, tamen ex ver-
bis his illa probatur futura : quia, ut ait
hoc loco Hieronymus, Nunquam poneretur
similitudo resurrectionis ad reductionem
Israelitici populi significandam, nisi ipsa
C resurrectio staret, essetque futura creden-
da. Igitur ad insinuandum quod filii Israel
reducendi essent a Chaldæa in propriam
terram, ponitur similitudo resurrectionis
generalis futuræ. Quasi implicite sic ar-
gueretur : Sicut videtur incredulum, quod
ossibus aridis vita præstetur, et tamen
divina virtute id fiet ; ita reductio Judæo-
rum a diversis captivitatis suæ latibulis
in propriam humum, apparet incredula
Dei omnipotentiam non pensanti, nihilo
minus Deo agente continget. Est itaque
D sensus : *Ipsi dicunt : Aruerunt ossa no-*
stra, id est, mortuis similes facti sumus,
et virtus nostra defecit, ut illud dicere
valeamus : Ossa mea sicut cremium aru- Ps. ci, 4.
erunt ; *et periit spes nostra* redeundi in
propriam regionem, *et abscisi sumus,* id
est irreparabiliter a loco natali ablati.
Propterea vaticinare et dices ad eos : 12
Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ape-
riam tumulos vestros, et educam vos de
sepulcris vestris, populus meus. Quoniam
captivitas est mors civilis, idcirco per re-

vivificationem mortuorum apte signatur A
a captivitate eductio sive redemptio. Loca
quoque captivitatis congruenter appellan-
tur sepulcra, sicut superius loca infernalia
Ezech. xxxii, 22, 24, etc. impiorum damnatorumque regum Ægypti,
et Assur, et Elam, etc., sepulcra vocata
sunt. Promittit igitur Deus Judæis in Ba-
bylonica captivitate detentis, quod tumu-
los eorum aperiet, id est, loca captivitatis
patula eis faciet ad redeundum in propria,
sicque de sepulcris captivitatis eos edu-
13 cet. *Et inducam vos in terram Israel. Et*
scietis quia ego Dominus, quum aperuero B
sepulcra vestra : secundum intellectum
14 præhabitum; *et dedero spiritum meum,* id
est consolationem, animum sive fiduciam,
et vixeritis, non solum naturali vita, sed
et civili. Vel, Vixeritis, id est, vigorem vitæ
resumpseritis. Unde formidolosi ac deso-
lati, quasi mortui perhibentur; consola-
tione autem recepta, reviviscere asserun-
tur, sicut in Genesi de Jacob habetur, quod
Gen. xlv, 27. revixit spiritus ejus, cognito quod adhuc
viveret filius ejus Joseph. *Et requiescere,*
id est quiete habitare, *vos faciam super* C
humum vestram, videlicet terram Judææ.
Præterea ex his quæ jam immediate sub-
duntur, probatur quod littera præinducta
loquatur de reductione populi Judæorum
in terram suam.
15 *Et factus est sermo Domini ad me,*
16 *dicens : Et tu, fili hominis, sume ti-*
bi lignum unum, et scribe super illud :
Judæ, et filiorum Israel sociorum ejus : id
est, in uno ligno scribe nomen Judæ, et
II Par. xi, 12, 13. Benjamin ac Levi : quæ duæ tribus adhæ-
serunt regno et populo Judæ, quando sub D
Roboam filio Salomonis decem tribus re-
III Reg. xii, 20. cesserunt a domo David, regem sibi con-
stituentes Jeroboam Ephratæum. Unde Sep-
tuaginta interpretum translatio clarior est
hoc loco, quæ talis est : Et tu, fili homi-
nis, assume tibi virgam unam, et scribe
super eam : Judam et filios Israel qui ap-
positi sunt ei. *Et tolle lignum alterum, et*
scribe super illud : Joseph lignum Ephra-
im : id est, lignum istud, in quo nomen
Joseph scribetur, est atque vocatur lignum
Ephraim : quoniam primus rex decem tri-
buum, nomine Jeroboam, erat de tribu III Reg. xi, 26.
Ephraim filii Joseph; *et cunctæ domus*
Israel, sociorumque ejus, id est, omnes
tribus Israel quæ socialiter adhæserunt re-
gno Jeroboam, describes in ligno secun-
do. *Et adjunge illa, unum ad alterum,* 17
tibi in lignum unum, id est duo hæc
ligna per contignationem copula, ut quasi
unum lignum appareant; *et erunt in uni-*
onem in manu tua, id est, in una manu
tenebis ea unita.
Quum autem dixerint ad te filii populi 18
tui, loquentes : Nonne indicas nobis quid in
his tibi velis, id est, quid per ista designes?
Noverant nempe Judæi, quod consuetudo
fuit Prophetis, nunc verbis, nunc rebus
seu factis aliqua prophetare, quemadmo-
dum jam ante sæpius dictum est. *Loqueris* 19
ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce
ego assumam lignum Joseph, quod est in
manu Ephraim, etc., id est, ligna ista seu
populos per ea signatos, per te coram eis
in manu tua conjungam, vel jungendos
ostendam. Unde expositionem Dominus cla-
rissime subdit :
Ecce ego assumam filios Israel de medio 21
nationum ad quas abierunt; et congrega-
bo eos undique, et adducam eos ad hu-
mum suam. Non enim solum populus re-
gni Juda, sed multi quoque de populo
decem tribuum, a locis captivitatum in
Judæam reducti fuerunt. *Et faciam eos* 22
gentem unam in terra in montibus Israel,
id est, unius regis populus erunt, *et rex*
unus erit omnibus imperans, scilicet Chri-
stus (sicut mox subditur); *et non erunt*
ultra duæ gentes, nec dividentur amplius
in duo regna, quemadmodum a tempore
Jeroboam usque Osee ultimum regem de-
cem tribuum. *Et salvos eos faciam de uni-* 23
versis sedibus, id est locis, *in quibus pecca-*
verunt, et emundabo eos a peccatis eorum;
et erunt mihi populus, et ego ero eis Deus.
Et servus meus David, id est Christus (ut 24
omnes exponunt), erit *rex super eos, et*
pastor unus erit omnium eorum, videlicet
Christus, qui loquitur : Ego sum pastor Joann. x, 11, 16.

bonus ; et fiet unum ovile et unus pastor. A
Jer. xxx, 9. Unde et in Jeremia scriptum est : Non
dominabuntur Jacob amplius alieni ; sed
servient Domino Deo suo et David regi
suo, quem suscitabo eis. Hoc est quod in
uc. i, 32, 3. Evangelio legitur : Dabit illi Dominus Deus
sedem David patris sui, et regnabit in domo
Jacob in æternum, et regni ejus non
erit finis. *In judiciis meis ambulabunt, et
mandata mea custodient,* id est, evangelicæ
legis testimoniis atque mandatis obtemperabunt.

25 *Et habitabunt super terram quam dedi* B
servo meo Jacob, id est in terra promissionis;
*et habitabunt super eam ipsi et filii eorum,
et filii filiorum eorum usque in sempiternum.*
Quod in Scripturis per sempiternum,
frequenter intelligatur duratio multum
longa, non autem simpliciter sine fine duratura,
Ezech. xvi, 14; xvii, 36. jam supra dictum est plenius, ubi
hic ipse Propheta de Tyro prædixit, quod
non reædificaretur in sempiternum. Iterum
certum est, quod habitatio in terra Judææ
non potest absolute intelligi sempiterna,
quum ex Scripturis utriusque Testamenti C
evidenter probetur hic mundus inferior,
cursusque sæculi in generatione et corruptione,
esse finiendus; itemque resurrectio
. xxvi, 19; an. xii, 2; b xix, 25. generalis futura, de qua in Isaia, Daniele
et Job, aliisque Scripturis multa contenta
sunt. Ideo promissiones hic positæ, partim
spiritualiter intelligendæ sunt, et in primo
Christi adventu impletæ noscuntur : quia
ex omnibus tribubus Israel multi crediderunt
in Christum, qui in ipso facti sunt
unus populus, unumque regnum. Unde Jacobus
cob. i, 1. apostolus in sua Canonica scribit duodecim D
tribubus, utique Christianis, qui omnes
per fidem et caritatem in ecclesiastica
unitate collecti sunt; et usque in finem
mundi habitant in Christi Ecclesia universi
qui credunt. Multo etiam tempore conversi
ad Christum Judæi, in terra Israel
habitaverunt. Quidam autem doctores per
terram istam intelligunt patriam Beatorum,
quæ est terra regioque viventium :
quæ fuit sanctis Patriarchis principaliter
atque finaliter repromissa, quemadmodum
ad Hebræos docet Apostolus, quod Abraham Hebr. xi, 10.
exspectavit manentem civitatem, cujus artifex
et conditor Deus. *Et David servus
meus princeps eorum in perpetuum.* Christus
namque per fidem regnat in cordibus
fidelium, in Ecclesia militanti inchoative;
deinde regnat in eis per beatificam visionem
in Ecclesia triumphanti consummative
in sempiternum. Ideo Isaias prædixit :
Super solium David, et super regnum ejus Is. ix, 7.
sedebit, ut confirmet illud, et corroboret
in judicio et justitia, amodo et usque in
sempiternum.

Et percutiam eis fœdus pacis : quod in 26
Evangelio proponitur, atque in patria perpetuatur.
Vel fœdus pacis, est novum Testamentum,
sicut in præcedentibus plenius
dictum est. Hinc dixit Salvator discipulis,
iturus ad Patrem : Pacem relinquo vobis, Joann. xiv, 27.
pacem meam do vobis. *Pactum sempiternum
erit eis.* Istud enim fœdus seu pactum
perpetuum, est quod in via inchoatur, atque
in patria consummatur. *Et fundabo
eos,* id est, in Ecclesia eos stabiliam, et
corda eorum roborabo per gratiam. Optimum Hebr. xiii, 9.
enim est gratia stabiliri cor. *Et multiplicabo*
eos numero et merito, præsertim
per spiritualem generationem, quæ est iniquorum
conversio. De qua ait Apostolus :
In Christo Jesu per Evangelium ego vos I Cor. iv, 15.
genui. *Et dabo sanctificationem meam,* id
est gratiam sanctificationis, ac dona Spiritus
Sancti, *in medio eorum,* id est in cordibus
universorum, *in perpetuum. Et erit* 27
tabernaculum meum in eis, id est, habitatio
mea erit in corde ipsorum, nunc quidem
per fidem et gratiam, in futuro autem
per speciem. Imo et ipsi tabernaculum
meum erunt. Templum enim Dei sanctum Ibid. iii, 17.
est, dicit Apostolus, quod estis vos. Propterea
in Apocalypsi inducitur : Ecce tabernaculum Apoc. xxi, 3.
Dei cum hominibus, et habitabit
cum eis. *Et ero eis Deus,* id est, devote
me colent, *et ipsi erunt mihi populus,* id
est, in omnibus regam et dirigam eos. *Et* 28
scient gentes ad fidem conversæ, *quia ego
Dominus sanctificator Israel,* id est electorum
Judæorum, præsertim primitivæ Ec-

clesiæ : cujus fuit Deus sanctificator per
eminentiam gratiæ, quippe quæ primitias
Rom. VIII, 23. Spiritus Sancti accepit; *quum fuerit san-
ctificatio mea in medio eorum,* videlicet
electorum Israelitarum, *in perpetuum,* id
est indesinenter. Hæc namque sanctificatio
in via incipitur, in patria vero perficitur.

Expositio mystica. POSTREMO juxta mysticam interpretatio-
nem, per apertionem tumulorum, et edu-
ctionem Judæorum ex eis, inductionemque
ipsorum in terram suam, intelligenda est
illuminatio peccatorum, per quam de se-
pulcris vitiorum eruuntur, atque ad eccle-
siasticam unitatem per caritatis coagulum
reducuntur. Tumuli etenim animarum,
sunt habitus vitiosi et consuetudines pra-
væ, potissime autem obstinatio in peccato.
De quibus sepulcris fertur in Psalmo :
Ps. LXVIII, 15, 16. Eripe me de luto ut non infigar; non me
demergat tempestas aquæ, neque absor-
beat me profundum, neque urgeat super
16 me puteus os suum. — Insuper, per duo
ligna præmemorata, intelligi possunt duo
populi in Christo adunati, unaque plebs
facti, videlicet electi Judæi atque conversa
gentilitas : de quibus scribit Apostolus,
Ephes. II, 14. quod Christus est pax nostra, qui fecit
utraque unum. De quibus in Zacharia ha-
Zach. VI, 13. betur : Consilium pacis erit inter duos il-
los. Itaque per regnum Juda, intelliguntur
omnes reliquiæ Israel in Christum creden-
tes; per regnum autem decem tribuum,
quæ statim a tempore separationis suæ de
domo David, cœperunt idola colere, intel-
liguntur gentiles conversi, olim idolorum
ministri.

Porro et id quod in principio hujus ca-
pituli de ossibus aridis dictum est, mo-
ralizari potest : per ossa hæc arida plura
valde ac siccissima, intelligendo omnes
peccatores in vitiis habituatos, in quibus
nihil est vitalis humoris gratiarum Spiri-
tus Sancti. Ossa hæc jacent in peccatis suis
prostrata, instar lapidum ad ea quæ Dei
Ephes. VI, 17. sunt, dura; ita ut vomere, seu gladio spiri-
tuali, qui est verbum Dei, nequeant scindi
super faciem campi, id est latitudinem or-
A bis terrarum, qui plenus est talibus. Fit 1
autem manus Domini super Ezechielem,
quæ eum dimittit in campo hoc, circum- 2
ducitque per gyrum ossium, dum homo
spiritualis divinitus illustratur, ad consi-
derandum duritiam impiorum, per latam
mundi viam pergentium, qui nec per be-
neficia nec adversa convertuntur. Dicit
præterea Deus homini spirituali : *Putasne* 3
vivent ossa ista? Difficile nempe apparet,
ut tales ad Dominum convertantur, quum
majus miraculum sit justificatio impii,
B quam creatio mundi. Sed quoniam apud
Deum omnipotentem omnia æque facilia
sunt, jubet Dominus ut homo spiritualis
peccatoribus istis veniæ spem promittat,
et dicat : *Ossa arida, audite verbum Do-* 4
mini. Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego 5
intromittam in vos spiritum, id est dona
Spiritus Sancti, *et vivetis* per gratiam, ita
quod vita vestra erit Deo accepta, æternæ-
que vitæ meritoria. *Et dabo super vos ner-* 6
vos, id est caritatis connexiones, *et succre-
scere faciam super vos carnes,* id est operum
C bonorum pinguedines, *et superextendam
in vobis cutem,* id est in exterioribus debi-
tam honestatem, vel operum virtuosorum
decorem ac firmitatem.

Factus est autem sonitus, prophetante 7
me : quia frequenter dum impii verba
prædicantium audiunt, Spiritus Sanctus
corda eorum ad compunctionem ac fletum
inducit. *Et accesserunt ossa ad ossa, unum-
quodque ad juncturam suam.* Hoc fit, dum
isti qui erant per odia ceteraque peccata
ab invicem separati, amoris sancti vinculo
D connectuntur, atque in formam unius my-
stici corporis Christi compaginantur seu
rediguntur, ita quod quilibet id quod sui
exstat officii, ordinate exercet, unusque
alteri per caritatem deservit, quemadmo-
dum apostolus Paulus in suis ubertim do-
cet epistolis. Venit insuper spiritus a qua-
tuor ventis, qui insufflat super istos, olim
per peccata mortalia interfectos : dum
Spiritus Sanctus, qui totum universum
implet, nec clauditur, undique pietatis
suæ dona effundit, dispergit, multiplicat.

10 Ingresso ergo in istos Spiritu Sancto, *steterunt super pedes suos,* id est in virtutibus erecti, atque ad Deum recta intentione contemplationisque acie elevati : ita ut di-
xxxix,3. cere possint, Statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos; *exercitus grandis nimis valde,* de quo in Apocaly- A psi scribit B. Joannes : Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus stantes ante thronum. Apoc. vii, 9.
Ipsi etenim cum fiducia accedunt quotidie ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequantur, gratiamque inveniant in auxilio opportuno. Hebr. iv, 16.

ARTICULUS XLIV

EXPOSITIO CAPITULI TRICESIMI OCTAVI : ET FACTUS EST SERMO DOMINI.

PAULATIM ac pedetentim ad difficiliora est iter. Nunc enim vaticinia con-
1 tra Gog et Magog texuntur. *Et factus est*
2 *sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis, pone faciem tuam contra Gog et terram Magog, principem capitis Mosoch et Thubal,* etc.

Quemadmodum refert hoc loco Hieronymus, Judæi et judaizantes putant Gog gentes esse Scythicas, innumerabiles et immanes, quæ trans Caucasum montem ad Indiam usque tendantur : quas dicunt Judæi tempore regis Messiæ, quem putant C venturum, ingressuras Judæam, ad pugnandum contra Jerusalem, adjunctis sibi multis ac variis gentibus, quæ infra nominantur in præsenti capitulo : quas omnes asserunt tunc a rege Messia ejusque populo occidendas. Hæc autem opinio falso innititur fundamento, puta quod Christus nondum advenerit. Alii æstimant per Gog et Magog, intelligendas esse decem tribus ultra montes Caspios clausas : quas dicunt cum Antichristo, quem pro Christo recipient, venturas contra Jerusalem, et expu- D gnaturas Ecclesiam. Alii, secundum quod libro vicesimo de Civitate Dei recitat Augustinus, affirmant, Gog et Magog esse Getas et Massagetas : quod ibidem reprobat Augustinus. Porro nonnulli per Gog intelligunt Antichristum, per Magog, ejus exercitum. Verum de hac re multum proba- B biliter loquitur Augustinus loco prætacto, introducitque verba Joannis in Apocalypsi. Sic namque inter cetera ibidem scribit Joannes : Quum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, et exibit, et seducet gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog et Magog, et congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris; et ascenderunt super latitudinem terræ, et circuierunt castra sanctorum et civitatem dilectam; et descendit ignis de cœlo, et devoravit eos. Apoc. xx, 7-9.

Circa hoc loquitur Augustinus : Ad hoc diabolus tunc gentes istas seducet, ut in hoc eas bellum trahat. Hæc enim erit novissima persecutio, novissimo imminente judicio, quam sancta Ecclesia toto terrarum orbe patietur, universa videlicet civitas Christi, ab universa civitate diaboli. Gentes quippe istæ, quas appellat Gog et Magog, non sic sunt accipiendæ, quasi sint aliqui in aliqua parte terrarum barbari constituti. Toto namque orbe terrarum significati sunt esse, quum dicitur, Gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ; easque subjecit esse Gog et Magog. Quorum interpretationem nominum esse comperimus, Gog, tectum; Magog, de tecto : tanquam domus, et ipse qui procedit de domo. Gentes ergo sunt, in quibus diabolus fuit inclusus; et ipse, de illis se efferens ac procedens : ut

ipsæ gentes sint tectum, diabolus de tecto. A Si autem utrumque referamus ad gentes, tunc eædem gentes sunt tectum seu Gog, quia in eis nunc includitur et quasi tegitur hostis antiquus; et ipsæ de tecto seu Magog erunt, quando in apertum odium et persecutionem erumpent. Quod autem ait, Et ascenderunt super latitudinem terræ, et circuierunt castra sanctorum et civitatem dilectam : non ad unum locum venturi significati sunt, quasi uno aliquo loco futura sint castra sanctorum et dilecta civitas, quæ sunt Ecclesia Christi. Ideo sicut B illa toto erit orbe terrarum, ita ubique persecutionis illius immanitate cingetur, hoc est, inter angustias tribulationis arctabitur, urgebitur, concludetur. Nec militiam suam deseret, quæ vocabulo est appellata castrorum. Hæc Augustinus.

Præterea constat, quod per Gog intelliguntur hypocritæ, simulatores et callidi, qui Ecclesiam persequuntur occulte ; per Magog, qui persequuntur eam manifeste. Postremo Hieronymus in totius hujus atque sequentis expositione capituli, Gog et C Magog refert ad hæreticos, ita quod per Gog, intelliguntur principes hæreticorum ; per Magog, sequaces. Unde ait : Omnis superbia et falsi nominis scientia, quæ se erigit contra notitiam veritatis, his nominibus demonstratur. Denique, secundum B. Hieronymum, quæ in isto et sequenti scribuntur capitulo, a principio Ecclesiæ impleri cœperunt, persequentibus Christianos hæreticis. Verumtamen expositio sancti Hieronymi videtur spiritualis valde ac mystica, ut eam intuentibus elucescit. D Alii quoque expositores ista communiter exponunt pro tempore Antichristi, sicut et *Apoc.* xx, 7-9. Augustinus, et ipse Joannes in Apocalypsi insinuat.

Præterea, quamvis in præinductorum doctorum expositionibus de Gog et Magog, magna videatur diversitas, non tamen est magna, et pro majori parte, quæ dicunt in idem redire probantur. Qui enim per Gog et Magog intelligunt decem tribus, concurrunt in idem cum his qui per Gog et Magog intelligunt, vel exercitum Antichristi, cujus decem tribus pars erunt (Judæi enim in principio familiariter cohærebunt Antichristo, quousque per Eliam ejus falsitas detegatur), vel Antichristum et ejus exercitum. Itaque, quod ex omnibus præmemoratis modis loquendi de Gog et Magog rationabilius colligi posse videtur, eligam, prosequar, et exponam, quantum paracletus Spiritus veritatis donaverit. Quoniam ergo Ezechiel sanctus, hoc loco in principio hujus capituli, et subsequentibus loquitur de Gog, quasi de una quadam persona, appellans eum principem capitis Mosoch ; infraque ait, Cades tu et omnia agmina tua : hinc per Gog, Antichristum intelligendum opinor ; per Magog vero, universos ejus ministros, fautores, et adjutores, inter quos erunt et invisibiles hostes : qui tamen in istis capitulis per Magog designati non sunt, sicut ex his quæ de congressu, morte et sepultura Magog statim dicentur, ostenditur. Dei igitur clementissimi illuminatione præoptata et expetita, ad expositionem nunc accedendum.

Fili hominis, pone faciem tuam contra 2
Gog, id est, vultu minaci et facie obfirmata loquere contra Antichristum, ut ex vultus tui dispositione detur intelligi, comminationibus plena esse quæ subsequuntur, *et terram Magog,* id est populum atque exercitum Antichristi. Qui populus est quasi de tecto, ac domo sive familia ejus qui tectum sive Gog nominatur, tanquam operimentum vel tegumentum diaboli, qui Antichristum potissime inhabitabit. Porro quod sequitur, *principem capitis Mosoch,* non est referendum ad id quod immediate præcessit, scilicet terram Magog, sed ad Gog. Nam paulo post additur : *Ecce ego ad te, Gog, principem capitis Mosoch.* Jubetur igitur facies dirigi contra Gog principem capitis, id est regis Mosoch, id est Cappadociæ secundum Josephum, *et Thubal,* id est Iberiæ vel Hispaniæ, secundum eumdem. Horum enim reges et capitanei Antichristo erunt subjecti, cum aliis multis

qui infra exprimuntur. *Et vaticinare de* A
eo, puta de Gog.
3 *Et dices ad eum : Ecce ego* Deus omni-
potens *ad te,* id est, contra te ut judex et
ultor intendo, o *Gog, principem capitis*
4 *Mosoch et Thubal. Et circumagam,* id est,
pervagari undique sinam *te* ad persequen-
dum fideles, *et ponam frenum in maxil-
lis tuis,* id est, domabo te, et sævitiam tu-
am frenabo, ita quod non aliter vel alibi
curres, quam ego permisero, sicut freno
circumducitur equus ad nutum sessoris;
et educam te de propriis locis sive latibu- B
lis, *et omnem exercitum tuum, equos et
equites vestitos loricis, multitudinem ma-
gnam, hastam et clypeum arripientium et*
5 *gladium. Persæ, Æthiopes et Libyes cum
eis, omnes scutati et galeati,* id est scutis
6 et galeis armati. *Gomer,* id est princeps
vel populus sic vocatus, *et universa agmi-
na ejus, domus Thogorma,* id est gens ita
vocata, *latera aquilonis,* id est illic habi-
tantes seu habitaturi, *et totum robur ejus,*
id est fortitudo aquilonarium populorum,
7 *populique multi tecum* erunt, o Gog. *Præ-* C
para et instrue, id est, armando dispone,
*te et omnem multitudinem tuam, quæ co-
acervata est ad te.* De qua ad Thessaloni-
censes scribit Apostolus : Mittet illis Deus (Thess. II, 11.)
operationem erroris, ut credant mendacio,
ut judicentur omnes qui non crediderunt
veritati, sed consenserunt iniquitati; qui
pereunt, eo quod caritatem veritatis non
receperunt ut salvi fierent. *Et esto eis in
præceptum,* id est, tam prompte obedient
tibi, ut non solum in præceptorem, sed
et in præceptum eis futurus dicaris. Istud D
totum, videlicet, Præpara et instrue, etc.,
ironice dicitur, quasi dicatur, Frustra hæc
facies; vel prænuntiative, ut sit sensus,
Præparabis et instrues te, etc.
8 *Post dies multos visitaberis,* id est, pu-
nieris et occideris. Qui dies in Apocalypsi (Apoc. XI, 2; ..., 6, 14; Dan. VII, 25; ..., 7.)
et Daniele determinantur. Tribus namque
annis et medio durabit persecutio Anti-
christi. Et licet dies isti sint pauci, Chri-
stianis tamen atrocissimam persecutionis
patientibus rabiem, multi ac longi vide-
buntur. Propter quod ait Salvator : Nisi (Matth. XXIV, 22.)
breviati essent dies illi, non fieret salva
omnis caro. *In novissimo annorum,* id est
circa terminum mundi, *venies ad terram
quæ reversa est a gladio,* id est contra Ec-
clesiam diversis tribulationibus persecu-
torum afflictam, sed a Deo auxiliante ab
omnibus liberatam; *et congregata est de
populis multis,* id est ex omnibus mundi
gentibus adunata : ex omni etenim homi-
num natione ac genere aliqui crediderunt
in Christum. Potest quoque per terram is-
tam Judæa intelligi, quæ ab Assyriorum,
Chaldæorum, aliarumque gentium erepta
est gladio : quæ et de populis multis dici-
tur congregata, eo quod habitatores ejus
Judæi, ibi a captivitatum provinciis sint
collecti. Unde subjungitur, *ad montes Isra-
el.* Quamvis enim satellites Antichristi per
omnia mundi loca discurrent prædican-
do, seducendo, et persequendo, ipse tamen
faciem suam potissime diriget versus Jeru-
salem et Judæam montibus abundantem.
Qui fuerunt deserti jugiter, id est diu at-
que frequenter. Sæpissime enim vastata
fuit Judæa, ut patet in libris Judicum, Re-
gum, et Machabæorum; et nunc usque
permanet desolata, Sarracenis eam haben-
tibus. *Hæc* Judæa, seu plebs Judaica vel
Ecclesia, *de populis educta est,* id est ab
aliis separata, vel in regionem Judææ re-
ducta. Nam ante Antichristi adventum ob-
tinebunt (ut creditur) Christiani Judæam,
et pacifice incolent eam. Ideo subditur : *et
habitaverunt* in ea confidenter universi.* (* habitabunt)
Ascendens autem quasi tempestas venies, 9
id est impetuose cum grandi caterva, *et
quasi nubes, ut operias terram* Christia-
norum, præsertim Judæam, *tu et omnia
agmina tua, et populi multi tecum.* Anti-
christus enim quosdam sibi alliciet simu-
lata sanctitate, quosdam miraculorum ope-
ratione, quosdam muneribus, quosdam
pœnis ac minis.
Hæc dicit Dominus : In die illa ascen- 10
dent sermones super cor tuum, id est, verba
mentalia intra te proferes plena blasphe-
miis, *et cogitabis cogitationem pessimam,*

11 *et dices : Ascendam ad terram absque mu-* A
ro, id est auxilio destitutam. *Veniam ad*
quiescentes, habitantesque secure. Antichri-
stus enim primo quasi improvise ac su-
bito prorumpet in medium, et incredibili
severitate ac celeritate invalescet. *Omnes*
hi ad quos ascendo, *habitant sine muro,*
id est, munitionibus carent, atque a me ita
faciliter, quasi muris carerent, superabun-
tur; *vectes et portæ non sunt eis,* id est,
humanis privantur subsidiis. Et forte mul-
ti fidelium ad litteram in habitaculis com-
manebunt, quæ nec muros, nec vectes, nec B
portas habebunt : quos Antichristus deji-
12 ciet. Hæc itaque dices, *ut diripias spolia,*
et invadas prædam, Christianos spoliando,
ut inferas manum tuam super eos qui
deserti fuerunt, et postea restituti, id est,
Christianis manum violentam injicias, qui
ad longum tempus persecutionibus fue-
runt expositi, et postea ad pacem reducti,
vel qui a Terra sancta diu fuerunt repulsi,
et post in eam adducti, *et super populum*
qui est congregatus ex gentibus, et, pro id
est : populus enim Christianus ex gentibus C
electis est congregatus, atque a gentibus
reprobis separatus merito et virtute, et in-
super quantum ad plurimos, etiam loco;
qui possidere cœpit et esse habitator umbi-
lici terræ, id est Judææ in medio terræ
habitabilis sitæ.
13 *Saba et Dedan et negotiatores Tharsis,*
et omnes leones, id est principes, *ejus di-*
cent tibi : Numquid ad sumenda spolia
tu venis? Istud dupliciter potest intelligi :
Primo, de gentibus ab Antichristo aversis
atque fidelibus, quæ ista increpatorie di- D
cunt ad Antichristum; secundo, de genti-
bus ei faventibus, quæ ista dicent ad eum
congratulando ac adulando. Similem sen-
sum habet quod subditur : *Ecce ad diri-*
piendam prædam congregasti multitudi-
nem tuam, ut tollas argentum et aurum, et
auferas supellectilem atque substantiam,
et diripias manubias infinitas, id est, om-
nes Christianorum opes in tuam redigas
potestatem.
14 *Propterea vaticinare, fili hominis, et*
dices ad Gog : Hæc dicit Dominus Deus :
Numquid non in die, id est tempore, *isto*
quum habitaverit populus meus Israel, id
est electi Judæi et ceteri Christiani Deum
per fidem videntes, *confidenter* in terra
promissionis et ceteris Ecclesiæ locis, *scies*
eos taliter habitare? *Et venies de loco tuo* 15
a lateribus aquilonis, tu et populi mul-
ti tecum. Et ascendes super populum me- 16
um Israel, scilicet Christifideles, qui sunt
veri Israelitæ atque Judæi spiritu et virtu-
te, non carne, *quasi nubes, ut operias ter-* *Rom.* ix,
ram. Istud jam dictum est atque exposi- vers. 9
tum. *In novissimis diebus eris,* instante
de proximo fine mundi. *Et adducam te,*
saltem permissive, *super terram meam* Ju-
dæam, in qua Christus operatus est mundi
salutem; *ut sciant gentes meæ* meam po-
tentiam, justitiam, veritatem, tuam quo-
que fallaciam, *quum sanctificatus fuero*
in te, id est, in tua occisione justus ac
sanctus apparuero, *in oculis eorum,* id est
evidenter, ita ut eis tua ad sensum punitio
pateat, *o Gog.*
Hæc dicit Dominus Deus : Tu ergo ille 17
es, de quo locutus sum in diebus antiquis
in manu, id est per ministerium, *servo-*
rum meorum Prophetarum Israel. Sancti
namque Prophetæ, Psalmista, Isaias, Jere-
mias, et maxime Daniel, plura de Antichri-
sto locuti sunt. *Ut adducerem te super eos,*
videlicet populum meum. *Et erit in die* 18
illa adventus Gog super terram Israel, ait
Dominus Deus : Ascendet indignatio mea
in furore meo, et in zelo meo contra Anti- 19
christum et ejus exercitum, quia pro ele-
ctis meis secundum æquitatis rigorem pu-
gnabo. *In igne iræ meæ,* id est districtione
justitiæ, [*locutus sum,*] *quia in die illa erit*
commotio magna super terram Israel. Erit
enim tunc tribulatio, qualis non fuit a
principio mundi : quia tot modis seducet
Antichristus fideles, ut in errorem ducan- *Matth.*
tur, si fieri potest, etiam electi, quemad- xxiv, 24.
modum in Matthæo prædictum est. Unde
in Daniele legitur : Veniet tempus, quale *Dan.* xii.
non fuit ex eo, ex quo gentes esse cœpe-
runt usque ad tempus illud.

20 *Et commovebuntur a facie mea,* id est,
me permittente turbabuntur, *pisces maris,
et volucres cœli, et bestiæ agri, et omne
reptile quod movetur super humum, cun-
ctique homines qui sunt super faciem ter-
ræ,* id est universi in Ecclesia exsistentes :
qui propter proprietates diversas præfatis
nominibus designantur. Possunt autem hæc
nomina interpretari tam in bono quam in
malo : ut pisces maris dicantur vel volu-
ptuosi, qui sunt in aquis deliciarum, vel
laboriosi, qui sunt in fluctibus adversi-
tatum ; similiter volucres cœli, contem-
plativi, per considerationem sublimium et
amorem cœlestium, vel superbi, per ex-
cellentiæ appetitum ; bestiæ quoque agri,
vel cupidi et terreni, vel simplices et in-
docti ; reptilia autem, qui in imis versan-
tur ; homines vero, qui rationabiliter et
humane se habent. Isti diversimode turba-
buntur. Aliqui enim in fide nutabunt et
cadent ; alii vacillabunt, nec tamen defi-
cient. Nihilo minus aliqui etiam magnæ
æstimationis ac dignitatis vincentur : de
quibus annectitur :

Et subvertentur montes, id est majores,
videlicet quidam prælati ac principes, *et
cadent sepes,* id est prælati minores et pa-
stores, quorum est alios custodire, quem-
admodum sepes muniunt hortum. De ta-
.LVIII,12. libus sepibus loquitur Isaias : Vocaberis
ædificator sepium. *Et omnis murus cor-
ruet in terram.* Murus quandoque in Scri-
pturis in malo accipitur, sicut in Psalmo,
s. XVII,30. In Deo meo transgrediar murum ; quando-
zech. XIII, que in bono, ut supra, Non opposuistis vos
murum pro domo Israel. Sponsa quoque
Cant. VIII, in Canticis ait : Ego murus. Muri ergo in
malo accepti, sunt qui a Deo avertunt, et
omne obstaculum boni inferunt. Isti tunc
prorsus succumbent. Muri vero in bono
accepti, sunt qui alios fulciunt, et in bonis

A stabiliti apparent : quorum nonnulli tunc
cadent. *Et convocabo adversus eum in* 21
cunctis montibus meis gladium : quia in
montibus seu locis Judææ montanis, divi-
na virtute ministri Antichristi pro magna
parte dejicientur. *Gladius uniuscujusque
in fratrem suum dirigetur.* Hoc quidam
exponunt, quod Antichristo occiso, inter
residuos sui exercitus erit dissensio atque
invasio. Vel dici potest, quod adhæren-
tes Antichristo, impugnabunt quoscumque
proximos suos in Christi fide constantes.

B *Et* tunc *judicabo,* id est, ad mortem 22
damnabo, *eum,* id est exercitum Antichri-
sti, *peste et sanguine et imbre vehementi,*
id est, quosdam de ejus ministris occidam
pestilentia, quosdam gladio, quosdam tem-
pestatibus elementorum, *et lapidibus im-
mensis,* id est valde atque insolito mo-
do magnis : forsitan grandinis, secundum
quod in Josue libro legitur factum Chana- *Josue* X,11.
næis. *Ignem et sulfur pluam super eum,
et super exercitum ejus, et,* pro id est, *su-
per populos multos qui sunt cum eo.* Pro-
C pter quod multi dicunt, Antichristum cum
magna parte sui exercitus fulminandum.
Et magnificabor et sanctificabor, id est, 23
magnus, imo omnipotens ac immensus ap-
parebo et sanctus ; *et notus ero in ocu-
lis multarum gentium,* id est in cordibus
hominum, qui post Antichristi punitio-
nem convertentur ad fidem, vel stabilien-
tur in ea ; *et scient quia ego Dominus* per
evidentissimos præcipuosque potestatis ac
æquitatis meæ effectus.

De tropologia pertranseo, quum in præ-
D habitis sæpius dictum sit, quod nunc di-
cendum occurreret. Hoc autem sciendum,
quod expositio hæc litteralis, non videtur
in aliquibus passibus certitudinem ma-
gnam habere. Consonat tamen dictis ca-
tholicorum doctorum quorumdam.

ARTICULUS XLV

DECLARATIO CAPITULI TRICESIMI NONI : TU AUTEM, FILI HOMINIS, VATICINARE.

PRÆSENS capitulum præcedenti est
condependens, atque in multis cum
ipso coincidens. Unde in ipso, sicut in præ-
cedenti, litteralem, quantum decenter fieri
1 posse videtur, prosequar sensum. *Tu au-
tem, fili hominis, vaticinare adversus Gog,
et dices : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce
ego super te, Gog, principem capitis Mo-
2 soch et Thubal. Et circumagam te.* Totum
Ezech. istud in principio præcedentis capituli di-
xxxviii, 2-4. ctum atque expositum est. *Et seducam,* id
est, a diabolo et propria tua superbia se-
duci permittam, *te,* o Antichriste. *Et as-
cendere te faciam de lateribus aquilonis,
et adducam te super montes Israel.* Istud
Ibid. 15, 16. quoque præcedenti capitulo exstat eluci-
3 datum. *Et percutiam arcum tuum in ma-
nu sinistra tua, et sagittas tuas de manu
dextera tua dejiciam.* Hoc ad litteram ac-
cipi potest de fraudulentis machinationi-
bus et impiis dolis, callidissimisque viis,
quibus Antichristus mundum decipiet. De
Ps. x, 3. quibus arcu et sagittis ait Psalmista : Quo-
niam ecce peccatores intenderunt arcum,
paraverunt sagittas suas in pharetra, ut
sagittent in obscuro rectos corde. Potest
item intelligi, quod pugnatores Antichri-
sti Deus omnipotens taliter debilitabit ac
destruet, quod nec arcum nec sagittam
tenere valebunt.
4 *Super montes Israel cades tu,* o Anti-
christe, *et omnia agmina tua,* id est qui-
dam de quolibet tuo exercitu tecum exsi-
stenti, *et populi qui tecum sunt.* Hoc circa
finem præcedentis capituli aliis verbis sic
Ezech. dicitur : Convocabo adversus eum in cun-
xxxviii, 21. ctis montibus meis gladium. Denique An-
tichristus dicitur in monte Oliveti interfi-
ciendus, et in aliis locis montanis Judææ
plurimi de ejus cadent phalangis. Verum-
A tamen quidam manebunt superstites : qui-
bus parcet clementissimus Deus, eo quod
simplicitate aut timore decepti fuerunt,
qui post Antichristi interitum pœnitebunt.
Porro inter agmina Antichristi, et populum
qui secum erit, quos sanctus Ezechiel sæpe
exprimit separatim, hoc interesse opinor,
quod per agmina, bellatores, per popu-
lum, ceteri qui non malitiose eum sequen-
tur, intelliguntur. *Feris, avibus, omnique
volatili et bestiis terræ dedi te ad devo-
randum.* Cadavera enim Antichristiano-
B rum ad tempus insepulta jacebunt, et sic
irrationabilibus erunt ad devorandum ex-
posita. Hieronymus tamen per nomina ista
brutorum, intelligit dæmones, propter ra-
tionem sæpius dictam : a quibus Antichri-
stus et sui spiritualiter devorabuntur. *Su-* 5
per faciem agri cades. Jam dictum est,
quod omnes in montibus cadent : quomodo
ergo nunc feruntur super faciem agri ca-
suri? nisi forte de his agris sit sermo, in
quibus situati sunt montes ; vel nomen
agri extense accipitur, etiam pro locis mon-
C tanis agrestibus.
Et emittam ignem in Magog, id est ex- 6
ercitum Antichristi, *et in his qui habitant
in insulis confidenter,* id est in fautoribus
ejus, qui se putant sub ejus dominatione
securos. *Et scient* per experientiam sua-
rum pœnarum, quæ per ignem exprimun-
tur : omnis enim gravis afflictio solet per
ignem intelligi ; *quia ego Dominus Deus
Israel,* id est electorum Judæorum. Imo
ante et circa Antichristi occisionem pluri-
mi Judæorum erunt per Eliam conversi.
D Per Israel quoque, ut dictum est præce-
denti capitulo, plebs christiana intelligi Ezech.
potest etiam ad litteram : quia ut ait Apo- xxxviii, 1
stolus, Non qui filii carnis, hi filii Dei, sed Rom. ix,

filii promissionis, computantur in semine. A
7 *Et nomen sanctum meum,* id est me ip-
sum, Sancti Sanctorum nomine significa-
tum, *notum faciam in medio populi mei*
Israel, illuminando corda eorum ad con-
templandum omnipotentiam, sanctitatem,
atque immensam opulentiam meam ; *et*
non polluam nomen sanctum meum am-
plius, id est, illud de cetero ab Antichristo
ac suis blasphemari et inhonorari in sæ-
culo isto non sinam : imo omnes illos mox
condemnabo. *Et scient gentes quia ego Do-*
minus Deus, Sanctus Israel, id est san- B
ctificator Israeliticæ plebis, et ille quem
Israel colit pro sancto. Unde et in Isaia le-
XLVII, 4. gitur : Redemptor noster, Dominus exer-
cituum, Sanctus Israel nomen ejus.
8 *Ecce venit, et factum est :* id est, quod
prædico, incessabiliter appropinquat, et
tam certitudinaliter est tenendum quod
veniat, quasi jam esset impletum; *ait Do-*
minus Deus, de cujus testimonio ambigui-
tas nulla est. *Hæc est dies de qua locu-*
tus sum : id est, tempus istud dejectionis
Antichristi atque satellitum ejus, est de C
quo per Prophetas ex antiquis diebus ef-
fatus sum.
9 *Et egredientur habitatores de civitati-*
bus Israel, et succendent atque comburent
arma exercitus Antichristi, videlicet *cly-*
peum, hastam, arcum, sagittas, baculos,
manus, et contos, et succendent ea igni
10 *septem annis. Et non portabunt ligna de*
regionibus, neque succident de saltibus,
quoniam arma succendent igni. Totum
hujus clausulæ posui textum, ut textu
prius inspecto, expositio facilius capia- D
tur. Judæi ergo, ut refert Hieronymus, is-
ta atque sequentia secundum quod littera
prima facie sonat intelligunt, asserentes
ipsum Gog et Magog, a rege Messia interfi-
ciendos : quo facto, Judæi arma occisorum
præfata tollent, et septem annis eis ad
ignem sufficient. Istud autem, quantum ad
hoc, stare non potest, quod asserunt Mes-
siam nondum venisse, atque in primo suo
adventu temporaliter regnaturum, mate-
rialique gladio præliaturum. — Quidam
ergo, quod falsum est resecantes, et litte-
ram, quantum fieri potest, sequentes, af-
firmant quod occiso Antichristo ac ejus
exercitu, fideles in civitatibus Judææ ma-
nentes, exibunt ad detrahendum spolia
occisorum, quorum etiam arma igni apta
comburent quotidie. Et propter innume-
rabilem interfectorum multitudinem, tanta
erit armorum combustibilium copia, quod
multo tempore pro igne faciendo eis suffi-
ciet. Quod tempus per septem annos ex-
primitur, vel quia tantum erit, vel quia
numerus determinatus pro indeterminato
hic ponitur.

Sed illi videntur supponere, quod post
Antichristi interitum erit tempus adhuc
notabiliter longum usque ad diem judicii,
quum tamen secundum Haymonem, cete-
rosque doctores et expositores super Da-
nielem, quadraginta quinque dies dandi
sint deceptis ab Antichristo, ad pœniten-
dum. Ad quod respondent, quod quamvis
hoc verum sit, non tamen sequitur quod
statim post dies illos sequatur dies judicii,
præsertim quum Christus testetur : Sicut *Matth.*
fuit in diebus Noe, ita erit adventus Filii XXIV, 37-39.
hominis. Sicut enim erant in diebus ante
diluvium comedentes et bibentes, et nu-
ptui tradentes, usque in diem quo venit
diluvium, ita erit adventus Filii hominis.
Loquitur autem Christus pro tempore in-
ter Antichristi interitum et finale judici-
um medio. Tempus enim quo talia exer-
centur, non tam breve futurum videtur.
Denique teste Apostolo, quum dixerint, Pax I *Thess.* v,
et securitas, repentinus eis superveniet in- 3.
teritus, et non effugient. Ideo dicunt do-
ctores, quod Antichristo occiso, quidam
satellitum ejus tam indurati erunt, quod
in vitiis perseverabunt, et dicent : Quam-
vis princeps noster defunctus est, nos ta-
men pacem et securitatem habemus. Ap-
paret ergo, quod post Antichristi mortem
erit tempus aliquot annorum.

Insuper de diebus illis quadraginta quin-
que aliqui asserunt, certum non esse an
erunt usuales, id est viginti quatuor hora-
rum, an annuales, ita ut dies contineat

Dan. IX, 24-27. annum. Sic enim et Daniel loquitur de A hebdomadibus annorum, non dierum, ita quod una hebdomada continet septem annos. Verumtamen istud non reor ambiguum. Daniel quippe duodecimo capitulo ait: Ibid. XII, 12. Beatus qui pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque : qui numerus in quadraginta quinque excedit numerum Ibid. 11. dierum regni Antichristi, a Daniele illic præmemoratum. Unde clarescit, Prophetam de illis loqui diebus, de quibus et supra. Nihilo minus verum reor quod doctores communiter adstruunt, quod scilicet B incertum sit quantum futurum sit tempus quod inter Antichristi interitum et diem judicii mediabit. Unde præinductam expositionem et omnia quæ in hujus capituli explanatione conscribo, providi committo lectoris judicio, nil temere asserens, nec dubia pro certis suscipiens.

Alii ergo doctores per habitatores civitatum Israel, intelligunt cives cœlestes, in diversis mansionibus patriæ consistentes. De quibus civitatibus etiam ad litteram Ps. LXVIII, 36. exponunt illud Psalmi : Ædificabuntur ci- C vitates Juda. Cives isti egredientur de cœlo cum Christo, ut per approbationem judicent secum, et præinducta arma succendant igni, id est, armatos Antichristi ministros cum suo Antichristo ad ignem gehennæ condemnent. Succendentque ea septem annis, id est duratione completa atque perpetua, quæ per *septem* significatur. Nam universitas temporis septenario significatur, quoniam septem diebus omne tempus hoc volvitur. Præterea Apo- Apoc. I, 4; Tob. XII, 15. calypsis primo et Tobiæ duodecimo per D septem spiritus seu angelos, universitas angelorum exprimitur. Cives autem isti non de regionibus ligna portabunt, quoniam arbores fructuosas, hoc est homines justos, non condemnabunt; neque succident de saltibus, quia nec eos damnabunt qui in humilitate et saltu pœnitentiæ resident. — Hieronymus autem adhuc spiritualius ista exponit de spiritualibus armis et machinis hæreticorum : quæ habitatores civitatum Israel, id est viri de Christi Ecclesiis egredientes, igne verbi Dei destruunt et comburunt septem annis, id est numero sacrato atque perfecto : quo merito omnis hæreticorum armatura perire asseritur. Siquidem annus septimus, est annus remissionis, in quo sicut in Exodo ac Exod. x... 2; Deut. x... 1, 2; L... XXV, 4. Levitico Deus præcepit, servis Hebræis reddebatur libertas, debita quoque solvuntur, et quies terræ tribuitur, atque pauperibus omnes fruges donantur secundum legem.

Et deprædabuntur eos quibus prædæ fuerant, id est, præfati fideles Antichristianorum arma ac spolia tollent modis præmemoratis, *et diripient vastatores suos,* per deprædationem prætactam. Potest etiam istud exponi de direptione ac deprædatione spirituali et bona, per conversionem adversariorum ad fidem. Antichristo nempe perempto, quidam de ejus collegio convertentur a Christianis, et plene subdent se eis.

Consequenter post interitum Gog et Magog fit mentio de sepultura eorum : quam sepulturam quidam exponunt de collocatione eorum in locis pœnalibus inferorum, secundum quod in Evangelio legitur dives mortuus atque sepultus in inferno; alii Luc. x... 22. autem, de corporum sepultura in terra. Igitur secundum primum modum loquendi, iste est sensus : *Et erit in die illa :* 11
Dabo Gog, id est Antichristo et ejus ministris, *locum nominatum sepulcrum in Israel,* id est mansionem famosam ac omnibus notam, quæ erit eorum sepulcrum vel pœnale receptaculum inter Israelitas qui perierunt cum ipso; *vallem viatorum ad orientem maris :* quia in locum hunc bassum, scilicet in infernum, viatores mundani descendunt. Porro quod ait, Ad orientem maris, referri potest sive ad vallem, ita ut ipsa versus orientem maris sita dicatur, sive ad viatores, ut ipsi versus orientem maris, videlicet ad congregandas mundi divitias, tendisse ferantur. *Quæ obstupescere faciet,* id est admirari quammaxime, *prætereuntes,* id est præsentis sæculi incolas et peregrinos, qui cognita

Antichristi et suorum sepultura in tarta-
ris, erunt attoniti.
*Et sepelient ibi Gog et omnem multitudi-
nem ejus, et vocabitur vallis multitudinis
Gog.* Quemadmodum enim cœli cœlestes-
que mansiones nomine montium, ita loca
12 gehennæ nomine vallium designantur. *Et
sepelient eos domus Israel,* id est electi et
angeli, qui judicabunt cum Christo, et im-
pios in infernum retrudent, quemadmo-
Matth. xiii, 41, 42. dum ait Salvator : Mittet Filius hominis
angelos suos, et eos qui operantur iniqui-
tatem mittent in caminum ignis. Denique,
quod per domum Israel electi, imo et an-
geli sancti signentur, hinc innotescit quia
in cantico Deuteronomii, ubi nostra trans-
Deut. xxxii, 8. latio habet, Constituit terminos populo-
rum juxta numerum filiorum Israel, alia
continet, Constituit terminos gentium jux-
ta numerum angelorum Dei. *Ut mundent
terram :* quia tunc terræ elementum ab
omni impiorum spurcitia purgabitur in
tantum, quod immutatum rutilabit ut au-
rum. Vel, Ut mundent terram, id est Ec-
clesiam, segregando reprobos ab electis, ut
Matth. xiii, 49. in Evangelio fert Salvator : In consumma-
tione, inquiens, sæculi exibunt angeli, et
separabunt malos de medio justorum. *Sep-
tem mensibus,* id est, sepultura hæc per-
petue permanebit, ita quod reprobi in
gehennæ sepulcris æternaliter erunt. Cur
vers. 9. autem septenario perpetuitas exprimatur,
13 jam dictum est de septem annis. *Sepeliet
autem omnis populus terræ,* id est cuncti
cives terræ ac patriæ Beatorum, quoniam
modo prætacto universi reproborum dam-
nationem approbabunt. Quod vero etiam
angeli sancti, homines et viri ac populus
appellentur, quoniam in humana solent
apparere effigie, certum est. *Et erit eis,*
puta electis, *nominata,* id est famosa et
celebris, *dies in qua glorificatus sum* in
impiorum istorum tartarea sepultura. Dies
nempe triumphi, celebris recensetur. In
hoc etenim die electi plenam corporis
glorificationem sortientur, atque cœlestem
Jerusalem omnes pariter ingredientur.
14 *Et viros constituent jugiter lustrantes*
A *terram, qui sepeliant et requirant eos qui
remanserant super faciem terræ.* His ver-
bis datur intelligi, quod viri ecclesiastici
vel cives superni aliquos deputabunt, qui
Antichristo cum suis occiso, in inferisque
sepulto, habitatores terræ attendant, et eos
quos in Antichristi perfidia viderint in-
duratos, damnationi adjiciant. *Post menses
autem septem* a constitutione præmissa, id
est plenitudine temporis id agendi instan-
te, *quærere incipient, et circuibunt per-* 15
agrantes terram. Unde et angelus Satanæ
B loquitur : Circuivi terram et perambulavi Job i, 7; ii, 2.
eam. *Quumque viderint os hominis, sta-
tuent juxta illud titulum, donec sepeliant
illud pollinctores,* id est mortuorum cu-
ratores, *in valle multitudinis Gog :* id est,
quum aliquem de obstinatis Antichristianis
invenerint, hunc notabunt, et per excom-
municationem seu alio modo a cœtu fide-
lium separabunt, donec per mortem cum
aliis sepulcrum accipiat in inferno. *No-* 16
men autem civitatis, Amona, id est po-
pulosa. Multi enim vocati, et in civitate
C Babylonis atque diaboli infinitus est nu-
merus. In civitate quoque Dei seu grege
fidelium electorum, juxta quos victoria
Dei exercenda est de præinductis adver-
sariis ejus, innumerabiles prorsus con-
sistent.

Præterea, quoniam expositio ista mysti-
ca valde videtur, quidam locum hunc de
corporali Antichristi et ejus phalangæ se-
pultura exponunt : ita quod eis in Judæa
occisis, Christiani eorum corpora ob terræ
emundationem, non ob illorum honorem,
D in loco nominato sepelient, puta in valle
viatorum sita versus orientem maris, quod
est in parte orientali Judææ : ex qua se-
pultura prætereuntes stupebunt. Fietque
sepultura hæc per septem menses vel cir-
citer, propter multitudinem sepeliendo-
rum. Erit quoque dies dejectionis Anti-
christi ac ejus satellitum celebris, juxta
sensum præscriptum. Ordinabunt demum
fideles quosdam, qui terram Judææ cir-
cumeant, et quidquid cadaveris viderint,
humo operiant. Quumque invenerint os

humanum, figent circa hoc titulum, id est A
evidens signum, quatenus ossa hinc inde
inventa faciliter colligantur, et pariter tu-
mulentur. Nomen vero civitatis, juxta quam
fiet hæc sepultura, vocabitur Amona. Si
expositio ista veritatem certitudinemque
sortitur, divino committo judicio et rerum
eventui. Prophetæ autem quandoque ob-
scure ac mysterialiter sunt locuti, ita quod
absque speciali revelatione certus et ple-
nus eorum nequit intellectus haberi. Un-
de, secundum Hieronymum, in talibus pas-
sibus plena rerum scientia committenda B
est Deo.

Insuper, ut tactum est supra, quamvis
prædictorum reproborum sepelienda sint
corpora, quædam tamen vel partim sive to-
taliter ab irrationabilibus vorabuntur. Hinc
17 subditur : *Tu autem, fili hominis, dic om-
ni volucri et universis avibus cunctisque
bestiis agri,* id est, inspirandum eis divi-
no nutu pronuntia : *Convenite et propera-
te, concurrite undique ad victimam meam
quam ego immolo vobis,* id est ad mandu-
candum de cadaveribus Antichristianorum, C
quæ vobis tribuo corrodenda, *victimam
grandem super montes Israel,* in quibus (ut
dictum est) interibunt, *ut comedatis car-
nes, et bibatis sanguinem* hominum re-
proborum istorum, divina plaga cæsorum.
18 *Carnes fortium* temporali et corporali vir-
tute *comedetis, et sanguinem principum
terræ,* qui Antichristo peculiarius adhæ-
serunt, *bibetis, arietum, agnorum et hir-
corum, taurorumque et altilium et pin-
* omnium *guium ovium**, id est hominum qui per
diversas proprietates et culpas istis irra- D
tionabilibus comparantur. Aliqui etiam as-
serunt, quod Deus Antichristum ejusque
catervam plagando, bruta quoque eorum
pro magna parte occidet, quorum carnes
20 devorationi patebunt. Hinc subditur : *Et
saturabimini super mensam meam,* id est
in montibus memoratis, in quibus vobis
ista alimenta dabuntur, *de equo et equite
forti.*
21 *Et ponam gloriam meam in gentibus,*
id est, majestatem meam residuis populis
per prædicta notificabo ; *et videbunt om-
nes gentes,* id est quædam de omnibus,
judicium meum quod fecerim, id est ju-
stam ultionem Antichristo et suis illatam,
et manum, id est potestatem *meam, quam
posuerim super eos,* per debitæ punitionis
effectum. *Et scient domus Israel quia ego* 22
*Dominus Deus eorum a die illa et dein-
ceps.* Quidam hoc loco usque ad finem
capituli, per domum Israel intelligunt ge-
neraliter populum Christianorum. Quod li-
cet non sit reprehensibiliter dictum, lit-
teralius tamen et appropriatius per Jacob
et domum seu populum Israel, puto in-
telligendas tribus, ac filios Israel, de Pa-
triarcharum semine prodeuntes : qui post
Antichristi occasum Christiani devotissimi
erunt, et per maxima beneficia fidelissi-
me Deum cognoscent, nec postea a fide
recedent.

Et scient gentes quoniam in iniquitate 23
sua capta sit domus Israel, id est, quod filii
Israel propter peccata sua usque ad tem-
pus Antichristi, seu prædicationem Eliæ,
alienis potestatibus subjecti fuerunt, *eo
quod dereliquerint me* per inobedientiam :
juxta illud Osee, Dereliquerunt Dominum *Osee* IV, 10.
in non custodiendo ; *et absconderim fa-
ciem meam ab eis,* id est, pietatis ac de-
fensionis meæ effectum seu gratiam eis
juste negavi : secundum quod in Isaia
habetur, Peccata vestra absconderunt fa- *Is.* LIX, 2.
ciem ejus a vobis ne exaudiret ; *et tradi-
derim eos in manus hostium, et ceciderint
in gladio universi,* id est multi de omni
genere eorum. *Juxta immunditiam eorum* 24
et scelus feci eis, relinquendo eos in ista
longissima atque gravissima captivitate,
præsertim propter crimen eorum in Chri-
stum, quem non receperunt, sed occide-
runt. De qua re Danielis nono prædictum
est : Non erit ejus populus, qui eum ne- *Dan.* IX, 26. 27.
gaturus est ; et finis ejus, scilicet populi
hujus, vastitas ; et usque in finem perse-
verabit desolatio.

Propterea hæc dicit Dominus : Nunc, 25
scilicet prædicante Elia, *reducam captivi-
tatem Jacob,* id est populum captivum de

Jacob semine natum, *et miserebor omnis* A *domus Israel :* quia tunc Judæi universaliter convertentur. *Et assumam zelum,* id est æquitatis efficientiam seu dilectionis effectum, *pro nomine sancto meo,* id est pro mei ipsius honore et gloria præser-
26 vandis. *Et portabunt confusionem suam,* id est, pro suis peccatis intra se salubriter erubescent, *et omnem prævaricationem suam qua prævaricati sunt in me,* id est, memores erunt pœnitentialiter dolentes transgressionum suarum ; *quum habitaverint in terra sua confidenter, neminem* B *formidantes :* Antichristo quippe sublato, habitaturi sunt in Judæa sine hostili pavore, scientes quod Antichristi persecutio sit
27 novissima; *et reduxero eos de populis,* loco et mente, ad Judæam ac fidem ; *et congregavero de terris inimicorum suorum :* quia de finibus mundi confluent ad Judæam; *et sanctificatus fuero in eis,* id est, in eorum reductione apparuero verax, justus et sanctus, *in oculis* interioribus *gentium plurimarum,* quibus hæc innotescent.

28 *Et scient quia ego Dominus Deus eo-* C *rum, eo quod transtulerim eos in nationes, et congregaverim eos super terram suam :* id est, ex hoc quod eos castigavi et liberavi, percussi et sanavi, expuli et reduxi, perpendent quod sim vere Deus eorum. De quo in Job asseritur : Ipse vulnerat, et medetur; percutit, et manus ejus sanabunt. *Et non dereliquerim quemquam ex eis ibi :* quia, ut tactum est, tunc omnes convertentur ad Christum, quemadmodum ad Romanos scribit Apostolus : Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret. Vel, Deus nullum relinquet, quoniam omnibus facultatem evadendi visibilium ac invisibilium hostium captivitatem præstabit. *Et non abscondam* 29 *ultra faciem meam ab eis,* id est, de cetero clementissimus ero, et de visione viæ per fidem, ad visionem patriæ per speciem deducentur : in qua tam incessabiliter permanebunt, quod omnis temporalis relictio quasi momentanea sit illius respectu. Propterea per Isaiam Dominus ait populo huic : Ad punctum in modico dereliqui te, et in misericordiis magnis congregabo te; in momento indignationis meæ abscondi parumper faciem meam a te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui. *Eo quod effuderim spiritum meum,* id est gratiam atque præcipua dona Spiritus Sancti, *super omnem domum Israel,* omnium corda munificenter illustrando, perficiendo, ac roborando, *ait Dominus Deus.*

(*Job* v, 18. — *Rom.* XI, 25, 26. — *Is.* LIV, 7, 8.)

Postremo, quæ in isto capitulo de Antichristo ejusque ministris dicta sunt, quidam secundum spiritualem rationem de hæreticis et ceteris vitiosis justorum persecutoribus interpretantur. Qui omnes dæmonibus, nomine avium ac bestiarum signatis, dantur in cibum, et ruunt super montes Israel : quia auctoritate, virtute, et gratia sublimium ecclesiasticarum personarum vincuntur, atque in bassitudine infernali sepeliuntur.

ARTICULUS XLVI

ELUCIDATIO CAPITULI QUADRAGESIMI : IN VICESIMO QUINTO ANNO.

NUNC caliginem ingredimur. Tanta est D enim eorum, quæ nunc de ædificio templi sancto Prophetæ per imaginariam visionem monstrata dicuntur, difficultas, ut dicat B. Hieronymus, quod super interpretatione ejus apud Judæos et Christianos doctores, grande silentium sit. Rursusque ait, quod ejus expositionem, ipsius sæcula

tacuerunt. Sæpius quoque fatetur, quod A
in ejus expositione quasi suspicando lo-
quatur.

Denique quidam Judæorum doctores di-
xerunt, per templum et civitatem Ezechieli
imaginarie repræsentata, significari reædi-
ficationem templi et Jerusalem post re-
ditum a Babylonica captivitate tempore
Esdræ ac Nehemiæ constructorum. Poste-
riores autem Judæi dicunt, per illa desi-
gnari templum ac civitatem, per regem
Messiam in suo adventu ædificanda : ad
cujus erroris falsitatem probandam omnia B
possunt adduci, ex quibus probatur quod
Christus jam venit, quodque Jesus Nazare-
nus sit vere Messias in lege atque Prophe-
tis promissus. Porro catholicorum docto-
rum quidam præcipui, scilicet Hieronymus
et Gregorius, totum exponunt spiritualiter
de ædificatione Ecclesiæ Christi in sacra-
mentis, fide ac moribus, imaginariæ de-
scriptionis expositionem quasi totaliter re-
linquentes. Quamvis autem ceteri quoque
doctores in hoc eis consentiant, quod per
templum illud et civitatem, status ac regi- C
men seu spiritualis structura Ecclesiæ de-
signetur, nihilo minus imaginariam de-
scriptionem Prophetæ exponunt, et quid
per eam spiritualiter insinuetur, quidam
adjiciunt. Gregorius tamen affirmat, quod
descriptio templi seu civitatis, juxta litte-
ram nullatenus accipi potest : cujus ratio-
nem infra inducam.

Richardus vero de S. Victore et alii
multi, satis evidenter ostendunt, descri-
ptionem imaginariam posse ad litteram ex-
poni. Hos ergo sequendo, ab imaginariæ D
visionis descriptionisque templi exposi-
tione est inchoandum. Nec in ea arbi-
tror immorandum : primo, quoniam ipsa
non est principaliter intenta, nec finaliter
fructuosa, sed quod significatur per eam ;
secundo, quia nonnulli doctores expositio-
nem istam satis prolixe prosecuti noscun-
tur, qui vel parum vel nihil de spirituali
ac principali intellectu locuti videntur.
Idcirco in hujus prosecutione sensus po-
tius reor instandum.

Insuper, sicut frequenter superius, ita
et nunc in primis docet Propheta modum,
locum ac tempus, quibus revelata sunt ei
quæ scribit. *In vicesimo quinto anno trans-* 1
migrationis nostræ : qua ipse Ezechiel et
Mardochæus ac alii multi de Jerusalem in
Chaldæam cum Joachin rege translati sunt;
in exordio anni vicesimi quinti, videlicet
primo mense ipsius, *decima mensis* hujus
die, *quartodecimo anno postquam percussa*
est civitas, id est quatuordecim annis evo-
lutis a destructione Jerusalem sub Sedecia
a Chaldæis, qui eam undecimo anno regni IV *Reg.* xxv,
Sedeciæ ceperunt. Sicque a transmigratio- 2-4.
ne Joachin usque ad hujus visionis osten-
sionem, fluxerunt anni viginti quatuor
consummati. Quibus decursis, in principio
anni vicesimi quinti ostensa sunt hæc Eze-
chieli, sicut subjungitur. *In ipsa hac die*
decima nunc prætacta, *facta est super me*
manus Domini, id est, virtus divina circa
me supernaturaliter operata est, mentem
meam gratia propheticæ revelationis illu-
strando, *et adduxit me illuc,* videlicet in
Judæam, *in visionibus Dei :* id est, per re- 2
velationes prophetales spiritualiter, non
corporaliter, illuc adductus sum, ita quod
animæ meæ repræsentabantur similitudi-
nes : per quas intuebatur quædam ad Ju-
dæam spectantia, quasi ibidem fuisset.
Quemadmodum ergo Ezechiel realiter at-
que personaliter in Chaldæa permansit, ita
et locus et subjectum visionum istarum
fuit Chaldæa, seu ipse Propheta ibidem lo-
catus; locus autem objectalis, fuit Judæa.
Propter quod subditur :

Et, pro id est, *adduxit me in terram*
Israel, ita quod illam imaginarie intuebar,
et dimisit, id est, statuit seu locavit, *me*
super montem excelsum nimis, id est al-
tissimum secundum apparentiam prophe-
talem, quia sic apparebat Prophetæ. Ve-
rumtamen novit se esse in Chaldæa, et
ista non fieri nisi in spiritu : intellexit
enim quid ista significarent. *Super quem*
erat quasi ædificium civitatis vergentis ad
austrum. Per ædificium civitatis, Hierony-
mus et Gregorius intelligunt ipsum tem-

plum, quod significat Ecclesiam, quæ in A
Scripturis civitas Dei vocatur. Hinc dicit
Richardus : Dicitur autem ædificium istud
recte habere similitudinem civitatis, eo
quod esset undique cinctum muris, firmatum portis, multis stipatum ædificiis.
Alii quidam affirmant oppositum, dicentes
quod Propheta vidit duo, videlicet templum et civitatem : et nomine ædificii asserunt templum significari; nomine autem
civitatis, ipsam civitatem vergentem ad
austrum. Præterea Propheta non ait, Super
quem erat ædificium, sed, Quasi ædificium : ut innuat non reales se vidisse structuras, sed similitudinem ædificii repræsentativam. Respiciebat autem hoc templum
versus plagam australem : unde Septuaginta transtulerunt, E regione (id est ex
3 adverso) aquilonis. *Et introduxit me illuc,*
scilicet in ipsum templum. Omnia autem
hæc videbantur Prophetæ sic fieri, per hoc
quod rerum istarum imagines in animo
ejus ministerio angelico formabantur.

Et ecce vir, id est angelus in forma viri
apparens, cujus ministerio circa me omnia
ista fiebant, *cujus erat species,* id est similitudo seu dispositio apparatus, *quasi
species æris,* ut puto, candentis et quasi
igniti : ut per ferri duritiam, qua omnia
domantur, angelicæ naturæ fortitudo insinuaretur; per ferri candorem, ejusdem naturæ simplicitas atque munditia; per ignitionem, ardor amoris ; per sonoritatem
quoque ferri, efficacia angelorum ad laudandum Deum, et ad revelandum mysteria
ejus hominibus. *Et funiculus lineus in
manu ejus :* venit enim ad mensurandum.
Unde et in Zacharia angelus qui venit ad
Zach. II, 1. metiendam Judæam atque Jerusalem, funiculum mensorum habuisse in manu describitur. *Et calamus mensuræ,* id est quo
mensuratur, *in manu ejus.* Calamus autem, ut statim dicetur, est genus mensuræ,
sex continens cubitos. *Stabat autem in
porta* muri extremi.

4 *Et locutus est ad me* locutione interna
idem vir : secundum quod Zacharias pro-
Ibid. 3. pheta testatur, Angelus loquebatur in me.
Fili hominis, vide oculis tuis interioribus, *et auribus tuis* mentalibus *audi.* Hi
oculi istæque aures realiter idem sunt,
scilicet intellectus, consideratio, et advertentia. *Et pone cor tuum in omnia quæ
ego ostendam tibi,* id est, fortiter tibi imprime atque memoriter retine ea. Nil enim
prodest vidisse et audisse, nisi audita ac
visa in memoriæ reponantur thesauris,
secundum Hieronymum. *Quia ut ostendantur tibi, adductus es huc.* Quo verbo,
secundum Hieronymum, docet nil theoria
B ac scientia dulcius. *Annuntia omnia quæ
tu vides* prophetali intuitu *domui,* id est
populo, *Israel.* Gratia enim prophetiæ ad
aliorum utilitatem ac informationem confertur et ordinatur, sicut et ceteræ gratiæ
gratis datæ, juxta illud Apostoli ad Corinthios : Unicuique datur manifestatio Spi- I Cor. XII, 7.
ritus ad utilitatem.

Et ecce murus forinsecus in circuitu 5
domus undique. Templum enim, sicut patebit, triplici fuit muro circumdatum : et
nunc de muro exteriori est mentio. At
C vero, juxta Richardum, templum hoc nunc
ædificium, nunc sanctuarium, nunc domus
vocatur, nunc civitati assimilatur. *Et in
manu viri,* id est angeli, *calamus mensuræ sex cubitorum.* His verbis ostenditur,
quod calamus continebat sex cubitos. Erantque isti sex cubiti in calamo distincte signati, ut aliqui asserunt, sicut in ulnis
videmus medietatem, et tertiam, quartamque partem, distincte signatas. Hinc angelus scribitur interim secundum unam partem calami mensurasse, hoc est secundum
D unum cubitum solum, quandoque secundum duos aut tres. *Et palmo.* Secundum
Richardum, sex cubitis palmus adjicitur,
quoniam in mensurando ex ea parte apprehenditur ac tenetur. Itaque palmus
vocatur ea pars calami qua angelus eum
tenebat. Dicuntque aliqui, quod secundum
quantitatem palmi angelus non mensuravit. Alii dicunt oppositum, præsertim
quum mensurantes per ulnam, cum illa
quoque parte ulnæ quam tenent in manu,
mensurant. Verumtamen, secundum Hie-

ronymum, palmus est aliquid ultra sex A cubitos, estque sexta pars cubiti.

Et mensus est latitudinem ædificii calamo uno, altitudinem quoque calamo uno. Ex hoc loco argumentatur S. Gregorius, descriptionem templi secundum litteram stare non posse. Nomine enim ædificii, sicut jam patuit, templum exprimitur, et infra porta templi in quatuordecim cubitis dicitur mensurata : sed portam esse templo majorem, est impossibile. Sed contra hoc Richardus sic loquitur : Si ad totum refertur quod hic de ædificio scribitur, B totius hujus descriptionis veritas atque auctoritas evacuatur. Nonne melius est, inquit, hoc loco nomine ædificii partem templi quam totum templum, intelligi? ne referendo ad totum, evacuetur totum : sicut et nomine domus, interdum totum templum, interdum partem ejus significavit. Hinc, secundum Richardum, ædificium nunc vocatur structura, seu quædam domuncula, supra portam in qua angelus fertur stetisse, constructa, vel ei conjuncta : cujus tam latitudo quam altitudo, fuit C unius calami, vel sex scilicet cubitorum. Porro Hieronymus hoc loco per ædificium intelligit murum : quod et Hebræi affirmant. Sed aliis istud non complacet, quum non videatur dispositio bona muri, cujus spissitudo æqualis est altitudini ejus.

Præterea advertendum, quod in litteræ hujus expositione tanta occurrit doctorum diversitas sive adversitas, ut totum commemorare sit tædiosum. Nihilo minus advertendum, quod licet Propheta non asserat nisi de una porta muri exterioris, in D quolibet tamen trium murorum quidam adstruunt tres portas fuisse : quod infra de muro medio ac muro interiori diffuse conscribitur. Frustra autem (ut aiunt) duo hi muri tot portas haberent, nisi et murus exterior portas correspondentes haberet, per quas ad illas pateret ingressus. Hoc valeat quantum potest. Nonne per januam unam ingressi, possunt deinceps per diversas januas interiora templi sive palatium ingredi? Non tutum opinor in hujus ædificii expositione multa asserere quæ ex textu evidenter nequeunt comprobari. Propter quod circa hunc passum dicit Hieronymus : Simpliciter fateor me templum beati Ezechielis non temeritate velle disserere, sed cum fide et timore Dei conjecturam animi mei legentibus cupio demonstrare.

Et venit ad portam quæ respiciebat 6
viam orientalem. Istud de porta secundi
muri, id est orientali, exponitur, ad quam
angelus venit de porta orientali primi muri. *Et ascendit per gradus ejus.* Quidam affirmant hos gradus extra et ante portam istam fuisse; alii dicunt quod intra portam fuerunt, vel in spissitudine muri portæ. Rationes autem istorum contra se invicem facillime solverentur : ideo quid verius sit, certum non arbitror. Communiter vero tenetur, quod licet Propheta numerum graduum horum non explicet, septem tamen fuerunt : nam totidem gradus habuisse scribuntur duæ aliæ portæ atrii exterioris muri istius. *Et mensus est limen portæ* hujus *calamo uno,* puta sex cubitis, *latitudinem,* ita quod latitudo exstitit tanta. Unde expositorie subditur : *id
est, limen unum calamo uno in latitudi-
ne. Et thalamum uno calamo in longum,* 7
et uno calamo in latum. Hic ponitur singulare pro plurali, siquidem juxta portam erant sex thalami pro portariis, tres ab una parte, tres quoque ab alia, quorum omnium fuit una mensura : longitudo etiam eorum latitudini fuit æqualis, ita quod spatium inter parietes fuit quadratum. *Et inter thalamos quinque cubitos.* ita quod inter thalamum et thalamum erant
quinque cubiti, secundum Hieronymum.
Et limen portæ juxta vestibulum portæ 8
intrinsecus, calamo uno. Istud, secundum Hieronymum, intelligitur de limine portæ alterius. Unde Septuaginta transtulerunt, Secundi vestibuli. Itaque mensus est limen portæ istius, quæ fuit juxta vestibulum portæ hujus intrinsecus, calamo uno, quemadmodum de priori limine dictum est.

Et mensus est vestibulum portæ, de qua 9

nunc sermo, *octo cubitorum :* ita quod oc-
cupabat spatium octo cubitorum in atrio
exteriori. Vestibulum quippe est, proprie
loquendo, ante portam muri. Hinc, secun-
dum Hieronymum, interiora vestibuli octo
cubitos continebant. *Et frontem ejus duo-
bus cubitis.* Infra quoque fit sermo de
frontibus magnis. Nunc vero est mentio
de frontibus parvis, quæ vocantur fron-
tellæ sive turrellæ : erantque duæ, una ad
unam portæ partem, alia ad aliam. Itaque
mensus est frontem ejus, id est quamlibet
duarum frontium, duobus cubitis, secun-
dum spissitudinem muri. *Vestibulum au-
tem portæ erat intrinsecus,* id est intra por-
10 tam in atrio exteriori. *Porro thalami portæ
ad viam orientalem, tres hinc, et tres inde :*
id est, sex thalami præmemorati, exsisten-
tes juxta portam hanc orientalem, sic fue-
rant situati, quod tres fuerunt ab una parte
portæ, et tres ab alia. *Mensura una trium:*
id est, tam trium thalamorum in uno latere
portæ positorum, quam aliorum trium, fuit
eadem quantitas in longum et latum, sic-
ut jam patuit; *et mensura una frontium*
exsistentium *ex utraque parte* portæ. Hoc
quoque paulo ante prædictum est.
11 *Et mensus est latitudinem liminis por-
vers. 6. tæ decem cubitorum.* Superius dixit, Men-
sus est limen portæ calamo uno latitudi-
nem; et ibi dictum est, quod latitudo fuit
sex cubitorum : quomodo ergo nunc dici-
tur, Decem cubitorum ? Et responden-
dum, quod ibi descripta est latitudo seu
spissitudo, quæ accipitur procedendo ab
oriente in occidentem; hic autem mensu-
ratur latitudo, quæ est ab aquilone in au-
strum. *Et longitudinem portæ,* id est alti-
tudinem ostii hujus portæ, mensus est esse
tredecim cubitorum : ita quod tanta est
12 altitudo postium januæ. *Et marginem an-
te thalamos cubiti unius.* Per marginem
intelligitur sedile pro portariis; fuitque
sedile seu margo ex utraque ostii parte,
non directe ante ostium, ne impediret in-
gressum : cujus mensura fuit cubiti unius.
Hinc subditur : *et cubitus unus, finis utri-
* utrinque usque* :* nam et sedilia erant æqualis men-

A suræ. *Thalami autem sex cubitorum erant
hinc et inde.* Hoc jam habitum est, quod
quilibet thalamus ab utraque parte portæ,
fuit sex cubitorum, tam in longum quam
in latum.

Et mensus est portam a tecto thalami, 13
*usque ad tectum ejus, latitudinem viginti
quinque cubitorum, ostium contra ostium :*
id est, distantia latitudinalis a tecto thala-
mi primi ex una parte portæ locati, usque
ad tectum thalami primi ex altera parte
portæ situati, viginti quinque cubitos con-
B tinebat. Itaque a tecto cujuslibet thalami
usque ad portam, erant cubiti septem cum
medio, et portæ apertura habebat cubitos
decem, qui simul sunt viginti quinque cu-
biti. Porro quod additur, Ostium contra
ostium, idcirco adjectum est, quoniam ja-
nuæ thalamorum ex adverso se invicem re-
spiciebant secundum lineam rectam. Vel,
secundum Richardum, est defectiva locu-
tio, oportetque aliquid subaudiri, quasi
dicatur : Mensus est partem habentem in
ipsis thalamis ostium contra ostium, quo-
C niam ostia trium thalamorum, ex uno la-
tere erant opposita ostiis trium thalamo-
rum ex alio latere.

Et fecit, id est mensuravit, *frontes,* id 14
est geminam porticus faciem, secundum
Richardum : una quippe respiciebat ad in-
teriora, alia vero ad exteriora; *per sexa-
ginta cubitos.* Secundum quosdam, frontes
per tantum spatium fuerunt elevatæ a
terra, sive in altum erectæ. Alii dicunt,
quod mensura spatii hujus inter parietes
sumitur, ut in eo quod dicitur, Frontes
D fecit per sexaginta cubitos, determinetur
totius porticus longitudo. *Et ad frontem,*
scilicet interiorem seu a parte interiori
medii muri, *atrium portæ undique per
circuitum.* Istud dicitur fuisse atrium exte-
rius, quod fuit platea quadrata ante frontem
præfatam. Fuitque, secundum Richardum,
pavimentum tria porticus latera ambiens,
sicut via altrinsecus jacens evidenter osten-
dit. *Et ante faciem portæ, quæ pertingebat* 15
usque ad faciem vestibuli portæ interioris,
extra quam fuit porta claudens vestibu-

lum, quæ fuit in loco vulgi, mensus est
quinquaginta cubitos. Unde Hieronymus :
Egredientibus, inquit, de porta orientali
ad faciem vestibuli quod respiciebat por-
tam exteriorem, quinquaginta cubitos puto
obtinuisse locum. Et juxta Richardum, fa-
ciem portæ, interiorem muri superficiem
16 vocat. Denique mensus est *et fenestras obli-
quas,* id est interius latiores et exterius
angustiores seu strictiores, *in thalamis,* id
est præfatis cubiculis, *et in frontibus eo-
rum,* de quibus prædictum est, *quæ erant
intra portam,* id est porticum, *undique per
circuitum:* quia in singulis thalamis erant,
qui thalami intra porticum consistebant.
Porticus autem etiam ante et ultra thala-
mos tendebantur, secundum Hieronymum.
Similiter erant et in vestibulis fenestræ, se-
cundum Hieronymum, obliquæ, *per gyrum
intrinsecus, et ante frontes* porticuum *pi-
ctura palmarum :* per quam varia orna-
menta istorum, secundum Hieronymum,
exprimuntur.

Consequenter aliqua describuntur ultra
et infra portam secundi muri exsistentia.
17 *Et eduxit me* de porticu muri secundi *ad
atrium exterius,* illud videlicet quod fuit
intra murum medium ac interiorem : quod
exterius appellatur, respectu atrii cujus-
dam interioris pertinentis ad tertium mu-
rum ; sed respectu superioris primique
atrii, vocaretur interius. Propter quod Sep-
tuaginta transtulerunt : Introduxit me in
atrium interius. *Et ecce gazophylacia* erant
in atrio isto : quorum numerus statim sub-
detur. Secundum Hieronymum gazophy-
lacia hic dicuntur thalami seu exedræ,
habitationibus sacerdotum ac Levitarum
deputatæ : propter quod in Hebræo (ut
quidam, scilicet Lyra, ait) scriptum est,
Cameræ. *Et pavimentum stratum lapide
in atrio per circuitum.* Spatium namque
* pavitum atrii hujus fuit pavatum*. *Triginta gazo-
phylacia in circuitu pavimenti,* videlicet
quindecim hinc, et quindecim inde. Por-
ro, secundum Richardum, quindecim erant
ab aquilone, et quindecim a meridie. Alii
18 tamen aliter situant ea. *Et pavimentum in*

A *fronte portarum* consistens, *secundum lon-
gitudinem portarum,* id est rectam earum
distantiam ab orientali parte in occiden-
talem, *erat inferius :* quia jacebat in imo
sub ipsis portis sive porticibus, quæ ma-
gna proceritate seu extensione protende-
bantur super illud. Patet ergo, quod non
loquatur de pavimento superioris mansio-
nis vel loci sive solarii.

Et mensus est latitudinem pavimenti *a* 19
facie portæ inferioris, id est portæ atrii
exterioris, *usque ad frontem atrii interio-
B ris extrinsecus,* id est faciem exteriorem
superioris porticus, *centum cubitos ad ori-
entem et ad aquilonem,* ita quod tam pro-
cedendo ab oriente in occidentem, quam
ab aquilone in austrum, erant centum cu-
biti.

Hucusque descripta est porta orienta-
lis secundi muri, nunc aliæ duæ portæ
ejusdem muri describuntur : quæ quum
orientali portæ sint similes, littera sequens,
eas describens, ex prædictis facilius li-
quet. *Portam quoque quæ respiciebat viam* 20
C *aquilonis,* id est portam aquilonarem, *atrii
exterioris,* quod etiam alio respectu voca-
tur interius, sicut jam patuit, *mensus est
tam in longitudine, quam in latitudine;
et thalamos,* id est cubicula *ejus, tres hinc,* 21
scilicet ab una parte, *et tres inde ; et fron-
tem ejus et vestibulum ejus secundum men-
suram portæ prioris, quinquaginta cubi-
torum longitudinem ejus, et latitudinem
viginti quinque cubitorum.* Omnia ista in
orientalis portæ descriptione dicta sunt
atque exposita, tamen sub aliis verbis.
D Nempe quod dicitur hic de quinquaginta
cubitis, ibi sic scribitur : Et ante faciem vers. 15.
portæ quæ pertingebat usque ad faciem
vestibuli portæ interioris, quinquaginta
cubitos. Quod vero hic legitur de viginti
quinque cubitis, sic habetur ibidem : Men- vers. 13.
sus est portam a tecto thalami usque ad
tectum ejus, latitudinem viginti quinque
cubitorum. *Fenestræ autem ejus,* videlicet 22
portæ istius aquilonaris, *et vestibulum, et
sculpturæ,* id est palmarum cælaturæ, men-
surabantur *secundum mensuram portæ quæ*

respiciebat ad orientem, id est portæ ori- A
entalis. *Et septem graduum erat ascensus*
ejus, id est portæ aquilonaris, juxta mo-
dum de orientali porta præhabitum ; *et*
vestibulum ante eam, sicut et ante ceteras
23 portas. *Et porta atrii interioris,* videlicet
porta hæc aquilonaris, per quam ad inte-
rius atrium itur, *contra portam aquilonis*
et orientalem, id est, ex adverso respicie-
bat portam aquilonarem exteriorem. Ha-
buit quoque dextrum latus suum contra
portam orientalem præscriptam. Vel, ut
alii dicunt, littera truncata est, indigens B
subintellectu : eritque sensus, quod etiam
porta orientalis atrii interioris, sit e regio-
ne contra portam orientalem atrii exterio-
ris. *Et mensus est a porta* aquilonari muri
secundi *usque ad portam* australem ejus-
dem muri, *centum cubitos.* Ista est latitudo
pavimenti, cujus latitudo infra patebit.
24 Deinceps describitur porta australis. *Et*
eduxit me ad viam australem, et ecce por-
ta quæ respiciebat ad austrum, id est, in
hac via mihi statim occurrit porta austra-
lis; *et mensus est frontem ejus et vestibu-* C
lum ejus juxta mensuras superiores, id
est eisdem mensuris quibus frontes at-
que vestibulum aliarum mensuravit por-
25 tarum, *et fenestras ejus,* haud dubium quin
obliquas, *et vestibula* partialia ex lateribus
portæ, quæ erant unum totale vestibulum,
in circuitu, sicut fenestras ceteras. Deni-
que circa illud, Juxta mensuras easdem,
scribit Richardus : Si ejusdem mensuræ
sunt omnes, quidquid in una minus dici-
tur, ex alterius descriptione suppleri vide-
26 tur. *Et in gradibus septem,* id est per se- D
ptem gradus, *ascendebatur ad eam,* scilicet
portam australem; *et vestibulum ante fores*
ejus. Istud omnino de præcedenti expla-
natum est porta. *Et cælatæ palmæ erant*
una hinc, et altera inde in fronte ejus, id
est in frontibus portæ : quæ habuit duas
frontes, ad quodlibet latus unam; et in
qualibet fuit una palma cælata, ornata ac
picta. De palmarum cælatura seu palmis
cælatis dictum est supra; quod autem una
fuerit hinc, et altera inde, ibi dictum non
est. *Et porta* plane australis *atrii interio-* 27
ris in via australi fuit, eratque portæ au-
strali atrii exterioris opposita; *et mensus*
est a porta usque ad portam, id est ab una
porta hujus atrii usque ad aliam, scilicet
ab australi ad aquilonarem, seu econverso,
centum cubitos. Hæc fuit longitudo pavi-
menti inter has portas.
Deinde describuntur portæ tertii muri
interiorisque atrii : quæ portæ omnino
consimiles erant exterioribus portis, per-
paucis (quæ paulo post tangenda sunt)
demptis. *Et introduxit me in atrium in-* 28
terius, quod fuit inter tertium murum ac
templum, *ad portam australem* interiorem
tertii muri. *Et mensus est portam* hanc
juxta mensuras superiores aliarum porta-
rum. *Thalamum ejus et frontem ejus,* id 29
est frontes ac thalamos : ponitur enim sin-
gularis numerus pro plurali ; *et vestibu-*
lum ejus eisdem mensuris, et fenestras
ejus, et vestibulum ejus in circuitu, quin-
quaginta cubitos longitudinis, et latitu-
dinis viginti quinque cubitos. Omnia ista
de præmemoratis portis inducta sunt. *Et* 30
vestibulum per gyrum mensus est, utpote
longitudinem ejus viginti quinque cubi-
torum, et latitudinem quinque cubitorum.
Istud vestibulum, secundum Richardum,
inter thalamos fuit : siquidem inter tha-
lamos spatium ponitur quinque cubito-
rum. De isto quoque thalamo ante nil
dictum est. Et tamen, secundum Richar-
dum, sicut apud hanc portam, ita et apud
alias fuit, quum juxta Scripturam sit om-
nium una mensura.
Consequenter tanguntur, in quibus in-
teriores portæ ab exterioribus differunt. *Et* 31
vestibulum ejus ad atrium exterius. Su-
periores etenim portæ respiciebant intrin-
secus, et habebant porticus suas extrinse-
cus. Portæ vero tres interiores respiciebant
extrinsecus, et ibidem porticus suas ha-
bebant. *Et palmas ejus in fronte :* id est,
in frontibus suis habuit porta hæc pal-
mas, sicut et ceteræ. *Et octo gradus erant,*
quibus ascendebatur per eam. Hoc est
secundum, in quo tam porta ista interior,

quam aliæ duæ sequentes ac interiores, ab
exterioribus omnibus differunt, quod ha-
rum sunt octo gradus in ascendendo, il-
larum sunt septem. Nempe quum ædificia
ista in montis fuerint pendulo constituta,
per gradus ab inferiori exteriorique loco
ad superiora fiebat ascensus.

Insuper porta orientalis tertii muri de-
32 scribitur : *Et introduxit me in atrium*
interius per viam orientalem, quæ duxit
ad portam hanc orientalem, *et mensus est*
portam hanc *secundum mensuras superi-*
ores, ita quod portis superioribus porta
33 ista fuit in quantitate consimilis. *Thala-*
mum ejus et frontem ejus, id est cubicula
et frontes, *et vestibula ejus sicut supra,* id
est secundum quod hæc in prædictis su-
perius mensuratis portis erat æqualis. *Et*
fenestras ejus, et vestibula ejus in circui-
tu, longitudinem quinquaginta cubitorum,
et latitudinem viginti quinque cubitorum.
Omnia ista de præcedenti porta inducta
34 sunt. *Et vestibulum ejus,* scilicet portæ
* id est istius orientalis, mensus est, *et* atrii ex-*
terioris. Vestibulum istud quamvis esset
portæ ac atrii interioris, dicitur tamen es-
se atrii exterioris, quoniam extra portam
suam jacebat, ut dicit Richardus. *Et pal-*
mæ cælatæ in fronte ejus hinc et inde : id
est, in qualibet fronte hujus portæ fuit
una palma cælata ; *et in octo gradibus as-*
census ejus, id est, per octo gradus ascen-
debatur ad eam, sicut de præcedenti porta
innotuit.

Dehinc describitur porta aquilonaris ter-
35 tii muri. *Et introduxit me ad portam quæ*
respiciebat ad aquilonem, id est ad por-
tam aquilonarem interiorem : cujus men-
suratio omnino talis describitur, qualis et
portæ præcedentis, nec ulla est difficultas
in textu usque ad id :

38 *Et per singula gazophylacia ostium in*
frontibus portarum. In atrio enim interio-
ri sunt plura gazophylacia, quorum ostia
respiciunt non solum frontes portæ aqui-
lonaris, sed etiam aliarum, quarum fron-
tes sunt partim in atrio interiori. Unde,
secundum Richardum, quoniam ostia in
A frontibus gazophylaciorum erant, et ad
pavimenta ante interiores porticus jacen-
tia, omnia respiciebant, recte nunc dici-
tur, quia ostia gazophylaciorum in fron-
tibus porticuum* erant. *Et ibi lavabant* *portarum
holocaustum, id est carnes in holocausto-
rum altari cremandas, quod fuit in atrio
interiori. *Et in vestibulo portæ,* videlicet 39
aquilonaris, *duæ mensæ hinc,* id est in uno
latere, *et duæ mensæ inde,* id est in alia par-
te; *ut immoletur super eas holocaustum,* id
est sacrificium totaliter concremandum, *et*
B *pro peccato,* id est pro culpa commissionis,
et pro delicto, id est pro culpa omissionis.
Et ad latus exterius hujus aquilonaris 40
portæ, *quod ascendit ad ostium portæ quæ*
pergit ad aquilonem, quia per ipsum as-
cendebatur ad ostium portæ aquilonaris
per octo gradus, ut dictum est, *duæ men-*
sæ ; et ad latus alterum ejusdem portæ
ante vestibulum portæ, id est extra illud,
duæ mensæ. Quatuor mensæ hinc : qua- 41
tuor enim erant ad latus unum, videlicet
duæ intra vestibulum, et duæ extra illud ;
C *et quatuor mensæ inde :* nam simili modo
ad aliud latus fuerunt duæ mensæ inte-
rius, et duæ exterius. Ex quibus conclu-
ditur : *per latera portæ, octo mensæ erant,*
videlicet quatuor in quolibet latere, *super*
quas immolabant sacrificia offerentes.

Quatuor autem mensæ de prædictis *ad* 42
holocaustum deservientes *de lapidibus qua-*
dris exstructæ, longitudine cubiti unius
et dimidii, et latitudine cubiti unius et
dimidii, et altitudine cubiti unius : super
quas ponant vasa, in quibus immolatur
D *holocaustum et victima,* id est aliæ hostiæ
quæ non incendebantur totaliter, quemad-
modum holocaustum. *Et labia earum,* id 43
est mensarum, erant *palmi unius* in la-
tum : sumendo palmum non secundum
longitudinem manus, sed latitudinem, ut
sit dimensio quatuor digitorum ex trans-
verso ; *reflexa intrinsecus per circuitum,*
ut holocausta continerent intrinsecus, et
non passim fluere sinerent, secundum Hie-
ronymum, qui labia ista appellat coronas
mensarum ipsas margines ambientes. *Su-*

per mensas autem carnes oblationis, id est
oblatæ, ponebantur.
44 *Et extra portam interiorem,* interioris
videlicet atrii, *gazophylacia,* id est exe-
dræ seu thalami, *cantorum* templi, *in atrio
interiori quod erat in latere portæ respi-
cientis ad aquilonem,* id est aquilonaris
portæ. Circa hunc locum expositores dis-
cordare videntur. Richardus namque et
alii multi affirmant, quod in atrio simpli-
citer interiori non erat nisi altare holo-
caustorum : unde gazophylacia ista con-
stituunt extra portam, in atrio quod erat
ante templum, jacuitque in medio. Propter
quod diversis respectibus dici potest inte-
rius, itemque exterius. Alii tenent, quod
gazophylacia hæc fuerunt in atrio simpli-
citer interiori, et isti per Extra, intelligunt
as Citra Circa*. Unde Hieronymus scribit : Ingredi-
tur Ezechiel templum, hoc est Sancta san-
ctorum, de quibus nunc dicit, Et intra
portam interiorem, etc. Verumtamen ne-
scio an liber quem habeo, hoc loco corre-
ctus sit : nam in textu ponit Hieronymus,
Extra portam. *Et facies,* id est ostia, *eo-
rum contra viam australem,* id est, contra
austrum respiciebant. *Una* facies gazophy-
lacii seu unum gazophylacium erat *ex la-
tere portæ orientalis, quæ respiciebat ad
viam aquilonis.*
Jam dixit, quod duo gazophylacia atrii
interioris erant pro cantoribus ; conse-
quenter ostendit, quod alia ejus duo gazo-
45 phylacia pro sacerdotibus fuerant. *Hoc
gazophylacium, quod respicit viam meri-
dianam,* ex transverso, secundum quos-
cubant dam, *sacerdotum qui excubabant* in cu-
stodiis templi,* observantes ut omnia ibi
46 debite peragantur. *Porro gazophylacium
quod respicit ad viam aquilonis, sacer-
dotum erit qui excubant ad ministerium
altaris,* vigilanter intuentes ut hoc decen-
ter impleatur. Horum duorum gazophyla-
ciorum primum fuit, secundum Richar-
dum, propinquius templo : ideo esse debuit
A sacerdotum, qui excubabant in custodiis
templi : nam hi digniores fuerunt servien-
tibus in altari. Utrisque autem sacerdo-
tibus quod subditur convenit, secundum
Hieronymum et Richardum. *Isti sunt filii
Sadoc, qui accedunt de filiis Levi ad Do-
minum, ut ministrent ei.* Sunt enim de
tribu Levi per Aaron et Eleazarum filium
ejus.
Præterea determinatur mensura atrii in-
terioris. *Et mensus est atrium,* puta in- 47
terius, *longitudinem* ejus *centum cubito-
B rum, et latitudinem centum cubitorum
per quadrum :* ita quod longitudo et latitu-
do erant ejusdem mensuræ; *et altare ante
faciem templi :* altare quippe in hoc atrio
fuit quod jacuit ante templum.
Et introduxit me in vestibulum templi. 48
Et mensus est vestibulum istud *quinque
cubitis hinc, et quinque cubitis inde :* ita
quod quælibet pars vestibuli hujus habuit
quinque cubitos, una ex una parte, et al-
tera ex altera : sic quod totum habuit cu-
bitos decem. *Et latitudinem portæ* interio-
C ris, per quam fuit ingressus ad vestibulum
templi, *trium cubitorum hinc, et trium
cubitorum inde.* Porta hic sumitur pro po-
stibus ejus, quarum quælibet habuit tres
in latitudine cubitos. *Longitudinem au-* 49
tem vestibuli mensus est esse *viginti cu-
bitorum, et latitudinem undecim cubito-
rum. Et octo gradibus ascendebatur ad
eam,* scilicet portam præfatam. Ut tangit
Hieronymus, in Hebræo non ponitur Octo,
sed ipse ponendo Octo, secutus est Sym-
machum, quia in prædictis interioribus
D portis determinati sunt octo gradus in as-
cendendo, unde alii posuerunt plures gra-
dus. *Et columnæ erant in frontibus* por-
tæ, secundum Hieronymum, *una hinc, et
altera inde.* De quibus dicit Richardus :
Has columnas credimus sitas hinc inde
e regione contra prædictos tres cubitos
portæ, ubi mensus est latitudinem portæ
tres cubitos hinc, et tres inde.

ARTICULUS XLVII

ELUCIDATIO LITTERALIS EJUSDEM CAPITULI QUADRAGESIMI.

SENSUS litteralis sacræ Scripturæ non semper est ille qui prima facie per terminos significatur, sed qui principaliter intenditur. Quamvis igitur expositio præsentis capituli præhabita, aliquo modo litteralis vocetur, in quantum ostenditur quod ipsa templi descriptio, quantum ad primam terminorum significationem, impossibilitatem nequaquam contineat, non tamen est proprie litteralis, sed quod per res prima terminorum illorum significatione designatas significatur. Denique in principio præinducti articuli breviter tactum est, qualiter tam catholici quam Hebræi expositores capitulum istud variis modis exponunt.

Quamvis vero communiter Catholici reprobent opinionem antiquorum Hebræorum, per templi ac civitatis Ezechieli imaginarie ostensorum ædificationem, intelligentium reparationem templi ac urbis Jerusalem post reditum de Babylonica captivitate (siquidem templum illud et illa Jerusalem valde exigua fuerunt, comparatione templi et urbis de quibus vaticinatur Ezechiel, sicut patebit lucidius : et nunc eatenus tangi potest, quod circuitus templi Ezechielis quatuor milliaria continebat) ; nihilo minus quidam nostrorum affirmant, quod per visionem templi et civitatis imaginariam, intelligi potest ædificatio materialis templi urbisque post reditum a Chaldæa, quamvis non eo modo quo posuerunt Hebræi. Promissiones namque et comminationes veteris Testamenti, quamvis absolute proponebantur, frequenter tamen conditionaliter intelligebantur, videlicet nisi Judæi aliud mererentur : illa quoque conditio aliquando exprimebatur. De quo quasi innumerabiles possent au-
A ctoritates adduci. Dicunt ergo, quod si Judæi post reditum a Babylone, debite coram Deo se habuissent, obtinuissent ac construxissent templum ac civitatem juxta omnem formam Ezechieli monstratam. De hac opinione pertranseo, tum quia Lyra eam satis prosequitur, tum quia omnino incerta est. Verumtamen S. Hieronymus super illud Isaiæ : Surge, illuminare, Jerusalem, aliquid simile ponit : quod scilicet promissiones illic factæ Judæis, fuissent corporaliter impletæ, si credidissent *Is.* LX, 1.
B in Christum. Sed hoc S. Hieronymus recitando vel opinando, non asserendo, conscribit.

Ceteri ergo sancti Patres ac orthodoxi doctores concorditer adstruunt, quod per ædificium templi Prophetæ ostensum, significata est spiritualis ædificatio Ecclesiæ Christi in sacramentis, fide ac moribus ; per civitatem vero ac terræ divisionem, de quibus infra dicetur, status ac regimen ejus in temporalibus ac terrenis. Quod ergo templum illud Ezechieli ostensum, tan-
C tæ magnitudinis exstitit (siquidem murus exterior in unoquoque quatuor laterum suorum quingentos habuit calamos, quæ faciunt milliare), id designavit, quod status Ecclesiæ sub Christo ac tempore evangelicæ legis, fuit quasi incomparabiliter in spiritualibus bonis ac donis Spiritus Sancti, in multiplicatione quoque fidelium, major, ditior atque sublimior, quam unquam ante. Per ea insuper quæ in nova sunt lege, multo evidentius quam per ea quæ in veteri fuerant lege, figurata sunt
D futura bona patriæ donaque gloriæ. Propter quod ad Hebræos dicit Apostolus : Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. Unde divinus *Hebr.* X, 1

ac magnus Dionysius statum evangelicæ A legis ponit inter statum veteris Testamenti statumque patriæ medium. Præterea ædificium templi situm fuit in spatio plene quadrato, ad insinuandum quod Christi Ecclesia spiritualiter construitur ex vivis lapidibus spiritualiter circumcisis atque quadratis, primo in fonte Baptismi, deinde in Pœnitentiæ sacramento : et ipsa Ecclesia per observantiam æquitatis, ad æqualitatem ex omni latere tendit. At vero templum hoc in monte fundatum est, hoc est in Christo, de quo in Daniele habetur, quod B
Dan. II, 35. crevit in montem magnum, et implevit universam superficiem terræ. Ipse quippe
I *Cor.* III, 11. est de quo scribit Apostolus : Fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Ipse quoque est petra de qua ipsemet pro-
Matth. XVI, 18. testatur : Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

2 Denique in hunc montem fuit Propheta adductus atque dimissus : quoniam revelante Spiritu Sancto, contemplabatur Filium Dei incarnandum, omniumque fide- C lium fundamentum futurum, et in hac contemplatione ad tempus quievit. Sed et mons iste non solum altus, sed et altus nimis describitur. Nam quamvis per humanitatem assumptam, ut Verbo unitam, totque charismatibus decoratam, cunctis quantumcumque sublimibus personis creatis emineat; tamen secundum quod verus est Deus, in infinitum excellit. Denique secundum utramque naturam competit Christo esse fundamentum Ecclesiæ : nam secundum divinitatis majestatem, ipse cum D Patre et Spiritu Sancto est unum universorum fidelium fundamentum primum, principale, summum, in nullo fundatum. Secundum naturam vero assumptam, est fundamentum quodammodo instrumentale, mediativum, alicui innitens atque fun-
I *Cor.* XI, 3. datum. Etenim quantum ad hoc, caput Christi Deus.

Super hunc montem, est ædificium quasi civitatis, id est Ecclesiæ : de qua fertur,
Ps. LXXXVI, 3. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei ; et, Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. *Ps.* XLV, 5.
De qua in libris de Civitate Dei pulcherrime loquitur Augustinus. In ea enim est fidelium gratiosa unio animarum. Præterea civitas ista vergebat ad austrum, ubi plenum est lumen gratiarum, Sol quoque justitiæ in summo cœli vertice positus. Unde in Canticis ait : Surge, Aquilo ; et *Cant.* IV, 16.
veni, Auster, perfla hortum meum, et fluent aromata illius. Fugatur nempe, secundum Hieronymum, de horto Domini Aquilo ventus durissimus, ne infrigidetur dilectionis calor, et flores marcescant. Hinc, juxta Gregorium, Auster ventus in Spiritus Sancti typo poni solet, quoniam in calore mentem relaxat et dilatat, ut in divino amore viam mandatorum percurrat. Per *Ps.* CXVIII, 32.
aquilonem vero designari solet diabolus, in torporis frigore cor constringens. Civitas ergo hæc ad austrum vergit, quoniam electorum Ecclesia cogitationes suas in afflatu Spiritus Sancti aperit, atque ab omni superbiæ suæ vertice atque timore discedens, in Deo cui credit, amoris calorem concipit, ut ei nil libeat, nisi divinæ gratiæ subjici, divino amore succendi, afflatus Spiritus Sancti dono semper repleri. *Et introduxit me illuc.* Cœlestis istius ci- 3
vitatis ædificium intrat, cujus fides per dilectionem operatur, cujus anima bonorum semitas speculando fortiter imitatur.

Et ecce vir, cujus erat species quasi species æris. Secundum beatissimos patres Hieronymum et Gregorium, qui per montem, etiam per virum signatur, videlicet Christus, qui vocat se pastorem et ostium : *Joann.* X, 11, 9; XIV, 6.
ipse namque est via, veritas et vita, perducitque nos ad se ipsum. De quo viro loquitur Zacharias : Ecce vir, Oriens nomen *Zach.* VI, 12; *Jer.* XXXI, 22.
ejus; et Jeremias, Mulier circumdabit virum. Cujus adspectus est, quasi adspectus æris : quod valde sonorum, forte atque durabile est. Christus autem non solum eloquentissimus fuit, sed ipse demum est verbum ac sermo omnipotentis Patris ; ipse quoque est virtus Dei, et dominatio ejus I *Cor.* I, 24;
in omni generatione et generatione ; qui *Ps.* CXLIV, 13; CI, 28.
idem ipse est, et anni ejus non deficient.

Quibusdam autem apparet aptius esse, ut A
alius per montem, aliusque per virum si-
gnetur. Potest ergo per virum quicumque
Christi vicarius accipi, puta prælatus ac
pastor, aut etiam angelus sanctus, quorum
ministerio ad Christi contemplationem,
amorem et cultum ceteri perducuntur. *Et
funiculus lineus in manu ejus.* Per hunc
funiculum lineum judiciaria Christi pote-
stas, atque scientia qua singulorum actus
cognoscit meritaque metitur, designantur :
qui funiculus ob scientiæ ac censuræ Chri-
sti subtilitatem ac sinceritatem, recte li- B
neus appellatur. *Et calamus mensuræ in
manu ejus.* Calamus iste est providentia
Sap. xi,21. sempiterna, qua omnia in numero, ponde-
re et mensura constituit. *Stabat autem in
porta.* Porta Ecclesiæ dicitur fides, per
quam primo fidelium societati unimur. In
hac porta stat Christus : quia per fidem
ipsum accedimus, et ipsum in ea inveni-
Ibid. i, 2. mus, juxta illud libri Sapientiæ : Apparet
eis qui fidem habent in ipsum. Vel, Chri-
stus stetit in porta, ad insinuandum quod
ipse est porta Ecclesiæ, secundum quod C
Joann. x, 7. ait : Ego sum ostium ovium ; et iterum :
Ibid. xiv, 6. Nemo, inquit, venit ad Patrem, nisi per me.
5 *Et ecce murus forinsecus in circuitu
domus undique.* Templum istud, ut pa-
tuit, triplici muro circumdatum fuit. Per
murum ergo hunc exteriorem universa
claudentem, divina protectio intelligitur,
atque custodia cuncta complectens, cir-
cumdans ac muniens : juxta illud in Psal-
Ps. cxxvi, 1. mo, Nisi Dominus custodierit civitatem,
frustra vigilat qui custodit eam ; et ite-
Ps. cxiv, 6. rum, Custodiens parvulos Dominus. Isaias D
Is. xxvi, 1. quoque ait : Urbs fortitudinis nostræ Sion,
Salvator ponetur in ea murus et antemu-
rale. *Et in manu viri calamus mensuræ
sex cubitorum et palmo.* His verbis, se-
cundum Hieronymum, significatur notam
esse Domino conversationem nostram, quæ
in sex diebus, quibus mundus factus est,
continetur ; notam etiam ei esse rationem
operum nostrorum : ut cubiti ad opera,
palmus ad mentem pertineant. *Et mensus
est latitudinem ædificii calamo uno, alti-*

tudinem quoque calamo uno. Secundum
Gregorium, latitudo ædificii ad caritatem,
quæ omnia intra se recipit, pertinet (unde
Apostolus ait : Cor nostrum dilatatum est); II Cor. vi, 11.
altitudo autem ad contemplationem. Lati-
tudo ergo et altitudo templi æquales scri-
buntur, quoniam unaquæque anima, quan-
tum fuerit lata in caritate, tantum elevatur
in contemplatione.
Et venit ad portam quæ respiciebat 6
viam orientalem, id est ad portam orien-
talem : per quam Gregorius intelligit ip-
summet Christum, qui est janua vitæ, et
de se ipso fatetur : Ego sum lux mundi. Joann. viii, 12.
Verum ut juxta distinctionem litteræ, sit
et distinctio expositionis, et ne idem sæpe
reiteretur, per portam orientalem potest
intelligi fides formata seu illustrata, vel
portio fidelium contemplativa. *Et ascendit
per gradus ejus :* quia per diversos pro-
fectus virtutum moralium aptatur anima
contemplativa, ut ad eam perveniat exu-
berantius Christus Dei sapientia increata.
Et mensus est limen portæ calamo uno.
Per limen portæ istius, intelligitur vita ac-
tiva seu operatio virtuosa, a qua tanquam
a limine surgit ac incipit vita contempla-
tiva, fidei quoque illustratio copiosa atque
theorica : cujus vitæ activæ mensura po-
nitur sex cubitorum ac palmi, prout jam
ex verbis sancti Hieronymi claruit. *Et tha-* 7
*lamum uno calamo in longum, et uno ca-
lamo in latum.* Per calamum hic singulari-
ter positum, intelliguntur sex calami, sicut
in præcedenti articulo dictum est. Thala-
morum ergo, secundum Hieronymum, lon-
gitudo et latitudo pari mensurantur mensu-
ra, quoniam in electis opera ratioque con-
sentiunt. Porro, secundum Gregorium, in
thalamo sponsus et sponsa fœderantur, et
sibi invicem in amore junguntur. Qui ergo
sunt thalami in sancta Ecclesia, nisi eorum
corda qui per spiritualem amorem Spon-
so invisibili copulantur? quorum longitudo
ad longanimitatem exspectationis, latitudo
ad amplitudinem pertinet dilectionis. *Et
inter thalamos quinque cubitos.* Sicut per
thalamos designati sunt contemplativi, in

quorum mentibus per speculationes the-
oricas Sponsus cœlestis quiescit : ita per
quinque intermedios cubitos, exprimun-
tur activi adhuc plurimum imperfecti,
quinque corporis sensibus pressi : qui
subtilia atque secreta penetrare non va-
lentes, tanto minus in Creatoris sui con-
templativo amore amorosaque contempla-
tione quiescunt, quanto plus sensibilibus
illigantur. Isti ergo thalami non sunt, sed
inter thalamos collocantur, quia per spiri-
tuales ac contemplativos viros ad mentis
profectum ducuntur, instruuntur, ædificii-
que cœlestis fabricæ connectuntur, ne a
mystico Christi corpore separentur.
9 *Et mensus est vestibulum portæ octo cu-
bitorum.* Istud de vestibulo portæ secundæ
ac muri medii dicitur. Subditur enim : *ve-
stibulum autem portæ erat intrinsecus.*
Hujus ergo vestibuli octo sunt cubiti : quia
proficientibus atque interna gustare inci-
pientibus octo beatitudines competunt. *Et
frontem ejus duobus cubitis :* quæ vel ad
duo præcepta caritatis, vel ad duo testa-
menta, vel ad litteram ac spiritum refe-
runtur : quibus omnibus tanquam fronti-
bus beatitudines, vel illi quibus beatitudi-
10 nes competunt, decorantur. *Porro thalami
portæ ad viam orientalem, tres hinc, et
tres inde; mensura una trium.* Jam di-
ctum est, per thalamos, contemplativos in-
telligi; per portam autem orientalem, fi-
dem illuminatam seu radiosam, seu vitam
theoricam. Thalami ergo sex fuisse nar-
rantur, ad innuendum quod universi con-
templativi sex ætatum mundi, ad fidem
catholicam et ecclesiasticam pertinent uni-
tatem : fueruntque tres hinc et tres in-
de, ad distinctionem eorum qui Christi
adventum præcesserunt atque secuti sunt.
Horum est una mensura, idem judicium,
æqualeve meritum, saltem in genere. Rur-
sus thalami hinc et inde tres fuerunt :
quoniam contemplationis gratiam alii in
castitate conjugali, alii in castitate viduali,
alii in castitate virginali sortiti sunt. *Et
mensura una frontium ex utraque par-
te.* Frontes thalamorum, sunt virtuosa ex-

A empla contemplativorum, quibus et ip-
si ornantur ac dignoscuntur, et proximi
ædificantur ac instruuntur. Harum fronti-
um ex utraque parte thalamorum est una
mensura, quemadmodum et thalamorum.
Et mensus est latitudinem liminis por- 11
tæ decem cubitorum. Jam nomine portæ,
fidem intelligi dixi. Limen autem hujus
portæ est timor, qui initium sapientiæ ap- *Ps.* cx, 10;
pellatur, quia per eum fides succrescit in *Eccli.* i, 16.
altum ac irradiatur : qui timor est decem
cubitorum, quoniam per custodiam perfi-
B citur decem præceptorum, extenditurque
in observationem eorum. *Et longitudinem,*
id est altitudinem, *portæ tredecim cubito-
rum :* quoniam decem præceptorum im-
pletio, per tres virtutes theologicas ad ob-
tinenda bona æterna erigitur, finaliterque
refertur. *Et marginem ante thalamos cu-* 12
biti unius. Per marginem humilitas rite
accipitur, quæ est velut quædam planities
ante apicem contemplationis, et iter ad
eam : in qua planitie Sponsus cœlestis cum
Sponsa deambulat, atque per eam ad ip-
C sam subintrat. Et quia humilitas intra pro-
prios limites manet, modicisque contenta
est, unius cubiti esse describitur. *Et cu-
bitus unus, finis utrumque**. Utrumque, * alias
secundum Gregorium dicitur, quasi utro- *utrinque*
rumque, videlicet timoris seu fidei et hu-
militatis : quæ tria sunt bases virtutum, et
proportionabiliter commensurantur ac cre-
scunt. *Thalami autem sex cubitorum erant
hinc et inde.* Per senarium cubitorum, qui
est numerus perfectus, insinuatur consum-
matio contemplativorum tempore legis ac
D gratiæ.
Et mensus est portam a tecto thalami, 13
*usque ad tectum ejus, latitudinem viginti
quinque cubitorum.* Quemadmodum por-
tam fidem, ita tectum thalami contempla-
tionis operationem* opinor; duoque tecta **alias* oper-
thalamorum, mysterium superbeatissimæ tionem
Trinitatis et sacramentum incarnationis
Verbi queunt intelligi : quæ sunt duo
principalia, fidem hinc inde respicientia.
Horum latitudinalis inter se per fidem di-
stantia, viginti quinque cubitorum asseri-

tur, quoniam unum alio incomprehensi- A
bilius valde est.
14 *Et fecit frontes per sexaginta cubitos.*
Frontes portæ, sunt respectus seu facies
fidei concernentis opera sex dierum : et
quoniam per decem præceptorum obser-
vantiam fides ornatur, quoad quamlibet
faciem ejus, merito frontes ejus per sexa-
ginta cubitos mensurantur : sexies enim
decem, sexaginta efficiunt. *Et ad frontem
atrium portæ undique per circuitum.* Ante
has fidei frontes seu facies, est atrium fi-
dei, id est amplitudo eorum quæ cadunt B
sub fide, quæ tanquam objecta ipsius, ad
eam vel ante eam in gyro esse feruntur.
15 *Et ante faciem portæ, quæ pertingebat us-
que ad faciem vestibuli portæ interioris,
quinquaginta cubitos.* His verbis interior
ante portam hanc locus describitur, dum
usque ad faciem vestibuli portæ interioris
pertingere perhibetur. In hoc igitur fidei
loco sunt æterna atque divina sub fide ca-
dentia, in quorum visione quies æterna et
tota nostra beatitudo consistit. Quumque
quinquagenarius numerus ad jubilæum C
pertineat, requiemque æternam designet,
recte in hoc loco quinquaginta cubitorum
16 exprimitur numerus. *Et fenestras obliquas
in thalamis.* Fenestræ obliquæ in thala-
mis, sunt capacitates et habitus contem-
plativorum, per quæ divinæ illustrationis
claritatem suscipiunt : quæ capacitates ac
habitus seu virtutes fenestris obliquis, id
est extra angustis et intra latis, comparan-
tur, quia per eas increatæ lucis splen-
dorem quasi tenuiter participamus, per
quem tamen intus non parum, sed late se- D
cundum nostræ parvitatis mensuram per-
fundimur. Istæ fenestræ fuerunt *in fron-
tibus* atque *vestibulis :* quia non solum
eorum qui in altis Ecclesiæ locis ac gradi-
bus sunt, corda Spiritus Sanctus illustrat,
sed et eorum qui inferioris sunt ordinis,
atque despecti videbantur hominibus, unde
per vestibula denotantur. *Et ante frontes
pictura palmarum,* id est descriptio cœle-
stium triumphorum. Nempe per palmas,
quæ dantur victoribus, juxta illud Apoca-
lypsis, Palmæ in manibus eorum, præmia *Apoc.* VII, 9.
victoriæ designantur : quæ in templo Dei
fidelium oculis quotidie proponuntur, et
quasi picta monstrantur, imo studiosorum
mentibus instar picturæ tenaciter impri-
muntur.
Et eduxit me ad atrium exterius. Sicut 17
in præcedenti articulo patefeci, atrium is-
tud est medium inter extremum et inti-
mum : idcirco et interius et exterius ap-
pellatur. Per quod status proficientium
intelligi potest : sicut per atrium exterius,
status incipientium; atque per atrium in-
terius, status perfectorum. Nihilo minus
per tria hæc atria congrue designantur
tres virtutes theologicæ, vel vita conjuga-
torum et monasticorum, itemque eorum
qui inter hos mediam viam incedunt. *Et
ecce gazophylacia.* Per gazophylacia (quæ
sunt loca in quibus conservantur divitiæ)
intelliguntur, secundum Gregorium, corda
eorum qui donis Spiritus Sancti sapientia
atque scientia pleni sunt, juxta illud in
Isaia : Divitiæ salutis sapientia et scientia. *Is.* XXXIII, 6.
*Et pavimentum stratum lapide in atrio
per circuitum.* Pavimentum istud est basis
spiritualis structuræ virtutum, sive id no-
minetur humilitas, sive timor, sive fides, si-
ve constantia mentis in Deo, sive Pœniten-
tiæ sacramentum. Estque pavimentum hoc
pretiosis stratum lapidibus, id est virtuo-
sis ornatum operibus, ne luto aut pulvere
vitiorum maculentur Christifideles profi-
cere satagentes. *Triginta gazophylacia in
circuitu pavimenti :* quatenus, juxta Hie-
ronymum, perfectam habitantium demon-
strarent ætatem ; vel, secundum Gregori-
um, ad innuendum quod impletio decem
præceptorum, in fide Trinitatis fieri de-
bet; vel ideo, quoniam præceptorum isto-
rum custodia ad tres pertinet status Eccle-
siæ, imo et ad tria tempora ejus, puta ad
tempus legis naturæ, ad tempus legis scri-
ptæ, ad tempusque gratiæ. Denarius autem
numerus per ternarium multiplicatus, ad
tricesimum usque pertingit. *Et pavimen-* 18
*tum in fronte portarum, secundum longi-
tudinem portarum, erat inferius.* Funda-

mentum enim humilitatis in fide fundatum secundum fidei considerationes, manet in imo fabricæ spiritualis.

19 *Et mensus est latitudinem* pavimenti *a facie portæ inferioris, usque ad frontem atrii interioris extrinsecus, centum cubitos ad orientem et ad aquilonem.* His verbis docetur, quod humilitas, timor, seu reliqua spiritualia pavimenta, sua extensione ad omnia prætenduntur. Quod per centum cubitos designatur : centum quippe est numerus magnæ perfectionis.

Descripta porta orientali muri secundi, jam describitur ejusdem muri porta aquilonaris : quæ portæ sicut conformiter describuntur in textu, ita et consimiliter exponuntur. Eædem etenim proprietates diversis fidelibus competunt, sed gradatim. Hinc et porta australis post aquilonarem similiter describitur; nec quæ dicta sunt, arbitror resumenda, quum ad has portas faciliter valeant applicari. Verumtamen per portas trium murorum, intelligenda est fides secundum triplicem suæ perfectionis gradum. Et sicut per portam orientalem intelligitur fides illuminata ac radiosa, quæ est cum rationibus credendorum et purgatæ mentis intelligentia : ita per portam aquilonarem accipitur fides, secundum quod reproborum supplicia respicit ; per portam vero australem, in quantum electorum felicitatem concernit. His nempe tribus modis, quidam per fidem intrant Ecclesiam seu ecclesiasticam vitam. Nam aliqui consideratione suppliciorum convertuntur; aliqui, intuitu præmiorum; aliqui, ratione miraculorum, et reliquorum quibus fides christiana a Deo data ostenditur. In omnibus tamen præmemoratæ virtutes necessariæ sunt, sed aliis et aliis sublimiori ac sublimiori modo conveniunt.

Denique, sicut in littera declaratur, ad exteriores portas ascendebatur per septem gradus : qui intelliguntur septem dona Spiritus Sancti, ab inferioribus, puta a dono timoris, inchoando : quibus donis ad perfectissimam fidem pertingitur, non so- A lum in credendo et cognoscendo, sed etiam in agendo ac patiendo. Porro ad tres interiores seu tertii muri portas, per octo gradus ascenditur : ad altiorem namque virtutum verticem difficilius pervenitur. Unde per gradum octavum, prædictis adjectum, intelligenda est, secundum Gregorium, consiliorum adimpletio, quæ ad christianæ legis perfectionem deducunt, quemadmodum ait Salvator : Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veniens sequere me. *Matth.* XIX, 21.

B Insuper, sicut præhabitum est, sex exteriores portæ respiciebant intrinsecus, et habebant porticus suas extrinsecus ; sed tres portæ interiores respiciebant extrinsecus, et ibidem porticus suas habebant. Cujus ratio est, quoniam incipientes et proficientes, necessario habent ad se ipsos respicere, ne vincantur, et ut concrescant : perfecti vero, jam bono communi principaliter sunt intenti, atque ad alios per compassionem, subventionem et directionem conspiciunt; et ibidem porticus suas C habent, quia sub alis suæ defensionis proximos affectuose suscipiunt. Superiores quoque sex portæ, porticus suas habebant extrinsecus, quia et incipientes ac proficientes, juxta modulum suum subveniunt proximis. His dictis, patet littera usque ibi :

Et per singula gazophylacia ostium in 38
frontibus portarum. Gazophylacia sunt corda fidelium, præsertim contemplativorum atque doctorum, spiritualium divitiarum conservativa. Frontes autem portarum, D sunt verba et exempla eorum. In quibus frontibus ponitur ostium, quia per verba doctrinalia et opera exemplaria eorumdem alii ad regnum cœleste ducuntur ac intrant. *Ibi lavabant holocaustum.* Qui se ipsos Deo totaliter devoverunt, aut ejus se cultui integraliter manciparunt, holocausta Dei efficiuntur. Verumtamen, quia quotidie venialibus saltem peccatis maculantur, multipliciterque defectuosi redduntur, ita ut omnes eorum justitiæ panno menstruatæ comparentur; opus eis est, in prætactis *Is.* LXIV, 6.

portarum frontibus per pœnitentiæ fletus A
lavari, ac per ceteros virtutum actus, de-
votionis dilectionisque lacrimis expurgari.
Quod tunc apte adimplent, dum sanctorum
patrum vitam ac mores perpendunt, sic-
que comparatione eorum imperfectionem
suam deplorant et corrigunt.

39-41 Deinde in littera octo mensæ describun-
tur, quæ qualiter sitæ sint, in præcedenti
articulo patuit. Itaque per quatuor mensas
infra vestibulum portæ contentas, intelligi
potest quadruplex sacræ Scripturæ intelle-
ctus, mentes fidelium spiritualiter nutri- B
ens, scilicet sensus litteralis, tropologicus,
allegoricus, anagogicus. Super has mensas
offertur holocaustum, victimaque pro pec-
cato commissionis, et delicto omissionis :
quæ victima est quodcumque opus satis-
factionis. Hæ mensæ sunt intra vestibulum
portæ, per quod perfectorum ordo seu nu-
merus designatur : talium enim est, mul-
tiplices Scripturarum intelligentias pene-
trare. Insuper, per quatuor mensas extra
locatas, intelligi potest quadriforme genus
Scripturæ, videlicet lex et prophetia, Evan- C
gelium et Apostolorum doctrina. Vel certe
quatuor mensæ istæ, quatuor sunt virtu-
tes, in quibus per omnia sacrificia nostra
Deo præcipue immolamus, vel obsequia
nostra fundamus, videlicet fides et caritas,
Rom. XIV, 23. pœnitentia et latria. Quidquid enim non
est ex fide, peccatum est, secundum Apo-
I *Cor.* XIII, 1-3. stolum; et sine caritate nihil est merito-
rium. Porro post virtutes theologicas, pœ-
nitentia et latria præcipue ad Deum nos
ordinant.

42 *Quatuor autem mensæ ad holocaustum,* D
ut dictum est, *de lapidibus quadris,* id est
solidissimis patrum sententiis seu actibus
virtuosis, *exstructæ,* sive ab ipsis viris
perfectis ac justis, *longitudine cubiti unius
et dimidii, et latitudine cubiti unius et
dimidii.* Per quod designatur, quam im-
perfecta omnino sit sapientia viatorum,
etiam illorum qui aliis sapientiores viden-
Ibid. XIII, 9. tur. Ideo dicit Apostolus : Ex parte cogno-
Job XXXVII, 19. scimus. Et in libro Job legitur : Nos quippe
involvimur tenebris. *Et altitudine cubiti
unius :* quoniam sapientia viatorum, per
comparationem supernorum civium, mi-
nor est, quam si ad alios referatur pere-
grinantes in terra. *Super quas ponant va-
sa, in quibus immolatur holocaustum et
victima.* Vasa ista super præfatas mensas
ponenda, sunt exercitia virtuosa, in præ-
dictis virtutibus ac doctrinis fundanda, vel
animæ devotorum, quæ verbum vitæ sus-
cipiunt, ut ex eorum mentibus holocau-
stum vitæ ac orationis immoletur. *Et labia* 43
*earum palmi unius, reflexa intrinsecus
per circuitum.* Labia ista mensarum, sunt
circumspectio cordis seu seriosa custodia
mentis, ne quid sacrificii spiritualis exci-
dat menti. Quæ labia sunt cubiti unius,
quoniam in altum non eriguntur per vani-
tatem, sed manent in inferioribus per hu-
militatem : quæ intrinsecus sunt reflexa
per gyrum, hoc est ad propriæ imper-
fectionis considerationem ex omni parte
conversa. *Super mensas autem carnes ob-
lationis.* Dum juxta sacræ Scripturæ sapi-
entialem discretionem corpora nostra ca-
stigamus, carnes oblationis super præfatas
mensas locamus, implentes illud Apostoli
ad Romanos : Exhibeatis corpora vestra *Rom.* XII, 1.
hostiam viventem, sanctam, Deo placen-
tem, rationabile obsequium vestrum.

Et extra portam interiorem, gazophy- 44
lacia cantorum. Gazophylacia cantorum
sunt devotissima corda, Creatorem suum
die ac nocte laudantia, quibus et dicitur :
Cantate Domino canticum novum. *In atrio* *Ps.* XCV, 1; XCVII, 1; CXLIX, 1.
interiori : quoniam sunt in statu perfecto-
rum; *quod erat in latere portæ respicien-
tis ad aquilonem :* nam isti adhuc tempo-
raliter sæculi tentationibus quatiuntur. *Et
facies eorum contra viam australem :* id
est, plenam divinæ lucis claritatem, quæ
nomine austri exprimitur, adspiciunt ac
suspirant; *una ex latere portæ orientalis.*
Unus namque cordium horum respectus
est ex parte fidei radiosæ. *Hoc gazophy-* 45
lacium, quod respicit viam meridianam,
puta australem jam dictam, *sacerdotum
qui excubabant in custodiis templi,* id est
sacerdotum majorum, prælatorum atque

pastorum, qui dominicum gregem custo-
diunt : de quo grege scribit Apostolus,
I Cor. iii, 17. Templum Dei sanctum est, quod estis vos.
Qui ergo orando, prædicando, bene agen-
do, sapienter regendo, aliis præsunt, in
templi custodiis excubant : unde et corda
eorum ad plenam divinæ sanctitatis lucem
46 expansa sunt. *Porro gazophylacium quod*
respicit ad viam aquilonis, sacerdotum
erit qui excubant ad ministerium alta-
ris. Isti sunt inferioris dignitatis presbyte-
ri, qui aliis in minoribus cooperantur, et
eos qui ab aquilone sunt, puta carnales ac
frigidos, respicere habent : suntque ad mi-
nisterium altaris intenti, in quo corpus
per pœnitentiæ actus affligitur. *Isti sunt*
filii Sadoc. Per Sadoc (qui justus sive ju-
stificans interpretatur) intelligitur Chri-
Act. xiii, 39. stus, de quo dicit Apostolus : In hoc omnis
qui credit justificatur. Cujus spirituales
filii, sunt sacerdotes evangelicæ legis. *Qui*
accedunt de filiis Levi, id est populi chri-
stiani a Deo assumpti (Levi equidem in-
terpretatur assumptus), *ad Dominum, ut*
ministrent ei in Ecclesia militanti. Qui
etiam dici possunt filii Sadoc et Levi vete-
rum patrum, per imitationen virtutum, et
similitudinem ordinum.
47 *Et mensus est atrium, longitudinem*
centum cubitorum, et latitudinem centum
cubitorum per quadrum. Per atrium istud
interius, amplitudo ac numerus perfecto-
rum signatur, quorum longitudo in longa-
nimitate spei, et latitudo in eminentia ca-
ritatis est centum cubitorum : per quod
summa perfectionis exprimitur, quatenus,
secundum Hieronymum, in consummato
virtutum numero commorentur. *Et altare*
ante faciem templi. Altare istud, est ara
caritatis, seu mens devota, in qua Deo sa-
crificium laudis offertur in conspectu fi-
delium. Quidam altare hoc dicunt holocau-
storum, per quod intelligunt Eucharistiæ
sacramentum, in quo Christus offertur quo-
tidie ; per gazophylacia autem cantorum
ac sacerdotum, accipiunt merita celebran-
tium et eis ministrantium.
Hucusque exposuit sanctus Gregorius
A præsens capitulum. Residuam ejus par-
tem, et sequentia septem capitula, propter
gravissimam tunc Urbis obsidionem, non
exposuit.
Et introduxit me in vestibulum templi. 48
Per quod intelliguntur, qui ex singulari
gratia Deo præ ceteris vicinius familiarius-
que propinquant, filialem semper in ipso
habentes fiduciam. *Et mensus est vestibu-*
lum quinque cubitis hinc, et quinque cu-
bitis inde : quoniam isti quinque spiri-
tualibus sensibus a Spiritu Sancto edocti
B sunt. *Et latitudinem portæ trium cubito-*
rum hinc, et trium cubitorum inde. Quod
ad supergloriosissimæ Trinitatis mysterium
pertinet, sine cujus fide ex nulla jam par-
te ad vitam gloriæ patet ingressus. *Longi-* 49
tudinem autem vestibuli viginti cubito-
rum : quia Decalogum affectu atque effectu
custodiunt, in adversis quoque et prospe-
ris, spei longanimitatem observant ; *et la-*
titudinem undecim cubitorum : quoniam
et in operibus caritatis, quia vicissim de-
ficiunt, pœnitentiæ actibus interdum in-
C sistere egent. Per undenarium namque,
peccata vel opera pro peccatis satisfactoria
designantur. Unde in tabernaculo Moysis
jussa sunt fieri undecim saga cilicina, per Exod. xxvi, 7.
quæ pœnitentiæ opera figurantur. *Et octo*
gradibus ascendebatur ad eam. Hoc jam
supra expositum est. *Et columnæ erant in*
frontibus, una hinc, et altera inde. Colum-
næ in frontibus portæ templi, sunt viri
perfecti, sublimes atque fortissimi, aliorum
imbecillitatem sustentantes ac roboran-
tes : qui sunt velut robur ac stabilimen-
D tum fidelium, sicut loquitur Paulus, quod Galat. ii, 9.
Cephas et Jacobus et Joannes videbantur
columnæ esse. In Apocalypsi quoque Do-
minus protestatur : Qui vicerit, faciam il- Apoc. iii, 12.
lum columnam in templo meo.
Itaque, sicut ex omnibus præinductis
elicitur, templum muro triplici cingeba-
tur. Per murum ergo exteriorem, ut di-
ctum est, quidam intelligunt protectionem
divinam ; per medium murum, custodiam
angelicam, juxta illud, Angelis suis man- Ps. xc, 11.
davit de te ut custodiant te in omnibus

viis tuis; per murum interiorem ac minimum, custodia humana per prælatos. Denique intra muros istos est aditus ex triplici parte : per quod designantur tres partes terræ, Asia, Africa et Europa, ex quibus multi sunt ingressi Ecclesiam. Verum circa hoc merito dubitatur, quum sint quatuor plagæ partesque terræ, cur in occidentali muro, seu ex parte occidentis, portæ nullæ fuisse scribantur, præsertim quum ex hac quoque parte terræ, sicut ex ceteris, sint multi Ecclesiam ingressi, Christo dicente : Multi ab oriente et occidente venient. Hujus solutionem non facile cerno, nisi ad spiritualia recurrendo.

Matth. VIII, 11.

Insuper, ex qualibet trium partium prædictarum sunt tres portæ, in tribus muris ex opposito se respicientes : per quas intelligunt tres gradus seu status credentium, puta incipientium per portam exteriorem ac primam, proficientium per portam secundam, perfectorum per tertiam. Per vestibulum autem portæ, intelligunt gratiam prævenientem, vel bonam voluntatem. Per porticum vero, gratiam subsequentem seu virtuosam operationem. Per duas frontes portarum, intelligunt patientiam in adversis, et humilitatem seu modestiam in prosperis. Porro per thalamos, intelligunt pacem, quæ duplex est, interna videlicet et fraterna. Nam sicut in thalamo homines dormiunt, ita in pace quiescunt, juxta quod scriptum est : Factus est in pace locus ejus ; et rursus, In pace in id ipsum dormiam et requiescam. Quum ergo duplex sit pax, ex utraque parte sunt thalami ; tres quoque ex una parte, quia pacem internam tria efficiunt, quæ sunt, conscientia munda, amicitia divina, sufficientia moderata ; et tres ex alia parte, quoniam pacem fraternam tria constituunt, humilitas, justitia, refrenatio linguæ. Postremo, per octo mensas intelligunt quatuor partes veteris legis, et quatuor novæ. Vetus etenim lex, dividitur in libros legales, historiales, prophetales, ac sapientiales. Pariformiter dividitur lex evangelica, eo quod libris legalibus correspondeant quatuor Evangelia ; historialibus, Actus apostolorum ; sapientialibus, epistolæ Pauli et septem Canonicæ; prophetalibus autem, Apocalypsis. De his octo partibus Scripturarum, quasi de octo mensis, reficitur plebs fidelis, quoniam non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.

Ps. LXXXV, 3. *Ps.* IV, 9. *Deut.* VIII, 3. *Matth.* IV, 4.

Nulli autem expositio ista de templo Prophetæ ostenso, inepta, irrationabilis seu incredibilis videatur : si tamen modum loquendi sanctorum Prophetarum agnoscit : quorum consuetudo est, per corporalia spiritualia designare ; nominibus quoque rerum veteris Testamenti, ea quæ ad novum pertinent testamentum, insinuare, eo quod totus status Synagogæ fuit figura status Ecclesiæ. Sed et præclarus theologus divinus Dionysius sapientissime docet, cur sacra Scriptura subinde obscure metaphoriceque loquatur : quatenus studiosæ mentes salubriter exerceantur, atque indignis veritas occultetur. Quod autem descriptio templi hujus eo modo non possit intelligi quo ipsam exponunt infideles Judæi, ex aliis veteris Testamenti Scripturis facillime atque copiosissime valet probari : et forte in fine operis hujus, si Spiritus veritatis sic ordinaverit, ostendetur.

ARTICULUS XLVIII

EXPLANATIO CAPITULI QUADRAGESIMI PRIMI : ET INTRODUXIT ME IN TEMPLUM.

POST multos progressus, tandem sanctus propheta Ezechiel in ipsum templum perducitur, cujus nunc descriptionem
1 prosequitur. *Et introduxit me* angelus, cujus ministerio omnia ista per imaginariam visionem mihi ostendebantur, *in templum* infra tres muros, de quibus in præcedenti articulo dicebatur, contentum. *Et mensus est frontes* ipsius templi, secundum Hieronymum, id est superficies parietum, quorum alter fuit ex una parte aperturæ ostii, alter ex altera parte, *sex cubitos latitudinis* quantum ad unam frontem *hinc*, id est ex una parte jam dicta, *et sex cubitos latitudinis* in alia fronte *inde*, id est ex altera parte præfata. Unde, secundum Richardum, primo mensus est quantum latitudinis in latere portæ fuit usque parietem ligneum, qui latera quæ postea describuntur, ab interiori parte portavit ; secundo metitur quid latitudinis ex altera parte fuit. *Latitudinem tabernaculi :* id est, latitudo hæc frontium una cum latitudine aperturæ ostii, fuit latitudo templi : siquidem templi latitudo fuit viginti cubitorum ; apertura autem seu explicatio ostii, fuit octo cubitorum, qui duodecim cubitis latitudinis frontium juncti, faciunt viginti
2 cubitos. Nec obstat quod subditur : *Et latitudo portæ decem cubitorum erat*, quia porta hic sumitur, ut includit ejecturas illas, ad quas valvæ reverberabantur quum porta clauderetur : et ipsæ ejecturæ continebant hinc inde cubitum, id est cubitos duos in toto ; hiatus vero portæ inter has ejecturas fuit octo cubitorum. Hæc est Richardi responsio. Alii dicunt, quod porta hoc loco accipitur pro ostio, cujus latitudo excedit latitudinem aperturæ in tantum, quanta est ostii spissitudo : per quod

A innuitur, quod spissitudo ostii est cubiti unius, sicque latitudo ejus excedit latitudinem aperturæ uno cubito hinc, alio cubito inde. *Et latera portæ* mensus est *quinque cubitis hinc, et quinque cubitis inde :* ita quod ab extremitate latitudinis cujuslibet valvæ seu ostii quod claudebatur ac aperiebatur, usque parietem templi valvæ annexum, sunt cubiti quinque : quibus verbis nil aliud designatur, nisi quod jam de latitudine portæ prædixit.

Porro, secundum Hieronymum, quod la-
B titudo templi ex utraque parte portæ sex cubitos habuit, sacramentum omnium creaturarum exprimitur : in sex namque diebus mundus est conditus, id est ea quæ in universo continentur, per quorum notitiam, rationem causasque conditionis, intramus ad spirituale templum Dei, et ex creaturarum ordine atque constantia intelligimus Creatorem. Alii per templum intelligunt vitam perfectorum sive perfectos : quorum frontes mensurantur, dum eorum perfectio aliis pro ædificatione in-
C sinuatur ; habentque sex cubitos latitudinis hinc, et totidem inde, quoniam in dilectione Dei ac proximi perfecte proportionabiliter sunt extenti, juxta illud : Si I *Joann.* IV, 20.
quis dixerit, Diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Insuper latitudo portæ decem exstitit cubitorum, quia per observantiam decem præceptorum ex caritate, ingredimur templum Dei, videlicet societatem militantis ac triumphantis Ecclesiæ, juxta illud : Si vis intrare ad vi- *Matth.* XIX, 17.
tam, serva mandata. Quod si per portam
D intellexerimus fidem, latitudo portæ, id est dilatatio caritatis fidem perficiens, est decem cubitorum, quia in decem præceptorum observationem extenditur. Pro-

pter quod ait Joannes in prima sua epi-
I Joann. II, 5. stola : Qui servat verbum Christi, in eo
caritas Dei perfecta est. Et ipsemet Chri-
Joann. XIV, 23. stus testatur : Si quis diligit me, sermonem meum servabit, id est, præcepta implebit. Præterea latera portæ hinc inde quinque cubitos habent, videlicet quodlibet quinque, ad designandum quod per quinque sensuum exteriorum ac interiorum gubernationem ac refrenationem, inter fideles veraciter computamur.

Post hæc longitudo ac latitudo templi determinatur. *Et mensus est longitudinem ejus,* utpote templi, quantum ad partem ejus quæ dicitur Sanctum vel Sancta, *quadraginta cubitorum, et latitudinem* ejus *viginti cubitorum.* Per quadragenarium numerum designatur tempus pœnitentiæ
Matth. IV, 2; III Reg. XIX, 8; Exod. XXXIV, 28; Deut. VIII, 2. ac laboris : tot enim diebus Christus et ante eum Elias ac Moyses jejunaverunt; tot quoque annis filii Israel in deserto vexati, probati et castigati sunt. Ideo longitudo templi quadraginta habuit cubitos, quia per abstinentias variosque labores ac tribulationes oportet nos introire regnum Dei atque salvari. Quum autem Christo sic incorporati ac bene exercitati fuerimus,
II Cor. IV, 8. ita ut cum Apostolo dicere valeamus, In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; tunc nobis latissimus aperitur introitus ad incrementa virtutum, et ambulamus in latitudine caritatis : quatenus superatis mundi certaminibus ac terrenis, ingrediamur penetralia templi, au-
Joann. XVI, 33. diamusque Christum dicentem : Confidite, ego vici mundum. Hinc latitudo templi describitur cubitorum viginti, quia mente et actu in caritate dilatamur.

Deinceps pars templi quæ dicitur San-
3 ctum sanctorum, describitur. *Et introgressus intrinsecus,* videlicet in Sancta sanctorum, quæ dicebantur interius templum, *mensus est in fronte portæ duos cubitos.* Per frontem portæ, quidam intelligunt parietem ex utraque parte ostii situm. Unde pro fronte portæ, Symmachus transtulit, Juxta portam. Per duos vero cubitos, quidam intelligunt spissitudinem parietis; alii

A eam muri sive parietis partem quæ ad portæ pertinebat ornatum : quod verius reor. *Et portam, sex cubitorum; et latitudinem portæ, septem cubitorum.* Per portam sex cubitorum in latitudine, intelligitur exterior hiatus, apertura quoque portæ Sancti sanctorum. Porro per portam septem cubitorum in latitudine, accipitur ostium, cujus latitudo latitudinem aperturæ excessit dimidio cubito ex utraque parte, ut dictum est de integro cubito portæ immediate præcedentis : quod ex verbis Richar-
B di plenius innotescit. *Et mensus est longi-* 4
tudinem ejus, videlicet Sancti sanctorum, in quod jam legitur introgressus, *viginti cubitorum, et latitudinem* ejus *viginti cubitorum :* fuit enim Sanctum sanctorum quadrum æquilaterum; *ante faciem templi,* videlicet ante faciem anterioris partis ipsius. Quod autem ista de Sancto sanctorum dicantur, subjecta verba elucidant. *Et dixit ad me : Hoc est Sanctum sanctorum.*

Juxta intellectum principalem et spiritualem, imo et litteralem, per Sanctum
C sanctorum intelliguntur fideles in præcipuo perfectionis vertice constituti, et Deo propinquissimi facti. Quod autem de templo ejusque loco qui dicitur Sanctum, in Sanctum sanctorum mensor ingressus est, id designat quod quantumcumque proficiamus, semper nobis major profectus aperitur, restat atque proponitur. Per duos insuper cubitos, utriusque Testamenti sapientialis doctrina, vel amor et contemplatio, seu vita activa ac contemplativa accipitur : quæ sunt in fronte portæ, id est
D in fidei ornamentis; et per dualem hunc numerum ingredimur locum in quo sunt Sancta sanctorum. Denique apertura portæ hujus est sex cubitorum, quia ad perfectionem virtutum spectat senarius : quam adeptis patet ad secretiora divina ingressus, ut dicere queant : Incerta et occulta Ps. L, 8.
sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Latitudo autem ostii, septem est cubitorum : quod ad dignissimum septenarium Spiritus Sancti, puta ad septem ejus dona refertur, quibus latitudo caritatis ornatur. Et qui

dona ista sortiti sunt secundum excellen-
tiæ gradum, ad diviniora introeunt, et alios
secum adducunt. Nempe per dona effici-
mur bene mobiles, faciliterque dociles ac
dirigibiles a Spiritu Sancto. Idcirco, quo
dona amplius perficiuntur in mente, eo
stabilius, promptius, eminentius et inces-
sabilius a Spiritu Sancto afflatur, dirigitur
et movetur, ita ut sit quasi in continuo
quodam actuali contactu Spiritus Sancti.
Rom. VIII, 14. Hinc dicit Apostolus : Quicumque Spiritu
Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Postremo, quod
Sanctum sanctorum in quadro æquilatero
situatur, et tam in longitudine, quam in
latitudine æqualitatem, viginti scilicet cu-
bitos possidet : hoc designat, quod viri he-
roici ac divini per spiritualem circum-
cisionem, ad præeminentem æqualitatem
justitiæ pervenerunt, quam in affectuali
simul et effectuali observatione Decalogi
ostendere sategerunt.
5 *Et mensus est parietem domus,* id est
templi interioris, *sex cubitorum.* Tanta fuit
latitudo parietum seu murorum in spissi-
tudine. *Et latitudinem lateris, quatuor cu-
bitorum undique per circuitum domus;*
6 *latera autem, latus ad latus, bis triginta
tria.* Non de uno dumtaxat latere accipien-
dum est quod dicitur, Et latitudinem lateris
quatuor cubitorum; sed de sexaginta sex
lateribus, juxta illud, Bis tringinta tria.
Erant autem taliter situata, quod unum
alteri fuit conjunctum. Ideo textus ait :
Latera autem, latus ad latus, id est, latera
sic erant disposita, quod unum fuit juxta
aliud. De quibus sic ait Richardus : Latera
ista, aliud ad aliud, aliud nihil intelligo,
quam quædam deambulatoria intus et ex-
tra in duobus templi lateribus per parie-
tem ordinata, erantque ab inferioribus
usque ad superiora, unum post unum sibi
invicem immediate conjuncta. Erant autem
tria interius usque ad cœnaculum, et tri-
ginta exterius ab imo seu infimo usque ad
summum. Interiora autem templi, in suis
superioribus hujusmodi latera non habe-
bant. Itaque bene dicitur, Bis triginta tria :
quoniam triginta tria erant ex parte una,

A et totidem ex altera. De quorum descri-
ptione subjungitur : *Et erant eminentia,
quæ ingrederentur per parietem domus in
lateribus per circuitum, ut continerent, et
non attingerent parietem templi.* Trabes
itaque de parietibus prominebant, et latera
supportabant : sed idcirco tabulata, quæ
super ipsas fundata erant, non usquequa-
que usque ad parietem pertingebant, qua-
tenus visum admitterent, et intuentium in-
tuitus ab infimis usque ad superiora libere
curreret, totumque sub uno adspectu com-
B prehendens, de toto judicare posset. Alii
asserunt, latera ista fuisse sedilia, juxta
interioris templi latera collocata pro sa-
cerdotibus laudes divinas cantantibus.
Contra assertiones has quidam multipli-
citer arguit. Et primo contra Richardum,
quia secundum ejus positionem latera im-
pedirent illuminationem templi per fe-
nestras, adspectum quoque pulchritudinis
parietum templi. Rursus, quia (ut sibi ap-
paret) Richardus sibimetipsi contradicit,
quantum ad latera, quæ ponit exterius seu
C extra templum : quia inferius latus seu
deambulatorium distat a terra sex cubitis;
secundum, a primo aliis sex, sicque dein-
ceps de aliis in altitudine. Ex quo sequi-
tur, quod altitudo hæc tricesies sex cubitos
habeat, vel sexies triginta : quo dato, al-
titudo murorum templi erit centum octo-
ginta cubitorum; ipse autem dicere habet,
quod est tantum centum viginti cubito-
rum, quemadmodum templum Salomonis, II *Par.* III, 4.
cui istud assimilat. Insuper arguit contra
secundam expositionem, argumenta quæ-
D dam inducens quæ non videntur recita-
tione condigna. Sed nec argumenta contra
Richardum inducta, alicujus sunt ponde-
ris. Jam enim ex ipsis Richardi verbis
innotuit, quod dispositio laterum nequa-
quam visum prohibuit : imo visus libere
ab imo usque ad summum percurrebat, to-
tumque sub uno comprehendens intuitu,
de toto judicare valebat. Quod autem dicit
Richardum contradicere sibi ipsi, nec ve-
ritatem nec apparentiam habet. Primo, quia
secundum Richardum, unum latus seu

deambulatorium fuit in ipso pavimento, et secundum distabat a primo sex cubitis, tertium etiam a secundo pari distantia ; cœnaculum autem, a tertio deambulatorio, cubitis octo. Non ergo, secundum Richardum, primum latus distabat sex cubitis. Præterea quod de altitudine murorum objicit, nihil est. Richardus namque distantiam istam laterum inter se non ponit, nisi in lateribus seu deambulatoriis interius situatis ; objectio autem procedit, quasi poneret eam æqualiter inter deambulatoria, exterius constituta. Præinductis ergo positionibus, secundum suam imaginationem destructis, adstruit quod latera ista sint appendicia lateribus templi exterius adhærentia. Modum hujus opinionis, prolixitatem vitans, non prosequor : quanquam certum sit, multa posse contra eam induci ; sed res ipsa non est magni ponderis.

Præterea juxta intelligentiam principalem, quod paries templi habuit sex cubitos in spissitudine, id figurat quod viri perfecti, qui sunt quasi paries interior potioris partis Ecclesiæ, sint in virtutibus intra se solidati spiritualiterque compacti, quemadmodum ait Apostolus ad Hebræos : (*Hebr.* v, 14.) Perfectorum est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus. (*Matth.* vii, 24, 25.) Isti etenim assimilantur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram, ita quod tempestatibus subverti nequit. Per latera vero intelliguntur progressiones de virtutibus in virtutes, vel animæ justorum (*Prov.* xiv, 33 ; *Sap.* vii, 27.) quæ sedes sunt sapientiæ : quarum latitudo est quatuor cubitorum, per quos virtutes cardinales intelliguntur, quibus (*Sap.* viii, 7.) nihil utilius est hominibus in hac vita, sicut in libro Sapientiæ legitur. Porro quod subditur, Et erant eminentia, etc., secundum Hieronymum signat, quod sancti viri in multitudine credentium erumpant per parietes templi, per omnia scilicet latera in circuitu, et contineant Ecclesiæ fundamenta, et tamen non tangant parietem templi, tantum vidisse contenti, et de longe inenarrabilia adorasse mysteria. Nunc enim

A videmus per speculum et in ænigmate, et (I *Cor.* xiii, 12.) plenissimam tangere atque comprehendere non possumus veritatem.

7 *Et platea,* id est via quædam intra muros, *erat in rotundum, ascendens sursum per cochleam :* quia in via hac erant gradus circulariter ascendendi ; *et in cœnaculum templi deferebat,* id est, ascendentem ferebat sive ducebat hæc via, *per gyrum,* id est per circularem ascensum. Templum enim creditur habuisse tres mansiones, scilicet locum inferiorem, et duo B cœnacula sive solaria, ad quæ per cochleam ascendebatur : tales siquidem vias ascendendi per cochleam videmus quotidie in castris ac turribus. *Idcirco latius erat templum in superioribus,* puta in tertia mansione quam in secunda, et in secunda amplius quam in prima. Nam immediate post primum tabulatum restringuntur parietes a parte inferiori. *Et sic de inferioribus ascendebatur ad superiora et medium,* id est, de inferiori mansione per cochleam fuit ascensus ad ambo cœnacu-C la. Quod autem dicto, Ad superiora, subjecit, Et medium, innuit quod ibi fuerunt tres mansiones, et primo veniebatur ad medium, per quod intelligitur primum cœnaculum inter inferiorem locum et tertium cœnaculum medie collocatum.

At vero per viam hanc circularem in cœnaculum templi ducentem, intelligitur circulatio illa virtuosa atque pulcherrima, qua mens creata contemplando ac diligendo redit in suum principium, a quo per creationem effluxit. Fit autem ascensus iste per D cochleam. Nam licet reditio hæc ex sua natura prompta ac dulcis sit, multæ tamen difficultates occurrunt ascendenti, ex propria defectuositate, carnis fragilitate, dæmonum impugnatione, mundi illecebris, variisque adversis atque obstaculis. Cœnacula autem templi intelliguntur religiosa cœnobia, vel devotissima corda : in quibus Deus cœnat cum anima, juxta illud Apocalypsis, (*Apoc.* iii, 20.) Si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo. Vel cœnaculum est, de quo in Canticis loquitur Sponsa : (*Cant.* ii, 4.) Introduxit me

rex in cellam vinariam. Denique primum
cœnaculum accipi potest locus contempla-
tionis veritatis creatæ, vel ratio inferior;
secundum, locus contemplationis veritatis
increatæ, ratioque superior. Latius demum
fuit templum in superioribus : quoniam
quanto quis proficit, tanto fit caritate dif-
fusior, ad agendumque promptior, ita ut
quod ante fecit cum difficultate, jam agat
Ps. cxviii, 32. cum jucunditate. Ideo scriptum est : Viam
mandatorum tuorum cucurri, quum dila-
Matth. xi, 30. tasti cor meum. Et Christus inquit : Jugum
enim meum suave est.

Consequenter, secundum Richardum de-
scribitur altitudo laterum, quorum paulo
8 ante latitudo descripta est. *Et vidi in do-
mo* interiori, puta in templo, *altitudinem
per circuitum, fundata latera,* quorum
fuit hæc altitudo *ad mensuram calami sex
cubitorum spatio :* ita quod tantum distat
tabulatum primum a terra, a qua latera
9 ascendebant gradatim. Vidi quoque *et la-
titudinem per parietem lateris forinsecus
quinque cubitorum.* His verbis exprimi-
tur spissitudo parietis claudentis latera in
parte exteriori, secundum quosdam. *Et
erat interior domus,* id est Sanctum sanc-
torum, *in lateribus domus,* id est prædi-
ctis lateribus quodammodo cinctum.

Per altitudinem sex calamorum ante di-
ctorum insinuatur, quod antequam ad cœ-
naculum contemplationis pertingere va-
leamus, oporteat nos in inferioribus et
passionum reformationibus, activæque vi-
tæ operibus diligentissime exerceri. Spis-
situdo autem parietis, quinque describitur
cubitorum, ut viri perfectioni operam dan-
tes, spiritualiter studeant esse compacti
per quinque spiritualium sensuum adepti-
onem. Sed et interior domus est in lateri-
bus domus, quando in viis virtutum profi-
cientes, ad perfectos undique confluunt, ut
plenius instruantur et ampliorem perfecti-
onem obtineant. Tuncque perfectorum est,
implere illud Apostoli ad Thessalonicen-
I Thess. v 14. ses : Consolamini pusillanimes, suscipite
infirmos, patientes estote ad omnes.

10 *Et inter gazophylacia latitudinem vi-*
A *ginti cubitorum in circuitu domus undi-
que.* De istis gazophylaciis dicetur infra.
Quidam autem per ea intelligunt ædificia
aquilonare et australe, de quibus sequen-
ti dicetur capitulo. Quid autem per gazo-
phylacia intelligatur, præcedenti capitulo
dictum est sæpe.

Et ostium lateris ad orationem : id est, 11
ostium appendicii cujusdam vidi, per quod
ostium intratur etiam ad locum orationis.
Jam autem est sermo de loco orationis eo-
rum qui templum ingredi non debebant :
B fuitque locus iste extra templum. *Ostium
unum* loci vidi *ad viam aquilonis* respi-
cere, *et ostium unum ad viam australem.
Et latitudinem loci ad orationem* deputa-
ti, *sex cubitorum* sub dio *in circuitu,* id
est per tres partes templi in gyro : circu-
ibat enim totum templum, parte orientali
excepta. Circuitus autem in Scripturis non
semper totalem ambitum exprimit. *Et ædi-* 12
*ficium quod erat separatum versumque ad
mare, latitudinis septuaginta cubitorum.*
Istud ædificium inter domum aquilonarem
C et australem secundum aliquos fuit, et
aliqui dicunt ipsum situm fuisse inter oc-
cidentalem partem templi locumque vul-
gi : respiciebat autem ad mare occidentale,
habuitque septuaginta cubitos in latitudi-
ne. *Paries autem ædificii* hujus separati,
quinque cubitorum latitudinis fuit *in cir-
cuitu :* et hoc, quantum ad spissitudinem, ut
opinor ; *et longitudo ejus* fuit *nonaginta
cubitorum.*

Spiritualiter, ostium lateris ad oratio-
nem intelligi potest quælibet virtus theo-
D logica, vel etiam latria. Accedentem enim Hebr. xi, 6.
ad Deum oportet credere. Et Jacobus ait :
Postulet autem in fide nihil hæsitans. Os- Jacob. i, 6.
tium vero unum est ad viam aquilonis, et
aliud ad viam australem : quia non solum
ferventibus ac perfectis, qui nomine au-
stri signantur, sed imperfectis quoque et
frigidis, per aquilonem expressis, patet
ostium invocandi Dominum Deum. Porro
latitudo loci ad orandum, est sex cubito-
rum (quo numero, ut multoties dictum
est, consummatio quædam virtutum innu-

itur), ad demonstrandum quod hi qui in A
loco orationis consistere debent, ad spiri-
tualem consummationem tendere habent.
Insuper per ædificium separatum, rite in-
telliguntur solitarii, qui conversatione et
loco ab aliis segregantur. Qui dicere pos-
Ps. ci, 7, 8. sunt : Similis factus sum pelecano solitu-
dinis, et factus sum sicut passer solitarius
in tecto. Hi, quia in luctu pœnitentiæ
commorantur, his quoque qui in sæculi
hujus fluctibus periclitantur, compatiun-
tur atque orando subveniunt, ad mare ver-
si feruntur. Quorum latitudo in caritate B
caritatisque operosa extensione est septua-
ginta cubitorum, videlicet usque in finem
Ps. lxxxix, 10. vitæ perdurans : etenim dies annorum no-
strorum in ipsis, septuaginta anni. Parie-
tem autem ædificii hujus patientiam puto,
quæ solitariis valde prænecessaria est, ne
inordinate tristentur ac tædio afficiantur :
eritque paries quinque cubitorum, ut spi-
ritualibus sensibus innitatur ac fulciatur.
Longitudo vero, est nonaginta cubitorum
mensuram complectens, ut per omnia ope-
ra quasi linealiter protrahantur, quousque C
Luc. xv, 4. ad nonaginta oves, quæ non perierunt,
perveniatur.
13 *Et mensus est domus longitudinem, cen-
tum cubitorum.* Per domum hoc loco in-
telligit Hieronymus domum interiorem seu
Sanctum sanctorum. *Et quod separatum
erat ædificium et parietes ejus* mensus est
esse *longitudinis centum cubitorum.* Ex
hoc sequitur, quod per ædificium separa-
tum non intelligitur templum, ut quidam
exponit, præsertim quum pro ædificio se-
parato et parietibus ejus, Septuaginta trans- D
14 tulerunt, Et reliqua. *Latitudo autem ante
faciem domus,* id est templi, fuit centum
cubitorum, *et ejus quod erat separatum,*
id est latitudo ædificii separati nunc me-
morati respicientis *contra orientem,* fuit
15 *centum cubitorum. Et mensus est longitu-
dinem ædificii* aquilonaris, secundum Ri-
chardum, *contra faciem ejus quod erat
separatum,* id est contra adspectum ædi-
ficii separati, *ad dorsum* templi ; *hecthecas
ex utraque parte centum cubitorum.* Circa
quod ait Richardus : His verbis situm ædi-
ficiorum determinat : nam ædificium su-
perius descriptum, ad dorsum templi se-
paratum erat, et contra faciem suam hinc
inde ex utraque parte templi ædificium
quoddam habebat : et utrumque hecthe-
cas, id est antesolaria, habuit ; et eo ipso
quo hecthecas mensuravit, etiam domorum
mensuras accepit. — Insuper quæ sequun-
tur, per recapitulationem pro parte dicun-
tur cum additione quorumdam. *Et tem-
plum interius,* id est Sanctum sanctorum ;
vel templum vocatur interius, quoniam
inter prædicta ædificia medium teneat lo-
cum ; *et vestibula atrii,* id est vestibula
adjacentia atrio, in quo fuit altare holo-
causti. Quidam per vestibula atrii, intelli-
gunt porticus atriorum. *Limina et fenestras* 16
obliquas, id est exterius strictas, interius
latas, *hecthecas in circuitu per tres partes,*
id est per tria ædificia dispositas, ita quod
tria præfata ædificia habuerunt hecthecas
contra uniuscujusque limen. Quia hecthe-
cæ de ipsis cœnaculis exterius promi-
nebant, ideo contra uniuscujusque limen
fuisse narrantur. Ne enim altiores vel de-
missiores ipsis cœnaculis putarentur, per
limina solariorum situs antesolariorum,
secundum Richardum, exprimitur. *Stra-
tumque lignum per gyrum in circuitu :*
per quod, secundum quosdam, intelligitur
tabulatum quo inferiora hecthecarum ster-
nebantur. Omnia ista dimensus est. *Terra
autem usque ad fenestras :* id est, a pa-
vimento seu a terra usque fenestras fuit
structura lignorum, omniumque junctura
per ligna. Sic exponit Hieronymus, sub-
intelligendo præpositionem *a,* quum dici-
tur, Terra, id est a terra. Alii nihil sub-
intelligendo, dicunt his verbis insinuari
quanta illic erat devexitas, quando pa-
rietes ædificiorum quæ ex parte templi
erant, terram usque fenestras habebant.

Circa hunc locum scribit quidam, quod
translatio nostra, puta Hieronymi, videtur
hic in pluribus defectiva. Quod mihi ne-
quaquam videtur : tum quia ex textu Hie-
ronymi clarior habetur sententia, quam ex

his quibus translationem Hieronymi corrigit, sicut rite pensantibus elucescit; tum quia Hieronymus cum doctissimis Judæorum, præsertim in locis obscuris, vigilantissime contulit, aliorum quoque translationes diligentissime consideravit : sed et Spiritus Sanctus propter commune bonum Ecclesiæ virum sanctum direxit, ne in tam brevi passu tam multipliciter deficeret vel erraret.

Præterea, juxta spiritualem principalemque intellectum, omnia præinducta illa centenos habuisse cubitos, perfectum videlicet numerum decem decadarum, scribuntur, quatenus totis mente et sermone atque operibus Domino famulemur, et juxta Pau-
Ephes. III, 18. li apostoli documentum, scire cum omnibus sanctis possimus, quæ sit longitudo, latitudo, altitudo et profundum. Sed et cetera jam præfata, videlicet templum interius, et vestibula, limina, fenestras et hecthecas, angelus mensuravit, ad denotandum quod sine ratione atque mensura nihil a Deo in sancta Ecclesia fiat. Quid autem in istis per longitudinem latitudinemque signetur, frequenter nunc patuit : quanquam singulorum in descriptione templi positorum, certam idoneamque rationem ac significationem proferre, vires excedat humanas. Quod vero inferiora lignis strata fuerunt, significat quod in sa-
Prov. III, 18. pientia (quæ lignum vitæ vocatur) omnia opera nostra debeant radicari, ut sine discretione nihil agatur. De significatione autem obliquarum fenestrarum et atriorum ac vestibulorum, liminum quoque, ni fallor, in superioribus dicta sunt plurima, quamvis non satis condigna. Postremo, per hecthecas seu antesolaria, intelligi possunt dispositiva ad arcem speculationis, vel qui contemplativorum perfectioni jam proximi sunt. Postremo, quod terra usque fenestras erat, præfiguravit quod humilitas usque ad contemplationis ingressum extenditur atque servatur, nec unquam sit relinquenda, quantumcumque profecerit quispiam. Vel, juxta aliam expositionem, quod a terra usque fenestras erat statura

A sive junctura lignorum, expressit quod nostri profectus ab infimis inchoantes, per sapientiæ informationem cohærere continuarique debent, quousque ad contemplationis introitum admittamur.

Et fenestræ clausæ fuerunt : quæ tamen, secundum translationem Septuaginta interpretum, tripliciter aperiebantur. Porro quod subditur, *super ostia,* referri potest ad verba præhabita, eritque sensus, Fenestræ exsistentes super ostia, in loco scilicet altiori, erant clausæ ; itemque ad
B verba sequentia, ut sit sensus : *Super os-*
tia et usque in domum interiorem, id est 17
Sancta sanctorum, *et forinsecus,* id est in templi parte exteriori, quæ dicitur templum exterius, *per omnem parietem in circuitu intrinsecus et forinsecus,* scilicet ex utraque parte templi, vel secundum quosdam, Sancti sanctorum, *ad mensu-*
ram, id est apte et commensurate, *et fa-* 18
brefacta, id est artificiose formata, *Cherubim,* id est tales imagines, *et palmæ,* de quibus dictum est sæpius. Hæc erant pro
C ornamento in ostiis, parietibus, exteriori interiorique domo. Verumtamen quod ait Scriptura, Usque in domum interiorem, quidam intelligunt exclusive; sed inclusive potius intelligendum videtur. Nam translatio Septuaginta interpretum sic habet : Et usque ad domum interiorem et exteriorem, etc. *Et palma inter Cherub et Cherub.* Septuaginta transtulerunt, Palmæ. Unde Hieronymus exponendo disseruit : Unum Cherub duarum palmarum lateribus vallabatur. Erat ergo Cherub inter
D duas stans palmas. *Duasque facies habebat*
Cherub uterque : *faciem hominis juxta* 19
palmam ex hac parte, et faciem leonis juxta palmam ex alia parte expressam. Ex hoc patet Cherub inter duas palmas fuisse. In principio autem hujus libri scribitur Cherub quatuor facies habuisse : nam ibi per ipsum aliud figuratur. *Per omnem domum,* id est templum, *in cir-*
cuitu, de terra usque ad superiorem par- 20
tem templi, *Cherubim et palmæ cælatæ erant in pariete templi,* ita quod omnia

taliter ornabantur. Quidam tamen asserit, A
quod iste ornatus fuerit tantum in inferi-
ori mansione templi, non in media ac su-
periori. Cui repugnat quod ait Propheta,
Per omnem domum, et item, De terra usque
ad superiorem partem. Sed et translatio
Septuaginta interpretum habet : Cælatus
omnis paries per circuitum a pavimento
usque ad laquearia. Argumentum quoque
ipsius, quum nullius ponderis videatur,
21 commemorandum non reor. *Limen* domus
quadrangulum fuit.

Præterea, juxta intelligentiam principa- B
lem, fenestræ clausæ fuerunt, ut corporis
nostri sensus claudere instruamur, custo-
dire ac refrenare. Fenestræ quoque Ec-
clesiæ sunt viri perfecti, per quorum do-
ctrinam alii gratiæ lumen suscipiunt. De
Is. LX, 8. quibus loquitur Isaias : Qui sunt isti qui ut
nubes volant, et quasi columbæ ad fene-
stras suas ? Rursus, fenestræ sunt virtutes
contemplativæ. Quæ omnes pro causa, loco,
et tempore sunt claudendæ et aperiendæ :
Eccle. III, 7. tempus enim loquendi, et tempus tacen-
di. Nec perfectorum virtutes manifestandæ C
Is. XXIV, 16. sunt aliis, quum dicat Scriptura : Secretum
meum mihi. Insuper, super ostium templi,
scilicet fidem, et in interiori exteriorique
domo, id est activis et contemplativis, vel
proficientibus ac perfectis, in parietibus
quoque, id est aliorum prælatis ac defen-
soribus, intus et foris esse debent Cheru-
bim, id est decor scientiæ (de qua dicit
Philipp. III, 8. Apostolus, Omnia arbitror ut stercora pro-
pter eminentem scientiam Christi; et rur-
Coloss. I, 10. sus, Semper crescentes in scientia Dei :
Osee VI, 6. unde et Dominus ait, Scientiam Dei plus D
volui quam holocausta), et palmæ, id est
victoriæ vitiorum, quatenus fides et reli-
qua alia jam expressa, scientia salutari ac
bonis operibus decorentur, in tantum ut
et proximi ædificentur, juxta illud Apo-
Coloss. IV, 5. stoli, In sapientia ambulate ad eos qui fo-
ris sunt; Christus quoque in Evangelio,
Matth. V, 16. Luceat lux vestra coram hominibus, etc.
Insuper Cherub inter duas fuerat palmas :
quo docemur, quod scientia nostra vallari
debet bipartito triumpho, utpote visibili-
um ac invisibilium hostium. Quod autem
ornatus hujusmodi fuit per omnem do-
mum, quid aliud figuravit, nisi quod om-
nes qui in Christi Ecclesia vere ac pro-
prie sunt, salutari scientia, quæ est donum
Spiritus Sancti, imo septem donis ac bonis
operibus seu præceptorum custodiis, ful-
ciuntur? Postremo, per limen quadrangu-
lum intelligi potest firma, perfecta, ac
fundamentalis humilitas, per quam se ho-
mo universis supponit. Quæ sæpe præha-
bita sunt, non sunt prolixius resumenda.
Et facies adspectus sanctuarii, contra
adspectum altaris lignei, id est, sanctua- 22
rium et altare ligneum incensi, ex opposi-
to se mutuo respiciebant. Istud enim alta-
re describitur situm ante parietem Sancti
sanctorum; vel secundum Richardum, in
medio templi contra portam sanctuarii.
Hoc quoque altare dicitur fuisse ligneum
interius, aureum autem exterius. *Trium*
cubitorum altitudo ejus, videlicet altaris
istius, *et longitudo ejus duorum cubito-*
rum; et anguli, id est cornua *ejus, et lon-*
gitudo ejus, et parietes, id est latera *ejus,*
lignei erant. *Et locutus est* angelus mensor
ad me : Hæc est mensa coram Domino, id
est, altare istud incensi, est mensa coram
Deo per approbationem seu acceptionem
significati.

Præterea, quod per sanctuarium desi-
gnentur viri contemplativi atque heroici,
per altare incensi, corda ignita, non du-
bium arbitror. Hæc ergo se invicem e
regione respectant : quoniam claritas con-
templationis et fervor dilectionis propor-
tionabiliter coordinantur; et quanto quis
in divino amore fortius inardescit, eo in
sapientia quæ donum est amplius crescit,
et vice versa. Altaris istius altitudo trium
est cubitorum : per quos tres virtutes
theologicæ figurantur, per quas corda fer-
ventia in contemplationum sublimia sus-
tolluntur. Longitudo autem duos continuit
cubitos : per quos perseverantia et longani-
mitas accipi possunt. Porro quod cornua,
latera et longitudo altaris, lignea erant,
quid innuit, nisi quod tota spiritualis fa-

bricæ nostræ erectio, in humilitate semper figi atque persistere debet, ne vento elationis, ignis nostræ devotionis exsuffletur? Præterea, secundum Hieronymum, mirum est quod altare incensi, in quo ignis succenditur, ligneum appellatur, nec tamen consumitur.

23 *Et duo ostia erant in templo,* utique exteriori, *et in sanctuario,* id est Sancto sanctorum. Dicunt quidam, quod in quolibet horum locorum, fuit tantum unum ostium, sicut et una apertura; sed dicuntur in eis duo ostia, quia utrumque ostium duas habuit portiones, de quibus exponunt quod
24 subditur. *Et in duobus ostiis* istis principalibus *ex utraque parte* templi, videlicet quarum una vocatur Sanctum, alia Sanctum sanctorum, *bina erant ostiola, quæ in se invicem plicabantur,* id est, ita disposita, quod unum potuit claudi et aperiri sine alio, ut apparet in ostiis quæ divisa seu fracta dicuntur. Ista expositio non videtur textui consona. Unde Richardus exponit subtilius. Ait enim, quod ostia ista erant in muro qui fuit in spissitudine sex cubitorum; et ipsa spissitudo, tam in templo quam in sanctuario, ostia duo tenebat, ita quod unum fuit in muro ex parte interiori, aliud ex parte exteriori. Pendebat quoque unum ex his ostiis a dextris, aliud a sinistris, quemadmodum fuit in templo Salomonis, testante Scriptura : Et duo ostia de lignis abiegnis altrinsecus. Utrumque vero in gemina fuit divisum, quæ ferreis nexibus copulabantur, et quum portæ aperirentur, invicem plicabantur, ne scilicet ostium latitudinem muri excederet quum aperiretur. Unde subjungitur : *Bina enim ostia erant ex utraque parte ostiorum,* id est adituum sive hiatuum vel aperturarum, secundum Richardum : ita quod nomen ostii hic æquivocatur. Nam quod ait, Bina ostia, de fabrica sumitur; quod vero subditur, Ostiorum, ad aditum qui in muro patebat, refertur. Huic expositioni consonat quod ait Hieronymus : Juxta litteram, inquit, perspicuum est quod dicitur, Bina ostia erant ex utraque parte ostiorum.

III *Reg.* VI, 34.

A Solent enim in majoribus tricliniis bina sibi hærere ostia atque conjungi, ut major introitus nequaquam duobus et grandibus, sed quatuor minoribus claudatur aperiaturve foribus. *Et cælata erant in ipsis os-* 25
tiis templi Cherubim et sculptura palmarum, sicut in parietibus quoque expressa erant. Istud jam dictum est, quod similis pictura atque ornatus fuit in ostiis, itemque maceriis. *Quam ob rem erant et grossiora ligna in vestibuli fronte forinsecus :* quatenus et firmitatem haberent, et cæla-B turam majorem recipere possent. Solent enim circa exteriora templorum in portis ac muro hinc inde, magnæ et prominentes atque notabiles fieri cælaturæ. Denique, secundum Richardum, his verbis datur intelligi, parietes ligno fuisse opertos, sicut in templo Salomonis. *Super quæ* ligna vel 26
ostia erant *fenestræ obliquæ et similitudo palmarum* depicta *hinc atque inde* (totum istud præhabitum est) *in humerulis,* id est postibus, *vestibuli secundum latera domus, latitudinemque parietum.* Dictum C est namque, per omnem domum seu templum fuisse præfatos ornatus imaginum.

Præterea, juxta intellectum intentum, per duo ostia templi ac sanctuarii, utriusque Testamenti sacramenta designantur, secundum Hieronymum. Quod vero in duobus ostiis ex utraque parte bina erant ostiola, quæ in se invicem plicabantur, insinuat in historia spiritualem intelligentiam, et in tropologia seu spirituali intelligentia contineri historiæ veritatem : quorum utrumque altero indiget. Et si unum D defuerit, perfecta caret scientia. Quid autem per cælaturam Cherubim et palmarum, ostia et parietes, eorumque ornatum, fenestras quoque obliquas signetur, subinde tractatum est. Quod vero in fronte vestibuli ligna fuerant grossiora forinsecus, præfiguravit Ecclesiæ Christi in principio firmissimam adhibendam custodiam, juxta illud, Principiis obsta : ne animarum corruptor irrumpat, interioraque templi, videlicet corda ubi per fidem et caritatem habitat Christus, violare præsumat.

ARTICULUS XLIX

EXPOSITIO CAPITULI QUADRAGESIMI SECUNDI : ET EDUXIT ME IN ATRIUM EXTERIUS.

POSTQUAM quæ intus et in Sancto san-
ctorum erant, Propheta diligenter fue-
rat contemplatus, eduxit eum angelus se-
cundum modum qui in principio hujus
1 capituli explicatur. *Et eduxit me in atri-
um exterius.* Forte de fronte vestibuli, de
quo jam novissime egit, eduxit eum in
atrium exterius ante templum : quod atri-
um et jam antea vidit, antequam interiora
penetravit. Verum nunc aliqua sibi ibidem
monstrantur, quæ prius ostensa non erant.
Eduxit autem Prophetam *per viam ducen-
tem ad aquilonem,* id est partem aquilo-
narem. *Et induxit me in gazophylacium
quod erat contra separatum ædificium :*
de quo præcedenti capitulo plenius di-
ctum est; *et contra ædem,* id est ædifica-
tionem, *vergentem ad aquilonem,* id est
respicientem aquilonis partes, sed non in
aquilone locatam, secundum Hieronymum.
2 *In facie longitudinis,* supple, habentis,
centum cubitos. In tantum protendebatur
longitudo totius ædificii aquilonaris : ideo
subditur, *ostii aquilonis :* ita quod ab ostio
aquilonari mensuratio poterat inchoari. *Et
latitudinis quinquaginta cubitos,* id est in
facie latitudinis habentis quinquaginta cu-
bitos. Tanta enim exstitit ædificii latitudo.
Hæc autem, itemque sequentia, superius
3 sunt descripta. *Contra viginti cubitos atrii
interioris, et contra pavimentum stratum
lapide atrii exterioris, ubi erat porticus
juncta porticui triplici,* id est tres mansio-
nes habenti, de quibus prædictum est. Ita-
que una pars cubitorum istorum centum,
seu quinquaginta cubitorum, sita fuit ex
opposito viginti cubitorum atrii interio-
ris; alia vero pars, ex opposito pavimenti
atrii exterioris.
4 *Et ante gazophylacia, deambulatio de-*
A *cem cubitorum latitudinis,* id est via ad
ambulandum continens in latitudine cubi-
tos decem, *ad interiora* (id est versus tem-
plum) *respiciens viæ cubiti unius,* id est
ad interiora, ubi erat via quædam unius
cubiti in lato : quæ via, secundum Richar-
dum, loco orationis adhærebat; vel, ut alii
opinantur, fuit quidam angustus introitus
de atrio interiori ad viam decem cubi-
torum ex transverso. Itaque, secundum
Hieronymum, his verbis significatur, quod
ante fores omnium gazophylaciorum seu
B thalamorum, fuit deambulationis via pro
sacerdotibus, decem cubitorum latitudi-
nem habens : quæ via, secundum alios,
præcedenti capitulo vocata est platea lon- Ezech. x
gitudinis centum cubitorum. Id quoque 7.
pensandum, quod supra singulariter dixit,
Gazophylacium, nunc autem pluraliter, Ga-
zophylacia : quoniam plura gazophylacia
erant, et ut aliqui dicunt, duo, secundum
quod ædificium aquilonare præfatum, di-
visum fuit per interiores parietes ex trans-
verso totius ædificii transeuntes.
C *Et ostia eorum,* vel *earum,* videlicet ga-
zophylaciorum seu exedrarum, secundum
Hieronymum, quæ idem significant, se-
cundum eumdem, *ad aquilonem* respicie-
bant; *ubi erant gazophylacia in superio-* 5
ribus, id est cœnaculis seu mansionibus
secundis ac tertiis gradatim ascendentibus,
humiliora, id est magis angusta seu stri-
ctiora minusque spissa, *quia supportabant
porticus, quæ ex illis,* scilicet gazophyla-
ciis, *eminebant* exterius *de inferioribus et
de mediis ædificii,* scilicet aquilonaris :
D ita quod porticus de inferioribus ac me-
diis mansionibus prædicti ædificii emine-
bant, id est, altius sitæ erant. Prima si-
quidem porticus de inferioribus ædificii

eminebat, quia secundum Richardum, fuit A
supra inferiorem gazophylacii mansionem
locata, et mediæ ejus mansioni correspon-
dens atque vicina. Secunda porticus de
mediis ædificii eminebat, quoniam supra
primam porticum sita erat, quæ mediis
ædificii respondebat. Porro, secundum Ri-
chardum, gazophylacia dicuntur in supe-
rioribus humiliora, id est minus alta, per
respectum ad dispositionem situs arduita-
tisque montis, in quo templum fertur os-
6 tensum. *Tristega enim erant,* id est, gazo-
phylacia tres mansiones habebant, videlicet B
locum inferiorem, et duas mansiones, qua-
rum fuit una alteri superposita; *et non ha-
bebant columnas* sustentantes, *sicut erant
columnæ atriorum* exteriorum, de qui-
bus in præcedentibus dictum est. Igitur is-
ta gazophylacia, ab exteriorum atriorum
gazophylaciis differebant : quia ista non
sustentabantur columnis ut illa; sed ista,
secundum quosdam, quia illis majora fue-
rant, sustentabantur forti muro cum robu-
stis pilariis. *Propterea eminebant* mansio-
nes gazophylaciorum supremæ seu tertiæ, C
de inferioribus et de mediis mansionibus,
a terra cubitis quinquaginta. Nam propter
fortitudinem muri, poterant sublimiter ele-
vari. Sic quidam exponunt, Richardus vero
quædam aliter subtiliterque exponit; dif-
ficulter tamen atque prolixe : idcirco per-
transeo, quum et ejus expositio habeatur
in promptu. Verum circa hæc omnia plu-
rimæ mihi occurrunt dubitationes : quas
idcirco non tango, quoniam eas solvere
nequeo.

7 *Et peribolus exterior secundum gazophy-* D
lacia. Peribolus, secundum Hieronymum,
murum significat qui cingebat gazophy-
lacia in via atrii exterioris. Iste peribolus
fuit secundum gazophylacia, id est pro-
tensus secundum longitudinem gazophyla-
ciorum, *quæ erant in via,* prope præfatam
sacerdotum viam *atrii exterioris,* in quo
fuit hæc via, et prædicta gazophylacia, *an-
te gazophylacia* hæc ipsa, videlicet ex
orientali parte, quæ respectu gazophyla-
ciorum istorum exstat anterior. *Longi-
tudo ejus,* videlicet hujus periboli, *quin-
quaginta cubitorum, quia longitudo erat* 8
*gazophylaciorum atrii exterioris quinqua-
ginta cubitorum.* Unde jam dictum est,
quod peribolus fuit protensus secundum
longitudinem gazophylaciorum istorum. *Et
longitudo ante faciem templi, centum cu-
bitorum.* Hoc est quod præcedenti capi-
tulo dixit de latitudine seu platea quadam
centum cubitorum. *Et erat subter gazo-* 9
phylacia hæc introitus, id est janua in
procliviori videlicet parte sita, *ab oriente
ingredientium in ea,* id est in gazophy-
lacia ista, *de atrio exteriori.* Itaque ostia
gazophylaciorum istorum in inferioribus
mansionibus erant, atque in parte aqui-
lonari, in qua fuit mons ipse declivior
istis, propter pendulum montis. *In lati-* 10
tudine periboli, id est spissitudine muri
sive parietis, *atrii quod erat contra viam
orientalem in facie ædificii separati,* de
quo supra jam patuit.

Consequenter ædificium australe descri-
bitur. *Et erant ante ædificium,* id est tem-
plum, *gazophylacia,* supple, australia, sic-
ut ex sequentibus datur intelligi; *et via* 11
veniendi ad ea, *ante faciem,* id est orien-
talem murum *eorum, juxta similitudinem
gazophylaciorum quæ erant in via aqui-
lonis,* id est aquilonarium gazophylacio-
rum, de quibus jam dictum est. *Secundum
longitudinem eorum, sic et latitudo eo-
rum :* ita quod utrorumque gazophylacio-
rum longitudo ac latitudo fuerunt æquales.
Itaque verbis his de latitudine gazophyla-
ciorum, hic exprimit quod superius tacuit.
*Et omnis introitus eorum, et similitudines
et ostia eorum, secundum ostia gazophy-* 12
*laciorum quæ erant in via respiciente ad
notum,* id est austrum. Non dixit, Ad aqui-
lonem, sed, Ad notum, ad innuendum quod
similitudo istorum sit mutua. *Ostium in
capite viæ* fuit; *quæ via erat ante vesti-
bulum separatum per viam orientalem in-
gredientibus.* In hujus ergo viæ principio
fuit janua quædam. Quidam per vesti-
bulum separatum, intelligunt vestibulum
ædificii separati; alii porticum templi. At

vero, secundum Richardum, caput istius A
viæ ad orientem respiciebat, quæ ab atrio
exteriori juxta aquilonaris ædificii porti-
cum incipiebat. Hieronymus hanc viam
nominat orientalem.

Præterea quæ sequuntur, faciliorem in-
13 telligentiam sortiuntur. *Et dixit ad me : Gazophylacia aquilonis et gazophylacia
austri,* id est in parte aquilonari australi-
que sita, *quæ sunt ante ædificium separa-
tum :* de quo dictum frequenter est; *hæc
sunt gazophylacia sancta,* id est divino
obsequio deputata. Inanimata namque san-
cta dicuntur, quoniam consecrata aut di-
vino cultui ordinata. *In quibus vestiuntur** (* alias *vescuntur*)
sacerdotes sacerdotalibus indumentis, *qui
appropinquant ad Dominum in Sancta
sanctorum,* ut illic ministrent. Tamen in
Sancta sanctorum summus sacerdos tan- (*Hebr.* ix, 7.)
tum introiit; alii propinquabant. *Ibi po-
nent sancta sanctorum :* id est, in prædictis
gazophylaciis sacerdotes reponent ea sa-
crificiorum, quæ sancta sanctorum dicun-
tur. Unde in Levitico Moyses ait ubertim :
Sanctum sanctorum est de oblationibus (*Lev.* ii, 3, 10.)
Domini. *Et oblationes* exhibitas *pro pec-
cato,* id est culpa commissionis, *et pro
delicto,* id est vitio omissionis : quod in-
telligitur de oblationibus in usum sacer-
dotum cedentibus, quæ in locis his ede-
bantur. Hinc subditur : *Locus enim sanctus
est :* id est, gazophylacia ista sunt sancta
ratione prætacta : unde et sancta cibaria in
eis sumenda sunt.

14 *Quum autem ingressi fuerint sacerdo-
tes* gazophylacia ista, *non egredientur de
sanctis* his locis, *in atrium exterius,* id
est ad loca vulgi, cum sacerdotalibus or-
namentis. *Et ibi,* videlicet in gazophyla-
ciis, *reponent vestimenta sua in quibus
ministrant, quia sancta sunt,* id est ad
Dei cultum consecrata : idcirco sicut in lo-
co sancto induuntur, sic in eo exuuntur
ac dimittuntur. *Vestienturque vestimentis
aliis, et sic procedent ad populum* cum
solitis indumentis.

15 *Quumque complesset* angelus mensurator
mensuras domus interioris, videlicet tem-
pli et Sancti sanctorum, *eduxit me per
viam portæ quæ respiciebat ad viam orien-
talem,* id est per portam orientalem ; *et
mensus est eam undique per circuitum.*
Nec solum mensus est portam hanc, ve-
rum et murum ejus, sicut subjungitur.
Mensus est autem contra ventum orienta- 16
lem, id est partem seu latus muri : quæ
pars fuit respiciens versus ventum seu
plagam orbis orientalem; *calamo mensu-
ræ,* id est cum tali instrumento mensu-
randi, quod continebat sex cubitos, *per
B circuitum,* scilicet totam ipsius extensio-
nem, seu longitudinem, *quingentos cala-
mos,* ita quod quingentos calamos conti-
nebat : qui faciunt tria millia cubitorum,
hoc est unum milliare; *in calamo mensuræ
per circuitum.* Hoc propter clariorem in-
tellectum repetitur. *Et mensus est contra* 17
*ventum aquilonis quingentos calamos in
calamo mensuræ per gyrum :* id est, eo-
dem modo mensus est aquilonarem partem
muri istius cum calamo mensurante, ita
quod ista pars muri fuit tanta ut pars
C orientalis præfata. *Et ad ventum,* id est 18
plagam, *australem mensus est quingentos
calamos in calamo mensuræ per circui-
tum.* Partem muri australem mensus est
sicut partes prædictas. Simili sensu sub-
ditur de mensuratione occidentalis partis
muri istius. *Et ad ventum occidentalem,* 19
mensus est quingentos calamos, etc.

Consequenter quasi recapitulans, aliquid
tamen adjiciens, subdit : *Per quatuor ven-* 20
tos, id est ex quatuor partibus et versus
quatuor principales ventos plagasque ter-
D ræ, *mensus est murum ejus,* videlicet por-
tæ orientalis per quam me eduxit, *undique
per circuitum,* id est per quatuor late-
ra muri, *longitudinem quingentorum ca-
lamorum :* ita quod quælibet pars muri
habuit in longitudine quingentos calamos,
totidem quoque in latitudine intra parie-
tes : nam murus fuit quadratus. Ideo sequi-
tur : *et latitudinem quingentorum.* Aliqui
textus continent, Cubitorum : sic enim Hie-
ronymus transtulit. Sed ipse in commento
translationem suam emendat, dicens se

simplicitate et celeritate dictandi ex inadvertentia posuisse, Cubitorum : quod, secundum eum, in Hebraico non habetur, sed dumtaxat, Longitudinem quingentorum et latitudinem quingentorum : ita quod subaudiendum est, Calamorum. Hinc miror quosdam hic facere grandem quæstionem ac difficultatem, quomodo murus idem dicatur habere quingentos calamos et quingentos cubitos, quum calamus contineat sex cubitos.

De quo autem templi muro ista dicantur, deinceps ostenditur. *Dividentem inter sanctuarium et vulgi locum.* Ex quo aliqui dicunt his verbis describi medium murum, inter locum vulgi ac atrium exterius dividentem : per sanctuarium namque intelligitur templum quod fuit intra muros; et vulgi locus fuit immediate post primum extremumve murum. Alii asserunt hic describi murum exteriorem, qui A totum ædificium intra se clausit, adjicientes in Hebræo haberi, Dividentem inter sanctum et vile : ita ut sanctum dicatur quidquid intra primum murum locatur, quia divino cultui deputatum; vile autem, quidquid extra ipsum consistit, quia humanis deputatum est usibus. Quidquid autem horum amplius quis approbet, certum reor reprobationes quibus quidam in loco hoc dicta Richardi redarguit, facillime posse dissolvi. Imo venerabilis ille Richardus sufficienter ostendit, calamum quandoque B pro integro calamo, quandoque pro parte calami etiam ut mensura accipi posse. Quid vero de hoc loco sanctus Hieronymus senserit, ex ejus commento certitudinaliter considerare non queo : quippe quum aliqua dicat, ex quibus sentire videtur quod Propheta de exteriori muro loquatur, aliqua quoque, ex quibus alteri opinioni favere putatur.

ARTICULUS L

DE PRINCIPALI SPIRITUALIQUE INTELLECTU EJUSDEM CAPITULI QUADRAGESIMI SECUNDI.

1 ET *eduxit me in atrium exterius per viam ducentem ad aquilonem.* Quemadmodum in præcedenti articulo patuit, postquam angelus Prophetam de exterioribus in interiora templi deduxit, ut interiora ac secretiora conspiceret, rursum eumdem ad exteriora eduxit, ut quæ ibi sunt videat. Cujus una hæc ratio est, quia sub persona Prophetæ, prælati et contemplativi atque perfecti designantur. Qui primo circa exterioris hominis compositionem, passionum reformationem, vitam activam ac sensibilia occupantur; deinde, gratia duce, circa secreta cœlestia, divinarumque speculationum spectacula per contemplativæ exercitia vitæ feruntur : quia (ut ait Apostolus) non prius quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spi- C rituale. Verumtamen, quum conditionis humanæ fragilitas, humanæque mentis admiranda instabilitas, defectuositas ac paupertas non sinat hominem jugiter, imo nec diu neque stabiliter contemplationi actualiter inhærere : quantumcumque viri præfati profecerint, coguntur post contemplativam elevationem descendere, rursusque circa exteriora intendere. Insuper, quia in superioribus per exteriora templi designati sunt sæculares et imperfecti, seu conjugati sive activi; per interiora vero templi, spi- D rituales, continentes, perfecti et contemplativi : per præinductam Prophetæ inductionem et eductionem figuratur, quod viri perfecti, pastores, prælati et contemplativi, primo circa subditorum suorum imperfectiorum tanquam magis indigen-

I Cor. xv, 46.

tium, reformationem, informationem ac directionem intendere debent, deinde ad altiora conscendere, et perfectioribus perfectiora proponere, ut sapientiam loquantur inter perfectos, et solidum cibum ministrent capacibus. Sic nempe in suis epistolis egit Apostolus : primo culpabiles increpando et docendo, deinde perfectis sublimia Christi mysteria conscribendo; et nihilo minus circa finem epistolarum ad inferiora exterioraque redeundo, docens qualiter conjuges pariter vivere et debitum solvere debent. Denique hæc ipsa exteriora, quæ ante superiorum seu inferiorum speculationem obscurius vidimus, post contemplationum sublimia clarius atque profundius penetramus.

I Cor. II, 6. Hebr. V, 14.

Et induxit me in gazophylacium quod erat contra separatum ædificium, et contra ædem vergentem ad aquilonem. Jam multoties dixi quid per gazophylacium, quid per ædificium separatum, quid per aquilonem spiritualiter designetur. Dictum est namque, quod per separatum ædificium exprimantur religiosi, solitarii et abstracti. Porro per gazophylacium quod erat contra separatum ædificium, intelliguntur fideles in medio sæculi fluctuantes, tamen Deo placentes. Ideo sunt contra ædificium separatum, non per voluntatis vitiosam discordiam, sed per conversationis dissimilitudinem magnam atque distantiam. Ad horum directionem redit prælatus, prædicator ac doctor, postquam circa interiora fuit intentus, ut claruit. Per ædem autem quæ vergit ad aquilonem, signantur qui in adversitatum frigoribus aut pœnitentiæ luctibus commorantur : a quorum exercitio sæculares frequentius distant.

2 Gazophylacium istud est *in facie longitudinis centum cubitos* habentis : per quos decem præceptorum observatio, mente, verbo, et factis exhibita figuratur : aliter enim salvari non valent. Quæ longitudo est *ostii aquilonis,* id est fidei supplicia reproborum adspicientis : quæ fides atque inspectio sæculares ad præceptorum custodiam inducere solent. Proficientes vero, spe ac desiderio præmii sempiterni Deo ministrant; perfecti autem, puro amore ejus, quem super omnia sincere irreflexeque diligunt, ex ipso boni affectu, æquitatisque zelo. *Et latitudinis quinquaginta cubitos* habentis. Hoc convenientissime junctum est, quia per latitudinem, caritatis extensio, per quinquagenarium numerum, tempus remissionis, quietis æternæ, ac pacis internæ accipitur. Quicumque ergo Christifideles Deo per observantiam præceptorum non complacent, nisi hæc ipsa ex caritate observent, ea intentione ut ad remissionem, quietem, pacemque cœlestem pertingant : quemadmodum ad Hebræos scribit Apostolus, Festinemus ingredi in illam requiem; et Christus in Evangelio, Si fuerit oculus tuus simplex, id est intentio recta, totum corpus tuum lucidum erit, id est, tota operationum congeries erit Deo accepta.

Hebr. IV, 11. Matth. VI, 22.

Contra viginti cubitos atrii interioris. 3
Viginti cubiti atrii interioris, sunt varii habitus et actus et species ad contemplativam animam pertinentes, quæ multiformiter assignantur, et re atque mysterio ad vicesimum perveniunt numerum : ad quæ tamen sæcularium conversatio nequit attingere. Idcirco esse dicuntur ex opposito viginti cubitorum atrii interioris. *Et contra pavimentum stratum lapide atrii exterioris.* Per pavimentum istud atrii exterioris lapidibus stratum, intelliguntur quorumdam conjugatorum vel sæcularium corda humilia, variis virtutibus decorata : quæ licet in statu perfectionis seu religionis non sint, nihilo minus tantis gratiæ donis ornantur, tanta humilitate figuntur in imo, et tanto caritatis ardore demorantur in summo, ut multis religiosis præfulgeant; ceterosque sæculares, quamvis in statu salutis exsistentes, tanta perfectione transcendant, ut illi contra eos, seu contra pavimentum hoc propter profectus distantiam constituti scribantur. *Ubi erat porticus juncta porticui triplici.* Per porticum intelligitur Pœnitentiæ sacramentum, vel fidei christianæ umbraculum : quorum

utrumque in prædictis virtutibus virtutumque actibus ac personis fidelibus esse debet. Estque conjuncta porticui triplici, quæ sunt tres Pœnitentiæ partes : contritio, confessio, satisfactio. Vel porticus triplex est superbeatissimæ Trinitatis constantissima ac securissima fides, ab omni adverso custodiens : quæ esse debet unita fidei simplicissimæ Deitatis, quatenus unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur.

4 *Et ante gazophylacia, deambulatio decem cubitorum latitudinis.* Deambulatio ista est semita mandatorum Decalogi : quorum caritativa custodia semper esse debet ante gazophylacia, id est coram oculis devotorum, præcipue sacerdotum, ut ambulent incessanter in ea. Estque deambulatio ista *ad interiora respiciens,* ut coram Deo sit recta intentio, et ejus honor in omnibus expetatur. Respicit ergo ad interiora *viæ cubiti unius.* Hæc est arcta via salutis, quam pauci inveniunt. (Matth. vii, 4.) Quamvis equidem deambulatio memorata sit lata per caritatem, angusta tamen et arcta est ob nostram defectuositatem ac difficultatem ad bona, seu pronitatem ad mala : difficulter namque attingimus medium. Verum, quo amplius per gratiam adjuvamur, per caritatem fervemus, in virtutibus exercemur ac stabilimur, eo levior atque jucundior nobis fit via salutis.

Et ostia eorum ad aquilonem. Per ostium fides, per gazophylacia viri fideles in gratia locupletes, per aquilonem adversitas, vel ignaviæ torpor, seu caritatis infrigidatio, aut pœna gehennæ (ut sæpius tactum est) designatur. Ostia itaque gazophylaciorum ad aquilonem respiciunt, dum virtuosi per fidei suæ oculum, sua aut proximorum adversa considerant, dum sæcularium seu indevotorum spirituali infrigidationi torporique condolent, dum futura supplicia pensant.
5 *Ubi erant gazophylacia in superioribus humiliora :* quia in his considerationibus viri virtutum quo sublimius crescunt, seu magis proficiunt, eo profundius se ipsos humiliant : scientes quod Deus superbis resistat, humilibus autem det gratiam. (Jacob. iv, 6; I Petr. v, 5.) *Quia supportabant porticus quæ ex illis eminebant.* Per porticus ex gazophylaciis eminentes, intelliguntur imperfectiores ac subditi, qui adhuc ad motus vanitatis proclives sunt, et esse volunt in aere. Unde et vitiis impelluntur. Indigent ergo a perfectis et prælatis supportari, ne ruant et pereant, sed ex illis emineant, majorum suorum auxilio in gratia proficiendo. Hinc dicit Apostolus : Debemus autem nos firmiores, aliorum imbecillitatem portare, et non nobis placere. (Rom. xv, 1.) Justi quippe sunt fundamenta, quibus imperfecti debent inniti, figi, et confortari, juxta illud Proverbiorum : Justus quasi fundamentum æternum. (Prov. x, 25.) Hinc filio suo dixit Tobias : Consilium semper a sapiente require. (Tob. iv, 19.) Eminebant ergo *de inferioribus et de mediis ædificii,* id est de doctrinis majorum minus aut magis altis.

Tristega enim erant. Gazophylacia sunt 6
tristega seu tres mansiones habentia : quoniam sciunt [perfecti] qualiter nondum pœnitentibus, qualiter incipientibus, quomodo item proficientibus instructionem, opem, atque umbraculum impendere debent, unicuique secundum suam capacitatem loquentes ac providentes. Qualis fuit Apostolus : Non potui, inquiens, vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus : non enim poteratis accipere. (I Cor. iii, 1, 2.) *Et non habebant columnas, sicut erant columnæ atriorum.* Hi enim in gratiæ donis ditati et aliis præsidentes, a subditis non fulciuntur aut sustentantur, sed econverso. Hinc viri perfecti dicuntur aliorum columnæ. Propter quod ait Salvator : Si sal evanuerit, in quo salietur? (Matth. v, 13.) Rursusque scriptum est : Quis medebitur incantatori a serpente percusso? (Eccli. xii, 13.) *Propterea eminebant* porticus *de inferioribus et de mediis* gazophylaciorum mansionibus (sicut exposui), *a terra,* id est conversatione terrena carnaliumque amore, *cubitis quinquaginta :* quo numero annus remissionis et gratiæ denotatur, æternaque requies designatur. Etenim ad salutem requiritur, ut omnis Christianus

in tantum a terrena affectione ac vita sejungatur, quod amore Dei in ipso prædominante, remissionis gratiam consequatur.
7 *Et peribolus exterior secundum gazophylacia quæ erant in via atrii exterioris ante gazophylacia.* Per peribolum, quo nomine murus seu paries gazophylacia ambiens significatur, gratia divinæ protectionis, vel majorum prælatorum auctoritas atque custodia sumitur. Iste peribolus secundum extensionem gazophylaciorum extenditur, quia his quos ambit aut protegit, commensuratur, dum eis specialiter applicatur. Ideo *longitudo* periboli, est *quinquaginta cubitorum :* quoniam gratia et potestas hæc, ad jubilæum felicitatis cœlestis, quæ quinquagenario denotatur,
8 perducit. *Et longitudo ante faciem templi, centum cubitorum.* Per longitudinem istam accipitur proxima dispositio ingrediendi Ecclesiam, hoc est incorporandi Christo per vitam contemplativam, quia per exteriora designata est vita activa. Longitudo ergo hæc centum est cubitorum, quoniam in activa vita atque moralibus virtutibus debet esse perfectus, qui ad theoricam admittetur. Centenarius au-
9 tem perfectus est numerus. *Et erat subter gazophylacia hæc introitus ab oriente ingredientium in ea de atrio exteriori.* Introitus iste ad gazophylacia, est humilis imitatio, qua imperfecti ac subditi majorum virtutes sectantur, atque per hoc unum in Christo cum eis efficiuntur, eodem spiritu vegetati, unumque mysticum corpus effecti. Ingrediuntur autem ab oriente, id est ab illuminatione lucis super-
10 næ, quæ viam ostendit. *In latitudine periboli,* id est in soliditate divini subsidii : periboli, inquam, *atrii quod erat contra viam orientalem,* id est eorum quorum interior oculus ad summæ lucis splendorem dirigitur : hi enim divinitus proteguntur ; *in facie ædificii separati,* id est coram eis per vitæ conformationem, qui solitariæ et abstractæ conversationis consistunt.

Et erant ante ædificium gazophylacia. Per ædificium hoc loco, templum videli-
A cet, diviniores intelliguntur, qui in cordibus suis Deo quasi continue psallunt. Ante hos sunt alii virtuosi, quamvis nondum ita perfecti, sed perfectioribus per similitudinem juncti, eisque perfectius cupien-
tes uniri. *Et via ante faciem eorum.* Via 11
ante faciem gazophylaciorum, est semita æquitatis, per quam boni semper curant incedere. *Juxta similitudinem gazophylaciorum quæ erant in via aquilonis,* id est eorum qui mundi adversis pulsantur, impiis condolent, inferni supplicia intuen-
B tur. *Secundum longitudinem eorum, sic et latitudo eorum :* quia justitiæ æqualitatem in omnibus amant ; actio quoque et contemplatio pariformiter in eis concrescunt, et quo longanimiores sunt in spe, eo latiores fiunt in caritate. Denique, sicut in littera edocetur, gazophylacia australia et aquilonaria, quantum ad introitum et figurationes ac ostia, erant similia. Per quod datur intelligi similitudo meriti eorum, qui in gaudio spirituali, et qui in
luctu pœnitentiali versantur. *Ostium in* 12
C *capite viæ :* id est, fides esse debet principium operationis bonæ. Fides namque dirigit operationem ad debitum finem, videlicet vitam beatam, ad quam omnis operatio nostra est referenda. *Quæ via erat ante vestibulum separatum :* quia opera virtuosa, quæ sunt medium quo imus ad patriam, sunt coram eorum adspectu qui merito vitæ et gratia ab impiis separantur ; *per viam orientalem ingredientibus,* id est, deserviens his qui per iter virtutum ac lucis ingrediuntur, seu conversantur et
D ambulant. Illorum namque operatio est veraciter virtuosa. His vero qui in hypocrisi, calliditate, duplicitateque sunt, via virtutum non convenit.

Et dixit ad me : Gazophylacia aquilo- 13
nis, etc. Per gazophylacia aquilonaria atque australia, intelliguntur corda diversis gratiarum charismatibus opulenta, sicut frequenter expositum est. Ista plane sunt gazophylacia sancta formaliter, in quibus sacerdotes Christi vescuntur, ac spiritualiter reficiuntur multis effectibus Sacra-

menti altaris, paneque vitæ, et cibo vir- A
Joann. IV, 34. tutum, de quo ait Salvator : Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei. *Qui appropinquant ad Dominum,* non corporis progressione, sed mentis devotione, *in Sancta sanctorum,* id est apice intelligentiæ ac scintilla synderesis : ubi per limpidissimam contemplationem ardentissimumque amorem Deo omnipotenti immediate junguntur, aggressi cor altum, et
Ps. LXXXIV, 9. ingressi sanctuarium Dei, ut audiant quid in secretissimo spiritus sinu loquatur in eis Dominus Deus. *Ibi ponent sancta san-* B *ctorum,* id est superdignissimum Eucharistiæ sacramentum, quod propter sacramentalium specierum diversitatem pluraliter nominatur ac dicitur, Sacramenta. Hoc enim Sacramentum quod vere est sanctum sanctorum, in intimo mentis per devotissimam meditationem semper est recon-
Cant. VIII, 6. dendum, juxta illud in Canticis : Pone me ut signaculum super cor tuum. *Et oblationes pro peccato et delicto,* id est spiritualia sacrificia, quibus Deus placatur et vitia remittuntur : quæ sunt orationes devotæ, C compunctiones internæ, affectiones ferven-
I Petr. IV, 8. tes, dolores mentales. Caritas namque ope-
Ps. L, 19. rit multitudinem peccatorum; et, Sacrificium Deo spiritus contribulatus. *Locus enim sanctus est :* id est, corda hæc sancta sunt, quæ sunt thalami Sponsi cœle-
Sap. VII, 27. stis, throni ac sedes Sapientiæ increatæ,
Ephes. III, 17. et templum Dei viventis, ubi per fidem habitat Christus.

14 *Quum autem ingressi fuerint sacerdotes* evangelicæ legis gazophylacia ista ac Sancta sanctorum, id est, per contemplationem D amoris ardore flammigeram intra se conversi ac elevati ad Deum, *non egredientur de sanctis in atrium exterius,* id est, non statim ab interioribus occupationibusque divinis ad exteriora redibunt, sed quantum virtus ratioque permittunt, Deo manebunt intenti, atque ad dignam Eucharistiæ perceptionem se totis viribus præparabunt. Perceptione quoque peracta, grati esse nitentur. *Et ibi,* videlicet in cordibus suis, *reponent vestimenta sua in quibus ministrant :* id est, singularia illa devotionis, contemplationis atque amoris exercitia, quæ sunt speciosissima sacerdotum indumenta, in quibus tempore celebrationis ministraverunt, sacrificium tantum Patri æterno offerentes, intra se abscondent, dum ab altari recedunt; *quia sancta sunt,* id est eminenter virtuosa. Talia autem ex humilitate sunt occultanda. *Vestienturque vestimentis aliis :* id est, communibus ac solitis virtutum operibus ad quæ tenentur, se induent, ne alii scandalizentur, *et sic procedent ad populum,* quos verbo et opere ædificare utique obligantur.

Mensus est portam orientalem *undique* 15 *per circuitum.* Per portam orientalem, sicut sæpissime patuit, intelligitur fides illuminata, vel sacramentum Baptismi, quæ sunt portæ ad Christi Ecclesiam. Hæ portæ undique mensurantur ab eo qui judex est omnium, dum ipse opera fidei nostræ ex omni parte considerat, et qualiter vestem innocentiæ tenuerimus, inspicit.

Postremo, quid per murum istum, qui 20 nunc ex quatuor suis partibus mensuratus describitur, et inter locum vulgi ac sanctuarium dividit, intelligatur, dictum est in quadragesimi expositione capituli. Si Art. XLVII, circa finem. enim murus iste dicatur murus exterior, per ipsum intelligitur divina protectio; si vero murus medius, angelorum custodia. Quorum utrumque Christus mensurat, quoniam quidquid beneficiorum a Deo vel angelis participamus, ipse perpendit ac judicat; et ab eo cui plus datum est, plus Luc. XII, 48. requiret. Mensuratur ergo hic murus versus quatuor ventos terræ, ad innuendum quod omnium in toto orbe terrarum habitantium corda, mores et opera, Christus infallibiliter judicat ac mensurat atque remunerat. Denique quælibet pars muri istius, habet quingentos calamos, tam in longitudine quam in latitudine, ita quod totius muri ambitus, duo millia continet calamorum. Per quæ omnia divinæ sive angelicæ custodiæ generalitas, magnitudo, efficaciaque signatur. Sed quomodo murus iste inter sanctuarium et locum vulgi di-

vidit, quum utraque custodia cunctis fidelibus adhibeatur? Et respondendum, quod quamvis omnibus adsit, non tamen æqualiter : nam et supersapiens universorum creator, atque omnipotens dominator, cunctis et singulis providet secundum qualitatem, gradum, virtutem, dispositionem aut statum eorum.

ARTICULUS LI

ELUCIDATIO CAPITULI QUADRAGESIMI TERTII : ET EDUXIT ME AD PORTAM.

NUNC post ædificiorum templi descriptam mensurationem, describitur revelatio atque commissio divinitus facta
1 Prophetæ. *Et eduxit me* angelus *ad portam quæ respiciebat ad viam orientalem,* id est ad orientalem portam atrii interioris. Ad hanc portam eductus est Propheta a porta orientali atrii exterioris, secundum
2 quosdam. *Et ecce gloria Dei Israel,* id est gloriosa Dei apparitio, seu præclara effigies Dei repræsentativa, de qua scriptum
Ezech. I, 22. est primo capitulo, utpote, Similitudo super capita animalium firmamenti, etc., *ingrediebatur per viam orientalem* templum nunc descriptum. Omnia autem intelligenda sunt accidisse non in re, sed in imaginaria visione seu ostensione. *Et vox* gloriæ Dei ingredientis, *erat ei quasi vox aquarum multarum,* ad designandum divinæ majestatis eminentiam. Tale quid etiam
Ibid. 24. dictum est primo capitulo de quatuor animalibus. *Et terra splendebat a majestate ejus,* id est, divinæ claritatis fulgore illustrabatur, ita quod radii terram illustrantes, videbantur a præfata prodire effigie.
3 *Et vidi visionem,* id est imaginariam similitudinem, *secundum speciem,* id est juxta eumdem modum ac formam, *quam videram, quando venit* gloria Dei *ut disperderet civitatem* Jerusalem, id est, per Chaldæos destruendam ostenderet. Quomodo autem visio ista sit facta, decimo capitulo dictum atque expositum est. *Et species,* id est similitudo mihi nunc demonstrata, fuit *secundum adspectum,* id est imaginarium intuitum, *quam videram* interioribus oculis *juxta fluvium Chobar.* De qua re dictum est primo capitulo. *Et cecidi super faciem meam :* vel in reverentiam Creatoris, ut eum pronus in terra adorarem ; vel ex virium defectu, tam sublimem visionem ferre non valens ex fragilitate naturæ, sicut in præcedentibus Ezech. II, 1.
plenius dictum est. Et tamen casus iste non fuit nisi in visione. *Et majestas Domini* 4
ingressa est templum per viam portæ quæ respiciebat ad orientem, id est per portam orientalem. Quemadmodum autem supra legitur majestas seu gloria Dei egressa Ibid. X, 18; XI, 23.
templum ac civitatem, atque supra montem extra stetisse, ad designandum quod templum ac urbem Jerusalem solita defensione sua privaret, inimicisque traderet ; ita nunc scribitur templum jam descriptum ingressa, ad innuendum quod templum hoc, et civitatem paulo post describendam, gratiose protegeret et inhabitaret. *Et elevavit me spiritus* angelicus, 5
me confortans ac instruens, *et introduxit me* de porta orientali *in atrium interius :* quod fuit prope templum. *Et ecce repleta erat gloria Domini domus :* id est, templum impletum videbatur magnificentia et fulgore majestatis divinæ, quemadmodum decimo capitulo legitur : Atrium re- Ibid X, 4.
pletum est splendore gloriæ Domini.

Et audivi loquentem ad me de domo, id 6
est exsistentem in templo : ita quod loquens iste fuit in templo. Nec dicit Propheta, quis ille exstiterit, aut quid dixerit.

Verumtamen palam arbitror, quod fuit angelus aliquis in Dei loquens persona. Aliis vero apparet, quod loquens iste non fuit in templo, nec alius ab angelo Prophetam docente : sicque loquebatur de domo, tanquam de materia quadam. Sed primum est melius, sicut ex ipso litteræ contextu perpenditur. Nempe de angelo instruente Prophetam, quasi de alio mox jungitur : *Et vir qui stabat juxta me,* scilicet angelus
7 in specie viri apparens, *dixit ad me : Fili hominis, locus solii,* id est throni *mei, et locus vestigiorum pedum meorum,* est templum istud. Hæc verba locutus est angelus non in propria, sed in Dei persona. Loquitur autem Deus de se modo ac more hominis corporaliter residentis in throno. Per vestigia autem pedum Dei, intelliguntur effectuum ejus impressiones. *Ubi habito,* id est habitabo, *in medio filiorum Israel in æternum,* non ad tempus tantum, sicut in templo Salomonis.

Ista de Ecclesia intelliguntur, et per filios Israel veri Israelitæ in Christum credentes exprimuntur. Nisi quis dicat, sicut in expositione quadragesimi capituli tactum est, quod tunc per ostensionem templi hujus intelligendum sit templum post reditum a Babylone constructum, vel quod constructum fuisset, si Judæi debite ad Deum se habuissent : ita quod tota ista promissio de templo et civitate ac terræ divisione, intelligenda erat sub conditione ; quod item Deus ista promisit per Prophetam, ut Judæi pro tunc incitarentur in Judæam reverti et Deo fideliter obsequi : quod si fecissent, omnia ista tunc litteraliter impleta fuissent. Quamvis autem talis assertio certa non sit, tamen ex littera ista datur non minima occasio taliter opinandi, sicut per sequentia verba considerantibus innotescere potest. Nec istud fidei catholicæ obviat, imo Judæorum contra nos cavillationes dissolvit.

Et non polluent, id est, non inhonorabunt, *ultra domus,* id est tribus ac populi *Israel, nomen sanctum meum,* id est me ipsum nomine designatum, *ipsi et reges eorum in fornicationibus,* id est idololatriis *suis, et in ruinis,* id est peccatis, *regum suorum, et in excelsis suis,* id est altis idololatriæ locis. *Qui fabricati sunt* 8
limen suum juxta limen meum, et postes suos juxta postes meos. Quidam enim impii reges Juda, limina ac postes palatii sui juxta limen postesque templi ædificari fecerunt, et ad hoc injuste vixerunt : sicque ex propinquitate ad loca sacra, peccatum eorum aggravabatur, secundum Hieronymum. Vel per limen suum intelligitur, quod limina idolorum suorum juxta templum posuerunt, atque ibidem idololatriam exercuerunt. *Et murus erat inter me et eos,* id est parva distantia inter locum in quo tam perverse egerunt, et inter templum vel Sanctum sanctorum in quo habitavi per præcipua beneficia meæ clementiæ. *Et polluerunt nomen sanctum meum in abominationibus quas fecerunt. Propter quod consumpsi,* id est occidi, *eos* pro maxima parte gladio Chaldæorum, fame, captivitate, ac peste, *in ira mea,* id est rigore justitiæ meæ. *Nunc ergo repellant* 9
procul fornicationem suam corporalem ac spiritualem, et omne peccatum mortale, *et ruinas,* id est vitia, *regum suorum* idololatrarum, *a me,* id est a meo conspectu, de præteritis malis veraciter pœnitendo, eademque in posterum devitando. Qui enim cordialiter ait, Quoniam iniquitatem meam ego cognosco et peccatum meum contra me est semper, etiam efficaciter potest orare, Averte faciem tuam a peccatis meis. Competetque ei quod scriptum est : Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum. *Et habitabo in medio eorum,* id est in cordibus singulorum, *semper,* in præsenti per fidem et gratiam, in futuro autem per gloriam.

Tu autem, fili hominis, ostende domui 10
Israel templum, id est, formam templi istius jam descripti propone filiis Israel, *et confundantur ab iniquitatibus suis,* id est, consideratione iniquitatum suarum salubriter erubescant, præsertim quum audiant sibi tot bona promitti a me, quem

rt. XLVII io. — Ps. L, 5. — Ibid. 11. — Ps. XXXI, 2.

tam graviter offenderunt. Clementia nam-
que et beneficentia ejus qui offensus est,
debet reum ad majorem culpæ suæ ru-
borem inducere, quia opposita juxta se
posita, clarius innotescunt. *Et metiantur*
fabricam, id est, mensuras templi consi-
11 derent. *Figuram domus,* id est templi, *et*
fabricæ ejus, id est ædificiorum sibi ad-
junctorum, *exitus et introitus,* scilicet por-
tas ac ostia, *et omnem descriptionem ejus,*
et universa præcepta ejus, id est præcepta
serviendi Deo in templo, *cunctumque or-*
dinem ejus in ædificiis ac ministris, vide-
licet sacerdotibus ac Levitis, *et omnes leges*
ejus in cærimonialibus observandis, *osten-*
des eis, et scribes in oculis eorum, id est,
eorum conspectui scripta monstrabis, ne
oblivioni tradant audita, *ut custodiant om-*
nes descriptiones ejus tenaci memoria, *et*
præcepta illius jam dicta, *et faciant ea.*
Non enim prodest scientia aut memoria
præceptorum, nisi et opere impleantur :
imo et magis damnabilem reddit, Christo
Luc. XII, 47. testante, Servus qui scit voluntatem domi-
ni sui et non facit, plagis vapulabit mul-
Jacob. IV, 17. tis ; Jacoboque dicente, Scienti bonum et
non facienti, peccatum est illi.
12 *Ista est lex domus in summitate montis,*
id est, ista est justa ordinatio vel censura
templi in vertice montis siti ac demon-
strati : *Omnes fines ejus,* id est termini
seu ædificia ad templum hinc inde spe-
ctantia, *Sanctum sanctorum est,* id est, ad
Sanctum sanctorum se habent ac perti-
nent; vel, secundum Hieronymum, in San-
cta sanctorum reputantur, ad insinuandum
quod ista de Ecclesia proferantur. Siqui-
dem in tabernaculo Moysis Salomonisque
templo, non nisi interiora, unaque pars,
Sancta sanctorum vocatur. *Hæc est ergo*
lex domus : quod tam ad præcedentia
quam ad sequentia potest referri.
Consequenter itaque ponitur descriptio
13 altaris holocausti. *Istæ autem mensuræ al-*
taris holocausti sunt quæ sequuntur, *in*
cubito verissimo, quia per cubitum istæ
mensuræ exprimuntur, *qui habebat cubi-*
tum ad mensurandum, *et palmum,* qui est

A sexta pars cubiti : quo palmo in mensu-
rando cubitus tenebatur in manu, secun-
dum Richardum. Alii intelligunt de cubito
sanctuarii secundum modum Hebræorum :
qui cubitus ultra communem cubitum con-
tinet unum (ut asserunt) palmum. *In sinu*
ejus, id est in fundamento altaris, *erat cu-*
bitus, id est elevatio super terram spatio
unius cubiti. Tantum equidem fundamen-
tum istud a terra elevabatur. *Et cubitus in*
latitudine, id est, fundamentum latius fuit
uno cubito ædificio altaris superposito. In
B minori quippe crepidine cœpit ædificium
altaris discrepare a fundamento, restrin-
gendo sese a latitudine fundamenti per
cubitum unum. *Et definitio ejus,* id est
terminatio altaris, *usque ad labium ejus,*
id est ejecturam sive coronam altaris, *in*
circuitu, fuit *palmi unius :* quia spatio
unius palmi labium ascendebat in supe-
riori extremitate altaris per gyrum ipsius.
De quo dicit Hieronymus : In circuitu al-
taris, hoc est in margine et circulo ejus,
repandum fuit labium, et quasi corona in
C modum labii, habens in adspectu pluri-
mam venustatem. *Hæc quoque erat fossa*
altaris. Fovea ista, secundum Richardum,
in se recepit sanguinem et cineres ab
altari defluentes, fuitque duorum cubito-
rum profunditatis, atque unius cubiti lati-
tudinis. Ideo subditur : *Et de sinu terræ,* 14
videlicet a fundo foveæ, *usque ad crepi-*
dinem novissimam, id est basim altaris,
secundum Richardum, *duo cubiti; et lati-*
tudo foveæ, *cubiti unius. Et a crepidine*
minori usque ad crepidinem majorem,
D *quatuor cubiti* in ascendendo. Crepido, se-
cundum Richardum, vocatur præruptio vel
præcisio alicujus planitiei vel superficiei.
Et latitudo unius cubiti : quia crepido uno
cubito latior fuit ædificio immediate sibi
superposito. Propter quod dicitur, quod
situs unius cubiti se in latus deflexit, at-
que in latum expandit.
Ipse autem ariel quatuor cubitorum fuit 15
in ascendendo seu altitudine. Per ariel
(quod interpretatur leo fortis) intelligitur
corpus seu superior pars altaris, in quo

carnes oblatæ cremabantur : sicque locus A
ille carnes consumpsit, quemadmodum leo
bestiam devorat. Vel, secundum Hierony-
mum, ariel quoque interpretatur fortis Dei,
vel secundum quosdam, lux mea Deus :
sicque nomen hoc convenit altari, in quo
est fortitudo et illuminatio Dei. *Et ab ariel
usque sursum cornua quatuor.* Nam super
altare in quatuor ejus angulis, quatuor
cornua erant, quæ ab extremitatibus alta-
16 ris distabant. *Et ariel* fuit *duodecim cubi-
torum in longitudine, per duodecim cubitos
latitudinis :* id est, locus cremationis in B
superiori parte altaris habuit duodecim
cubitos, tam in longitudine quam in lati-
tudine. Siquidem altare hoc fuit quadrum
æquilaterum. Hoc est quod subditur : *qua-
17 drangulum æquis lateribus. Et crepido*
hujus ariel fuit *quatuordecim cubitorum
longitudinis, per quatuordecim cubitos la-
titudinis in quatuor angulis ejus :* id est,
tota superficies altaris superior, fuit qua-
tuordecim cubitorum per quadrum. Habuit
namque altare sursum ejecturam quam-
dam per quatuor partes, seu latera vel C
angulos. Habuit quoque ejectura hæc cu-
bitum unum altitudinis, et cubitum unum
latitudinis, per quatuor partes extra men-
suram altaris, quoniam ultra cornua pro-
tendebatur. Ideo tota superficies fuit modo
prædicto quatuordecim cubitorum. *Et co-
rona in circuitu ejus,* puta altaris, *dimidii
cubiti* altitudinis, quæ superiorem partem
altaris circumdabat. *Et sinus ejus,* id est
fundamentum altaris, fuit *unius cubiti per
circuitum* super terram : per quod ejus
altitudo exprimitur. *Gradus autem ejus* D
versi ad orientem, id est, gradus altaris
positi erant in parte orientali.

Hucusque altare descriptum est : cujus
descriptionem diversi variis modis expo-
nunt, sed unum modum qui planior ac
rationabilior videbatur, secutus sum. Con-
sequenter describitur altaris consecratio
seu dedicatio et expiatio.

18 *Et dixit ad me : Fili hominis, hæc dicit
Dominus Deus : Hi sunt ritus altaris,* id
est observationes circa altare hoc custo-
diendæ sive explendæ, *in quacumque die
fuerit fabricatum, ut offeratur super il-
lud holocaustum, et effundatur sanguis*
animalium quæ in holocaustum offerun-
tur. *Et dabis,* id est, dandum prædices, 19
*sacerdotibus et Levitis, qui sunt de semine
Sadoc, qui accedunt ad me, ut offerant
mihi vitulum de armento pro peccato. Et* 20
assumens, id est sumendum prænuntians,
de sanguine ejus, scilicet vituli, *pones,* id
est, ponendum prophetabis, *super quatuor
cornua ejus,* scilicet altaris, *et super qua-
tuor angulos crepidinis et super coronam
in circuitu; et mundabis illud et expia-
bis,* id est, altare istud hoc modo aptandum
expiandumque in posterum denuntiabis,
ut fiant in ipso oblationes. Certum est au-
tem, quod tempore Ezechielis templum
non fuit neque altare de quibus jam ser-
mo, nec ipse aliquid horum realiter fecit;
sed vel litteraliter vel spiritualiter fienda
prædixit. Idcirco et ea quæ consequenter ad
Ezechielem dicuntur, exponenda sunt sicut
præhabita, scilicet, tanquam prænuntianda
per ipsum. Subditur hoc : *Et tolles vitulum* 21
*qui oblatus fuerit pro peccato, et combures
eum in separato loco domus extra san-
ctuarium,* id est in loco aliquo ad hoc
deputato, infra extremum totius ædificii
murum contento, non tamen in templo.

Et in die secunda offeres hircum capra- 22
*rum immaculatum pro peccato; et expia-
bunt* sacerdotes *altare* holocausti, ut sacri-
ficia ibi oblata sint Deo accepta, *sicut
expiaverunt in vitulo,* id est, sicut primo
die expiaverunt altare hoc, vitulum offe-
rendo. *Cumque compleveris* oblationem 23
hirci, *expians illud,* puta altare, *offeres
vitulum de armento immaculatum, et ari-
etem de grege immaculatum,* id est sa-
num et integrum, non monstruosum, ma-
culatum, aut languidum. *Et offeres eos in* 24
conspectu Domini in templo : quo Deus
spiritualiter esse atque videre asseritur,
quoniam ibi specialiter operatur; *et mit-
tent sacerdotes super eos* jam oblatos *sal :*
juxta illud Levitici, In omni oblatione of- *Lev.* II, 13.
feres sal; *et offerent eos in holocaustum*

Domino : ita quod totaliter comburentur A
hæc pecora ad reverentiam majestatis di-
vinæ.
25 *Septem diebus facies,* id est offeres, *hir-*
cum pro peccato quotidie, et vitulum de
armento, et arietem de pecoribus immacu-
26 *latos offerent* sacerdotes. *Septem diebus*
expiabunt altare, et mundabunt illud : id
est, prædicta sacrificia offerendo, conse-
crabunt atque aptabunt altare, ut in ipso
de cetero rite fiat oblatio. *Et implebunt*
manum ejus, id est, capacitatem seu lo-
cum altaris quo sacrificia offeruntur et
concremantur, dictis oblationibus adimple-
bunt, ne quid vacuum in conspectu Dei
videatur stetisse, secundum Hieronymum.
Expletis autem diebus dedicationis septem, 27
in die octava et ultra, facient, id est offe-
rent, *sacerdotes super altare holocausta ve-*
stra, et quæ pro pace offerunt, id est pro
peccatorum remissione atque salute ; *et*
placatus ero vobis, ait Dominus Deus : pro
quo Septuaginta transtulerunt, Et susci-
piam vos.

ARTICULUS LII

DE INTELLIGENTIA EJUSDEM CAPITULI QUADRAGESIMI TERTII PRINCIPALI.

QUUM mystico sermone descripsisset B
sanctus Propheta templum, utpote Chri-
sti Ecclesiam, in principio hujus capituli,
asserit se ductu angelico ad orientalem
portam deductum : per quam, ut sæpius
dictum est, intelligitur fides catholica illu-
2 strata. *Et ecce gloria Dei Israel,* id est uni-
genitus Filius Dei Patris : de qua loquitur
Is. XL, 5; Isaias, Revelabitur gloria Domini, et vide-
Luc. III, 6. bit omnis caro salutare Dei nostri. Etenim
Prov. X, 1; juxta Scripturam, filius sapiens gloria pa-
XIII, 1. tris : quanto magis Filius qui est ipsa sa-
pientia prorsus immensa, est gloria Geni-
toris? *Ingrediebatur per viam orientalem :*
quia per fidem catholicam intrat Christus
Ecclesiam, hoc est corda fidelium. Denique
gloria Dei Israel, quæ de templo Judæorum
Ezech. X, et civitate Jerusalem supra recessisse de-
18; XI, 23. scripta est, templum istud seu primitivam
Ecclesiam introivit, potissime post Christi
ascensionem, misso desuper Spiritu San-
cto. Tunc enim Christifidelium animæ,
præsertim beati Apostoli, cognoverunt quid
visio ista gloriæ Dei Israel designaret, et
quomodo ad Christi pertineret Ecclesiam,
Art. III. secundum quod in primi expositione ca-
pituli est tractatum. Intravit itaque per
viam orientalem, hoc est per fidem et gra-
tiam illuminationemque Christi : de quo
loquitur Zacharias, Oriens nomen ejus; et *Zach.* VI, 1
item evangelicus Zacharias, Visitavit nos *Luc.* I, 7
Oriens ex alto.

Et vox erat ei quasi vox aquarum mul-
tarum. Hoc et Joannes in Apocalypsi de *Apoc.* I, 1
ipso testatur. Porro per aquas populi de- XIV, 2. *Ibid.* XV
signantur. Fuit ergo ei vox quasi vox 15.
aquarum multarum, ad insinuandum quod
omnium populorum Christus voce conso-
na laudaretur. Unde Septuaginta transtule-
C runt : Vox quasi geminantium multorum.
Geminatur enim vox cantantium Patri et
Filio et Spiritui Sancto : Sanctus, Sanctus,
Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Una autem
multorum vox est, propter unum in Dei
laude consensum, quemadmodum monet
Apostolus : Unanimes uno ore honorifice- *Rom.* XV,
tis Deum. *Et terra splendebat a majesta-*
te ejus : id est, Ecclesia militans in terra
peregrinans, a Christi sapientia et virtute
magnifice illustrabatur. Quod tunc fieri
cœpit, quum ipse Unigenitus Dei in pro-
D pria persona hominibus prædicavit, do-
ctrina atque miraculis coruscavit, et suæ
supersanctissimæ conversationis exemplis

omnium corda edocuit. Propter quod in A
ix, 2. Isaia prædictum est : Populus qui ambu-
labat in tenebris, vidit lucem magnam. Et
ipsemet Christus in Evangelio protestatur :
nn. ix, Quamdiu in mundo sum, lux sum mundi.
d. i, 9. Erat nempe lux vera, quæ illuminat om-
nem hominem venientem in hunc mun-
dum. Splendor iste illustrationis divinæ,
per Apostolorum prædicationem ubique
xviii, 5. diffusus est, quando in omnem terram ex-
ivit sonus eorum : quibus et Christus di-
atth. v, xit, Vos estis lux mundi. Hinc namque ad
hes. iii, Ephesios Paulus scribit : Mihi omnium B
sanctorum minimo data est gratia hæc, in
gentibus evangelizare investigabiles divi-
tias gratiæ Christi, et illuminare omnes
quæ sit dispensatio sacramenti absconditi
a sæculis in Deo.

3 *Et vidi visionem secundum speciem*, etc.
Postquam enim Ezechiel, revelante Spiritu
Sancto, intellexit ædificationem Ecclesiæ
Christi in sacramentis, fide ac moribus ;
tunc quoque spiritualiter intuebatur, quod
quidquid virtutis, pietatis ac gratiæ Deus
Synagogæ subtraxit, Ecclesiæ Christi et C
veris Israelitis copiosissime communica-
ret. *Et cecidi super faciem meam,* Dei
majestatem adorans, atque præ magnitu-
dine gratiæ mysteriorumque Christi ob-
stupescens. Itaque visa gloria Dei iste ca-
dit, quoniam justus intellecta Dei majestate
4 se magis humiliat. *Et majestas Domini*
ingressa est templum : quoniam ipsemet
Deus incarnatus inter fideles conversari
dignatus est ; ejus quoque majestas, id est
gloriosa suæ potestatis cognitio, cordibus
5 electorum innotuit. *Et elevavit me spiri-* D
tus, id est, ad considerandum mirabilia
Dei me confortavit ac elevavit : nam qui
c. iii, 5; se humiliat, exaltatur ; *et introduxit me in*
, 14. *atrium interius,* id est, secretiora Ecclesiæ
mihi ostendit. Quid autem intelligatur in-
terius atrium Ecclesiæ, dictum est sæpe.
Et ecce repleta erat gloria Domini domus.
Jam enim magnificentia Christi, Ecclesia
est repleta, sicut in Psalmo prænuntiaba-
xxi, 19. tur : Benedictum nomen majestatis ejus in
æternum, et replebitur majestate ejus om-
nis terra. Propter quod in Isaia Seraphim
clamant : Plena est omnis terra gloria *Is.* vi, 3.
ejus.

Insuper de Ecclesia loquitur Deus : *Lo-* 7
cus solii mei, et locus vestigiorum pedum
meorum, ubi habito per fidem et grati-
am, *in medio filiorum Israel in æternum,*
id est in cordibus credentium, qui Deum
fideliter intuentur : quorum primi atque
præcipui erant de populo Judæorum. Un-
de et Christus prædixit : Ego vobiscum *Matth.*
sum cunctis diebus usque ad consumma- xxviii, 20.
tionem sæculi. In Apocalypsi quoque ha-
betur : Ecce tabernaculum Dei cum homi- *Apoc.* xxi,
nibus, et habitabit cum eis. Itemque in 3.
Psalmo : Introibimus in tabernaculum ejus, *Ps.* cxxxi, 7.
adorabimus in loco ubi steterunt pedes
ejus. Hinc ad Corinthios scribit Aposto-
lus : Vos estis templum Dei vivi, sicut II *Cor.* vi,
dicit Dominus : Quoniam inhabitabo in 16, 18.
illis et inambulabo ; et ero vobis in pa- *Lev.* xxvi, 12.
trem, et vos eritis mihi in filios et filias,
ait Dominus omnipotens. *Et non polluent*
ultra domus Israel nomen meum. Hoc
aptissime sumitur de Judæis in Christum
credentibus, qui efficaciter oraverunt : Pa- *Matth.* vi,
ter noster, qui es in cœlis, sanctificetur 9.
nomen tuum. Sicut fecerunt *ipsi et re-*
ges eorum, antequam converterentur. Quod
etiam de cunctis fidelibus eorumque re-
gibus christianis intelligi potest, qui chri-
stianam fidem operibus ornaverunt : qui
etsi vicissim peccaverunt, Deum tamen
statim per pœnitentiam honoraverunt.

Qui fabricati sunt limen suum juxta 8
limen meum, et postes suos juxta postes
meos, et murus erat inter me et eos. Istud
non solum ad litteram accipitur de regi-
bus Judæorum, juxta expositionem in præ-
cedenti articulo factam, sed de plurimis
quoque Christianis, potissime religiosis ac
monachis, inter quorum habitationem et
templum mediat murus dumtaxat. Propter
quod deberent Deum singulariter revereri,
maxime propter præsentiam superdignis-
simi Sacramenti. Sed, heu ! jam quotidie
contingit oppositum, quia frequenter in-
justius vivunt, qui ecclesiæ propinquiores

consistunt. Eapropter ait Hieronymus : A
Quid prodest habitationis vicinia, et me-
dius inter cellulam nostram altareque Do-
mini paries, quum his quæ secrete fa-
cimus, et quæ turpe est dicere, nomen
Domini contaminetur? Tales ergo, ceteris
paribus, gravius peccant. *Propter quod*
consumpsi eos in ira mea, id est, spiritua-
liter ad nihil redegi, omneque esse gratiæ
ac virtutum (quod est esse deiforme, spi-
rituale, ac meritorium) eis abstraxi. Hos
insuper Dominus misericorditer exhorta-
9 tur. *Nunc ergo repellant procul,* non loco, B
sed detestatione ac dissimilitudine, *forni-*
cationem suam, id est mentis aversionem :
per quam anima quæ Dei sponsa esse de-
beret, cum diabolo fornicatur, quia cum
eo per animi consensum miscetur. Sed et
corporalem fornicationem quidam nefarii
in talibus locis facere non verentur.
10 *Tu autem, fili hominis, ostende domui*
Israel, id est credentibus seu Christianis :
Joann. I, 47. qui sunt veri Israelitæ, juxta illud ad Ga-
Galat. III, 7. latas, Qui ex fide sunt, hi filii sunt Abra-
hæ. Non enim proprie filii Abrahæ erant, C
Joann. VIII, 39. quibus Christus dicebat : Si filii Abrahæ
estis, opera Abrahæ facite. Qui vero san-
ctorum Patriarcharum fidem atque virtu-
tes sectantur, eorum rite filii asseruntur.
Templum istud, tibi in monte ostensum. *Et*
confundantur ab iniquitatibus suis, cogni-
ta gratia Christi, *et metiantur fabricam,* id
est, qualiter ex ipsis credentibus una con-
struatur Ecclesia per caritatis coagulum
ac fidei unitatem perpendant. Præterea,
circa hunc locum ait Hieronymus : Quam-
vis Salomon peccavit, postea tamen egit D
pœnitentiam, scribens Proverbia, in quibus
Prov. XXIV, 32. dicit : Novissime ego egi pœnitentiam, et
11 respexi ut eligerem disciplinam. *Figuram*
domus, id est spiritualem circumcisionem
vel decorem Ecclesiæ seu credentium, *et*
fabricæ ejus, id est ædificationis in vir-
tutum profectibus, *exitus* ad opera vitæ
activæ, *et introitus* ad exercitia vitæ con-
templativæ, *et omnem descriptionem ejus,*
id est informationem qualiter fideles tan-
quam lapides vivi conjungi debent corpori
Ecclesiæ; *et universa præcepta ejus :* de
quibus ait Salvator, Docete gentes ser- Matth. XXVIII, 20.
vare omnia quæ mandavi vobis : quæ
præcepta in Evangelio conscribuntur; *cun-*
ctumque ordinem ejus, in modo conver-
sandi, vel in ecclesiasticis officiis, *et omnes*
leges ejus, secundum quas ministrandum
est Deo in sancta Ecclesia. *Omnes fines* 12
ejus in circuitu, Sanctum sanctorum est.
De quibus finibus ait Psalmista : Qui po- Ps. CXLVII, 14.
suit fines tuos pacem. Et per Isaiam Do-
minus loquitur : Ponam universos termi- Is. LIV, 12.
nos tuos in lapides desiderabiles. Fines
isti, intelligi possunt consummationes vir-
tutum, vel particulares Ecclesiæ. Omnia
ista ostendit Ezechiel cunctis fidelibus,
describendo in isto volumine propheta-
li revelationem sibi de templo divinitus
factam.

Consequenter hujus templi altare de-
scribitur. Porro altare Ecclesiæ in quo
holocausta Domino offeruntur, est mens
devota ac fervida, in qua Spiritus Sancti
ignis suaviter ardet, et cuncta consumit,
ita ut homo de se ac suis nihil sibi ipsi
relinquat, sed Deo omnia immolet, ad ejus
cultum, honorem et gloriam omnia ordi-
nando. Hujus autem altaris mensuræ, sunt 13
informationes ac ornamenta virtutum :
quæ accipiuntur *in cubito verissimo,* id
est in fide catholica, per quam omnium
virtutum opera quodam modo mensuran-
tur. Cubitus iste verissimus, habet *cubi-*
tum, id est fidem habitualem, *et palmum,*
id est gratiam qua fides tenetur, vel ope-
rationem qua viva monstratur. *In sinu*
ejus, id est in fundo ac secreto mentis,
erat cubitus, id est fidei virtus, quæ ani-
mam a terrenis erigere incipit, *et cubitus*
in latitudine. Latitudo istius altaris, est
caritas seu ejus extensio : qua latitudine
mens dilatatur, et operibus quæ super ca-
ritatem fundantur, latior intra se compro-
batur. Præterea *definitio* seu terminatio
hujus altaris *usque ad labium ejus* spi-
rituale, quo Deum alloquitur *in circuitu*
affectionum ac meditationum sanctarum,
est *palmi unius :* quia in ascensu suo ad

Deum mens angustatur ac deficit, quo- A
niam incircumscriptibilem Deum nec tan-
tum potest amare, neque tam clare cogno-
scere, sicut ipse ex sua natura amabilis
cognoscibilisque consistit. *Hæc quoque erat*
fossa altaris. Fossa ista, est propriæ par-
vitatis ac fragilitatis attentio, seu ipsa præ-
amanda humilitas, quæ Deo atque homi-
nibus amabilem facit, sicut econtra coram
cli. x, 7. Deo et hominibus odibilis est superbia.
14 *Et de sinu terræ usque ad crepidinem*
novissimam, duo cubiti. Sinus terræ, qui
basis est præfati altaris, esse videtur cor- B
p. ix, 15. ruptibile corpus, quod aggravat animam,
et nihilo minus anima indiget eo ad viven-
dum ac serviendum Deo in sæculo isto.
Porro crepido inferior sive novissima, est
sensitiva pars animæ, potissime appetiti-
va, in qua virtus et vitia locum habent.
Duo autem cubiti intermedii, sunt sensus
exteriores ac interiores, qui inter carnem
appetitumque sensitivum sunt medii. *Et*
a crepidine minori usque ad crepidinem
majorem, quatuor cubiti. Crepido major,
est pars animæ intellectiva, quæ multo C
plus excedit sensitivam partem, quam pars
sensitiva carnem. Ideo quatuor cubiti in-
termedii conscribuntur. *Et latitudo unius*
cubiti. Hoc ideo dicitur, quia sensitivum
et intellectivum in una animæ essentia
15 radicantur. *Ipse autem ariel quatuor cu-*
bitorum fuit in ascendendo : quoniam
mens intellectiva, mediantibus donis gra-
tiæ (quibus fit Dei altare), altior valde est
semetipsa quantum ad sola dona naturæ.
— Si autem alicui expositio ista non pla-
cet, eo quod caro et portio sensitiva non D
pertineant ad mentem, in quantum est Dei
altare : dicendum, quod ista intelligenda
sunt de carne et sensibus appetituque
sensitivo, secundum quod rationis judicio
per virtutes subduntur. Unde etiam per
sinum terræ intelligi potest temperantia,
qua vitia carnis frenantur ; per crepi-
dinem minorem, ceteræ quædam virtu-
tes morales ; per crepidinem majorem,
virtutes intellectuales; per ariel, virtutes
theologicæ.

Et ab ariel usque sursum cornua qua-
tuor : quæ intelligi possunt quatuor spe-
cies contemplationis ; secundum quosdam,
doctrina quatuor Evangelistarum, vel qua-
tuor Prophetarum majorum ; vel quatuor
dona vim intellectivam ornantia, scilicet
sapientia, intellectus, scientia, atque con-
silium. *Et ariel duodecim cubitorum,* etc. 16
Per duodecim cubitos longitudinis ac la-
titudinis ariel, intelligitur instructio duo-
decim Apostolorum, vel duodecim Prophe-
tarum minorum.
Et crepido quatuordecim cubitorum, etc. 17
Per quatuordecim cubitos longitudinis ac
totidem latitudinis crepidinis, designan-
tur articuli fidei : qui licet ponantur duo-
decim, quantum ad numerum Apostolo-
rum, symbolum fidei componentium, nihilo
minus quantum ad distinctionem forma-
lem ac specialem difficultatis credendo-
rum, solent quatuordecim assignari. *Et*
corona in circuitu ejus dimidii cubiti.
Corona ista altare circumdans atque per-
ornans, est gratia singularis itemque præ-
cipuæ devotionis, vel raptus seu ecstasis.
Quæ est dimidii cubiti, quoniam quidquid
perfectionis in præsenti vita sortimur, com-
paratione perfectionis Beatorum in patria,
imperfectum ac modicum computatur. *Et*
sinus ejus unius cubiti per circuitum. Si-
nus altaris, intelligi potest capacitas men-
tis qua dona capit cœlestia, vel quies ejus
in Deo. Qui sinus ex corporis pondere mul-
tipliciter angustatur, ita ut merito unius
cubiti asseratur. Et *gradus ejus versi ad*
orientem : quia ascensiones mentis ad per-
fectionem per gradus virtutum, divinæ lu-
cis adjutorio innituntur, atque ad Christum
verum summumque orientem respiciunt.

Consequenter describitur consecratio
hujus spiritualis altaris. *In quacumque die* 18
fuerit fabricatum, id est virtutibus soli-
datum, *ut offeratur super illud holocau-*
stum, id est, ut homo in secreto mentis
suæ se ipsum totaliter offerat Deo, *et effun-*
datur sanguis, id est, altare istud sangui-
ne Christi per devotissimam meditationem
et compassionem adspergatur ; vel, Effun-

datur sanguis, per carnis macerationem A atque quotidianam sui ipsius mortificationem. Tunc sacerdotes et Levitæ filii Sadoc, id est ministri Ecclesiæ, filii Christi justissimi (Sadoc enim interpretatur justus), offerent vitulum pro peccato, propriam carnem instar vituli petulantem, *Rom.* XII, 1. Deo hostiam vivam, sanctam atque placentem, in sacrificium secundum apostolicum documentum exhibendo. Denique hujus vituli sanguis ponitur super quatuor cornua altaris, et super quatuor angulos crepidinis, et super coronam in circuitu, dum B castigatio, maceratio, seu mortificatio præinducta, secundum mentis sapientiam, devotionem ceterasque præfatas virtutes disponitur, *Ibidem.* ut sit rationabile obsequium nostrum. Sic quoque altare mentis expiatur ac purificatur. Insuper vitulus iste jubetur comburi in separato loco, ut justitiam nostram in abscondito faciamus, et quum *Matth.* VI, 17. abstinemus, caput nostrum ungamus. Comburitur autem hic vitulus, dum corpus nostrum per ignem divini amoris, a crassitudine et carnalitate sua consumimus, C et usum ejus illicitum abdicamus. Juxta *Ibid.* V, 29. quem modum ait Salvator : Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs *Coloss.* III, 5. te ; itemque Apostolus, Mortificate membra vestra quæ sunt super terram. Fiet autem id extra sanctuarium : quia non solum agendum est spiritualiter in abdito mentis, sed et corporaliter intentione occulta, ad gloriam Dei.

Consequenter septem diebus quotidie 22
offeretur hircus immaculatus pro peccato, videlicet ipsa portio sensitiva ; et aries, scilicet ratio, quæ ductrix est operum animæ, sicut ovium ductor est aries. Hæc erunt per opera pœnitentialia seu gratiam innocentiæ, a mortalibus vitiis aliena, quum Domino immolantur. Denique super hæc sacrificia mittent sacerdotes sal, docendo se ipsos ac alios omnia fieri cum debita discretione. Et offerentur omnia hæc in holocaustum Domino : nam totum quod sumus, habemus et possumus, Creatori offerre justum censetur. Hæc autem offerenda sunt septem diebus pro expiatione altaris. Hi sunt septem dies, quibus ad spiritualem circumcisionem pertingimus. Vel septenario dierum, totum tempus pœnitentiæ designatur : mens autem per pœnitentiam digne purgata, de cetero apta est ut in ea Deo omnipotenti jugiter spirituales hostiæ immolentur.

Hæc de loco hoc obscurissimo, quantum Deo juvante valui, breviter tetigi : non sic, quin alii melius aliquid poterunt Deo inspirante interpretari.

ARTICULUS LIII

DECLARATIO CAPITULI QUADRAGESIMI QUARTI : ET CONVERTIT ME AD VIAM PORTÆ SANCTUARII.

1 ET *convertit me ad viam portæ sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad orientem,* id est, ad orientalem portam exterioris sanctuarii angelus me deduxit; *et*
2 *erat clausa. Et dixit Dominus,* id est angelus in persona Domini, *ad me.* Interdum
Dan. X, 16-19. autem et ipsi Prophetæ angelum eis apparentem, Dominum vocaverunt, ut patet in D Daniele et Zacharia. *Porta hæc clausa erit,* *Zach.* I, 19-20; IV, 4; VI, 4, etc.
et non aperietur, et vir non transiet per eam. Hoc totum (sicut in sequentibus verbis pandetur) intelligendum est, quod porta hæc non cuicumque seu communitati reseraretur, sed principi Israeliticæ plebis dumtaxat. Cujus ratio subditur : *quoniam Dominus Deus Israel,* id est effigies Deum

repræsentans, *ingressus est per eam :* secundum quod in principio præcedentis articuli dictum est, atque expositum super illud : (zech. 1, 2.) Eduxit me ad portam quæ respiciebat ad viam orientalem; et ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem. Hinc portæ huic reverentia specialis debetur, ita quod soli principi aperitur. Propter
3 quod subditur : *Eritque clausa principi,* id est, aliis clausa manebit pro principis reverentia, imo pro Dei honore, ita quod principi patula erit. Quum enim princeps sit Dei vicarius in regimine temporali, juxta illud Apostoli ad Romanos, (n. XIII, 4.) Dei minister est; ideo ei prærogativa impenditur, quod tamen cedit ad Dei honorem, a quo est omnis potestas. (id. 1.) *Princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino,* id est cibum de sacrificio seu hostia quam obtulit Domino. Siquidem pars hostiæ cedebat vicissim in offerentium usum, videlicet de oblatione pacificorum. Sic quidam exponunt. Sed expositio ista non est principalis aut proprie litteralis, si juxta ritum veteris Testamenti intelligatur, nisi quis totum quod de templo et civitate divisioneque terræ in his novem capitulis scriptum est, exponat pro tempore Judæorum post reditum de Babylone, juxta sensum superius introductum. *Per viam vestibuli portæ* hujus orientalis *ingredietur* templum per portam hanc, *et per viam ejus egredietur :* ita quod erit ei eadem via intrandi et exeundi.

Præterea, juxta intellectum præcipuum, quo omnia quæ de templo scribuntur ad Christi Ecclesiam referuntur, S. Hieronymus per portam hanc orientalem communitati clausam, intelligit sacræ Scripturæ scientiam, de qua loquitur Christus in Evangelio : (Luc. XI, Matth. II, 13.) Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, qui tulistis clavem scientiæ : ipsi non intratis, et introeuntes prohibetis. De quo etiam loquitur Isaias : (XXIX, 11.) Erunt vobis verba libri hujus, sicut verba libri signati. Joannes quoque in Apocalypsi (oc. V, 2.) flevisse se recitat, eo quod nullus inveniretur qui posset aperire librum, et solvere septem signacu-

A la ejus. Et postea dictum est ei : Ecce vicit leo de tribu Juda aperire librum. (Apoc. V, 5.) Nam ante Salvatoris adventum, clausa erant mysteria Scripturarum. Itaque per hanc portam solus Christus propria potestate ac sapientia introivit; ceteri autem, in quantum ab ipso illustrabantur.

Christus insuper, qui est rex et pontifex noster, princeps ac dux (de quo supra dixit per Ezechielem Pater æternus, omnipotens Dominus : Servus meus David princeps eorum), (Ezech. XXXIV, 24.) sedit in porta ista, et panem

B manducavit in ea : quia in plenitudine scientiæ requievit, et panem illum in ea comedit, de quo testatus est : Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei. (Joann. IV, 34.) Comedit etiam panem perfectæ et consummatæ scientiæ, secundum quod dicit : Nemo novit Patrem, nisi Filius. (Matth. XI, 27.) Et iterum : Nolite, inquit, vocari rabbi : unus est enim magister vester, Christus. (Ibid. XXIII, 8, 10.) In hac porta sedit Christus tempore Cœnæ novissimæ, quando altissimum illum incomparabilemque sermonem ad Apostolos fecit, et panem

C sacramentalem cum eis accepit. Denique per viam vestibuli portæ hujus ingressus est. Vestibulum namque portæ scientiæ, est conversatio virtuosa et humilis, quæ ad salutarem scientiam introducit. Christus autem cœpit facere et docere. (Act. I, 1.) Per idem quoque vestibulum exiit, factus obediens Patri usque ad mortem. (Philipp. II, 8.)

Alii per portam istam orientalem pulchre et convenienter intelligunt Virginem Christiferam sanctam Mariam, ante partum, in partu, et post partum intactam,

D quoniam Deus Israel ingressus est per eam. De quo loquitur Zacharias : Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ. (Luc. I, 68.) Ingressus est quippe Unigenitus Dei uterum ejus, ex purissimis ejus sanguinibus corpus assumendo humanum. Et rursus per eam ingressus est mundum et Ecclesiam, hominibus visibiliter apparendo, et cum eis veraciter conversando, juxta illud Baruch : Qui fecit stellas, hic Deus noster est; et post hæc in terris visus est, et cum homi- (Baruch III, 35, 36, 38.)

nibus conversatus est. Fuit ergo hæc porta A principi clausa, quoniam soli patuit Christo : qui sedit in ea, quoniam in ejus castissimo utero novem mensibus requievit; et illic panem coram Deo Patre comedit, desponsans sibi Ecclesiam, atque humanam operans ibi salutem. Siquidem Christus a primo suæ incarnationis momento, pro nobis orare, mereri, ac satisfacere cœpit. Per viam etiam vestibuli portæ istius intravit, quia per innocentiam, columbinam simplicitatem ac humilitatem Virginis benedictæ, in eam descendit, quum diceret : B
Luc. I, 38. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum
Ibid. 48. verbum tuum. Unde et ipsa fatetur : Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.

4 *Et adduxit me per viam portæ aquilonis in conspectu domus,* id est coram facie templi. *Et vidi,* imaginaria visione, *et ecce implevit gloria Domini domum,* id est templum *Domini :* eo modo quo in præ-
Ezech. cedentis articuli exordio scriptum est. *Et*
XLIII, 4, 5. *cecidi in faciem meam :* propter causas ibidem expressas. Acies quippe invalida mentis humanæ, dum in excellentem cla- C ritatem extenditur, reverberatur, et objecti
5 vigore victa, quasi collabitur. *Et dixit ad me Dominus : Fili hominis, pone cor tuum, et vide oculis tuis* interioribus, *et auribus tuis* mentalibus *audi omnia quæ ego loquor ad te, de universis cærimoniis domus Domini,* scilicet templi, *et de cunctis legibus ejus,* id est præceptis, qualiter ministri templi in eo habere se debent. *Et pones cor tuum in viis templi per omnes exitus sanctuarii,* id est, vias seu ingressus templi et exitus ejus sagaciter consi- D
Ibid. XL, 4; derabis, memoriterque tenebis. Omnia ista
XLIII, 11. capitulo quadragesimo et capitulo immediate præcedente, habita sunt atque exposita.

6 *Et dices ad exasperantem me domum Israel,* id est Judæos me graviter offendentes, et ad diram ultionem provocantes: *Hæc dicit Dominus Deus : Sufficiant vobis omnia scelera vestra, domus Israel,* id est, de præteritis vitiis pœnitentiam agite et cessate, nec veteribus peccatis nova adjiciatis : juxta illud Ecclesiastici : Non ad- *Eccli.* V, 5,
jicias peccatum super peccatum; et ne di- 6.
cas, Miseratio Dei magna est. Scriptum est
namque in Isaia : Væ qui trahitis iniquita- *Is.* V, 18.
tem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum. *Eo quod inducitis* 7
filios alienos incircumcisos corde, et incircumcisos carne, id est gentiles, *ut sint in sanctuario,* id est templo *meo, et polluant,* id est, inhonorent ac violent, *domum meam,* intrando templum contra legis præceptum. Istud enim quidam regum ac sacerdotum regni Juda fecerunt, idololatriam in templo exercentes, præsentibus illic gentilibus. Contra hos ergo uno modo exponitur increpatio ista : quæ etiam referri potest ad impios Christianos prælatos ac principes, qui a societate fidelium excommunicatos et abscindendos non separant,
quum dicat Apostolus : Modicum fermen- I *Cor.* V, 6;
tum totam massam corrumpit. Hi nempe in- *Galat.* V, 9.
circumcisi sunt corpore, quoniam omnibus corporis membris vitiose utuntur. In Scripturis enim circumcisio et incircumcisio corporis, non tantum ad unum genitaleque membrum refertur, sed ad singula
membra, quum et Moyses dixerit Deo : In- *Exod.* VI,
circumcisus labiis ego sum. Et Jeremias : 12, 30.
Incircumcisæ, inquit, aures eorum. Unde *Jer.* VI, 10.
membrorum circumcisio, est resecatio vitiorum quæ fiunt per membra.

Insuper, non obstante quod tanti facinoris rei sitis, *offertis panes meos,* scilicet panes propositionis, *adipem et sanguinem,* præsumptuose atque indigne; *et dissolvitis pactum meum,* id est fœdus quod inii et percussi cum patribus vestris ne facerent hoc, *in omnibus sceleribus vestris.* Hoc quoque sacerdotes Christi faciunt, qui mysticas oblationes immolant Deo, corpus et sanguinem Salvatoris, ac adipem de quo
cantatur, Adipe frumenti satiat te; et ni- *Ps.* CXLVII,
hilo minus vitiis subjacent : propter quod 14.
corporis et sanguinis Domini rei reddun- I *Cor.* XI, 27.
tur. Si autem corpus Christi pluraliter panes vocetur, hoc erit propter sacramentalium multitudinem specierum. *Et non* 8
servastis præcepta sanctuarii mei, id est

præcepta quæ in obsequio templi servan- A
da præcepi; *et posuistis custodes observa-*
tionum mearum, id est observatores jus-
sionum, *in sanctuario meo vobismetipsis,*
id est ad proprium commodum et carnale
emolumentum vestrum, non ad meum ho-
norem. Hoc agunt pastores carnales, mer-
cenarii ac torpentes, qui pascunt se ipsos.
9 *Hæc dicit Dominus Deus : Omnis alie-*
nigena incircumcisus corde et incircum-
cisus carne, id est gentilis, spiritualibus
ac corporalibus peccatis repletus, *non in-*
gredietur sanctuarium meum, videlicet B
omnis filius a Deo *alienus* per increduli-
tatem, *qui est in medio filiorum Israel,* id
est inter fideles corporaliter vivens. Talis
namque Christo non incorporatur, neque
fidelibus per caritatis juncturam consoci-
10 atur. *Sed et Levitæ,* id est sacerdotes ex
semine Levi (per quem Christus præfigu-
rabatur, sicut per Sadoc, ut patuit), *qui*
longe, non loco, sed dissimilitudine, *reces-*
serunt a me per inobedientiam et mentis
aversionem, *in errore filiorum Israel,* il-
lorum ignorantiam et peccata sectantes, C
quos corrigere et docere debuerant, *et er-*
raverunt a me post idola sua, id est idolo-
rum culturam sequentes, *et portaverunt*
iniquitatem suam, id est, pœnam vitiorum
11 suorum perpessi sunt; *erunt in sanctua-*
rio meo, scilicet infra exteriorem ædificii
templi murum, *æditui,* id est custodes, *et*
janitores portarum domus, id est templi,
et ministri domus : id est, dignitate pristina
privabuntur, ita quod solum in vilioribus
officiis atque inferioribus locis deservient.
Ipsi mactabunt holocausta et victimas po- D
puli; et ipsi stabunt in conspectu eorum,
videlicet populi, vel sacerdotum, secundum
quosdam, *ut ministrent eis :* ita quod sa-
cerdotum more non offerent, sed offerenda
ad immolationem parabunt, ac sacerdoti-
bus majora facientibus tradent : ideo dici-
tur, Ut ministrent eis. Porro, secundum
Hieronymum, littera talis est : Ipsi macta-
bant holocausta, etc.; eritque sensus, quod
sacerdotes isti errantes atque idololatræ,
occidebant holocausta et victimas quæ
populus obtulit idolis, et stabant in con-
spectu populorum, ut pro eis idolis mini-
strarent. Horum pœna subjungitur.
Pro eo quod ministraverunt illis in 12
conspectu idolorum suorum, et facti sunt
domui Israel in offendiculum iniquitatis,
id est, ad iniquitatem idololatriæ, qua Deus
offenditur, alios suo traxerunt exemplo;
idcirco levavi manum meam super eos, id
est, potestate justitiæ meæ eos percussi,
dicit Dominus Deus, et portaverunt ini-
quitatem suam, debitas pœnas luendo. *Et* 13
non appropinquabunt ad me, ut sacerdotio
fungantur mihi, sed erunt degradati, *ne-*
que accedent ad omne sanctuarium meum
juxta Sancta sanctorum, id est, interiora
templi non introibunt, videlicet gazophy-
lacia sacerdotum, quæ sunt a dextris ac
sinistris templi; *sed portabunt confusio-*
nem suam, ita quod introeuntes templum
et exeuntes, imo et universi videbunt eos
propter scelera sua foris ad januas stare,
et viliora peragere. *Et dabo eos janitores* 14
domus in omni ministerio ejus, et univer-
sis quæ fiunt in ea, puta in templo, ita
quod animalia excoriabunt, intestina la-
vabunt, et domum purgabunt, quæ sunt
opera infimi gradus.
Sacerdotes autem Levitæ, videlicet de tri- 15
bu Levi, *filii Sadoc, qui custodierunt cæ-*
rimonias sanctuarii mei, id est templi,
quum errassent filii Israel a me, ipsi ac-
cedent ad me ut mihi ministrent, et stabunt
in conspectu meo ut offerant mihi adipem
et sanguinem, ait Dominus Deus. Ipsi in- 16
gredientur sanctuarium meum, et ipsi ac-
cedent ad mensam meam. Per sanctuarium
intelligitur templum; per mensam, mensa
panum propositionis vel altare. *Ut mini-*
strent mihi, et custodiant cærimonias meas.

Præterea, sicut frequenter prætactum
est, per ritum et cultum veteris Testa-
menti, mystice ac figuraliter describitur
ordo et status Ecclesiæ. Quemadmodum
ergo per sacerdotes Levitas, superstitiosos
idololatras, et degradationem eorum, desi-
gnatur degradatio atque suspensio, imo et
in infimum gradum redactio, ac multi-

formis suspensio sacerdotum et clericorum ac ministrorum Ecclesiæ secundum canonicas sanctiones; ita per sacerdotes filios Sadoc fideles ac perseverantes, et confirmationem eorum in suo officio, figuraliter denotatur approbatio devotorum sacerdotum, clericorum ac ministrorum Ecclesiæ et roboratio eorum in suis officiis, præsertim quoad hoc, quod eorum ministerium Deo acceptum meritoriumque consistit. Nempe si superficiem textus sequamur, quomodo sacerdotibus legalibus, qui erant tempore Ezechielis, promittitur quod starent in sanctuario coram Deo immolarentque ei, quum certum sit eorum diebus templum Jerosolymitanum non fuisse reædificatum? Nec ista neque sequentia in ipsis impleta fuerunt, sed spiritualiter in Christi Ecclesia impleta noscuntur, imo quotidie adimplentur.

17 *Quumque ingredientur portas atrii interioris,* ut in templo ministrent, *vestibus lineis induentur* extrinsecus, secundum quosdam. Secundum aliquos autem intelligitur etiam de interioribus vestimentis, quia subjungitur : *nec ascendet super eos quidquam laneum, quando ministrant in portis atrii interioris,* in quo fuit altare holocaustorum, *et intrinsecus,* id est in templo et Sanctis sanctorum. Unde, secundum Hieronymum, in ipsis portis atrii interioris jubentur lineis indui, nec utantur laneis vestimentis, tam in portis atrii
18 interioris, quam in Sanctis sanctorum. *Vittæ lineæ erunt in capitibus eorum, et feminalia linea erunt in lumbis eorum.* Hæc tria, scilicet tunicæ lineæ, vittæ lineæ, et
Exod. xxviii, 40, 42. feminalia linea, jussa sunt fieri filiis Aaron in Exodo; et de feminalibus subditur ibi, quod protendentur a renibus usque ad femora, ut operiant carnem turpitudinis suæ. — Juxta intelligentiam spiritualem, quod sacerdotes jubentur in portis atrii interioris lineis indui, id designat quod sacerdotes Christi templum ingressuri ad celebrandum, vel contemplandum, seu alios sui officii actus exsequendum, mente sint dealbandi, et a vitiorum nigredine, carna-

A litatisque grossitie (quæ per lanea vestimenta signatur) exuendi, et induendi his vestibus de quibus scribit Apostolus ad Colossenses : Induite sicut electi Dei visce- *Coloss.* iii, 12.
ra misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam; et item : Ex- *Ibid.* 9, 10; *Ephes.* iv, 24.
spoliate vos veterem hominem cum actibus suis; et induite novum, qui renovatur in agnitionem Dei. De talibus vestimentis scriptum est in Isaia : Gaudens gaudebo in *Is.* lxi, 10.
Domino, quia induit me vestimento salutis, et indumento justitiæ circumdedit me. In
B Apocalypsi quoque loquitur Christus : Qui *Apoc.* iii, 5.
vicerit, vestietur vestimentis albis. Insuper per vittas lineas habendas in capite, significatur candor sapientiæ in intellectu, vel gratiarum corona, secundum Hieronymum. Unde in libro Sapientiæ habetur : Justi *Sap.* v, 17.
accipient diadema speciei de manu Domini. Per feminalia linea figuratur continentiæ virtus, sacerdotibus potissime opportuna : ad quos puritas maxime pertinet; turpitudo autem carnalis incongruentissima eis est. Propter quod ait Salvator, Sint *Luc.* xii, 35.
C lumbi vestri præcincti; et Apostolus, State *Ephes.* vi, 14.
(inquit) succincti lumbos vestros in veritate; Isaias quoque, Mundamini, qui fertis *Is.* lii, 11.
vasa Domini.

Et non accingentur in sudore, id est stricte seu arcte, more vinctorum : unde Septuaginta transtulerunt, Non accingentur violenter : ne scilicet in exsecutione sui officii impediantur. Per quod spiritualiter insinuatur, quod sacerdotes continentiæ puritatem non invite, sed sponte cum animo promptissimo debeant semper amplecti.

D *Quumque egredientur* sacerdotes *atrium* 19
exterius ad populum, exuent se vestimentis suis in quibus ministraverant, et reponent ea in gazophylacio sanctuarii, et vestient se vestimentis aliis. Totum hoc supra scriptum atque expositum recolo, *Ezech.* xlii, 14.
et in sacerdotibus Ecclesiæ impleri videmus. *Et non sanctificabunt populum in vestimentis suis* sacerdotalibus, sed communibus et quotidianis populum in exteriori atrio alloquentur : ad innuendum quod alia et inferiori doctrina informan-

dum est vulgus, quam spirituales. Grave
namque est multitudini, grande onus sus-
cipere : nam quum votum fecerit, subrepit
pœnitentia, secundum Hieronymum.
20 *Caput autem non radent, neque comam
nutrient,* id est, capillos capitis nec omnino
deponent, nec more feminarum in longum
crescere sinent ; *sed tondentes attondent
capita sua,* scilicet medium inter omnimo-
dam abrasionem et immoderatam prolon-
gationem observantes, quatenus habitus
honestus sacerdotum prima facie demon-
stretur. Unde Septuaginta transtulerunt :
Capita sua non radent, et comas non ad
pressum tondebunt. *Operientes operient ca-
pita sua :* quatenus scilicet nec calvities
fiat novacula, nec ita ad pressum caput
tondeatur, ut rasis similes videantur; sed
in tantum dimittant dimittendos capillos,
ut cutis capitis operiatur. Per quod, secun-
dum Hieronymum, edocetur quod Dominus
vult sacerdotes suos, capillos sanctifica-
tionis habere perpetuos, quibus abscisis
lic. xvi, 21. Samson robur amisit, excæcatusque fuit.
Secundum quosdam, per hæc designatur
21 tonsura clericatus. *Et vinum non bibet
omnis sacerdos, quando ingressurus est
atrium interius,* ne mens obruatur, et sen-
sus crassior fiat, sed discretio maxima te-
neatur. Hinc in Levitico Deus legitur lo-
ev. x, 9, cutus ad Aaron : Vinum et omne quod
inebriare potest, non bibetis tu et filii tui,
quando intrabitis in tabernaculum testi-
monii, ne moriamini; ut habeatis scientiam
discernendi inter sanctum et profanum.
Quod si sobrietas ad sacerdotes legales ea-
tenus pertinebat, nonne gravissima dam-
natio imminet sacerdotibus evangelicæ le-
gis qui vino et ceteris potibus vacant,
quum tanto moderantius ac spiritualius
conversari deberent sacerdotibus veteris
legis, quanto sacerdotium Christi præstan-
tius spiritualiusque sacerdotio est legali ?
22 *Et viduam et repudiatam,* id est a ma-
rito suo repulsam, *non accipient uxores,
sed virgines de semine domus Israel.* Hoc
id. xxi, et Moyses jussit. *Sed et viduam quæ fuerit
viduata a sacerdote, accipient.* Istud non-

A nulli sacerdotes Ecclesiæ ad litteram quo-
dammodo servaverunt, imo adhuc quidam
eorum observare dicuntur. In primitiva
enim Ecclesia, et postea diu, licuit sacer-
dotibus nubere. Unde ad Timotheum scri-
bit Apostolus : Oportet episcopum irrepre- I *Tim.* III, 2.
hensibilem esse, unius uxoris virum. Sicque
per virgines seminis domus Israel, intel-
liguntur virgines christianæ. Verumtamen
postmodum ex instinctu Spiritus Sancti
statutum est, ut sacerdotes Christi in om-
nimoda permaneant castitate. Idcirco hic
B locus spiritualiter a B. Hieronymo expla-
natur : per viduam intelligendo Synago-
gam; per repudiatam vero, hæreticorum
frequentiam (his sacerdotes Christi conjun-
gi non debent); per virginem autem, Ec-
clesiam, vel sapientiam, de qua in Prover-
biis Salomon loquitur : Dic sapientiæ, Soror *Prov.* VII, 4.
mea es; et prudentiam voca amicam. Ipsa
namque est sponsa de qua castus ait ama-
tor : Hanc amavi et exquisivi a juventute *Sap.* VIII, 2.
mea, et quæsivi sponsam eam mihi assu-
mere, et amator factus sum formæ illius.
C Per viduatam vero a sacerdote, intelligit
scientiam, quam alius Dei cultor invenit
atque reliquit.
Et populum meum docebunt quid sit 23
inter sanctum et pollutum, id est diffe-
rentiam virtutum ac vitiorum : *et inter
mundum et immundum,* id est inter opera
veraciter virtuosa et impia, *ostendent eis*
distantiam. Hinc in Levitico Dominus ju- *Lev.* x, 11.
bet, ut doceant filios Israel omnia legitima
sua. Per quæ insinuatur, quod in ministris
Ecclesiæ esse debet sufficiens Scripturæ
D cognitio ad erudiendum populum, imo
etiam ad determinandum quid in dubiis
sit tenendum. Et ista cognitio esse debet
major in his qui in altiori constituuntur
Ecclesiæ gradu. Hinc sacerdotes scientiam
Scripturarum non exquirentes, audiant ac
formident quod per Osee Dominus prote-
statur : Quia tu scientiam repulisti, repel- *Osee* IV, 6.
lam te ego, ne sacerdotio fungaris mihi.
Et quum fuerit controversia, id est causa 24
discutienda, dubium sive discordia inter
quoscumque, *stabunt in judiciis meis,* id

est, judicia vera et justa mihi placentia proferent, *et judicabunt,* id est, judicando determinabunt, observabunt, exponent *leges meas,* id est jura divina; *et præcepta mea in omnibus solennitatibus meis custodient, et sabbata mea sanctificabunt,* id est, sancte expendenda docebunt, atque id ipsum implebunt. Per quæ insinuatur, quod sacerdotes Ecclesiæ scire debent qualiter Christus nobis pascha est immolatus, et quomodo festa legalia spiritualiter observare habemus. His consonat illud Malachiæ : Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent de ore ejus, quia angelus Domini exercituum est. Moyses quoque in Deuteronomio præcepit, quod ad sacerdotes in civitatem ad Dei cultum sacrificiaque electam venire debeant de aliis urbibus et villis, ut per sacerdotes dubia determinentur, et eorum sententiæ firmiter observentur.

Malach. II, 7. *Deut.* XVII, 8-13.

25 *Et ad mortuum hominem non ingredientur, ne polluantur,* contra legem agendo, sicque inhabiles fiant ad ministrandum in templo, *nisi ad patrem et matrem, et filium et filiam, et fratrem et sororem quæ virum non habuerit.* In quibus verbis approbatur, secundum Hieronymum, naturæ affectus, quatenus ordine caritatis (juxta illud, Ordinavit in me caritatem) post Deum diligatur pater et mater, filius et filia, frater et soror. *In quibus contaminabuntur,* id est, sacerdotes visitando harum personarum morticina, incurrent maculam quamdam, ab ingressu templi impedientem. Per quod designatur, quod sacerdotes Christi eos per consensum tangere non debent neque accedere, qui peccatis sunt mortui. De quibus ait Salvator : Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.

Cant. II, 4. *Matth.* VIII, 22.

26 *Et postquam fuerit emundatus,* per aquam expiationis secundum Moysis legem, *septem dies numerabuntur ei,* antequam liceat ei sanctuarium introire.

Num. XIX, 16-19.

27 *Et in die introitus sui in sanctuarium,* evolutis scilicet præscriptis diebus, *ad atrium interius, ut ministret mihi, offeret pro peccato suo, ait Dominus Deus,* oblationem secundum legem : quæ oblatio in Levitico explicatur. Per quæ significatur, quod quum sacerdos Christi fuerit per contritionem a culpa purgatus, nihilo minus satisfactoria pœnitentiæ opera facere debet, perfecto pœnitudinis numero, qui septenario denotatur.

Lev. VI, 20.

Non erit autem eis hereditas, ego hereditas eorum; et possessionem non dabitis eis in Israel, ego enim possessio eorum. Ex libris Moysis innotescit, quod in divisione terræ promissionis, non dabatur sacerdotibus et Levitis pars terræ in hereditariam possessionem, sicut ceteris tribubus, sed dabantur eis loca ad habitandum, et ad jumenta alenda, prout in libro Josue diffuse conscribitur. Nam Deus frequenter per Moysen dixit : Ego hereditas possessioque eorum, id est, de his quæ mihi offeruntur, ipsi jugiter sustentabuntur. Ideo subditur : 28

Num. XVIII, 20; XXVI, 62; *Deut.* X, 9; XVIII, 1, 2. *Josue* XXI. *Num.* XVI, 20; *Deut.* XVIII, 2.

Victimam, id est hostiam pacificam, *et pro peccato,* id est hostiam pro culpa commissionis oblatam, *et pro delicto,* id est hostiam pro omissionis culpa immolatam, *ipsi comedent.* Hostiæ namque pro peccato ac delicto, erant totaliter sacerdotum. Sed pacifica hostia cessit pro media parte in usum sacerdotum, et pro media in offerentium usum. *Et omne votum in Israel ipsorum erit,* id est, quæ filii Israel Deo promittunt offerre, cedent in usum sacerdotum. 29

Et primitiva omnium pecorum primogenitorum, id est, quæ in animalibus prima nascuntur, *et omnia libamenta ex omnibus quæ offeruntur,* id est oblationes de rebus liquidis, scilicet vino, oleo atque similibus, *sacerdotum erunt. Et primitiva ciborum vestrorum,* id est primitias frugum ac terræ nascentium, de quibus præparantur cibaria, *dabitis sacerdoti, ut reponat benedictionem domui suæ,* id est, sibi ac suæ familiæ de necessariis vitæ digne provideat. Per quæ significatur, quod sacerdotes Ecclesiæ de oblationibus Christifidelium viverent, et quæ Deo promittuntur, in suum usum converterent : quibus videmus hostias decimasque offerri, ita quod satis abundant. 30

Et omne morticinum, id est suffocatum, 31

vel proprio languore exstinctum, *et captum a bestia,* id est a bestiis strangulatum sive occisum, *de avibus et de pecoribus,* quæ versantur in terra, *non comedent sacerdotes.* Ista, secundum Hieronymum, omni Christiano conveniunt, ut scilicet
etr. ii,9. genus regium et genus sacerdotale talibus non utatur quorum non est sanguis effusus. Unde in Actibus Apostolorum leguntur
t. xv, 29. scripsisse Apostoli conversis ex paganismo, ut abstineant a suffocato, et fornicatione, et immolatis simulacrorum, et sanguine. Spiritualiter, suffocatum est, cujus sanguis in se ipso emortuus est, id est, cujus vita ex inordinato timore vel mœrore tabescit, ita ut vitam gratiæ perdat ex immoderantia passionum ; captum vero a bestia, hi qui a dæmonibus spiritualiter devorantur. Talibus ergo sacerdotes per consensum culpæ miscendi non sunt. Per quod etiam significatur, quod ministri Ecclesiæ de rapina ac bonis illicitis nequaquam vivere debent.

Circa hunc locum dicit Hieronymus : Non tantum gaudendum est de oblatione munerum, quantum timendum est de condemnatione honoris, si eo utamur indigne. Grandis dignitas sacerdotum, sed gravior ruina, si peccant. Lætamur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum. Non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti mœroris de sublimioribus corruisse. Neque enim solum pro nostris delictis reddemus rationem, sed pro omnium quorum abutimur donis, et nequaquam sumus de eorum salute solliciti.

ARTICULUS LIV

ELUCIDATIO CAPITULI QUADRAGESIMI QUINTI : QUUMQUE COEPERITIS TERRAM DIVIDERE.

TEMPLO et multis ad ipsum pertinentibus jam descriptis, proceditur ad de-
1 scriptionem divisionis terræ. *Quumque cœperitis,* o filii Israel, *terram* promissionis *dividere sortito,* id est modo præfixo qui infra describitur, scilicet juste et commensurabiliter ; *separate primitias Domino,* id est, certam partem terræ offerte Deo, hoc est sacerdotibus pro mansione eorum ac pecorum pascuis. Quum enim Deus sit hereditas eorum atque possessio, hoc quod eis deputatur, Deo specialiter immolatur. Has autem primitias vocat *sanctificatum de terra,* id est portionem terræ sanctificatam, quia ad Dei honorem singulariter ordinatam : cujus mensura subjungitur, *longitudinem viginti quinque millia,* scilicet calamorum, secundum Hieronymum et omnes expositores, *et latitudinem decem millia. Sanctificatum erit in omni termino ejus,* id est, tota hæc pars sacerdotum, sancta per gyrum suum vocabitur.
Et erit ex hoc, id est ex præfata sacerdo- 2
tum portione, *sanctificatum,* id est pars quædam sanctificata ex tota illa portione accepta : cujus mensura adjicitur, *quingentos,* scilicet calamos, *per quingentos* calamos, *quadrifariam per circuitum.* Istud est spatium pro templi ædificio construendo, continens ex omni parte seu latere quingentos calamos, hoc est in toto duo millia calamorum. Fuit enim quadrum æquilaterum : ideo dicit, Quingentos per quingentos quadrifariam, id est versus quatuor partes terræ. Ista pars terræ pro templo accepta, fuit intra spatium terræ sacerdotibus delegatæ. *Et quinquaginta cubitis in suburbana ejus,* id est, spatium quinquaginta cubitorum erit extra extremum templi muri, *per gyrum,* id est ex omni latere muri istius exterioris (et spatium hoc, dicitur suburbium vel suburba-

na templi) ne ei aliena ædificia nimis e
vicino jungerentur. Unde propter pulchri-
orem apparentiam et reverentiam templi,
tantum spatium vacuum permanebit.

Deinde quod sic obscure præmisit, cla-
3 rius repetit. *Et a mensura ista,* id est
secundum formam hujus mensurationis,
*mensurabitis longitudinem viginti quin-
que millium,* scilicet calamorum, *et lati-
tudinem decem millium* calamorum ; *et
in ipso,* id est in medio spatio hujus, *erit
templum, Sanctumque sanctorum,* quod
fuit interior pars templi. Denique, quod
ista sit vera expositio, patet per verba se-
4 quentia. *Sanctificatum de terra,* id est
portio ista sanctificata, de tota terra pro
sacerdotibus separata, *erit sacerdotibus mi-
nistris sanctuarii,* id est templi, utpote in
usum eorum, *qui accedunt ad ministe-
rium Domini* in templo. *Et erit eis locus
in domos, et in sanctuarium sanctitatis :*
id est, spatium terræ prædeterminatum,
erit sacerdotibus ad habitandum, et pro
templo sanctitatis ædificando.

Insuper determinatur portio Levitarum :
5 quæ tanta est ut sacerdotum. *Viginti quin-
que autem millia longitudinis, et decem
millia latitudinis erunt,* supple, Levitis,
de quibus et subditur : *Levitæ autem qui
ministrant domui,* id est sacerdotibus in
templo, *ipsi possidebunt viginti gazophy-
lacia,* id est, tot habitacula in sua constru-
ent portione. Vel intelligitur de gazophyla-
ciis templi, quorum quædam deputabantur
6 Levitis, ut dictum est sæpe. — *Et posses-
sionem civitatis,* id est terram seu locum
et spatium pro civitate ædificanda, *dabitis
quinque millia latitudinis, et longitudinis
viginti quinque millia secundum separa-
tionem sanctuarii,* id est juxta modum
quo pro templo construendo dabitis vigin-
ti quinque millia longitudinis : et hoc fiet
omni domui Israel, id est ad utilitatem
totius Israelitici populi.

Præterea describitur portio principi dan-
7 da. *Principi quoque* dabitis partem terræ
hinc et inde, id est ex utraque parte san-
ctuarii, secundum Hieronymum ; vel, ad
A orientalem occidentalemque plagam trium
partium prædictarum, videlicet sacerdo-
tum, et Levitarum, ac civitatis ; *in sepa-
rationem sanctuarii,* id est respicientem
ad locum sanctuarii separatum : unde alia
translatio continet, Contra faciem separa-
tionis sanctuarii ; *et in possessionem civi-
tatis,* ut in urbe versetur, *contra faciem
possessionis urbis,* id est ex opposito ci-
vitatis superius tactæ, *a latere maris,* id
est ab occidentali ejus parte, *usque ad
mare,* id est usque ad alterum ejus latus ;
B vel, Usque ad mare, quod est terminus
terræ dividendæ ; *et a latere orientis us-
que ad orientem,* id est a latere orientali
trium partium prænominatarum, usque ad
finem orientalem totius terræ promissio-
nis. *Longitudinem autem* portionis prin-
cipis dabitis *juxta unamquamque parti-
um,* quam scilicet singulæ tribus accipient,
a termino occidentali totius terræ, vel
maris, secundum quosdam, *usque ad ter-
minum orientalem* ejusdem terræ totius.
De terra erit ei possessio in Israel, id 8
C est, de terra promissionis dabitur ei pars
hereditaria inter filios Israel. *Et non de-
populabuntur ultra populum meum prin-
cipes,* bona ejus diripiendo, et eum per
potentiam opprimendo ; *sed terram da-
bunt domui Israel secundum tribus eo-
rum,* id est, terram promissionis divident
filiis Israel juste, secundum duodecim tri-
buum divisionem, unicuique suam partem
præstantes.

Hæc dicit Dominus : Sufficiat vobis, 9
principes Israel, id est, vestra portione
D estote contenti, quum sit adeo magna ;
iniquitatem et rapinas intermittite, id est,
a peccatis in Deum et proximum, præser-
tim a violentia in pauperes, cessate, ut
sitis principes, non tyranni, *et judicium et
justitiam facite,* juste in omnibus judican-
do, et unicuique quod suum est tribuendo.
Separate confinia vestra a populo meo, id
est, terminos possessionis vestræ non trans-
cendatis, aliorum bona vestris jungendo.

Deinde jubetur justitia esse servanda in
mensuris. *Statera justa,* scilicet in his quæ 10

appenduntur ac ponderantur, *et ephi ju-*
stum. Ephi est mensura frugum et rerum
siccarum. *Et batus justus erit vobis.* Batus
est eadem mensura quæ ephi, sed in rebus
liquidis, ut vino et oleo. Ideo subditur :
11 *Ephi et batus æqualia et unius mensuræ*
erunt, id est, quantum capit ephi in sic-
cis, tantum capit batus in liquidis. Quod
consequenter exponitur : *ut capiat deci-*
mam partem cori batus, et decimam par-
tem cori ephi, id est, tam batus quam
ephi, continet decimam partem cori. Corus
autem est mensura tam aridorum quam
liquidorum, et continet triginta modios :
ideo batus continet tres modios in siccis,
et decima pars cori in liquidis dicitur
ephi. *Juxta mensuram cori erit æqua li-*
bratio eorum, videlicet bati et ephi, ut
habeant decimam partem cori. Deinde agi-
tur de moneta, per quam commutantur
12 venalia. *Siclus,* id est moneta sic dicta,
viginti obolos habebit. Porro viginti sicli,
et viginti quinque sicli, et quindecim si-
cli, pariter computati et sumpti, qui sexa-
ginta siclos efficiunt, *mnam faciunt,* id est
genus monetæ taliter nominatæ, quæ me-
lior est quam siclus. Mensuræ et monetæ
hæ, describuntur hic secundum modum
populi Israel : unde et nobis satis incertæ
sunt, quum secundum diversitatem terra-
rum ista mutentur.
13 *Et hæ sunt primitiæ quas tolletis,* id
est, a parte vobis remanente auferetis, ad
dandum eas sacerdoti. *Sextam partem*
ephi de coro frumenti, id est, de coro fru-
menti dabitis sexagesimam partem. Ephi
enim est decima pars cori, et habet tres
modios : ideo sexta pars ephi est medietas
modii. Corus vero triginta modios habet.
Et sextam partem ephi de coro hordei :
quæ sexta pars, simili ratione est sexage-
14 sima pars cori hordei. *Mensura quoque*
ias olei *hordei *, batus olei, decima pars cori est :*
id est, batus quo oleum mensuratur, et
hordei mensura quæ jam vocata est ephi,
utrumque istorum est decima pars cori,
sicut jam patuit. Ideo subditur : *Et decem*
bati corum faciunt, quia decem bati im-
A *plent corum.* Quum enim batus capiat tres
modios, palam quod decem bati faciunt
triginta modios, quibus impletur corus.
Similiter offerendum est de liquidis, sicut
subjungitur : *Et sextam partem ephi**, etc., * bati
scilicet de vino, oleo et similibus, ita quod
sexagesima pars cori de istis donabitur. *Et* 15
arietem unum de grege ducentorum, id
est, de ducentis arietibus offerent unum,
de his quæ nutriunt Israel, id est, quæ
filii Israel alunt. Vel per hoc quod ait, De
his quæ nutriunt Israel, insinuatur quod
B similis pars de aliis animalibus a filiis Is-
rael nutritis daretur, sicut de arietibus. Un-
de etiam, secundum Hieronymum, verbum
Hebraicum pro quo nostra translatio ha-
bet, Arietem, ad cuncta animalia est com-
mune. Hæc ergo filii Israel alunt et dant
in sacrificium, et in holocaustum, et in
*pacifica, ad expiandum pro domo Israel**, * pro eis
id est, ad hoc, ut sacerdos de his offerat
Deo sacrificium, cujus una pars ad Dei ho-
norem comburitur, alia autem a sacerdoti-
bus manducatur; et in holocaustum, quod
C totum ad Dei reverentiam igne consumi-
tur; et in pacifica. Hostiæ autem pacifico-
rum, pars una ad honorem Dei combure-
batur, alia a sacerdotibus edebatur, tertia
ab offerentibus. Quæ omnia offeruntur pro
expiatione populi Israel, ut Deo reconci-
lietur.

Præterea advertendum, quod sicut hic
scribit Hieronymus, decimam partem om-
nium frugum tenebatur populus Israel of-
ferre Leviticæ tribui. Levitæ autem, videli-
cet inferior gradus ministrorum, solvebant
D ex ipsis decimis decimas sacerdotibus.
Erant autem et aliæ decimæ, quas unus-
quisque de populo Israel in domo sua se-
paravit, et tulit ut eas comederet, quum
iret ad templum in urbe Jerusalem, et in
vestibulo templi, sacerdotes quoque et Le-
vitas ad convivium invitarent. Erant etiam
aliæ decimæ, quas pauperibus erogabant.
Primitiva autem quæ de frugibus offere-
bant, non erant speciali numero determi-
nata, scilicet quota pars offerretur, sed
offerentium arbitrio derelicta. Et sicut Hie-

ronymus recitat se ab Hebræis didicisse,
magistrorum traditione fuit inolitum : qui
plurimum, quadragesimam partem dabant
sacerdotibus; qui minimum, sexagesimam
partem. Inter hæc duo, licuit cuique offerre quod voluit. Quod ergo Moyses non determinavit, propterea iste determinat, ne
sacerdotes cupiditate moti, plus petant, vel
populus minus persolvat.
16 *Omnis populus terræ tenebitur primitiis his principi in Israel,* id est, eas solvere obligatur principi sacerdotum, qui
17 est princeps in spiritualibus. *Et super principem erunt holocausta et sacrificium,* id est, princeps sacerdotum ad holocaustum et sacrificia *et libamina* offerenda
tenebitur *in solennitatibus* majoribus, scilicet Paschæ et Pentecostes, *et in calendis,*
id est neomeniis, seu mensium exordiis, *et in sabbatis,* quæ omni hebdomada sunt, *et in universis solennitatibus domus Israel,*
id est reliquis festis; *ipse faciet,* id est offeret, *pro peccato* relaxando, tam suo quam
populi, *sacrificium et holocaustum et pacifica, ad expiandum pro domo Israel.*

Insuper describitur principis sacerdo-
18 tum oblatio in speciali. *Hæc dicit Dominus Deus : In primo mense,* qui Nisan
vocatur, *una mensis,* id est prima die hujus mensis, *sumes,* id est, a pontifice sumendum denuntiabis, *vitulum de armento,*
id est de multitudine gregis, *immaculatum ; et expiabis sanctuarium,* id est,
19 templum expiandum describes. *Et tollet sacerdos de sanguine quod erit pro peccato,* id est animalis pro peccatorum remissione oblati; *et ponet in postibus domus,*
id est templi, *et in quatuor angulis crepidinis altaris, et in postibus portæ atrii interioris.* Loca ista, et quid designent,
20 supra sunt descripta. *Et sic facies in septima mensis,* id est, simili modo agendum
prædices septimo die præfati mensis, *pro unoquoque qui ignoravit et errore deceptus est,* cui facilius venia impetratur, *et expiabis pro domo,* vel populo. Hæ duæ
solennitates et oblationes, secundum Hieronymum, in lege Moysis non habentur. —
A *In primo mense, quartadecima die mensis, erit vobis Phase solennitas.* Paschalis 21
namque solennitas ab hujus diei vespera
incipit apud Hebræos. *Septem diebus azyma,* id est panes azymi non fermentati,
comedentur. Et faciet, id est offeret, *prin-* 22
ceps sacerdotum *in die illa,* qua festum
hoc incipit, *pro se et pro universo populo*
terræ, vitulum pro peccato. Et in septem 23
dierum solennitate, id est celebritate ista
paschali, quæ septem durat diebus, *faciet holocaustum Domino,* scilicet *septem vitu-*
B *los et septem arietes immaculatos quotidie septem diebus ; et pro peccato* suo ac po-
puli offeret *hircum caprarum quotidie. Et* 24
sacrificium ephi per vitulum, et ephi per arietem faciet, id est, in sacrificium offeret mensuram ephi cum vitulo, et mensuram ephi cum ariete. Quid autem sit ephi,
jam dictum est. *Et olei hin,* id est mensuram olei quæ dicitur hin, et est tertia
pars bati, *per singula ephi* pariter offe-
ret. — *Septimo mense, quintadecima die* 25
mensis, in solennitate Scenopegiæ, secun-
C dum Hieronymum, seu Tabernaculorum,
faciet sicut supra dicta sunt, tam pro peccato dimittendo, *quam pro holocausto* divinæ majestati offerendo, *et in sacrificio et in oleo,* id est, mensuram olei hin immolando. Tunc enim a vespera præcedentis
diei incipiebat solennitas ista septem diebus perdurans, in quibus fiebant oblationes consimiles his quæ fiebant diebus solennitatis paschalis.

Amplius vero juxta intelligentiam prin- Expositio
D cipalem, omnia in isto capitulo dicta, ad mystica.
præsens tempus, et ad militantem Ecclesiam, in mundo nunc laborantem et ad
cœlestia festinantem, sunt referenda. Veris
igitur Israelitis, principibus populorum,
sanctis Apostolis (de quibus Propheta locutus est Deo, Constitues eos principes su- Ps. xliv, 17
per omnem terram), ait Ezechiel ex ore
Dei omnipotentis : *Quum cœperitis terram* 1
dividere sortito, separate primitias Domino. Terram quippe inter se diviserunt,
quando toto orbe terrarum dispersi, distin-

ctis ac variis gentibus prædicaverunt, et A
determinatas specialesque regiones in qui-
bus prædicarent, sibi singuli elegerunt,
vel potius secundum divinam ordinatio-
nem sortiti sunt. Tunc separaverunt pri-
mitias Domino, certa loca pro religiosis et
sacerdotibus deputando, in quibus præci-
pue collocatur ecclesia. Vel, separaverunt
primitias Domino, quosdam credentes di-
vino cultui singulariter mancipando, vide-
licet religiosos. Unde de quibusdam ele-
oc. xiv, ctis in Apocalypsi habetur : Hi empti sunt
ex omnibus primitiæ Deo et Agno. Quæ B
demum primitiæ appellantur *sanctifica-
tum,* quum Deo sint consecratæ. Quarum
longitudo est viginti quinque millium ca-
lamorum, et latitudo decem millium cala-
morum : per quæ diversitas meritorum, et
perfectio contemplationis, dilatatio etiam
divinæ dilectionis, per decem observanti-
am præceptorum, et per quinque spiritua-
les sensus quinquiformiter repetitos, per
diversos profectus in se invicem replica-
tos, signatur.
2 *Et erit ex hoc sanctificatum, quingen-* C
tos per quingentos quadrifariam, etc. His
verbis (sicut præcedenti expositione pa-
tuit) describitur mensura circuitus ædifi-
ch. xlii, cii templi, cujus exterior murus quadratus
habebat in quolibet latere calamos quin-
gentos, qui faciunt unum milliare. De qua
re et his quæ ædificium templi concer-
nunt, dictum est plenius in expositione
capituli quadragesimi et deinceps. Deni-
que per quinquaginta cubitos pro subur-
banis relictos, significata est requies et
libertas eorum qui templo Dei semper uni- D
ri et cohærere desiderant. Jubilæus etenim
3 quinquagenario numero deputatur. *Et in
ipso erit templum, Sanctumque sancto-
rum.* Per templum, sicut sæpissime di-
ctum est, designantur, in quorum cordi-
bus habitat Deus, et specialiter hi qui in
virtutibus eminent; per Sanctum sancto-
rum vero, illi qui vitam internam contem-
plativamque ducunt, et Deo devotissime
vacant, qui in sanctuarium Dei sunt intro-
missi. Hi ergo sunt in medio primitiarum,

vel sanctificati de terra, quia ad eos re-
spiciunt et confluunt ceteri Deo dicati.
Sanctificatum de terra erit sacerdotibus 4
ministris sanctuarii. Sacerdotibus enim
atque episcopis Ecclesiæ, prœinducti reli-
giosi ac spirituales specialiter sunt subje-
cti. *Et erit eis locus in domos :* nam inter
hos habitare consueverunt ac residere.
Levitæ autem qui ministrant domui. 5
Isti sunt inferioris gradus ministri, præ-
sertim diaconi, qui templo deserviunt, sa-
cerdotibusque ministrant. *Ipsi possidebunt
viginti gazophylacia.* Ista sunt repositoria
spiritualium divitiarum gratiæ ac virtu-
tum, in quibus ministri Christi salubriter
manent, dormiunt, et quiescunt. Quæ vi-
ginti esse dicuntur, quia Decalogum men-
te et opere, seu caritate Dei ac proximi,
implent. Vel per numerum istum determi-
natum, exprimitur indeterminatus numerus
clericorum seu canonicorum in collegio-
rum habitaculis commorantium.
Et possessionem civitatis dabitis, etc. 6
Pro civitate ædificanda præstatur spatium,
habens quinque millia calamorum in lati-
tudine, et viginti quinque millia calamo-
rum in longitudine. Per civitatem equidem
designatur unio populi christiani in fide,
spe, caritate ac sacramentis. Communitas
autem populi christiani, non est tantæ la-
titudinis in caritate ut religiosi : idcirco
latitudo civitatis est quinque millium ca-
lamorum, latitudo vero primitiarum Dei
seu religiosorum, dicta est decem millium
calamorum. Quinario quoque, numerus li-
brorum Moysis commendatur, quorum tota
doctrina ad præceptorum caritatis custo-
diam ordinatur.
Principi quoque hinc et inde, etc. Per 7
partem terræ principi deputatam ex utro-
que latere templi vel populi, designatur
quod christianis principibus esset præ ce-
teris maxima pars regionum in heredita-
tem præstanda. *A latere maris usque ad
mare.* Per mare, amaritudo et inquietudo
exprimitur : et certum est, quod principa-
tui sæculari multæ tribulationes, amari-
tudines, lites et conturbationes miscentur.

Et a latere orientis usque ad orientem. A
Principum quippe possessio solet per terræ regionem hinc inde diffundi. Si vero de principe superiori, scilicet Imperatore, accipiatur, planus est sensus. Vel tanta describitur portio principis, ad innuendum quod totius populi sui virtutes et merita in ipsum (si juste se habet) redundant, et sibi tanquam directori quodammodo adscribuntur.

8 *Et non depopulabuntur ultra populum meum* christianum, vere ac spiritualiter Israeliticum, *principes* christiani; *sed terram dabunt domui Israel,* id est congregationi fidelium, *secundum tribus eorum,*
9 juste inter subditos dividendo. *Sufficiat vobis, principes Israel,* id est, Ecclesiæ seu populi christiani. *Iniquitatem et rapinas intermittite, judicium et justitiam facite; separate confinia vestra a populo meo.* Utinam principes christiani ista adverterent et implerent. Quorum nonnulli, non vere principes, sed tyranni, pauperes et subjectos per potentiam opprimunt, per violentiam spoliant, per avaritiam exactionibus gravant. De talibus Dominus ait
Mich. III, 3. per Michæam : Comederunt carnem populi mei, et pellem eorum desuper exco-
Is. I, 23. riaverunt; et in Isaia : Principes tui infideles, socii furum.

10 *Statera justa,* etc. His verbis jubentur Christifideles, in suis contractibus servare justitiam in ponderando ac mensurando. Injustitia nempe ex suo genere est peccatum mortale, quum decem præcepta sint de actibus justitiæ : et quod contrariatur præcepto, mortale est. Hinc contra inju-
Ps. LXI, 10. stos ait Psalmista : Mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in id ipsum. Et in Levitico Dominus lo-
Lev. XIX, 35. quitur : Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, et in mensura. Similiter in monetis vitanda est fraus.

13 *Et hæ sunt primitiæ quas tolletis. Sextam partem ephi de coro frumenti,* etc. Per ista simpliciter designatur, quod populus christianus vulgaris et sæcularis, certas facultatum suarum partes daret sacerdotibus ac ministris Ecclesiæ ad sustentationem eorum. Propter quod dicit Apostolus : Si *I Cor.* IX, 11
nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metamus? Spiritualius autem per frumentum accipitur scientia spiritualis; per hordeum, notitia litteralis. Si ergo de his Deum honoramus in primis, et omne ei bonum adscribimus, primitias frumenti ac hordei damus.
Omnis populus terræ tenebitur primitiis 16
his principi, quia et sæcularibus dominis spiritualibusque prælatis ista solvuntur.
B *Et super principem erunt holocausta,* etc. 17
Principes equidem et prælati, indigent Deo quotidie immolare, et varia dona ac sacrificia offerunt Creatori, tam corporalia quam spiritualia, insuper et se ipsos, præsertim in festis Ecclesiæ majoribus, mediocribus atque minoribus, quæ per legalium festorum vocabula mystice exprimuntur. Nec immoderanter quis admiretur, quod in novem istis capitulis Ezechiel tam obscure ac mystice loquitur, quum Joannes apostolus in Apocalypsi obscurius myste-
C rialiusque loquatur.

In primo mense, una mensis, sumes vi- 18
tulum de armento immaculatum, etc. Per festa et sacrificia ista legalia, intelliguntur spirituales solennitates, spiritualesque hostiæ populi christiani. Quid autem per vitulum designetur, paulo ante innotuit. Porro per immolationem vitulorum, arietum et hircorum, intelliguntur diversi fideles, qui se ipsos multiformiter offerunt Deo. Postremo, omnia ista ad plenum elucidare, sine præcipua Dei illuminatione non reor pos-
D sibile. Quod autem in primo mense, et prima ejus die, vitulus immolari jubetur, hoc significare potest, quod principium omnium annorum nostrorum a Dei obsequio inchoare debemus, et nos ipsos seu carnem nostram mortalem Deo quasi vitulum immolare. Septimo quoque ejusdem mensis die, idem agi jubetur, ut perseverantia commendetur.

Quæ autem de observatione phase et esu azymorum sequuntur, non est difficile ad pascha nostrum, scilicet Christum, conver-

...r. v, 8. tere. Sicque epulemur, juxta Apostolum, A
22 in azymis sinceritatis et veritatis. *Et faciet princeps in die illa,* id est, in die qua Christus immolatus est pascha nostrum, offeret quicumque sacerdos seu princeps *pro se et universo populo* sibi subjecto, *vitulum pro peccato,* videlicet corpus Christi, vel Christum, qui instar vituli pro nobis, secundum Gregorium, est occisus : cujus corpus Deo offertur, dum Christi passio devote recolitur, et meditator se illi conformare conatur : quod die passionis Christi præcipue constat agendum. At vero per septem B vitulos et septem arietes, qui in hujus solennitatis septem diebus quotidie offeruntur, intelligi possunt universi imitatores Christi et ejus beatissimæ passionis. Septenario namque totalitas vel perfectio designatur. Sed et per septem dies quibus hæc agi mandantur, intelligi datur totum hoc tempus indulgentiæ condonatum, vel specialiter septem dies dominicæ Passionis simul cum die Ramis palmarum. Olei quoque mensura parva miscetur, ut omni rigori actus clementiæ sit admixtus.

Similia sacrificia fient diebus festivitatis Scenopegiæ seu Tabernaculorum. Nam et festum hoc spiritualiter agimus, atque præfata tunc spiritualiter immolamus. Sacerdos quoque hæc offerens, intelligi potest Christus, qui gratiam præstat hominibus qua taliter offerunt se ipsos, vel sacerdos Christi minister, ad taliter sacrificandum admonens alios.

ARTICULUS LV

DECLARATIO CAPITULI QUADRAGESIMI SEXTI : HÆC DICIT DOMINUS DEUS.

CIRCA posteriorem præcedentis capituli C
partem, facta est mentio de oblatione
principis spiritualis, puta pontificis; nunc
de sæcularis principis oblatione tractatur.
1 *Hæc dicit Dominus Deus : Porta atrii in-*
terioris quæ respicit ad orientem, id est,
porta orientalis interioris atrii templi (de
qua porta specialiter dictum est copiose
in exordio capituli quadragesimi quarti),
erit clausa sex diebus in quibus opus fit,
id est sex primis diebus hebdomadæ feria-
...od. xx, libus, de quibus Moyses loquitur, Sex die-
...xiii, 12; v, 21; bus operaberis; *die autem septima,* scilicet D
...t. v, 13. sabbato, *aperietur* per singulas septima-
nas, quia tunc requies est. *Sed et in die*
calendarum, id est in exordio seu primo
die cujuslibet mensis, hoc est in neome-
nia, *aperietur.*
2 *Et intrabit princeps* Israeliticæ plebis
per viam vestibuli portæ deforis, id est
per vestibulum ab extra ducens ad portam
hanc, *et stabit in limine portæ* istius ori-
entalis, sed interius atrium non intrabit.
Et facient, id est offerent, *sacerdotes holo-*
caustum ejus : id est, id quod princeps
adducet offerendum in holocaustum, quod
totum ad Dei honorem comburitur, sacer-
dotes actualiter pro principe offerent et
cremabunt; *et pacifica ejus,* id est quæ
pro salute offert et pace. *Et adorabit su-*
per limen portæ : id est, Deo per oblatio-
nes istas honorato atque placato, princeps
super limen præfatæ portæ Dominum (cui
soli latriæ cultus debetur) suppliciter ado-
rabit; *et egredietur,* id est, facta oratione
redibit via qua venit. *Porta autem* hæc
orientalis *non claudetur usque ad vespe-*
ram diei qua fuit reserata. Cujus causa
annectitur : *Et adorabit populus terræ* 3
promissionis *ad ostium portæ illius,* stan-
do videlicet ante hanc portam, *in sabbatis*
et in calendis coram Domino : in quibus
temporibus, sicut jam patuit, porta hæc
aperietur.

4 *Holocaustum autem hoc* quod subditur,
offeret, id est, per sacerdotes offerendum
præsentabit, *princeps Domino : in die sab-*
bati, id est quolibet die sabbativo, *sex*
agnos immaculatos, id est pulchros ac in-
5 tegros, *et arietem immaculatum; et sacri-*
ficium ephi per arietem, id est, simul cum
ariete immaculato, offeret mensuram si-
milæ, quæ est exquisita farina : quæ men-
sura dicitur ephi, tenens tres modios in
rebus siccis, sicut præcedenti articulo cla-
ruit; *in agnis autem sacrificium quod de-*
derit manus ejus, id est in oblatione agno-
rum, quam manus principis offert, *et olei*
hin per singula ephi, id est, tot offeret
hin olei, quot offert ephi similæ. Hin au-
tem est genus mensuræ, ut dictum est. —
Deinde conscribitur oblatio fienda in prin-
6 cipio mensium seu die calendarum. *In die*
autem calendarum offeret *vitulum de ar-*
mento immaculatum ; et sex agni, et arie-
tes (ut aliqui asserunt) duo, *immaculati*
7 *erunt* qui tunc a principe offerentur. *Et*
ephi per vitulum, ephi quoque per arie-
tem faciet sacrificium : id est, tam cum
vitulo quam cum ariete offeret in sacrifici-
um etiam ephi, id est hoc genus mensuræ
in siccis, seu tantum de simila. Istud ergo
sacrificium, ab eo quod sabbato fit, dif-
fert, quod hic jubetur offerri vitulus, ibi
non ; hic quoque arietes, ibi aries. *De*
agnis autem, sicut invenerit manus ejus,
et olei hin per singula ephi : id est, in
oblatione agnorum prætaxatorum qui sibi
offerendi occurrunt, offeret tot hin olei,
quot ephi de siccis vel simila.
8 *Quumque ingressurus est princeps* ædi-
ficium templi ad adorandum ac offeren-
dum, *per viam vestibuli portæ* orientalis
ingrediatur, sicut jam dictum est, *et per*
9 *eamdem viam exeat. Et quum intrabit*
populus terræ in conspectu Domini in so-
lennitatibus ; qui ingreditur ædificium
templi *per portam aquilonis ut adoret,*
egrediatur per viam portæ meridianæ, id
est portæ australis. *Porro qui ingreditur*
per viam portæ meridianæ, egrediatur per
viam portæ aquilonis. Non revertetur per
A *viam portæ per quam ingressus est, sed e*
regione illius egredietur. Ista, quantum ad
superficiem litteræ, plana sunt valde. Si-
quidem verbis his notatur diversus modus
intrandi et exeundi, inter principem et
vulgares. Ratio quoque istorum, quantum
ad imaginariam pertinet descriptionem,
talis potest proferri. Si enim populus ea-
dem qua introivit via, rediret, propter mul-
titudinem forte se invicem obviando im-
pedirent atque comprimerent. Princeps
vero quum solus transeat per viam spe-
B cialem, eadem sine obstaculo potest redi-
re. Hoc ruditer dictum est. Alia enim infra
assignanda est ratio. *Princeps autem in* 10
medio eorum ad templum accedens, atque
per viam portæ orientalis, mediam inter
viam portæ aquilonaris viamque portæ au-
stralis, quibus populus intrat, ingrediens,
cum ingredientibus ingredietur, et cum
egredientibus egredietur, videlicet simul
tempore, tamen viis distinctis.
Et in nundinis, et in solennitatibus, 11
erit sacrificium ephi per vitulum, et sa-
C crificium *ephi per arietem :* id est, simul
cum vitulo, itemque cum ariete offeretur
in sacrificium de simila vel siccis quibus-
libet mensura ephi, quæ tres modios con-
tinet : qui modii parvi sunt, præsertim
quum in Ruth libro scriptum sit, quod *Ruth* III,1
Booz mensus est sex modios hordei, in
palliolum Ruth eos transfundens. *In agnis*
erit sacrificium, sicut invenerit manus
ejus, id est, secundum vires suas offeret
de agnis. Vel sic : In agnis, id est in obla-
tione agnorum, erit sacrificium, sicut in-
D venerit manus ejus. *Et olei hin per singu-*
la ephi, id est pariter offeretur de oleo
mensura quæ dicitur hin, per singula ephi,
ita ut tot offerantur hin olei, quot ephi
de simila.

Præterea agitur de spontanea principis
oblatione, ad quam scilicet non tenetur.
Quum autem fecerit princeps per manus 12
sacerdotum *spontaneum holocaustum, aut*
pacifica voluntaria, scilicet sacrificia, *Do-*
mino; aperietur ei porta quæ respicit ad
orientem, scilicet prædicta porta orienta-

iis, *et faciet,* id est, Deo offerri disponet,
holocaustum suum, et pacifica sua Domino,
sicut fieri solet in die sabbati : de
cujus diei holocausto paulo ante dictum
est. *Et egredietur, claudeturque porta postquam
exierit.* Unde in hac spontanea principis
oblatione non relinquitur porta aperta,
nec populus venit ad adorandum ante
hanc portam, quemadmodum in oblationibus
principis quæ fiunt in sabbatis et calendis.
Consequenter, secundum beatum
Hieronymum, Propheta determinat de qua
materia debeat fieri spontaneum holocaustum.
Hoc enim præcedenti clausula non
13 expressit. *Et agnum ejusdem anni,* id est
agnum anniculum seu eodem anno natum,
*immaculatum, faciet holocaustum quotidie
Domino; semper mane faciet illud,* id
14 est, omni mane offeret hostiam istam. *Et
faciet sacrificium super eo,* id est simul
cum holocausto isto agni anniculi, *cata
mane,* id est per mane, vel, de mane offeret
in sacrificium, *mane sextam partem
ephi,* subauditur, similæ, secundum Hieronymum,
id est medium modium similæ, *et
de oleo tertiam partem hin, ut misceatur
similæ,* id est, oleo simila adspergatur. *Sacrificium*
est *Domino* istud *legitimum juge
atque perpetuum :* quoniam nullo die est
15 omittendum. *Faciet,* id est offeret, *agnum
et sacrificium et oleum cata mane, mane
holocaustum sempiternum.* His verbis resumit
quod dixit, ut diligentius instruat.

Verum expositio ista alteri cuidam non placet. Primo, quoniam in oblatione spontanea non videtur offerenti determinanda certa materia; sed sicut in ejus libertate est offerre, ita et quid offerat, dummodo immolaticium exstet. Secundo, quia oblatio spontanea potest interrumpi atque omitti; de ista autem oblatione habetur in textu, quod sit sacrificium juge legitimum. Propter quod exponit hunc passum de jugi sacrificio, quod in lege præcipitur fieri quolibet die. Huic vero expositioni obviare primo videtur, quod juxta ordinem textus ac litteræ seriem, Propheta loquatur de principe, et non de sacerdote hebdomadario, A de quo exponit quod dicitur, Et agnum ejusdem anni faciet, etc. Secundo, quod juge sacrificium legis, præceptum fuit bis quolibet die offerri, semel in mane, et semel in vespere, sicut in Exodo scribitur, *Exod.* XXIX, 38-42; *Num.* XXVIII, 3-8; *Lev.* VI, 12. et in Levitico sæpe repetitur. Istud autem, de quo Propheta nunc agit, sacrificium non nisi semel in die, videlicet mane, offerendum conscribitur. Non ergo est mentio de jugi sacrificio legis. Tertio, quia nec litteraliter, nec principaliter nunc tractatur de oblatione legali, sed spirituali, B quæ fit in Ecclesia Christi, ut innotescit ex præinductis. Hinc propter mysticam rationem materia et hora oblationis istius determinatur. Salvando ergo expositionem Hieronymi, ad objecta respondere quis poterit, quod spontaneæ oblationis materia et tempus determinantur hoc loco, non per modum jussionis, sed admonitionis, vel propheticæ denuntiationis.

Deinde fit mentio de successione facul-
tatum principis. *Hæc dicit Dominus Deus :* 16
*Si dederit princeps domum alicui de filiis
suis, hereditas ejus filiorum suorum erit.
Possidebunt* autem *eam hereditarie,* ita
quod ista possessio per successionem in
posteros erit perpetua. *Si autem dederit* 17
*legatum de hereditate sua uni servorum
suorum,* id est, alicui ministrorum aliquid
de sua hereditate legaverit sive donaverit,
erit illius usque ad annum remissionis,
id est usque ad annum septimum, qui remissionis
annus vocatur; vel usque ad
jubilæum, quo omnis emptio atque donatio
ad priores revertitur dominos. Sic exponit
Hieronymus. Ideo subditur : *et revertetur
ad principem,* quod servo erat
donatum. *Hereditas autem ejus,* utpote
principis, *filiis ejus erit,* id est, posteris
per successionem perpetuo remanebit. *Et* 18
*non accipiet princeps de hereditate populi
per violentiam, et de possessione eorum*
nil tollet injuste; *sed de possessione sua
hereditatem dabit filiis suis, ut non dispergatur
populus meus a possessione sua.*
Ista sunt plana.

Post hæc quid sibi acciderit, refert Pro-

19 pheta. *Et introduxit me* angelus *per in-*
gressum, id est viam, *qui erat ex latere*
portæ. Cujus portæ non exprimit nomen ;
sed quia de orientali porta jam specialiter
est locutus, forte de illa hæc scribit. *In*
gazophylacia sanctuarii ad sacerdotes. Ga-
zophylacia sanctuarii, id est templi, sunt
Ezech. XL, 17. exedræ vel thalami sacerdotum, ut dictum
est supra. *Quæ respiciebant ad aquilonem,*
id est aquilonarem templi partem. *Et erat*
ibi locus vergens ad occidentem. Locus
hic fuit structura pro sacrificiorum coctio-
20 ne parata. Ideo sequitur : *Et dixit ad me :*
Iste est locus ubi coquent sacerdotes et pro
peccato et pro delicto; ubi coquent sacri-
ficium, id est, in loco hoc coquent, seu
usui suo parabunt sacerdotes ea quæ Deo
oblata sunt a populo pro culpa commis-
sionis et vitio omissionis, *ut non efferant*
in atrium exterius, id est, sacrificia ista
non exportent cruda ad vulgi locum, *et*
sanctificetur populus, id est, carnes san-
ctas non tangat vel edat, nec sanctis con-
tra legem communicet. Sicque sanctificatio
ista fuisset eis maculatio potius quam pu-
rificatio animæ. Unde et sic intelligi po-
test, ut sacerdotes præfata non efferant,
quatenus populus sanctificetur, id est, a
peccati periculo præservetur, dum illa non
efferuntur ad eum.

Deinceps tractatur de coquinis pro vul-
21 go. *Et eduxit me in atrium exterius :* ex
quo elicitur quod paulo ante insinuavit se
in atrium interius introductum ; *et circum-*
duxit me per quatuor angulos atrii hujus.
Et ecce atriolum erat in angulo atrii :
non unum dumtaxat, unde quod singula-
riter dixit, pluraliter repetit : *atriola sin-*
gula per angulos atrii, id est, in quolibet
angulo atrii fuit unum atriolum. Sicque in
quatuor angulis atrii, erant quatuor atri-
ola. Hinc subditur : *In quatuor angulis* 22
atrii atriola disposita, quadraginta cubi-
torum per longum, id est in longitudine,
et triginta per latum, id est triginta cu-
bitorum in latitudine. Quamvis igitur ista
atriola erant quadrata, non tamen æquila-
tera quemadmodum murus exterior. *Men-*
suræ unius quatuor erant, id est, atriola
ista fuerunt ejusdem mensuræ et quan-
titatis. *Et paries per circuitum ambiens* 23
quatuor atriola. Quatuor atriolorum non
fuit unus paries tantum, sed quodlibet ex
duobus lateribus claudebatur muro atrii
in quo erant atriola ; et alius murus seu
paries parvus ab intra, alia duo clauserat
latera. *Et culinæ,* id est coquinæ, *fabrica-*
tæ erant subter porticus atrii exterioris
per gyrum, videlicet in quatuor angulis
jam prætactis. Unde quidam affirmant cu-
linas esse in ipsis atriolis, alii autem in
porticuum lateribus. *Et dixit ad me : Hæc* 24
est domus culinarum, in qua coquent mi-
nistri domus Domini victimas populi. In
his namque coquinis coquent Levitæ obla-
tiones populi, saltem quantum ad eam par-
tem quæ in usum offerentium vel Levi-
tarum cedebat.

ARTICULUS LVI

DE SPIRITUALI AC PRINCIPALI INTELLIGENTIA EJUSDEM CAPITULI QUADRAGESIMI SEXTI.

1 PER portam orientalem atrii interioris,
intelligi posse fidem illuminatam, vi-
tam contemplativam, sacrarum Scriptura-
rum scientiam, et ipsum Dominum Salva-
Joann. x, 7. torem qui ait, Ego sum ostium ovium, ex
superioribus elucescit. Porro per princi-
pem designatur, qui aliorum merito præ-
cessor et rector est, qui esse debet quasi
lex viva, et velut animata justitia ; vel
omnis qui carnis propriæ et mundi atque

diaboli victor est. Itaque porta orientalis clausa est sex diebus, id est quamdiu in exterioribus occupamur et servilia operamur : tunc enim a cœlestium contemplationibus impedimur, nec fidei penetramus mysteria, nec abdita Scripturarum, nec per vitam æternam in Christo quiescimus. Porro septimo die aperietur, quando videlicet ad sabbatum, seu quietem mentis, venerimus, et ab exterioribus vacantes, divinæ luci intendemus. Unde ait Apostolus [br. iv, 9.] : Quia relinquitur sabbatismus populo Dei. Sed et in die calendarum aperitur. Calendarum nomine, nova lunatio seu mensis exordium designatur. Quemadmodum autem per solem Christus, ita per lunam Ecclesia figuratur. Hinc in die calendarum porta hæc aperitur, quando videlicet Ecclesia a Christo incipit illustrari. [hes. v,] Ideo dicit Apostolus : Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus. Et in Malachia scriptum est : [lach. iv,] Orietur vobis timentibus nomen meum, Sol justitiæ.

2 *Et intrabit princeps per viam vestibuli portæ deforis :* id est, per plana itinera humilitatis et æquitatis, atque per opera vitæ activæ, et item per actus misericordiæ, ingredietur ad portam hanc, ad fidei secreta rimanda, ad abdita Scripturarum, contemplationumque apicem ac virtutem theoricam. *Et stabit in limine portæ.* Hoc convenientissime additum est. Quid enim est limen portæ istius, nisi terminus in contemplationis exercitio et ascensu nobis præfixus, ne scilicet ultra quam decet et supra vires, præsumptuose ac temere conemur divinæ veritatis profunda discutere? Stemus ergo in limine portæ, et quod comprehendere non valemus, Spiritui Sancto sapientialiter committamus, pensantes [ebr. xii,] quod Moyses ait : Si bestia tetigerit montem, lapidabitur ; et item quod in Prover- [ov. xxv,] biorum libro Salomon asseruit : Sicut qui mel comedit multum, non est ei bonum ; sic qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria. In limine isto standum do- [or. xiii, 9.] cuit, qui dicebat : Ex parte cognoscimus ; et, Per fidem ambulamus; et, Nunc cognoscimus per speculum in ænigmate. [II Cor. v, 7. I Cor. xiii, 12.]

Et facient sacerdotes holocaustum ejus et pacifica ejus. Holocaustum principis, est oblatio qua ipse se ipsum totaliter Deo offert seu exhibet ad parendum. Pacifica vero ipsius, sunt opera satisfactoria, et cuncta virtutum exercitia, quibus Deus omnipotens delectatur ac reconciliatur. Hujusmodi holocausti pacificorumque odor, est suavissimus Domino. Denique sacerdotes, sunt sancti presbyteri, quorum virtute ac precibus ceteri adjuvantur, ita quod mediatione et intercessione ipsorum, holocaustum et pacifica principis Deo acceptabiliora redduntur. [Exod. xxix, 18, 25; Lev. i, 13; iii, 5; Num. xv, 10, etc.] Hi etiam sacerdotes orando ac prædicando, exemplariterque vivendo, holocaustum nostrum divino igne incendunt, quia ad Divinitatis amorem corda nostra inflammant.

Et adorabit princeps *super limen portæ :* id est, in ipso fidei fulgore contemplationisque termino sibi præfixo, quum se divina profundius intueri non posse perpenderit, omnipotentiam majestatis Dei sublimis et in sæculum sæculi benedicti humiliter adorabit; *et,* facta oratione pro se ac populo suo, *egredietur,* id est, interioris atrii ingressu indignum se profitens, atque in contemplationis stabilitate diu persistere nequiens, ad activæ exercitia vitæ redibit. Mentis nempe humanæ invalida acies, in superclarissimo lumine Divinitatis diu non figitur, imo ex sua imbecillitate et corporis pondere, potius reverberatur ac premitur. *Porta autem non claudetur usque ad vesperam :* quoniam fidei fulgor in se ipso non deficit, sed ad eum potest esse regressus usque ad sæculi finem, seu vitæ præsentis occasum. Vel, porta ista non clauditur usque ad vesperam, quoniam fidei splendor, et contemplationis suspensio, non interrumpitur nec aufertur ab anima, quousque Christus, sol intelligentiæ, illuminationis suæ subtraxerit radios, et vesperam quamdam menti induci permiserit, in propriæ defe-
ctuositatis caliginem eam relabi sinens. *Et* 3

adorabit populus terræ ad ostium portæ illius : id est, imperfecti et sæculares divinorum cœlestium nondum capaces, ante et extra portam hanc stantes, scilicet in minori virtutum perfectione locati, in inferiorisque devotionis gradu consistentes, Deum pro suo modulo adorabunt ; *in sabbatis,* id est, quando a peccatis cessaverit, *et in calendis,* id est, dum cœlitus cœperit illustrari.

4 *Holocaustum autem hoc offeret princeps Domino : in die sabbati, sex agnos immaculatos.* Isti sex agni, sunt sex animæ affectiones seu passiones in appetitu sensitivo concupiscibili exsistentes : quæ in quantum sunt naturales quædam affectiones vel motus, non sunt vitiosæ. Dum vero per rationis censuram et virtutes morales divinæ legi subjiciuntur et refrenantur, imo quodammodo mortificantur, instar agnorum innocentes consistunt, ac Domino immolantur a principe, de quo Salomon
Prov. xvi, 32. contestatur : Melior est sapiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore
Ps. cxviii, 9. urbium. Hoc modo corrigit adolescentior viam suam, in custodiendo sermones Dei.
Galat. v, 16. Ad quod hortatur Apostolus, dicens : Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. *Et arietem immaculatum.* Per arietem qui ductor est ovium, intelligitur ratio, quæ est domina virium animæ, et ductrix operum passionumque ejus : quæ Deo offertur, dum fidei auctoritati humi-
II Cor. x, 5. liter subditur, juxta illud Apostoli : In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Aries quoque intelligi potest appetitus superior, vel voluntatis affectus seu amor, qui post se trahit appetitum sensitivum, quemadmodum sphæra seu orbis cœlestis superior inferiorem. Si arietis hujus oblatio erit Deo accepta, necesse est eum a mortali esse peccato immunem. Hæc offert princeps præsertim in sabbato memorato : quia tunc animæ passiones sunt sedatæ, reformatæ, imo et virtuosæ, tanquam virtutibus regulatæ.

5 *Et sacrificium ephi per arietem.* Cum ariete isto simila simul jubetur offerri. Per similam quippe (quæ est delicatissima farina, et quasi adeps frumenti) intelligitur actio virtutis deliciosa, animi refectiva, quæ cibus est cordis : quæ rectæ rationi bonæque voluntati jungenda est, juxta illud Jacobi : Quis sapiens et disci- Jacob. iii, 13.
plinatus inter vos ? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. At vero nomine ephi tres modios continentis, superbeatissimæ et supermundissimæ ac superdeliciosissimæ Trinitatis commendatur mysterium. *Et olei hin per singula ephi.* In præinducta principis oblatione, cum agnis et simila oleum quoque est offerendum : oleo enim spiritualis lætitia et puritas insinuatur ; et cuncta quæ ad Dei reverentiam agimus atque offerimus, cum spirituali jucunditate ac intima puritate sunt exhibenda. Hoc est oleum quod prudentes virgines acce- Matth. xxv, 4.
perunt in vasis suis cum lampadibus. De quo canit Psalmista : Impinguasti in oleo Ps. xxii, 5
caput meum. Et Christus in Evangelio : Unge caput tuum. Quo et ipsemet Christus Matth. vi, 17.
copiosissime unctus fuit, sicut cantamus : Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ Ps. xliv, 8
consortibus tuis.

In die autem calendarum, de cujus spiri- 6, 7
tuali significatione jam dictum est, offeret princeps *vitulum de armento immaculatum.* Quod tunc agimus, dum lascivientem carnem nostram, freno abstinentiæ maceramus, virtute continentiæ edomamus, et timore Dei configimus, exhibentes corpora Rom. xii, 1
nostra hostiam sanctam, vivam, Deo placentem, qualis fuit qui dixit : Ego stigmata Galat. vi, 17.
Domini Jesu in corpore meo porto. Hinc ad Corinthios habetur : Semper mortifica- II Cor. iv, 10, 11.
tionem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali. Tunc etiam offeret sex agnos, de quibus nunc dictum est, et arietes, scilicet rationem et voluntatem, quibus ceteræ vires animæ reguntur atque ducuntur : quibus jungenda est simila, ratione præhabita.

Quumque ingressurus est princeps, etc. 8, 9
His verbis (sicut jam claruit) dicitur prin-

cipi, ut eadem, qua portam accessit, redeat
via, populus vero per aliam redeat. Prin-
ceps namque vocatur, qui in virtutibus est
perfectus : idcirco per eadem virtutum
exercitia, quibus ad portam orientalem, id
est ad contemplationem, profectus est, po-
test convenienter reverti, quasi non indi-
gens in aliis virtutum operibus exerceri,
vel ad alia studia, quibus passiones et vitia
reformet ac frenet, converti. Populus vero,
quum sit adhuc plurimum imperfectus,
quum per unum aliquod virtutum iter ad
Deum processerit, facta oratione, in aliis
virtutum operibus exercere se indiget :
quatenus cunctas passiones et vitia quibus
adhuc impugnatur, exstirpet. Quid autem
per portam australem seu meridianam, et
portam aquilonarem exprimitur, et quid
sit per eas intrare, ab expositione quadra-
gesimi capituli usque ad præsens, frequen-
ter tractatum est. Quibus id adjici potest,
quod si populus intret Ecclesiam per por-
tam meridianam, considerando beneficia
Dei in donis gratiæ et gloriæ, exire debet e
regione per portam aquilonarem, cogitan-
do tormenta gehennæ et mala propriæ cul-
pæ, pericula quoque et ærumnas præsen-
tis hujus instabilissimæ vitæ. Quum enim
nondum sit in virtutibus solidatus, nec
puro boni amore bene agat, imo de facili
cadat, necesse est ei nunc de his, nunc de
illis cogitare, ut maneat in timore.
10 *Princeps autem in medio eorum, cum
ingredientibus ingredietur, et cum egre-
dientibus egredietur.* His docentur princi-
pes christiani subditis suis humiliter asso-
ciari, atque in bonis virtutibus conformari,
juxta quod scriptum est in Deuteronomio :
eut. xvii, Non elevetur cor regis per superbiam super
fratres suos, neque declinet in partem dex-
tram vel sinistram. Ecclesiasticus quoque
cli. xxxii, ait : Rectorem te posuerunt? Noli extolli;
2. esto in illis quasi unus ex ipsis ; curam il-
11 lorum habe, et sic considera. — *Et in nun-
dinis,* etc. Sunt nundinæ spirituales : de
c. xix, 13. quibus ait Salvator, Negotiamini dum venio.
12 *Quum autem fecerit princeps sponta-
neum holocaustum,* se ipsum divinis ob-

A sequiis ultra debitum mancipando, vel re-
ligionem intrando, *aut pacifica voluntaria
Domino,* opera supererogationis Deo ar-
denti amore offerendo, juxta illud, Volun- *Ps.* LIII, 8.
tarie sacrificabo tibi ; *aperietur ei porta*
hæc orientalis. Tunc enim ad divinæ lucis
illustrationem admittitur, et contemplati-
onis splendore perfunditur. Quanto enim
quis ad Dei gratiam amplius se disponit,
tanto plus suscipit. Quo facto, promptissi-
mo animo quod proposuit exsequitur. *Et
egredietur,* secundum sensum inductum ;
B *claudeturque porta postquam exierit :*
quia ad tantam divinorum participationem
non consuevit populus passim admitti. *Et* 13-15
*agnum ejusdem anni immaculatum faciet
holocaustum quotidie Domino ; semper ma-
ne faciet illud,* etc. Istud satis convenien-
ter exponitur de sacrificio jugi, legitimo
atque perpetuo evangelicæ legis, videlicet
Sacramento altaris, in quo quotidie Deo
Patri offertur Agnus immaculatus qui tol- *Joann.* I,
lit peccata mundi, non in vespere, sed de 29.
mane. Estque Agnus hic prorsus immacu-
C latus, et anni ejusdem secundum divini-
tatem, dicente ipsomet Agno : Antequam *Ibid.* VIII,
Abraham fieret, ego sum. Istud superdi- 58.
gnissimum sacrificium offerri facit om-
nis idoneus princeps christifidelis quotidie
mane, addens similam et oleum, de quibus
nunc dixi : siquidem cum opere virtuoso
spiritualique gaudio facit id immolari.
Si dederit princeps domum alicui de 16, 17
filiis suis, etc. His verbis, ut patuit, ordi-
natur divinitus, quod ea quæ filiis dantur
de possessione parentum, jugiter perma-
D nent filiis ; si autem aliquid de hereditate
servis fuerit datum, non jugiter erit eo-
rum, sed ad heredes redibit. Quibus ver-
bis significatum arbitror quod deprompsit
Salvator : Servus non manet in domo in *Ibid.* 35.
æternum, filius autem manet in æternum.
Qui ergo servus est solo servili timore, vel
qui ad tempus quasi filius amare videtur,
si prædestinatus non est in sortem filio-
rum in lumine, divitiæ gratiarum non ju-
giter permanebunt in ipso ; sed alius acci-
piet coronam ejus : quam utique Deus sibi

dedisset, si quod in se fuit, fecisset. Ideo A
Matth. xv, 13. Christus : Omnis, inquit, plantatio quam
non plantavit Pater meus cœlestis, eradi-
cabitur. Anno ergo remissionis ac jubilæo,
videlicet tempore retributionis finalis, vel
etiam tempore gratiosæ visitationis in præ-
senti, redibit donum patris ac principis
summi ad filios electionis.

19, 20 *Et introduxit me per ingressum,* etc.
Per locum qui vergit ad occidentem, in
quo sunt coquinæ sacerdotum carnes obla-
tas coquentium, et per ipsas coquinas, in-
telliguntur loca orationum et sacrificiorum B
Ecclesiæ : in quibus sacerdotes devoti suis
suffragiis, caritate, virtute ac meritis, sa-
crificia populi exhibent Deo, et gratiora
efficiunt. Et non efferent *in atrium exte-
rius,* id est, divina mysteria pandere vulgo
non debent, secundum quod loquitur Ve-
Ibid. vii, 6. ritas : Nolite sanctum dare canibus, neque
margaritas vestras projiciatis ante porcos.
Et eduxit me in atrium exterius, etc. De 21
atriis istis superius dictum est abundanter.
Et ecce atriolum erat in angulo, etc. Per
quatuor atriola atrii exterioris quæ sunt
in quatuor angulis ejus, intelliguntur spe-
cialia oratoria quæ sunt in magna Christi
Ecclesia, toto terrarum orbe diffusa. Quæ
oratoria his qui in quatuor mundi partibus
degunt, deserviunt : in quibus sunt culinæ 24
seu coquinæ, in quibus inferiorum Ordi-
num ministri, puta diaconi, subdiaconi,
etc., populi victimas coquunt, id est, pro
ipsis devote orando, Deo placentiores con-
stituunt, supplendo ex sua devotione quod
defuit vulgo, in tantum ut populus suis
spiritualibus hostiis intime reficiatur et
confortetur, et meritum in præfatos mini-
stros redundet. Cetera quæ modo non ex-
ponuntur, ex superioribus innotescunt.

ARTICULUS LVII

EXPOSITIO CAPITULI QUADRAGESIMI SEPTIMI : ET CONVERTIT ME AD PORTAM DOMUS.

DESCRIPTIONE templi completa, jam C
de ejus virtute et efficacia, et præser-
1 tim de sacramento Baptismatis agitur. *Et
convertit me* angelus ducens et instruens
me *ad portam domus,* videlicet templi. *Et
ecce aquæ egrediebantur subter limen do-
mus,* id est templi, *ad orientem,* hoc est,
subter limen istud instar fontis eruperunt
et emanarunt versus orientem fluentes. Ait
hoc loco quidam, quod expositores Latini
per limen subter quod aquæ egrediuntur,
intelligunt limen porticus templi; redar-
guitque id ipsum, quasi omnes hoc dice- D
rent et errarent, quum S. Hieronymus inter
Latinos expositores præcipuus, per limen
hoc, limen templi, non porticus templi,
intelligat. Nec repugnat dictis Hieronymi,
si egredi dicantur subter limen Sancti san-
ctorum : quoniam sicut sæpius dictum est,
per templum et sanctuarium interdum
significatur interior pars templi, scilicet
Sanctum sanctorum. *Facies enim domus
respiciebat ad orientem. Aquæ autem de-
scendebant in latus templi dextrum ad
meridiem altaris,* id est, a prædicto limi-
ne deorsum fluxerunt, declinando ad dex-
trum latus, currentes per templum versus
orientem. Fuitque cursus earum inter al-
tare holocausti, et meridionale latus atrii.
Ideo ait, Ad meridiem altaris, id est circa
partem ejus australem.

Denique per has aquas, quidam intelli-
gunt fluenta sacræ Scripturæ, et rivos salu-
taris scientiæ, hoc est Salvatoris doctrinam,
quæ de Ecclesia copiose profluxit et subter
limen domus effluxit, puta de fundamento
Ecclesiæ, quod est Christus. De quibus
aquis earumque origine loquitur Isaias :

.xii, 3. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Sal-
id. xi, 9. vatoris. Et item : Repleta est, inquit, terra scientia Domini, quasi aquæ maris ope-
ann. iv, rientes. Unde et Christus ait : Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Aquæ istæ descendunt, quia ad corda humilium veniunt. Descendunt quoque in latus templi dextrum, scilicet ad electos, et eos qui in die judicii ponentur ad dextram ; ad meridiem altaris, quod est mens devota, cujus meridies est fervor amoris. Alii vero convenientius, ut opinor, per aquas has intelligunt fontem Baptismi, qui in Christi Ecclesia habuit ortum : et ab ipso Domino Salvatore institutum est Baptismatis sacramentum. De quibus aquis
ch. xiv, loquitur Zacharias : Exibunt aquæ vivæ de
l. xiii, 1. Jerusalem ; et rursus, In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et men-
l iii, 18. struatæ. Unde et in Joele legitur : Fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum. Utræque autem aquæ fluunt ad orientem, quia perducunt ad lucem æternam, veniuntque ad eos quorum corda ad Deum conversa sunt vel convertenda.

2 *Et eduxit me per viam portæ aquilonis, et convertit me ad viam foras,* id est extra, *portam exteriorem.* Et quæ fuerit via illa, subjungitur : *viam quæ respiciebat ad orientem,* id est viam orientalem. Per quod, secundum Hieronymum, occulte ostendit, quod statim ad portam orientalem, videlicet contemplationis splendorem, pervenire nequimus, nisi per viam portæ aquilonis, id est tribulationis, longo ad eam circuitu pertingamus. Nisi enim frigidissimum adversitatum ventum fidei calore vicerimus, portas sapientiæ ingredi non valemus.

3 *Et ecce aquæ redundantes,* id est copiose defluentes, *a latere dextro* templi, *quum egrederetur vir,* id est angelus mihi in specie viri apparens, et de interiori ædificii loco progrediens, *ad orientem :* quia et vir et aquæ versus orientem declinabant. *Qui habebat funiculum in manu sua :* quod
ch. xl, quadragesimo capitulo expositum recolo.

A *Et mensus est mille cubitos* aquarum istarum. Siquidem mensus est aquas secundum augmentationem earum et processum in longum. Nam circa originem suam aquæ istæ parvæ fuerunt. In exordio enim, quando Apostoli ex Christi commissione ante ejus passionem baptizare cœperunt, pauci receperunt Baptisma. *Et transduxit me per aquam usque ad talos.* Per hoc significatur, quod aqua Baptismi ab infima fomitis infectione, vitiisque terrenis, et originali peccato emundat. Tali quippe calcaneo
B sunt vicini, idcirco per eos terrena et infima mala hæc designantur. Vel per transductionem istam signantur, qui non profunde intrant sapientiæ pura fluenta, sed modicum quid de eis attingunt atque participant. Quod vero hæc de aqua Baptismi dicantur, ex translatione Septuaginta interpretum conjicitur, qui aquas istas vocant aquas remissionis.

Rursumque mensus est mille, scilicet 4
cubitos in aquis his secundum progressionem et exundationem earum ; *et transduxit*
C *me per aquam usque ad genua.* Per quod insinuatur, quod per fluenta sapientiæ ac Baptismi, ad Christi humilem cognitionem perducimur, ita ut in nomine Jesu genua Philipp. ii,
flectentes, confiteamur quod ipse est in 10, 11.
gloria Dei Patris. *Rursumque mensus est* 5
mille, secundum sensum prætactum, *et perduxit me per aquam usque ad renes.* Quo significatur, quod paulatim aquas sapientiæ profundius copiosiusque intramus; quod item per gratiam baptismalem a carnalium immunditia vitiorum purgamur, et
D corpore sanctificato ad mentis sinceritatem procedimus. *Et mensus est* quarto *mille,* utique cubitos, *torrentem quem non potui transire,* id est aquas has jam in tantum auctas, ut torrens dicantur ; *quoniam intumuerunt aquæ profundæ torrentis, qui non potest transvadari :* jam enim in longum et altum vehementer creverunt. Per quæ omnia designatur, quemadmodum Baptismus Christi, et evangelicæ legis doctrina, paulatim secundum divinæ sapientiæ præordinationem creverunt, et per

mundi partes diffusa sunt, et finaliter tan- A
tum excrescent, quod explicari non queat,
quando in fine totum sæculum conver-
tetur. Insinuatur quoque per hæc, quod
abundantiam sapientiæ in novo Testamen-
to revelatæ, penetrare nequaquam vale-
Rom. xi, 20. mus. Propter quod dicit Apostolus : Noli
altum sapere, sed time.
6 *Et dixit ad me : Certe vidisti, fili ho-*
minis. Quasi dicat : Ista parva non sunt,
nec oblivioni tradenda ; et quantum ad
significatum, realiter implebuntur. *Et edu-*
xit me, et convertit ad ripam torrentis : ut B
quia per medium aquarum transire nequi-
vit, saltem ea quæ in ripis sunt, noscat ; a
ripis quoque aquas et quæ in eis sunt,
7 vigilanter perpendat. *Cumque me con-*
vertissem, ecce in ripa torrentis ligna mul-
8 *ta nimis ex utraque parte. Et dixit ad*
me : Aquæ istæ quæ egrediuntur de templo
ad tumulos sabuli orientalis et descendunt
ad plana deserti. Pro quo Septuaginta trans-
tulerunt : Aqua ista quæ egreditur in Ga-
lilæam, quæ vergit ad orientem, et descen-
dit ad Arabiam. Unde per tumulos sabuli C
orientalis, quidam intelligunt Jordanem,
qui esse in parte orientali Terræ sanctæ
asseritur. Hæc igitur secundum imagina-
riam repræsentationem sic visa sunt, et
aquæ hæ ad loca præfata currere vide-
bantur. Sed spiritualis est intellectus. Per
ripas enim aquæ, baptizatorum mansio-
nes intelligo ; per ligna quamplurima hinc
inde sita, personas credentium. Unde de
Ps. i, 3. viro justo cantamus in Psalmo : Erit tan-
quam lignum quod plantatum est secus
Ps. xcv, 12, 13. decursus aquarum ; et rursus, Tunc exsul- D
tabunt omnia ligna silvarum a facie Domi-
ni, quia venit. Porro, quod aquæ ad loca
præfata fluxisse scribuntur, designat quod
gratia baptismalis christianæque fidei the-
oria, per Apostolorum prædicationem, ad
loca et plebem gentilium, et primo ad ter-
ras Judææ viciniores sint derivatæ. Propter
quod post resurrectionem Christus præce-
Matth. xxviii, 19. pit Apostolis : Euntes docete omnes gen-
Luc. xxiv, 46, 47. tes, baptizantes eas. In Luca quoque :
Oportebat Christum pati, et resurgere a
mortuis tertia die, et prædicari in nomine
ejus pœnitentiam et remissionem pecca-
torum in omnes gentes, incipientibus a
Jerusalem.

Et intrabunt aquæ hæ *mare,* id est ma-
re Mortuum, *et exibunt,* id est, per mare
illud ultra procedent, *et sanabuntur aquæ*
maris Mortui ab amaritudine sua atque
salsedine. Per mare Mortuum, in quo nul-
lum animal vivere potest, intelligitur sæ-
culum nequam, vitiorum salsedine amari-
catum : in quo nil per caritatem et gratiam
vivit ; sed sacramento Baptismi ad hoc
sæculum, seu ad homines mundanos ac
impios pertingente, spiritualiter vivifican-
tur ; nec solum ad tales perveniunt aquæ
sapientiæ ac Baptismi, sed procedunt quo-
que ad bonos. Sananturque aquæ maris
prædicti, id est, corda sæcularium a pra-
vitatum suarum eruuntur languore.

Et omnis anima vivens quæ serpit, id 9
est omne animal sine pedibus procedens.
Ponitur autem pars pro toto, videlicet ani-
ma pro animali. *Quocumque venerit tor-*
rens, id est aqua prænominata, *vivet :* ita
quod non statim morietur, sicut ea quæ
descendunt in mare Mortuum. *Et erunt*
pisces multi satis, postquam venerint illuc
aquæ istæ, et sanabuntur, id est, pisces
vel aquæ e suis inconvenientiis curabun-
tur. *Et vivent omnia ad quæ venerit tor-*
rens. Ista secundum superficiem litteræ de
irrationabilibus animalibus non dicuntur ;
sed sensus est, quod omnis homo terre-
nus, more serpentis caducis inhærens, et
terræ per affectum conjunctus, veniente
ad se aqua Baptismatis et doctrinæ, libera-
bitur a morte peccati, et vivet per gratiam.
Erunt insuper pisces multi satis, videlicet
pisces boni, qui eliguntur in vasa, et reti- Matth. xiii, 48.
bus apostolicæ prædicationis capiuntur :
hoc est, copiosus erit credentium nume-
rus. Et vivent omnia ad quæ venerit tor-
rens : omnium enim corda caritate et gratia
innovantur, quorum corpora aquis Bapti-
smi tinguntur.

Et stabunt super illas, id est in ripis 10
aquarum hinc et inde, *piscatores, ab En-*

gaddi usque in Engallim. Ripæ aquarum istarum, sunt baptizatorum confinia. Piscatores vero, sancti Apostoli sunt, ac ceteri prædicatores, secundum quod Christus di- *atth.* IV, xit quibusdam : Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. Per Jeremiam .XVI,16. quoque Dominus loquitur : Ecce ego mittam piscatores multos, et piscabuntur eos. Porro Engaddi et Engallim sunt nomina locorum prope mare Mortuum. Engallim enim, secundum Hieronymum, est in principio maris Mortui ubi Jordanis ingreditur; Engaddi vero, ubi finitur. Per quæ nomina designantur habitacula sæcularium hominum qui verbo Dei capiuntur atque sanantur. Engaddi autem interpretatur fons vel oculus hœdi; Engallim vero, fons vel oculus vitulorum. *Siccatio sagenarum erit :* id est, in his locis prædicatores Christi retia sua Soli æterno aptanda exponent, et quidquid profecerint, ipsi adscribent. *Plurimæ species erunt piscium ejus,* scilicet hujus torrentis, *sicut pisces maris Magni multitudinis nimiæ,* id est, sicut sunt plurimæ species piscium Oceani. Quemadmodum hoc loco scribit Hieronymus, philosophi quidam dixerunt centum quinquaginta tria esse piscium genera : per quæ universa hominum genera designantur. Quæ omnia ab Apostolis capta sunt, dum et nobiles et ignobiles, divites et pauperes, docti et simplices, et omne genus hominum de mari hujus sæculi extrahitur ad salutem. Unde quum sancti Apostoli, Christo *nn.*XXI, 1. jubente, misissent rete in mare, ascendit Petrus, traxitque illud in terram plenum piscibus centum quinquaginta tribus. Quemadmodum ergo in mari Magno, id est in toto mundo, multa valde sunt hominum genera; ita et in militanti Ecclesia, qui in aqua sapientiæ et gratia Baptismatis commorantur. Propter quod passione instante *l.*XII,32. Christus prædixit : Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.

11 *In littoribus autem ejus,* puta torrentis, *et in palustribus,* ubi aquæ erumpentes ultra ripas per modum stagni aggregantur, *non sanabuntur* aquæ prædictæ a sua sal-

A dine. Per quod (secundum Hieronymum) insinuatur, quod sicut perierunt qui in arca Noe non erant, sic quos fluvius iste seu torrens non tangit, non sortiuntur salutem. Vel hoc ideo dictum est, quoniam Christi doctrina atque Baptisma, dum ad eos veniunt qui per veram fidem intra Ecclesiam non consistunt, scilicet ad hæreticos, eis non prodest aliquid horum, imo in damnationis amaritudinem vertitur. Ideo subditur : *quia in salinas dabuntur.* Reprobi enim dantur electis in salinas, quia B exempla pejorum erudiunt bonos, juxta illud Proverbiorum : Pestilente flagellato, *Prov.* XIX, 25. stultus sapientior erit. Vel, In salinas erunt, sicut et uxor Lot in statuam salis conversa *Gen.* XIX, 26. est, quoniam fructu virtutum animique virore carebunt. Superficialem vero intelligentiam prosequendo, in salinas dabuntur, ita quod ibi pro condimento ciborum generabitur sal. Per quod quæ dicta sunt designabuntur. Quemadmodum enim sal per se ipsum non bene sapit, nec nutrit, sed aliis cibariis additum, meliorem facit C saporem ; sic reprobi per se et in se reputantur inutiles, sed electis ad virtutis exercitium conferunt, et per eos boni Deo probatiores virtuosioresque fiunt.

Et super torrentem orietur in ripis ejus 12
ex utraque parte omne lignum pomiferum. Hoc jam paulo ante habitum atque expositum est, circa illud : Ecce in ripa vers. 7. torrentis ligna multa nimis ex utraque parte. Siquidem omne lignum pomiferum, est omnis fidelis ac virtuosus : et nemo in præsenti est talis, nisi qui in ripis Bapti- D smi consistit, secundum sensum prætactum. *Non defluet folium ex eo :* id est, sermo viri virtuosi non erit inanis aut mendax, juxta illud Psalmi : Folium ejus *Ps.* I, 3. non defluet. Et primo Regum de Samuele habetur : Non cecidit ex verbis ejus in ter- I *Reg.* III,19. ram. *Et non deficiet fructus ejus,* id est, in bonis operibus perseverabit, sicut Apostolus monet : Benefacientes non deficiamus; *Galat.* VI,9. tempore enim suo metemus non deficientes. Unde et sanctus Job profitetur : Donec *Job* XXVII, 5, 6. deficiam, non recedam ab innocentia mea;

justificationem quam cœpi tenere, non deseram.

Per singulos menses afferet primitiva, id est, fructus esui aptos producet : hoc est, omni tempore opportuno in bonis actibus innovabitur ac reflorebit, juxta il-
Ps. I, 3. lud Psalmi : Fructum suum dabit in tem-
Jer. XVII, 7, 8. pore suo. Et Jeremias ait : Benedictus vir qui confidit in Domino; et erit tanquam lignum quod transplantatur super aquas; et erit folium ejus viride, nec aliquando desinet facere fructum. *Quia aquæ ejus de sanctuario egrediuntur :* id est, gratiarum fluenta de sacramentis Ecclesiæ, et de Christo capite Ecclesiæ sancto sanctorum, ad hujusmodi ligni irrigationem et fecundationem procedunt. Idcirco quum humor et ros gratiæ non deficiat, fructificatio permanet. Propter quod loquitur Jeremias :
Ibid. 8. In tempore siccitatis non erit sollicitum. *Et erunt fructus ejus in cibum :* id est, actus virtutum ipsius, et operantem in Domino confortabunt dulciterque reficient, et alios ædificabunt spiritualiterque fovebunt. Unde ad Philemonem scribit Apo-
Philem. 20. stolus : Refice spiritum meum, videlicet agendo quæ mando. *Et folia ejus ad medicinam :* id est, per verba ejus salutaria et prædicationes devotas, animarum vulnera curabuntur, dum auditores ad pœnitentiam inducentur. Hinc prædicatores sancti canes vocantur, eo quod canum lingua sit medicinalis. Juxta quod scriptum
Ps. LXVII, 24. est : Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. Hinc etiam Isaias, vel in sua, vel
Is. L, 4. potius in Christi persona testatur : Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lassus est, verbo. Et
Eccli. XVIII, 16. in Ecclesiastico legitur : Nonne ardorem refrigerabit ros ? Sic et verbum bonum melius quam datum.

Præterea non immoderanter miremur, quod bona gratiæ Ecclesiæ militantis per hæc corporalia describuntur, quum bona gloriæ Ecclesiæ triumphantis, per eadem et pene sub verbis eisdem in Apocalypsi
Apoc. XXII, 1, 2. promantur : Ostendit mihi, inquit, fluvium aquæ vivæ, splendidum tanquam

A crystallum, procedentem de sede Dei et Agni. In medio plateæ ejus ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem gentium.

Consequenter in textu prosequitur Propheta descriptionem divisionis terræ, quam quadragesimo quinto capitulo inchoavit. Ezech. XLV 1 et seq.
Hæc dicit Dominus : Hic est terminus in 13
quo possidebitis terram in duodecim tribubus [*Israel*]. Hoc est intelligendum de
B termino terræ dividendæ totali, videlicet pleno ejus circuitu seu integra continentia, extensione seu quantitate, quam filii Israel possidebunt secundum duodecim tribuum suarum divisionem. Et quoniam circa hoc posset quis dubitare, qualiter duodecim tribus sint terram hanc possessuræ, quum in toto non sint nisi duodecim tribus Israel, secundum numerum duodecim Patriarcharum filiorum Jacob : quarum una, utpote tribus Levitica, inter ceteras tribus hereditatem non habuit, sed
C Dominus fuit ejus hereditas : ad quod Propheta respondet : *quia Joseph duplicem funiculum habet,* id est, tribus Joseph in duas familias est divisa, et duas sortes habet, secundum quod duo fuerunt filii Joseph, videlicet Ephraim et Manasses : quos patriarcha Jacob adoptavit sibi in filios ut essent sui sicut Ruben et Simeon, sicut Gen. XLVII 5.
in Genesi habetur. Idcirco facti sunt duarum capita tribuum. Unde et filii Joseph ad Josue sunt locuti : Quare dedisti mi- Josue XVI 14.
hi possessionem sortis et funiculi unius,
D quum sim tantæ multitudinis, et benedixerit mihi Dominus? Quibus Josue ait : Non habebitis sortem unam. *Possidebitis* Ibid. 17.
autem eam singuli æque ut frater suus, 14
id est, terram istam æqualiter inter tribus Israel dividetis. *Super quam levavi manum meam,* id est, potestatem meam extendi vel demonstravi, habitatores ejus miraculose perdendo, *ut darem eam patribus vestris,* qui ex deserto venientes, ingressi sunt eam ac possederunt. *Et cadet terra hæc vobis in possessionem.*

Deinde terra ista in quatuor partes seu
plagas dividitur. Et primo describitur pla-
ga septentrionalis seu aquilonaris, quum
15 dicitur : *Hic est autem terminus terræ ad*
plagam septentrionalem. A mari Magno :
non ab Oceano, sed secundum Hebræos (ut
refert Hieronymus) a mari Magno quod
littoribus Palæstinæ et Phœniciæ ac Syriæ
atque Ciliciæ prætenditur, et per Ægy-
ptum tendit ad Libyam; *via Ethalon ve-*
16 *nientibus Sedada, Emath,* id est Antio-
chiam, *Berotha, Sabarim, quæ est inter*
·minum *medium* * *Damasci et confinium Emath,*
domus Thicon, quæ est juxta terminos
17 *Auran. Et erit terminus a mari usque ad*
atrium Enon, terminus Damasci. Et ab
aquilone usque ad aquilonem. Per hoc
quod ait, Ab aquilone usque ad aquilo-
nem, intelligitur terminatio lateris aquilo-
naris terminos duos habentis. *Terminus*
Emath. — Insuper plaga orientalis descri-
18 bitur. *Porro plaga orientalis de medio*
Auran, et de medio Damasci, et de medio
Galaad, et de medio terræ Israel, scilicet
ab una extremitatum ipsius, *Jordanis dis-*
terminans hanc partem *ad mare orienta-*
le. Itaque plaga orientalis incipit quo aqui-
lonaris finitur. — Deinceps plaga australis
19 describitur. *Plaga autem australis meri-*
diana, quod idem est (auster enim concer-
nit meridiem), erit *a Thamar* urbe *usque*
ad aquas Contradictionis Cades, qui locus
cv, 32. est in deserto. Unde et scriptum est : Et
irritaverunt eum ad aquas Contradictionis.
Et torrens usque ad mare Magnum jam
dictum, in quod torrens iste, secundum
Hieronymum, intrat. *Et plaga ad meri-*
diem australis, est ista. — De occidentali
20 quoque subjungitur : *Et plaga maris,* id
est pars occidentalis : quoniam mare Me-
diterraneum claudere dicitur universum
occidentale latus terræ promissionis ; *est*
mare Magnum, de quo dictum est nunc,
a confinio ejus *per directum, donec venias*
Emath. Dicunt aliqui, quod Emath ista sit
alia a præfata. Alii tenent oppositum.
21 *Et dividetis terram istam vobis per tri-*
22 *bus Israel; et mittetis eam in hereditatem*
A *vobis, et advenis qui accesserunt ad vos,*
puta neophytis * seu ad ritum et legem ve- * proselytis
stram conversis, *qui genuerunt filios in*
medio vestrum : et erunt vobis sicut indi-
genæ inter filios Israel, scilicet inter vos
Israelitas. *Vobiscum divident possessionem,*
id est, hereditariam partem accipient, *in*
medio tribuum Israel. In tribu quacum- 23
que fuerit advena, sic conversus, *ibi da-*
bitis possessionem illi, ait Dominus Deus.

Hæc secundum superficiem litteræ su-
perficialiter dicta sunt ; sed diligentius
B præinducta sunt intuenda. Et primo remi-
niscendum, quod divisio terræ Israel in
tribus Scripturæ locis describitur : Primo,
a Moyse in libro Numerorum ; secundo, a Num. xxxii,
Josue in libro ejus : et tamen filii Israel xxxiv. Josue xiii-
nunquam possederunt universam terram xix.
ibidem descriptam, eisque promissam, non
ex defectu veritatis potestatisque Dei, sed
propter eorum ignaviam, inobedientiam,
et peccata quamplurima. Tertio, in loco
præsenti. Qualiter autem descriptiones hæ
tres inter se coincidant, et qualiter dif-
C ferant, diligenti lectori inquirendum re-
linquo.

Denique, sicut omnia ab exordio quadra-
gesimi capituli usque in præsens, exposita
sunt de Christi Ecclesia et populo christia-
no, ita et hæc pro tempore evangelicæ le-
gis sunt exponenda : per filios Israel, veros
Israelitas in Christum credentes, et gene-
raliter populum christianum intelligendo ;
per terram autem promissionis, omnem
terram Christianorum, quam Deus glorio-
sus et sanctus ubertim prædixit a fideli-
D bus occupandam, divinoque cultui man-
cipandam. Hæc terra in quatuor partes
dividitur, quia in quatuor principalibus
mundi partibus habitaverunt fideles. Per
duodecim autem tribus Israel, intelligun-
tur tam ipsi Judæi ad Christum ex omni
tribu conversi, quam ceteri Christifideles,
Patriarcharum per fidei morumque imita-
tionem filii nuncupandi, potissime Aposto-
lorum, qui ex diversis tribubus Israel pro-
dierunt. Unde et Jacobus scribit duodecim Jacob. i, 1.
tribubus quæ sunt in dispersione. Paulus

quoque scribit Hebræis. Quod autem totius terræ divisio describitur per urbes et loca Judææ, eique proxima, ideo factum videtur, quia ibidem christiana religio sumpsit exordium, et quia per terram Judææ universa credentium et Deo confitentium regio figuratur, sicut frequenter per Jerusalem ipsa Ecclesia designatur. Præterea tota terra jam descripta, a conversis Judæis et ceteris Christianis interdum, etiam longo tempore est possessa. Et si quis Judæorum aut judaizantium his explanationibus non contentatur, adjiciatur et hoc, quod utique in fine sæculi, Antichristi falsitate detecta, omnes Judæi convertentur ad Dominum Jesum Christum, æterni Patris unicum Filium, et terram promissionis inhabitabunt. Sed quamdiu tunc vitæ præsentis cursus durabit, non constat. Hoc supra dictum est plenius in expositione capitulorum tricesimi octavi et tricesimi noni.

Postremo super illud, Et dividetis terram istam, dicit S. Hieronymus : Per hoc capitulum discimus (et decutitur supercilium Judæorum), nihil inter Israelem et gentes esse divisum. Si enim advenis et alienigenis cum his qui sunt de populo Israel, hoc est indigenis, terra dividitur; nulli dubium, eamdem esse hereditatem gentium ac Judæorum, dummodo conversi fuerint ad cultum Dei Israel, quod proprie nomen possidet Christianum : habentibus Judæis litteram legis, et nobis spiritum ; illis quoque tenentibus membranas, et nobis eum qui scriptus est in membranis. Apud Moysen quoque et Josue sorte dividitur terra, hic autem judicio Domini delegatur. Unaque possessio est advenæ et Israeli, et in singulis tribubus datur hereditas gentibus, jubente Domino Deo. Hæc B. Hieronymi verba sententiosa sunt valde, et profundius consideranda. Quæ autem nunc dicta sunt, ad sequentis capituli intelligentiam maxime conferunt.

ARTICULUS LVIII

ELUCIDATIO CAPITULI QUADRAGESIMI OCTAVI : ET HÆC NOMINA TRIBUUM A FINIBUS AQUILONIS.

Circa præcedentis capituli finem, divisa est terra promissionis in quatuor plagas principales ; nunc in plures partes dividitur, et singulis tribubus propriæ partes seu sortes aptantur. Denique sortes hæ inchoantur a termino orientali totius Judææ seu terræ promissionis, et ad terminum occidentalem, videlicet mare Mediterraneum finiuntur ; atque inter hos terminos sumitur longitudo cujuslibet sortis, latitudo quoque ab aquilone versus austrum tendendo. Prima itaque sors, ab aquilonari parte inchoando, est ipsius Dan, id est filiorum patriarchæ Dan filii Jacob ; secunda, Aser ; tertia, Nephthali. Unde in libro Numerorum, Dan, Aser, et Nephthali, ab aquilone leguntur fixisse tentoria. Et juxta hoc, primo fit mentio de tribu Dan.

Num. II, 25-29.

Et hæc nomina tribuum Israel *a finibus* 1
aquilonis, id est a plaga aquilonari lati-
tudinem sortium inchoando, *juxta viam*
Ethalon pergentibus Emath atrium Enon,
terminus Damasci ad aquilonem juxta
Emath. De his locis ac urbibus in aquilo-
nari parte Judææ sitis, dictum est circa
præcedentis finem capituli. *Et erit ei pla-*
ga orientalis mare, Dan una, id est, sors
seu portio familiæ Dan, secundum longi-
tudinem sortis, erit inter terminum totius
Judææ orientalem, et mare Mediterraneum,
quod est terminus occidentalis terræ isti-
us. *Et a termino Dan, a plaga orientali* 2

usque ad plagam maris, Aser una, id est, A
a termino prædictæ terræ orientali usque
ad finem ejus occidentalem protendetur,
et erit longitudo sortis tribus seu filiorum
3 Aser. *Et super terminum Aser,* id est, lit-
teraliter, juxta terminum tribus Aser, *a
plaga orientali usque ad plagam maris,
Nephthali una.* Quod intelligendum est,
sicut nunc de tribu Aser expositum est.
Juxta eumdem quoque intellectum, de ali-
arum quatuor tribuum sortibus subditur :
4 *Et super tribum * Nephthali, a plaga ori-*
minum *entali usque ad plagam maris, Manasse* B
5 *una. Et super terminum Manasse, a plaga
orientali usque ad plagam maris, Ephra-*
6 *im una. Et super terminum Ephraim, a
plaga orientali usque ad plagam maris,*
7 *Ruben una. Et super terminum Ruben, a
plaga orientali usque ad plagam maris,
Juda una.*

Divisio ista terræ per tribus Israel, di-
sue xiii- versificatur ab illa quæ tempore Josue fa-
cta est, in quantitate et situ : quia in illa
pluribus data est pars major, et pauciori-
bus minor. In illa quoque tribus Juda ac- C
cepit sortem hereditatis suæ in extremitate
et termino terræ promissionis versus au-
strum : quia hæc tribus major et fortior
fuit, ideo pro terræ munimine data est ei
portio in uno terræ extremo. Tribus vero
Ephraim, tanquam post prædictam proge-
niem fortior, partem sortita est in alia ter-
ræ extremitate ad aquilonem. Hic autem
cunctis et singulis tribubus portio datur
æqualis, et tribus Juda et Ephraim post
tribum Dan ordinantur. Insuper in hac di-
visione non fit de fugitivorum urbibus D
mentio, de quibus Moyses et Josue scri-
bunt. Ex quibus elicitur, quod descriptio
ista sit mystica. Unde beatus Hieronymus
dicit : Opus non erat in descriptione my-
stica, et habitatione sanctorum, ac con-
versatione perfecta, fugitivorum describi
auxilia. Quod autem divisio ista sit per
portiones æquales, id signat quod veri
Israelitæ, videlicet Christiani (qui sunt Is-
rael Dei, non Israel secundum carnem),
inter se uti debent justitia commutativa,
cujus medium consideratur penes æquali-
tatem quantitatis.

Et super terminum Juda, id est prope 8
partem hereditatis ejus, *a plaga orientali
usque ad plagam maris, erunt primitiæ,*
id est partes terræ hujus Deo per modum
primitiarum deputandæ, *quas separabitis,*
id est, a ceteris terræ istius portionibus
segregabitis et tolletis, *viginti quinque
millibus latitudinis,* supplendum est, ca-
lamorum. Hæc est latitudo earum, longitu-
do autem indeterminata relinquitur, dum
subditur : *et longitudinis sicut singulæ
partes a plaga orientali, usque ad plagam
maris,* id est, longitudo earum erit tanta,
quantum tenent singulæ tribus in longum
ab oriente usque ad mare : cujus longitu-
dinis incertus est numerus; neque enim
in singularum descriptione tribuum, men-
sura ista est posita. Si autem latitudo est
viginti quinque millium calamorum, con-
cedatur longitudinem multo esse majorem.
Ista est expositio S. Hieronymi : secundum
quam primitiæ hæ sunt aliæ ab his, quæ
principio capituli quadragesimi quinti con- Ezech. XLV,
scriptæ sunt. Illarum enim longitudo est 1.
viginti quinque millium calamorum, et
latitudo decem millium calamorum. Et de
eis statim in textu subditur : *Et erit san-
ctuarium,* id est templum, *in medio ejus.*
Quod templum est in portione sacerdo-
tum, de qua sequitur : *Primitiæ, quas* 9
*separabitis Domino, longitudo viginti quin-
que millibus* calamorum, *et latitudo decem
millibus* calamorum. Quæ verba capitulo
quadragesimo quinto scripta sunt atque Ibidem.
exposita.

Consequenter describuntur quatuor pla-
gæ seu latera primitiarum sacerdotum. *Hæ* 10
*autem erunt primitiæ sanctuarii sacerdo-
tum : ad aquilonem,* id est versus plagam
aquilonarem, *longitudinis viginti quin-
que millia :* id est, spatium istud ad latus
aquilonis, erit in longitudine viginti quin-
que millium calamorum; *et ad mare, lati-
tudinis decem millia. Sed et ad orientem,
latitudinis decem millia ; et ad meridi-
em, longitudinis viginti quinque millia.*

Descriptio ista prophetica, intricata est
plurimum, et dum brevitati studuit, obs-
curitatem induxit : et non utique sine ra-
tionabilissima causa, siquidem quem con-
stat directum ac motum a Spiritu Sancto.
Itaque quantum ad superficiem litteræ, his
verbis prædictæ plagæ nec plene nec uni-
formiter describuntur ; sed plaga aquilo-
naris ac meridiana, quantum ad longitu-
dinem, describuntur per viginti quinque
millia calamorum. Plaga autem orientalis
et occidentalis, quantum ad latitudinem,
describuntur per decem millia calamo-
rum, ita quod de latitudine primarum du-
arum plagarum, et de longitudine aliarum
duarum, nihil hic dicitur. Hinc verba hæc
diversimode exponuntur. Nam secundum
Hieronymum, per ista datur intelligi, quod
ubique seu omnibus plagis, eadem longi-
tudinis ac latitudinis mensura servatur.
Alii autem nonnulli ita exponunt, quod
plaga aquilonis et plaga australis sint vi-
ginti quinque millium calamorum, aliæ
duæ decem millium.

Et erit sanctuarium, id est templum
Domini in medio ejus, videlicet sacerdo-
talium harum plagarum, seu primitiarum
sacerdotum, ita quod æquo latere ex omni
11 parte vallabitur. *Sacerdotibus sanctuari-
um erit de filiis Sadoc,* id est, templum
erit ad ministerium sacerdotum, ut in ipso
Deo ministrent : qui sacerdotes sunt filii
Sadoc, *qui custodierunt cærimonias meas,
et non erraverunt, quum errarent filii
Israel, sicut erraverunt et Levitæ.* Omnia
ista superius, præsertim capitulo quadra-
Ezech. gesimo quarto, secundum duplicem inter-
xliv, 15. 12 pretationem exposita sunt. *Et erunt eis,*
scilicet sacerdotibus filiis Sadoc, *primitiæ
de primitiis terræ.* Dicuntur autem pri-
mitiæ de primitiis, sicut decimæ decima-
rum ; et de tota terra deputata est certa
sacerdotibus portio, quæ appellatur pri-
mitiæ. Erit etiam eis *Sanctum sanctorum,*
quod est dignior pars templi.

Insuper portio Levitarum exprimitur,
13 quæ sacerdotum æqualis est portioni. *Sed
et Levitis similiter juxta fines sacerdo-*
A *tum erit sors terræ atque primitiæ, viginti
quinque millia longitudinis, et latitudinis
decem millia. Omnis longitudo* portionis,
tam sacerdotum quam Levitarum, *viginti
quinque millium* erit calamorum, *et lati-
tudo decem millium. Et non venundabunt* 14
*ex eo neque mutabunt, nec transferentur
primitiæ terræ, quia sanctificatæ sunt Do-
mino.* Quo designatur, quod spiritualia
corporalibus non sint appretianda, et quæ
ministris Ecclesiæ assignantur divinitus,
non sint pretio commutanda. Omnia ista
B quæ nunc quasi transilio, supra diligenter
pro viribus, quantum Spiritus veritatis
dare dignatus est, sunt discussa.

Deinde de portione civitatis subjungi-
tur : *Quinque millia autem quæ supersunt* 15
in latitudine, subauditur, totius spatii
trium partium prædictarum, *per viginti
quinque millia,* utique longitudinis, *pro-
fana erunt urbis in habitaculum,* id est
loca ad habitandum communia omnibus
præter sacerdotes. Unde secundum Hiero-
nymum, profanum hic idem est quod lai-
C cum seu vulgare. Quo designatur, quod
universa quæ ad sensus et corporis volu-
ptatem referimus, esse profana, et templi
sanctimoniam non habere, nec sacerdota-
lis esse privilegii, sed laicæ vilitatis. *Et in
suburbana :* de quibus et dictum est, et
dicetur. *Et erit civitas in medio ejus,* sci-
licet partis, vel spatio ejus. De portione
hac civitatis breviter dictum est capitulo Ezech. xlv,
quadragesimo quinto. *Et hæ mensuræ ejus,* 6. 16
videlicet civitatis : *Ad plagam septentrio-
nalem quingenti et quatuor millia :* id
D est, latus civitatis ad aquilonem respiciens,
continebit in longitudine calamos quin-
gentos et quatuor millia. *Et ad plagam
meridianam,* id est latus versus meridiem
positum, *quingenti et quatuor millia* ca-
lamorum erunt in ejus longitudine. Simili
sensu de aliis duobus civitatis lateribus
subditur : *et ad plagam orientalem quin-
genti et quatuor millia, et ad plagam oc-
cidentalem quingenti et quatuor millia.*
Itaque civitas ista (per quam figuratur Ps. lxxxvi,
Ecclesia, de qua legitur, Gloriosa dicta 3.

sunt de te, civitas Dei), describitur in quadro æquilatero, ita quod unumquodque latus ejus continet prætaxatum numerum calamorum. Idem ergo figuratur per templum et civitatem, et utrumque in quadro scribitur construendum, ad insinuandum æqualitatem justitiæ inter Christianos servandam, et propter quatuor Evangelistarum doctrinam; item ad innuendum quod in quatuor virtutibus cardinalibus exercere se debeant; rursusque ad figurandum quod de quatuor mundi partibus innumerabiles in Christum crediderint, ex quibus ejus ædificatur Ecclesia. Nihilo minus multo major describitur mensura et ambitus civitatis quam templi, quia per civitatem intelligitur unio Christifidelium quasi communiter, scilicet spiritualium et sæcularium, in fide et moribus ac sacramentis Ecclesiæ : porro per templum hæc ipsa christianæ plebis collectio, magis quantum ad spirituales, quorum multo minor est numerus.

Consequenter de suburbanis civitatis
17 subjicitur : *Erunt autem suburbana civitatis ad aquilonem ducenti quinquaginta* calami, *et ad meridiem ducenti quinquaginta, et ad orientem ducenti quinquaginta, et ad mare,* id est ad occidentem, *ducenti quinquaginta.* Itaque latitudo suburbanorum juxta murum ad quodlibet latus totius muri, continet calamos ducentos et quinquaginta. Unde secundum Hieronymum, suburbana hæc vacant ab usu ac opere hominum, ut circummuralia urbis habeant virgultorum atque herbarum ac ceterorum sponte de humo nascentium amœnitatem. Hæc spatia murum ambientia, inter civitatem et ea quæ reliqua sunt, dividunt, in quibus nec ædificia fiunt, nec cultura est vinearum aut segetum. Omnium horum spiritualem intelligentiam ad liquidum explanare, vires transcendit humanas. Tamen ex præinductis habetur introitus ad spiritualem interpretationem istorum. Etenim suburbana Ecclesiæ, dici possunt præambula fidei, vel decor morum in exteriori conversatione, aut simplicitatis sanctæ planities : quibus omnibus decoratur civitas Dei, et magnam intuentium oculis ingerit amœnitatem. Quid vero per numerum centenarium, et ducentenum ac quinquaginta *, intelligi queat, frequenter prætactum recordor.

* ducentenarium ac quinquagenarium

Proinde describitur portio ministrantium
civitati. *Quod autem reliquum fuerit in longitudine* totius portionis civitatis. 18
Unde capitulo quadragesimo quinto habetur, quod in possessionem civitatis dabuntur quinque millia latitudinis et viginti quinque millia longitudinis : idcirco nunc ait, Quod reliquum fuerit in longitudine, *secundum primitias sanctuarii.* Hoc ideo additur, quia primitiarum sacerdotalium longitudo fuit viginti quinque millium calamorum, quemadmodum longitudo portionis seu possessionis civitatis. Portio autem civitatis in tres partes dividitur, puta, in ipsam civitatem, et in ejus suburbana, atque in agros pro servientibus civitati. Deinde exprimitur quantitas hujus residui de quo præmisit, Quod autem reliquum fuerit, scilicet : *decem millia* calamorum *in orientem,* id est versus plagam orientalem, *et decem millia in occidentem, erunt sicut primitiæ sanctuarii :* id est, sicut primitiæ sanctuarii cedunt in usum et commodum sacerdotum, sic ista in usum servientium civitati. Ideo subditur : *Et erunt fruges ejus,* id est terræ nascentia præfati residui, *in panes,* id est in sustentaculum vitæ, *his qui serviunt civitati,* ejus mœnia exstruendo, vel interrupta reparando. Dignus est enim operarius mercede sua. Quo figuratur, quod Ecclesia obsequentibus sibi justam reddit mercedem.

Ezech. XLV, 6. — Luc. X, 7.

19 *Servientes autem civitati, operabuntur ex omnibus tribubus Israel :* id est, ex singulis tribubus Israel erunt qui civitatis obsequio occupabuntur, diversa circa eam exercentes officia, ut nullus se putet ab opere civitatis immunem. Quo datur intelligi, quod ad ædificationem Ecclesiæ Christi spiritualem vel corporalem, ejusque ministerium ac obedientiam, universi certatim confluere debent.

20 *Omnes primitiæ viginti quinque mil-* A
lium calamorum, *per viginti quinque mil-*
lia calamorum *in quadrum, separabuntur*
in primitias sanctuarii et in possessionem
civitatis : id est, primitiæ sacerdotum et
Levitarum ac civitatis simul acceptæ, con-
tinent spatium viginti quinque millium
calamorum per quadrum, sicut ex dictis
elicitur. Longitudo namque cujuslibet ha-
rum trium portionum, est viginti quinque
millium calamorum. Latitudo autem por-
tionis sacerdotum, est decem millium ca-
lamorum; similiter latitudo portionis Levi- B
ticæ. Porro latitudo portionis civitatis, est
quinque millium calamorum. Quæ latitu-
dines pariter sumptæ, efficiunt spatium
viginti quinque millium calamorum : sic-
que in toto habentur quater viginti quin-
que millia calamorum.

Præterea portio principis subinfertur.
21 *Quod autem reliquum fuerit, principis*
erit ex omni parte primitiarum sanctu-
arii, et possessionis civitatis : id est, ea
pars terræ quæ supra aliis deputata non
est, ad principem Israel pertinebit, ex par- C
te orientali et occidentali primitiarum tem-
pli seu sacerdotum ac Levitarum et por-
tionis civitatis ; *e regione,* id est contra
faciem, *viginti quinque millium,* scilicet
calamorum, *primitiarum* de quibus jam
dictum est, quæ tot calamos comprehen-
dunt : et istud reliquum sive residuum ad
principem pertinens, *usque ad terminum*
orientalem totius terræ protendetur, ita
quod erit inter septem tribus et quinque,
de quibus statim dicetur. *Sed et a mari,*
id est a latere occidentali, *e regione vi-* D
ginti quinque millium primitiarum jam
prædictarum, *usque ad terminum maris,*
videlicet usque ad ipsum mare seu littus
ejus terminans terram hanc, *similiter in*
partibus principis erit, id est, quod su-
perest, ad ejus sortem spectabit. *Et erunt*
primitiæ sanctuarii, id est templi vel
Sancti sanctorum, *et sanctuarium templi*
civitatis, id est sanctuarium quod est tem-
plum, vel Sancti sanctorum exsistentis in
templo, quod est templum civitatis quia
ad ipsum cives urbis conveniunt, *in medio*
ejus, id est inter principis portiones. Por-
tiones etenim principis ab orientali oc-
cidentalique parte exsistentes, habent in
medio sui atque includunt primitias me-
moratas ac templum.

De possessione autem Levitarum, et de 22
possessione civitatis, id est, id quod de
possessionibus Levitarum et civitatis re-
liquum est, *in medio partium principis*
erit, id est, principi deputabitur, *in ter-*
minum Juda, id est, usque ad sortem
tribus Juda pertinget versus aquilonem, *et*
in terminum Benjamin, id est usque ad
sortem ipsius versus meridiem. Hæc expo-
sitio procedit secundum intentionem Hie-
ronymi, qui ait de singularum et omnium
tribuum possessione aliquid principi dari.
Alii quidam exponunt sic : *De possessione*
Levitarum, id est quod ad Levitarum sor-
tem spectat, *et* similiter *de possessione ci-*
vitatis, id est quod ad eam pertinet, exsi-
stens *in medio partium principis, erit in*
terminum, secundum modum expositum.
Alii vero exponunt, quod possessio princi-
pis erit de possessione Levitarum ac civi-
tatis, incipiendo seu procedendo de termi-
nis possessionum illarum. *Et ad principem*
pertinebit, sicut ostensum est. De hac quo-
que principis portione dictum est plenius
capitulo quadragesimo quinto : idcirco per- *Ezech.* XLV
transeo. 7.

Consequenter describitur distributio sor-
tium quinque reliquarum tribuum, a parte
terræ hujus australi. *Et reliquis tribubus,* 23
a plaga orientali usque ad plagam occi-
dentalem, Benjamin una : id est, aliis
quinque tribubus terram a præfatis plagis
partiendo versus austrum, una seu prima
sors erit tribus Benjamin : cujus sortis
longitudo est juxta portionem principis et
civitatis. Nempe in superioribus et in is-
tis, quum dicitur, Una, subauditur (secun-
dum Hieronymum) sors, possessio, seu he-
reditas. *Et contra terminum Benjamin,* id 24
est prope hereditatem ipsius lateraliter
progrediendo ad austrum, *a plaga orien-*
tali usque ad plagam occidentalem, Si-

meon una : id est, secunda portio est A
25 tribus Simeonis. *Et super,* id est juxta,
terminum Simeonis, a plaga orientali usque ad plagam occidentis, Issachar una.
Juxta eumdem sensum de aliis duabus
26 tribubus subditur : *Et super terminum*
Issachar, a plaga orientali usque ad pla-
27 *gam occidentalem, Zabulon una ; et super*
terminum Zabulon, a plaga orientali usque ad plagam maris, id est occidentalem, ut supra in isto articulo patuit, *Gad una.* Juxta hunc modum loquendi dicimus : Agrippinensis Colonia sita est supra Rhe- B
num, id est prope; Ruræmunda constructa
28 est supra Ruram. *Et super terminum Gad,*
ad plagam austri in meridie, id est ad plagam australem aut meridianam, vel in meridie sitam, erit hic finis. *Et erit finis* sortis Gad, *de Thamar,* id est civitate sic dicta de qua præcedenti articulo dictum est, *usque ad aquas Contradictionis Cades,* quæ dicitur Cadesbarne, estque in deserto : de quo loco et aqua in Numerorum libro habetur ; *et hereditas contra*
mare Magnum, id est, possessio Gad, us- C
que ad mare hoc Mediterraneum (de quo item prædictum est) protendetur ad occi-
29 dentem. *Hæc est terra quam mittetis in*
sortem tribubus Israel, et hæ portiones earum, scilicet tribuum, *ait Dominus Deus.* Quod qualiter accipiendum sit, patet utcumque ex præinductis.

Ezech. XLVII, 19.

Num. XX, 13.

Insuper, quod paulo ante dictum est,
30 nunc repetitur, ut aliquid adjiciatur. *Et*
hi ingressus civitatis, id est portæ et latera muri quibus ad urbem intratur : *A*
plaga septentrionali, id est a latere muri D
respiciente ad aquilonem, *quingentos et quatuor millia* calamorum *mensurabis,* id
31 est, metienda prædices. *Et portæ civitatis*
in omnibus tribubus Israel, id est, secundum numerum duodecim tribuum, erunt duodecim portæ. *Portæ tres a septentrione,* id est in parte seu latere muri aquilonem respiciente : *porta Ruben una, porta*
32 *Juda una, porta Levi una. Et ad plagam*
orientalem, id est in latere muri contra orientem, *quingentos et quatuor millia* calamorum mensurabis. *Et portæ tres* sunt in latere isto : *porta Joseph una, porta*
Benjamin una, porta Dan una. Et ad 33
plagam meridianam quingentos et quatuor millia metieris, videlicet in latere muri versus austrum respiciente. Et mensurationes istæ secundum longitudinem laterum accipiuntur. *Portæ tres* in latere isto : *porta Simeonis una, porta Issachar*
una, porta Zabulon una. Et ad plagam 34
occidentalem, videlicet in latere muri ad occidentem respiciente, *quingentos et quatuor millia* calamorum metieris. *Portæ eorum* in latere isto, *tres : porta Gad una, porta Aser una, porta Nephthali una.*
Per circuitum, id est per totum gyrum 35
muri civitatis, sunt *decem et octo millia* calamorum. Quatuor enim sunt latera muri, et quodlibet latus habet in longitudine quingentos et quatuor millia calamorum. Duo igitur latera continent novem millia calamorum. Cur civitas ista in quadro æquilatero sit descripta, præhabitum est.

Denique, quod in quolibet latere tres portæ ponuntur, hoc arbitror designare, quod ex omni parte mundi fideles civitatem Dei ingressi sunt, per fidem superbeatissimæ Trinitatis. Quod vero hæ portæ denominantur a Patriarchis, insinuat quod credentes et ingredi cupientes, Patriarcharum fidem et opera debeant imitari. Verum de singulis his appropriatam ac certam reddere rationem, non est in hominis potestate. Similia his quæ sanctus Ezechiel scribit de civitate Ecclesiæ militantis et de ejus quadratura et portis aliisque nonnullis, scribit et evangelista Joannes de civitate Ecclesiæ triumphantis in Apocalypsi sua.

Apoc. XXI, 10 *et seq.*

Et nomen civitatis istius *ex illa die,* qua fuerit constructa, erit, *Dominus ibidem.* Nomen enim imponitur a proprietate, virtute seu gratia rei. Ad insinuandam ergo excellentissimam exuberantiam gratiæ Dei, incessabilemque præsentiam Christi in civitate hac seu ecclesiastica unitate populi christiani tempore evangelicæ le-

gis, recte civitas hæc nominatur, Dominus ibidem : qui etiam per sacramentalem præsentiam incessanter nobiscum est substantialiter atque veraciter in utraque natura. Propter quod Christus promisit discipulis : Ecce ego vobiscum sum cunctis diebus usque ad consummationem sæculi. Et in Isaia Ecclesiæ dicitur : Non vocaberis ultra Derelicta, et terra tua non vocabitur amplius Desolata. Hæc enim est ineffabilis munificentia Salvatoris ab exordio primitivæ Ecclesiæ usque ad finem mundi. Super quo sit Patri et Filio et Spiritui Sancto æternaliter gratiarum actio, omnisque honor et gloria, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

Matth. XXVIII, 20.

Is. LXII, 4.

FINIS COMMENTARIORUM IN EZECHIELEM PROPHETAM

INDICES

LOCA S. SCRIPTURÆ PRÆCIPUA

QUÆ AD ILLUSTRANDUM COMMENTARIUM

AB AUCTORE PASSIM ALLEGANTUR

PROVERBIORUM.

ECCLESIASTÆ.

CANTICI CANTICORUM.

SAPIENTIÆ.

ECCLESIASTICI.

MARCI.

LUCÆ.

JOANNIS.

ACTUUM.

AD ROMANOS.

I AD CORINTHIOS.

II AD CORINTHIOS.

AD GALATAS.

I AD TIMOTHEUM.

AD TITUM.

AD HEBRÆOS.

JACOBI.

I JOANNIS.

APOCALYPSIS.

INDEX ANALYTICUS

A

B

D

E

F

G

H

I

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

U

V

Z

INDEX GENERALIS


ENARRATIO IN JEREMIAM PROPHETAM.

ENARRATIO IN THRENOS.

ENARRATIO IN BARUCH PROPHETAM.

ENARRATIO IN EZECHIELEM PROPHETAM.

EMENDANDA. Pag. 212 A', lin. 6 : evenit, *lege* eveniet ; — 552 A, lin. 12 : Jehon... Gehon.



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolii.
J. Arnauné typographus.

